34267/C
Gordon 503



LEEDS.



Frans van Mieris inv. et delin.
I. Wandelaar fecit

T. LUCRETII CARI, DE RERUM NATURA LIBRI SEX,

Cum notis integris

DIONYSII LAMBINI, OBERTI GIFANII, TANAQUILLI FABRI, THOMÆ CREECH,

Et ſelectis

JO. BAPTISTÆ PII, aliorumque,

CURANTE

SIGEBERTO HAVERCAMPO,

qui & Suas & ABRAHAMI PREIGERI Adnotationes adjecit.

Accedunt Interpretatio THOMÆ CREECH, Variae Lectiones ex Notulis IS. VOSSII, atque ex plus quam viginti quinque Codd. tam Impreſſ. quam MSS. ut & complures iique locupletiſſimi Indices. Cum Figuris artificioſiſſimis atque venuſtiſſimis.



F. v Mieris inv *I. Wandelaar fecit*

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JANSSONIOS VAN DER AA, MDCCXXV.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

TITI LUCRETII CARI

LECTORI ÆQUO ET INTELLIGENTI

S. D. P.

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.

Longioris Præfationis gratiam nobis fecerunt Doctiſſimi hujus Poëtæ Interpretes; neque is eſt Lucretius, qui verboſo præconio quæſitiſque lenociniis commendari egeat; ſufficere itaque arbitramur, ſi pauca dicamus de illis, qui Scriptorem hunc eruditiſſimis ſuis Commentariis Notiſque illuſtrarunt, iis præcipue, quorum hic conjunctas, recepto jam & utili more, offerimus tibi curas; deinde ſubjungamus quid a Nobis in Nova hac Editione ſit præſtitum.

Poſtquam enim primo a renatis literis ſæculo haud poſtremus inter Latinos Vates [1] in publicam lucem emerſiſſet Lucretius, [2] plures illico amatores, & in primis eximium facultatis ſuæ Poëticæ ſubtiliſque ingenii admiratorem nactus eſt Michaëlem Marullum, & ipſum Poëtam egregium, & tantum Noſtri æſtimatorem, ut nec [3] in ipſa morte ſine illo inventus fuerit. Ex [4] hujus emendatione & ingenio, quum prodiiſſet vulgata

1. Veronæ, cujus Editionis hæc eſt nota ad finem lib. VI. *Paulus hunc impreſſit Fridenperger in Verona, qui genitus eſt in Patavia alæ magnæ: ab incarnatione Chriſti* MCCCCLXXXVI. *Die vigeſimo octavo Septembris. Calen. Octobris.* In capite vero hanc habebat Inſcriptionem: *T. Lucretii Cari Poetæ Philoſophici antiquiſſimi de Rerum Natura liber primus incipit feliciter.*

2. Inter quos teſte Victorio Var. Lect. lib. 7. cap. 15. Franciſcus Medices mirifice candorem ejus & artificium celebravit. Adde Teſtimonia Fr. Flor Sabini ſubſiſiv. cap. 1. p. 1174. Turneb. in Adverſ. paſſim, J. C Scalig. in Ariſtot. Hiſt. Anim. lib. 10. §. 35. & 6. §. 332. 15. Is. Caſaub. Not. in Johannem cap. 5. p. 417. J. Lipſii. V. C. c. 1. c. 14. pag. 24. &c.

3. Meliori enim fato dignus Muſarum cultor, dum Martem ſequitur, una cum equo Cecinæ undis hauſtus eſt, miſeræque ſortis ſocius Lucretius eſt repertus. Confer Candidi Præfat. inf. lit. *c. avers.* & Paullum Jovium in Elog. vir. Doct. atque Paullum Freherum p. 1432.

4. Prodiit Lucretius iſte Marulli clarus emendationibus, typis Juntinis, cum præfatione P. Candidi, quæ videri poteſt inf. lit. *c. avers.* Haſce Emendationes adſcripſerat oræ Codicis ſui Marullus, illius forſan, qui ex Cecinæ undis, quod domino non licuit, fuit receptus. Poſſedit poſtea codicem iſtum Jo. Sambucus, qui utendum dedit Giſanio, cujus Præfationem vide inf. *h. avers.* Sed & ante illum Pius commodato acceperat a Severo, Monacho Placentino; vide Præfat. Pii lit. *b. 7.*

gata [5] Juntinis Typis Editio, [6] non defuere, qui audaciam libertatemque nimiam in Græculo illo carperent, ut qui, pro [7] iſtius ætatis licentia, multa, pro libitu ſuo novaſſe atque adulteraſſe viſus fuerit; injuſtis tamen nonnunquam querelis, [8] ut aliis viſum eſt, oneraverint. Sed jam & ante Marulli ſpecimen[9] aliæ præceſſerant Editiones, & ſimul [10] Jo. Baptiſta Pius magno conatu Commentariis grandibus diligentiam ſuam exercuerat. De quo viro, quæque ad ejus Gentem atque Eruditionem ſpectant, quum copioſe ſatis diſſeruerit in ſua ad Valerium Flaccum Præfatione Collega Celeberrimus, non eſt, ut vel accuratum in MSS. conferendis ſtudium porro commendemus, vel affectatum atque moroſum dicendi ſæpius genus vituperemus, contenti laudaſſe laborem ejus [11] in conferendis Antiquis Codicibus, atque de [12] Patre ejuſdem quædam addidiſſe. Quantum vero, quæ deinde inſecuta ſunt tempora, luce doctrinæ undique affluentis fulgida; priora illa, ex diſpulſis modo tenebris adhuc caliginoſa, ſuperarunt; tantum primorum Editorum doctrinam præſtinxit atque obtenebravit Dionyſius Lambinus, vir Græce & Latine doctiſſimus, quique ex multis ingenii monumentis in publicum editis dignam meritis famam eſt conſecutus; verum in nullo opere tantum inſudaſſe videtur, quantum in Lucretio ex MSS. compluribus emendando, atque præ-

5. Anno 1511. in Octavo. cum Præfatione, ut diximus, Petri Candidi.

6. Scaliger, Victorius, & inprimis Gifanius, & in Præfat. & in Notis ubique, atque ſatis petulanter.

7. Solent enim Viri Docti iſtius temporis hoc nomine male audire, quod ad ſuos ſenſus Antiquos Poëtas loqui voluerint & fecerint; unde in Catullo idem laudando exprobat Joviano Pontano hoc Epigrammate Sannazarius.

Doctus ab Elyſia redeat ſi valle Catullus,
Et trahat ingratos Leſbia ſola choros;
Non tam mendoſi mærebit damna libelli,
Geſtiet officio quam, Ioviane, tuo.
Ille Tibi amplexus atque oſcula grata referret,
Mallet & hos numeros, quam meminiſſe ſuos.

8. Lambino, quem vide ad lib. 3. vſ. 1007.

9. Candidi enim editio a. 1511. vulgata fuit, quam præceſſerunt Veron. & Aldina prior a. 1500.

10. Lucretium ſuum edidit Pius Bononiæ 1511. eodem anno, quo P. Candidus. Repetita hæc Editio fuit Pariſiis a. 1514. in ædibus Aſcenſianis, additis J. B. Aſcenſii & N. Beraldi præfatiunculis; vide extrem. lit. b.

11. Quibus uſus fuerit, ipſe in fine Præf. ſuæ aperit, eorumque lectiones omnes diligenter Var. Lect. noſtris inſertas invenies.

12. Ubi enim ad lib. 4. vſ. 139. pro more ſuo de gigantum in aëre bello aniles fabellas pertexuit, & ſecutis inde tempeſtate ſua terræ tremoribus aliiſque infortuniis; addit. *Æſtate deincipiti patricii plebejique, ingenio divitiiſque conſpicui, deceſſerunt, & humanis valere dixerunt. Inter quos Beroaldus, præceptor meus, vir, cui Muſæ Latinæ hærebant: genitorque Jacobus Andalus Pius, fide, animi præſtantia, robore, ſinceritate, pulchritudine nemini ſecundus.*

præſtantiſſimorum ſcriptorum collatione illuſtrando; neque mirum id haud tralatitia ab illo attentione animi verum acri ardore fuiſſe peractum, quum & ipſe eundem Auctorem [13] ter recenſuerit, ſuaſque curas recognoverit auxeritque, & ut id ſerio faceret, non contemnendum adverſarium fuerit nactus Obertum Giſanium. Hic enim, haud contentus privatis opibus niti, ſuffuratis [14] Lucæ Fruterii reliquiis, atque corraſis undique Doctorum ea ætate conjecturis, in ipſam etiam Lambinianam meſſem involaverat, atque ſecurus Proborum de ſe Virorum judicii, alienis ſeſe plumis egregie exornaverat. Id quod haud tolerandum ratus Lambinus, hominem non cæſa pelle ſed & ad oſſa uſque denudatum acri aceto & mordaci ſale in tertia Editione ubique perfricuit. Quamvis autem melius famæ ſuæ conſuluiſſe potuerat Giſanius, nemo tamen inficias iverit, Doctum fuiſſe Virum, & adjutum ab eo nonnunquam Lucretium, imo Conlectanea ejus (licet Fruterii forſitan laboribus conſtipata) tantæ eſſe Eruditionis, ut ab omnibus non modo æſtimentur, ſed & a [15] Gaſpare Scioppio, acri illo Latini ſermonis cenſore, & (quod aliquid hic amplius eſt) privatis de cauſis inimico, ampliſſimum referant teſtimonium. Poſt hos Tanaquillus Faber, nullis adjutus MSS. ſed ingenio admirabili, acumen ingenii ſui exercuit, & ea dedit, quæ arguta, docta, domi eſſe nata, bonæ frugis plena merito dixeris. Reliquos, qui poſt exſtiterunt Interpretes non moror, felici fama indignos, & nullius apud Eruditos exiſtimationis; quales enim [16] Nardius, Pareus, & [17] Fayus, Præfatio docebit Thomæ Chreech; Utilem enim hic operam præſtitit illis, qui tam venuſtæ ſublimitatis Poëtam [18] ubique circumferre malunt, ſuis & ex Lambino Fabroque excerptis Notis eundem dilucidans, atque Interpretatione haud inutili explanans. Nemo exinde Lucretio manus admovit, quo aliqua parte integrio-

13. Prima ejus Editio prodiit Veronæ, ſæpius nobis memorata & diligenter collata, de reliquis conſuli poſſunt ſcripta in eo genere a Fabricio & Maitairio.

14. Quod innuunt Aub. Miræus in Teſtimon. inf. præfixis, docuitque Douza in Satyris, Lamb. in Præf. Bayle in Lexico, aliique.

15. Confer Teſtimon. inf. & de inimicitiis inter hoſce duos ſimilis farinæ homines Bayle in Lexico ſuo, ad Lucretii titulum.

16. Vir bonus, ſed hoc tantum, teſte Fabro in Præf. inf. lit. *i. prim. avers.* qui jam pridem (niſi donum viri amici Abbatis Motta-Vayerii fuiſſet) è muſeolo (inquit) extruſus fuiſſet. Lucret. Nardii editus eſt Flor. 1647. Pareus Lucretium ſuum edidit Francf. 1631.

17. Editio caudicis hujus abortum fecit Paris. 1680.

18. in Oct. Lond. 1695. atque iterum ibid. ſed minus emendate 1717.

griorem eum nanciſceremur; nam Anglicana illa, quæ inter [19] plures alias Editiones ſine notis penes Jac. Tonſon prodiit, diligenti quidem cura collectas in calce Varias exhibet Lectiones, ſed eo fine, ut inde [20] ſuo ipſius acumine & judicio Lector veriores ſeligat.

Supereſt, ut dicamus quid ipſi præſtiterimus, quidve hanc Editionem præ reliquis poſſit commendare. Jam inde ab eo tempore quo Publii Syri quae ſuperſunt, cum Poſtumis Jani Gruteri Notis, novaque Jos. Scaligeri verſione Græca in lucem emiſimus, hujus Poëtæ lepore capti, neſcio quid altius audendi animum noſtrum tetigerat, præſertim quum paullo poſt hortatu Jac. Gronovii, communis Magiſtri, qui jam tum ſtimulos acriores nobis ſubdebat, ex Bibliotheca Gojeriana, Ultrajecti diſtracta, nobis comparaſſemus exemplar conſcriptum manu Hadriani Beverlandi, de quo quidem uberius cognoſci poterit ex [21] adjecta Epiſtola Doctiſſimi Viri, Abrahami Preigeri, tunc quidem dulciſſimi Contubernalis & Studiorum ſocii, nunc & veteris Amici & Mudæ oraculorum Divinorum fideliſſimi Interpretis, & in hiſce Humaniorum Literarum ſtudiis cum pauciſſimis ſui Ordinis conferendi. Id itaque quod jam tum animo præceperamus nunc effectum damus, & puriſſimi oris Poëtam, ſuæ quidem gentis more & ex inſtituta ſecta in multis delirantem, attamen magni & liberi ſpiritus, acris judicii, ſubtilis ingenii, Virgilii (quis temnere audeat) Anteceſſorem & [22] Magiſtrum, ornatu inſigni & auctuario forſitan haud ſpernendo, ſolidioris doctrinæ ejusque ingenii fautoribus offerimus. Alia, fateor, quam fieri vulgo ſolet, in hujus libri Editione, ſuaſu noſtro, inſtituta a Bibliopolis fuit ratio; ut videlicet per Subſcriptionem prodiret, & [23] pauca tantum exemplaria inprimerentur. Quod ſi inde minus ſit perventurum commodi ad illos, (qui tamen hoc jam habent ſolatii, avide, quem propoſuerant diſtractum ſive ſubſcriptum fuiſſe numerum) tanto acceptiorem fore rem credebamus poſſeſſoribus, ſi non in dies præ nimia exemplorum multitudine, atque ſordibus illorum qui ob vile lucellum omne genus librorum per-

19. Editus enim eſt ſæpius. vide Notas ad pag. præced. [9].
20. Quæ ipſa ejus verba ſunt in fine Præfat. inf. lit. *l*.
21. Infra, in fine Epiſtolæ ejuſdem ad me ſcriptæ.
22. Non quidem ore ſed ſcriptis; deceſſit enim die quo natus eſt Virgilius, qui ex nullo Latinorum Poëtarum tantum profecit, quantum ex Ennio atque Lucretio.
23. Neque enim totus numerus ad 820 aſſurgit, quotum autem hoc ex illo ſit exemplar, invenies manu mea notatum in ultima pag. Tomi Primi.

permutant, pretium ejus imminui viderent. Fecimus itaque ut quam ſplendidiſſime atque emendatiſſime prodiret Auctor; præter Creechii enim Interpretationem (de qua [24] ipſius verba inſpici merentur) [25] integros Commentarios Notaſque ſubjecimus Lambini, [26] Giſanii, Fabri, ſicut & ipſius Creechii, niſi ubi ille Lambiniana vel Fabriana [27] ad verbum expreſſerat; ex Pii Notis ſelegimus, quæ mereri videbantur ut legerentur, quæve non a Lambino aliiſve uberius poſtea & melius diſpoſita erant; videbamus enim facile verboſis, longeque petitis, atque exoletis jam & nonnunquam ſpurcis Pii notis carere poſſe, quum nobiliſſima ejus pars diligentiæque Viri teſtis, Variantibus Lectionibus eſſet inſerta. Denique & Iſaaci Voſſii Notulas, adſcriptas manu Hadriani Beverlandi Codici ſuo, qui ad nos ex Gojeriana auctione devenerat, adſperſimus, & Preigeri noſtri, Noſtraſque interſeruimus; Et haſce quidem breviores eſſe voluimus, quod & ipſa Notarum moles jam ſatis magna videretur, & longa atque ingrata diſputandi atque diſſerendi materia de lectione hujus illiuſve Codicis ultro præciſa a nobis eſſet Variarum Lectionum acervo, in quem congeſſimus, quidquid videbatur non a Poëta profectum, quum alia rectiora vel in ipſum receperimus Contextum, vel in Notis diſcuſſerimus.

Primarium quidem auxilium in emendando Lucretio attulerunt nobis præſtantiſſimi Codices duo MSS. qui in Bibliotheca Univerſitatis hujus Batavæ, quæ Lugduni eſt, adſervantur, uterque Membranaceus & vetuſtiſſimus; alter quidem majori forma, in folio, ut vulgo vocant, alter in quarto, ſed majore, & quidem per columnas, ita ſcriptus, ut antiquiſſima quidem ſcriptura nonnunquam immutata fuerit, ſed ſuperſcripta modo recentiore, imo vel ipſæ literæ, quæ viderentur ſuperfluæ vel vitioſæ eſſe in antiquiore (unde & hic expreſſus erat) libro, non ſublatæ, ſed punctulo notatæ eſſent; ut ita permagni ſit æſtimandus & fidum ejuſdem nobis fuerit miniſterium. Fuerat uterque olim Voſſii, & quaſdam ex illis Varias Lectiones Londinenſis Editor nactus erat, verum man-

24. Inf. lit. *k*. 4. *avers*.
25. Nihil enim reſecuimus, quod qui faciunt, titulo tamen inponere aliis ſolent.
26. In hiſce ſæpius videas *in edit. pr.* vel *in edit. poſt.* quoniam in hac immutaverat & adjecerat quædam; neque tamen unquam Lambino quid reponere auſus fuit, licet de plenioribus Annotationibus olim edendis loquatur in Præf. lit. *h*. 2. contentus in mutuis cum Mureto Epiſtolis famam ejus vellicare, ipſique invidiam creare. Cujus rei gratia inſpici merentur Mureti atque ipſius aliorumque Epiſtolæ &c. Ep. 45. 73. 74. 75. 78.
27. Quod ille pro inſtituto ſuo fecerat, additis plerumque eorundem nominibus, quæ nos, ne bis legerentur, ſuſtulimus.

mancas valde & paſſim ab auctographis, quos diligenter conſuluimus, diſcrepantes. Idem Codici Bodlejano acciderat, cujus pauciſſimas idem varietates exſcripſerat, omnes vero indulſit pro ſingulari ſua humanitate vir Eruditiſſ. Hermannus Samuel Reimarus, qui recenter Camariotæ fætum in lucem protraxit; qui quidem Codex, quamvis forſitan ratione ſcripturæ omnium Lucretianorum ſit mendoſiſſimus, archetypa tamen habuit minus mendoſa, quoniam eum in reconditis magis lectionibus ſæpius cum noſtris Lugd. Bat. conſpirare animadvertimus. Gottorpienſis jam olim magna fama & merito ſuo fuit, verum laceræ illæ membranæ haud ultra partem Secundi Libri pergebant, & ipſe Codex una cum aliis Bibliothecæ ejus Gottorpianæ (quod me Celeberr. Moshemius monuit) dudum per bellicos furores evanuit. Paſſim tamen Collatio ejuſdem in eruditorum manibus fuit, unde & inter Voſſianos quondam Theſauros, nunc Lugd. Bat. inſpeximus, & ex Gudianis, mittente laudato Moshemio, accepimus. Et hæ quidem MSS. ſuppetiæ quibus fulti ad Opus nos accinximus; Impreſſos vero omnes fere nobis ſuppeditavit Vir Natalibus & Bibliothecarum, omniſque Autiquariæ ſupellectilis magnificentia clarus, Adrianus a Marck, Dominus in Leure &c. qui quum ſua omnia tanquam noſtra utenda mihi det dederitque, merito Tanto Nomini honos habendus eſt; Fuit tamen una Editio alterave (nam & primam illam Pii Bononienſem, atque genuinam, Lugd. Bat. Bibliotheca ſuppeditavit) quae aliunde fuit quaerenda; praeſertim omnium prima, [28] paucis viſa & recte cognita, Veronenſis anni MCCCCLXXXVI. Haec quum in Bibliotheca publica Ultrajectina ſervaretur, tanto nobis magis videbatur expetenda, quod jam olim ad duo vel tria manu exarata exemplaria collata eſſet, neque ullus Lucretii editor, excepto forſan [29] Pio, iis collationibus, ipſaque Editione uſus crederetur. Laborem itaque deſcribendi omnia ſuperſtitioſa diligentia pro nobis ſubiit cultiſſimae eruditionis maximaeque ſpei juvenis, Jo. Arentzenius, Henrici (qui Gymnaſii Trajectini eſt Moderator) filius, ſurgens in majora olim decora editis nuperrime Diſſertationibus binis de Colore & Tinctura Comarum, atque Civitate Romana Apoſtoli Pauli. In calce vero libri illius Ultrajectini adſcripta haec erant: *Caſtigatus fuit*

hic

28. Quæ & perperam ſcribitur ſive editur in Clariſſ. Alb. Fabricii Bibl. Lat. vol. altero, p. 59. edita fuiſſe Curante Hieronymo Avantio, neque enim ille hanc, ſed Venetam Aldinam procuravit: vide inf. lit. *a*. Præterea titulus diſcrepat.

29. Ille enim Cod. Pomponianum contuliſſe ſe teſtatur in fine Præf. inf. lit. *b*. 4.

hic Codex cum Codice Pomponiano a R. P. D. Sebaſtiano Priolo, Protonotario Apoſt. ac S. D. N. Referendario ac Secretario: nec non a Franciſco Cerrito Parmenſi. atque adſcriptum erat, *Romæ, menſe Octobris* 1492. *anno primo Pontif. Alex.* VI. *Carmina Sublimis &c.*

Atque hae quidem noſtrae fuêre copiae, quas nonnunquam ex doctiſſimis Graviſſimi Viri Adr. Turnebi Adverſariis auximus; ubique illum ſervantes morem, ut Libros Poëtarum verſuſque (qui in ſingulorum notis citantur) adſcriberemus, juvenili olim opera huic impenſa labori; Giſaniana praeterea Conlectanea (quae ille paginis Editionis ſuae adaptaverat) ad Libros Poëtae atque verſus retulimus; Indices inſuper quatuor, pleroſque novos, adjunximus; &, ſi id quoque in hiſce Scriptis tolerari poteſt, pulcherrimas ſingulis Libris Picturas praefiximus, quae quidem libro erunt ornamento, artificibus vero ſuis in gloriam cedent; Pinxit autem illas noſtro rogatu & amicitiae gratia, Franciſcus a Mieris, Wilhelmi filius, Franciſci nepos; æri vero incidit praeſtantiſſimus chalcographus J. Wandelaar.

Lugd. Bat. pridie
Kalend. Aug.
1725.

CORRIGENDA IN TEXTU.

Lib. I. vſ. 195. poſt *tueri* pone punctum. 494. *Aëris.* Aeris. 830. & 834. ſcribe ΟΜΟΙΟΜΕΡΕΙΑΝ. 998. *monteis.* montes. 853. *an os?* anne os? Lib. II. v. 293. poſt *certo* pone punctum. 362. poſt *ripis* dele punctum. 367. poſt *Hoedi* dele punctum. 650. *habere.* haberent, *at dele quæ hic in Var. Lect.* 932. poſt *extra* pone punctum. Lib. III. 695. poſt *videntur* dele punctum. 917. *ſi eris aevi.* ſic eris aevi. Lib. IV. vſ. 118. Diſtingue *Membra? Quid? artus? Quantula ſunt? quid praeterea primordia quaeque?* 259. poſt *imago* pone comma. 1185. *Prætermittere.* Prætermittêre. & pone comma poſt *viciſſim.* Lib. V. vſ. 123. *diſtent* diſtant. 245. poſt *regigni* pone comma. 257. poſt *omnem* pone comma. 586. poſt *igneis* pone comma. 684. *dextraxit.* detraxit. 709. *proprius.* propius. 777. poſt *luce* pone duo puncta. 1032. poſt *abuti* punctum. 1204. poſt *fixum* comma. Lib. VI. vſ. 652. *totius unius.* totius unus.

In Notis.

Pag. 5. col. 2. a. f. *majeſtaſte.* majeſtate. τ̃ τ. τ̃ τ. 12. 2. med. naſal. *nahal.* 20: 1. m. *non malo.* non male. 42: 1. p. m. *ninaſque* minaſque. 64: 2. f. pone *Virg.* ante 11: 60. ibid. m. *vidum.* udum. 81: 2. a. f. *plures.* pluris. 111: 1. pr. *diſtingue.* diſtingui. 127: 2. p. m. *interpreteris.* interpreteris. 128: 1. pr. *legere licet.* legere liceret per metrum &c. 155: 2. a. m. τ̃ ſύγκϱ.

* *

σύγκρ. τ σύγκρ. 165: 2. pr. 345. 454. 166: 1. pr. *amuſæ.* amuſœ. ἐπιγαμένοις. ἐπισαμένοις. ibid. med. ὅτιαγοῦν. ὀντιναοῦν. πολυμαθέη. πολυμαθίη. 166: I. a. f. ἤκουσετέ τε. ἤκουσέ τε 176: I. p. m. in rerum nat. de rerum nat. 197: 2. p. m. *Græca.* Græce. in f. *Græcorum.* Græcarum. 218: I. p. m. *Proœmio.* Proœmio 223: 2. a. m. *imitatur.* mutatur. 245: 2. 1051. *Fuge quærere*] Fuge credere] 276: I. p. m. ἐνάλλαξ. ἐναλλὰξ. 319: 1. lin. 7. *ſurpere?* ſurripere? lin. 8. *contingere parto.* conting're parato. 325: 3. a f. *Londinenſibus.* Adde: Nam *arbuſta* reliqui. 335: 2. f. *viſpera.* vipera. 346: I. p. m. *ſenitibus.* ſentibus. 363: 2. pr. *proprius.* propius. 379: 2. a. f. Scribe, aut vero diſtingue ita: *Patebit quidem, alieno inculcatos eoſdem & anticipatos lib.* I. 382: 2. p. m. *667. Ex ſe* &c. *672.* Ex ſe &c. 383. 2. a. f. diſtingue ſic: amplecterer: *tamen hæc* &c. 464: I. *dum ſanguinis.* dum ſanguis. 477: 2. p. m. *excelſæ.* ex cella 480: I. lin. 7. *ſcola.* ſchola 481: I. lin. 10. 477. 2. p. m. dele *opus.* 501. 2. lin. 5. χέιται. χέεται. 506: 1. a. m. καινὲ. καὶ νῦ. 515: 2. lin. 5. *alius.* alias. 549: 2. m. *verculum.* verſiculum. 550: I. lin. 2. *poſt neceſſe eſt* comma pone tantum. 550: 2. fin. dele vocem *duxit.* 568: 2. a. f. *mendicata ſunt.* medicata ſunt. 573: 2: p. pr. Notam neam ita refinge: *Eſſe poteſt; Animæ neque ſeorſum; Lingua, nec Auris Abſque Anima* &c. ubi videlicet tria ſenſuum organa, quæ ſine anima ſentire & manere nequeant, enumeravit, interſerit: pari modo Animas ſolas, ſive ſeorſum, ſine iſtis organis ſcilicet, nec conſiſtere nec ſentire poſſe; deinde vero perſequitur filum ſuum, & reliqua duo organa commemorat. 595: I. m. *triſte genus hominum eſt.* triſte, genus hominum eſſe. Adde Notis neglecta Nomina Lamb. pag. 67: I. 119: 2. 276. I. 322: I. 341: I. 489: I. ſicuti & 380: 2. Gif.

Tomo II.

Pag. 82: I. m. *Æque-fides.* Æqua-fides. 173: I. lin. 9. ἠνί κακαὶ νῦν. ἠνίκα καὶ νῦν. lin. 13. *Dedimus ô &c.* Jam dedimus. Procul ô &c. 201: m. *potus.* potius. Ibid. Si illa, inquit: (*ita ſcribe*) non odioſa eſt, *prætermittêre*, id eſt, facile præmittet te, vel tu prætermittêre, id eſt, prætermitteris, ſcil. ab illa, humanis concedere rebus. 281: 2. m. *haud mala.* haud male. 303: 2. *haud dubio.* haud dubie. 304: I. f. *tremere* dicuntur æthera. *tremere* dicitur æther. 308: I. lin. 5. *habent.* habet. 315: I. *ſolvetur.* ſolvatur. 326: 1. p. m. *Zephyrus: veſtigia* &c: Zephyrus, veſtigia propter, Flora quibus, &c. 441: 2. m. *ad quem* ad quam. 503: 1. m. μιαρὰ. μικρὰ. ibid. πυθμίνα. πύθμένα. 537: 2: m. *uſqueado.* uſque adeo. 542: I. lin. 5. *Bononienſes.* Bononienſis. 546: 2. lin. 3. *collapſam.* collapſum. 549: 1. m. *in Care.* in Caro: 564: 2. lin. 8. κατεθεις. κατεθεὶς. Denique adde neglecta Nomina LAMB. Notis pag. 244: 2. 253: I. 266: 1. 388: I. 619: 2. CREECH. 79: 2.

ABRAHAMI PREIGERI

EPISTOLA

Ad Virum Clariſſimum

Sigebertum Havercampum,

Contubernalem quondam ſuum dulciſſimum, nunc in Celeberrima Patriæ Academia, quæ Lugd. Bat. *eſt, Profeſſorem Hiſtoriarum, Eloquentiæ & Linguæ Græcæ Digniſſimum.*

Placere tibi intelligo, Havercampi φιλέστατε, ut ſi qua ad Lucretium, e poſterioribus forte ſubnata mihi curis, reliqua habeam, tecum communicem.

cem. Facis tu quidem pro ſolita, qua me complecteris, benevolentia atque humanitate: ego vero, quicquid id eſt, quod in hac re forte poſſum, apud te quam lubentiſſime depono; quippe cujus id omne judicio atque examini, non niſi benevolo, me ſubjicere novi, & apud quem, ſi quid ulteriori demonſtratione egeat, quam breviſſimis defungi queam. Sunt itaque, quæ neque arundinibus ut narrem, juxta proverbium, a me impetrare poſſum, & tibi ſoli ſi probavero, ſatis me probaſſe facile judicabo.

Ac Primo quidem duabus potiſſimum de cauſis in Arte Poëtica excellere mihi videtur Lucretius (Philoſophiam enim ipſam non moramur) quod & propriam ac veluti domeſticam ſibi ſuavitatatem mirifica quadam ſublimitate ornavit, & utramque eo diligentius excoluit, quo ſterilius atque miſerius ſuapte natura, quod manibus ſibi verſandum cerneret, argumentum repererit. Suaviloquentiam ipſe diſertis hic illic verbis omnimodam ita promittit, ut ſimul aperiat mentem ſuam, conſulendi nimirum hac tanquam medica arte rebus ipſis, non magnis modo, ſed & occultis atque abſtruſis, imo per ſe triſtibus: unde facile apparet, quibus ictus calcaribus omne genus ſuavitatum atque leporum tam cupide involaverit, tamque ſollicite undique fere corraſerit. Sed neque ſecutus in hiſce quicquam eſt, quod non aſſecutus ſit plane, imo ad miraculum uſque exeruerit. Atque hoc loco ante omnia melleam iſtam dulcedinem in dictione Lucretiana agnoſco; ita lectiſſimis quibuſque, ac meditatis indulget vocibus. Hinc, *Mare velivolum*, v. vſ. 1441. *Pulverulenta Ceres*, *Altitonans Volturnus*, vſ. 741. 744. & ſimilia apud eum in promptu, quam plurima. Neque ceſſant idem, quod iſtiuſmodi compoſita, aut derivata, & epitheta, etiam ſimplicia, eaque verba fere, præſtare, ex. gr. 92. III: 970. *Præſentia temnis*, pro *contemnis*. v. 973. *Sed taciti ſeu ſpectabant* (Iſ. Voſſii apud Annotatorem noſtrum conjectura eſt pro *exſpectabant*,) *ſomnove ſepulti*, ſubintelligo ſimpliciter, jacebant, *dum roſea*, &c. Item 999. *Turbida ponti aequora lædebant* (pro allidebant) *naveis ad ſaxa.* Eodem ſpectare arbitror univerſos illos Genitivos in *ai*, ut: III: 693. *Gelidai ſtringor aquai*; Tmeſes, quotquot occurrunt, ut, IV: 830. *Inter quæcunque pretantur.* Expletivæ, quæ dicuntur, particulæ, ut III: 200. in: *Nenu poteſt.* IV: 716. in: *Nenu queunt.* I: 641. in: *Quamde graveis inter Grajos.* Paſſim, in: *Endo*, aut, *Indu*, &c. Item in: *ſuapte*, ſive cum ſubſtantivo, ut, VI: 278. *ſuapte mobilitate*, &c. ex emendatione Lambini haud quaquam contemnenda; ſive abſolute occurrat, ita ut ſubaudiatur *vi*, *ſponte*, aut ſimile quid, quem in finem inter ſeſe conferri merentur loca, II: 185. v. 207. & VI. 755. Non enim iis viris, quamvis doctiſſimis aſſentior, qui vel, ex *ſua ſponte*, ut in Collectaneis, Giſanius, vel, ex *ſua pote*, ut ad Catullum pag. 113. Iſ. Voſſius, conflatam, contractamque volunt vocem *ſuapte.* A Græcis, ut reliqua, ita & hanc particulam omnino mutuati Poëtæ Latini; atque ita, quod in: μήνυ, & τίπτε, & ſimilibus illi, idem in: *nenu*, & *ſuapte*, &c. hi ſecuti ſunt. Adde, quod & Feſtus, *ſuopte*, *meopte*, *tuopte* agnoſcit, & Cic. I. Tuſc. Q. *ſuopte nutu* dixit, quomodo & in Vulgatis fere: *ſonitu ſuopte*,

Catullus. Hiſce accedunt innumera alia, ita evoluta & expenſa quaſi vocabula, ut aures noſtras implere omni ſua modulatione, pro ſe unumquodque, certaſſe videantur; & merito dubites, an τοῖς ἰάζουσι, quorum inter Græcos, cum Poëtica, tum etiam naturâ dulcis, ac ſuavis inprimis, dialectus apud artis magiſtros audit, Lucretius quicquam conceſſerit. Exempli loco ſit, v: 739.

Cuncta coloribus egregiis & odoribus opplet.

Ὑποκοριστικὰ, neſcio quæ, in illis exaudire mihi videor, non illa pueris, ſed viris, iiſque vel graviſſimis Romulidarum, deliniendis apta nata. Quid? quod & omnem *Palloris*, *Terroris* & quorum porro talium forte mentio incidit, nativum, ut ita dicam, tetrorem, in auditoris animo, ſola iſta productione delet, ut, IV: 337.

Et contage ſua palloribus omnia pingunt,

item, 995. ſiquidem Gifanium ibi audiamus:

Donec diſcuſſis redeant terroribus ad ſe.

Si ſpectes Methodum quam vocant; omnibus modis Suavitati ſuæ litaſſe mihi videtur, qui talibus tum Exordiis, tum Epilogis, non ſingu'os modo libros, ſed & pleraſque difficilioris argumenti partes minores, veluti totidem coronamentis, aut emblematis, quam artificioſiſſime identidem elaborat. Ex. gr. I: 920.

Nunc age, quod ſupereſt cognoſce, & clarius audi, &c.

ubi docere aggreditur, τὸ πᾶν ἄπειρον εἶναι, Et, II: 1022.

Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem.

ubi diſputaturus eſt, plures eſſe mundos; & ſic in cæteris. Ejuſdem itaque inſtituti eſt, quod & librum tertium abſolvere properans, in Philoſophiæ Moralis quaſi caſtra ſeſe conjicit, & in ingratos declamaturus exſurgit; libri quarti Lectorem in Veneris tandem contubernium, nondum tamen vel ita Philoſophum exutus, recipit. Delaſſato nimirum, ac nauſeanti forte, ibi ad operoſa illa pro animorum mortalitate argumenta, hic ad nimias quaſdam de ſimulacrorum a rebus effluxu ſubtilitates, ita conſultum, credo, voluit. Poſtremo, ut ad res ipſas (ita enim τὰς ἐννοίας hoc loco appellare lubet) accedamus; exempla imprimis, & ſimilitudines dico, quibus Phyſices ſuæ placita paſſim reſpergit & irrigat: nihil tam ſterile atque jejunum unquam habuit obvium, quod non extemplo ſuis iſtis illuſtrationibus exhilaraverit, & cogitatu conſideratuque peramænum reddiderit. Omnium inſtar ſit, quod ad explicandam mentem ſuam de atomorum, quem docet, motu, II: 113. ab agitatis in ſolis radiis per opaca domorum pulviſculis ita deſumit: *Contemplator enim, Quom Solis Lumina cumque Inſertim fundunt radii per opaca domorum, Multa minuta modis multis, &c.* Jam idem ille, qui promiſſam illam ſuavitatem, ita omnibus modis præſtat, operæ pretium eſt, videre, quantam in medio iſto leporum fonte ſublimitatem plerumque ac majeſtatem præ ſe ferat, licet re ipſa eam oſtendere, quam verbis profiteri ſatius duxerit. Nam, ut modo allatum repetam exemplum: quid illo feſtivius vel cogitari poteſt, poſtquam, ſimilitudinis cauſa, ad illuſtrandos illos primordiorum inter ſe motus, aſſumptum videmus? Quid ſimplicius, tenuiuſve

nuiuſve per ſe? Eo ipſo tamen quo non abripitur, ſimul atque ad illud: *per Inane videbis Corpora miſceri*, &c. καθάπερ ἐμπνευσθεὶς ἐξαίφνης ὑπὸ Θεοῦ, καὶ οἱονεὶ φοιβόληπτος γενόμενος, ut loquitur Ille, ſubjicit:

Et velut æterno certamine prœlia pugnaſque
Edere turmatim certantia, nec dare pauſam:
Conciliis, & diſcidiis exercita crebris.

Quid? ſi ad equi generoſi Virgilianam deſcriptionem Seneca, epiſt. xcv. exclamat: *Dum aliud agit Virgilius noſter, deſcripſit virum fortem!* aut ad diſcurſantium formicarum illam:

It nigrum campis agmen.

videre ſibi videtur *exercitus* quoſcunque *ſubrectis ire vexillis, & quaſi magnum aliquid agatur, equitem modo ulteriora explorantem, modo a lateribus affuſum*, ut lib. I. Naturalium Quæſtionum, exordio: nonne & nos mirabimur Lucretium, in puerili delectamento non niſi bella, ac cædes, victorias & clades, animo concipientem? Expende mecum, ſi placet, illud, quod lib. III. circa finem, habemus: *Scipiades, belli fulmen.* Quis furor? Quam arduus ille! Nempe dicendum erat, Imperatores quoque, ne exceptis quidem fortiſſimis illis Romanis, mortem tandem obiiſſe, hoc eſt, id, quod nemo neſciebat, quod omnes uno ore fateri, quod in circulis, in triviis, in gynæceis, & apud moroſos, ſomnumque detrectantes puerulos, qua viri, qua mulierculæ, narrare idonei erant. Quid Noſter? Non univerſos illos Imperatores, aut Scipiones, aut duos, ſed unum! ſed illum! neque alium, quam qui nimium quantum tum celeritate, tum facilitate victoriarum vulgo notus erat, Hannibalis debellatorem, in exemplum proponit, & ſimul digito eum veluti monſtrat, & in cælum Viri gloriam fulminis & ipſe ritu, extollit; non contentus quoque mortuum dicere ſimpliciter, ſed, longe auguſtiori imagine ac ſono, intonans potius: *Scipiades, belli fulmen, Karthaginis horror, Oſſa dedit terræ*, &c. En illum tibi, qui veluti a vulgari quadam cantilena, nempe: *Lumina ſis oculis etiam bonus Ancus reliquit.* exorſus fuerat. Nimirum τῇ θεωρίᾳ, καὶ διανοίᾳ τῆς αὐτοῦ ἐπιβολῆς οὐδ' ὁ σύμπας κόσμος ἀρκεῖ ἀλλὰ καὶ τοὺς τοῦ περιέχοντος πολλάκις ὅρους ἐκβαίνουσιν αἱ ἐπίνοιαι. Quæ Longini verba ſunt, quaſi expreſſa ex illis, quibus Ipſe Epicurum ſuum proſequitur, I: 73.

Ergo vivida vis animi pervicit, & extra
Proceſſit longe flammantia mœnia mundi, &c.

Hinc porro neque cauſæ ſuæ inopiam erubeſcere mihi videtur, licet Stoliditatis, non tantum, ſed & Impietatis, item Superbiæ, Spurcitiei, Petulantiæ, &c. notam apud reliquos Philoſophorum fere incurrere cerneret. E contrario tanto altius identidem erigi videas, quanto miſeriori luto ut ita dicam, depreſſum ſeſe deprehendit, dictis ſaltem, ſi non armis, ubique ſuperior. Ita, ex gr. II. 1092.

Nam, proh ſancta Deum Tranquilla pectora pace,
Qui placidum degunt ævum, vitamque ſerenam!

Quis regere Immenſi ſummam? Quis habere profundi
Indu manu validas potis eſt moderanter habenas?

& quæ ſequuntur. Viden' argumentum? ineptiſſimum illud, ab inerti revera ac turpi quodam otio deſumptum, quod quanto riſu, eo nomine, nec immerito, ab Adverſariis excipi fere ſoleret, vel ex ipſo Cicerone, in libris de Natura Deorum, conſtat? Exſurgit tamen eo Philoſophus noſter, & tanto majori cura operam dabit, ut intactum illud ſibi inviolatumque conſervet. Quid igitur? eos ipſos, quos humana nihil curare contendit Deos, derepente teſtatus, juſti argumenti loco jurisjurandi formulam quandam vibrat. Atque ita ea ratio, in qua ſumma rei totius vertebatur, (id, quod Demoſthenis loco quodam mirari ſatis nequeunt, uterque cum Hermogenes, tum Longinus) μεθοδευθεῖσα οὕτως, ὥστε μεταπεσεῖν εἰς ὄγκον, πεποίηκε λαμπρότητα καὶ μέγεθος. Similia paſſim in Inſanientis iſtius Sapientiæ placitis apud Noſtrum deprehendere licet. Reliqua vero, quibus & invidiam profligatæ quaſi ac perditæ vitæ a ſe, ſuiſque Epicureis amoliri conatur, & in vere Ingratos, Superbos &c. inſurgit, quanta gravitate ac vehementia, proferantur, quid attinet dicere? Mihi quidem neque verius, neque ſeverius ab ullo unquam Stoico, modo a fundamento ſuo avellantur, dici potuiſſe videntur iſta, ex. gr. quæ lib. v. procemio, poſtquam ſine Cereris & Bacchi donis vitam tamen manere potuiſſe dixit, ita infert: *At bene non poterat ſine puro pectore vivi.* Et, Oſtenſo, nihil nobis tantoper nocere feras beſtias, quin Herculeis carere poſſimus laboribus, ſubjicit tamen: *At niſi purgatum eſt pectus, &c.* Denique, quoties adverſus ſuperſtitionem, & varias Vulg. opiniones, habenas ſibi laxandum putat, ex. gr. in iſto;

Nec pietas ulla eſt, velatum ſæpe videri
Vertier ad lapidem, &c.

Quam regnat! quam triumphat! Profecto ne vel tantiſper quidem in hujuſmodi apud eum molimina mentis aciem derigere poſſum, quin identidem exclamare tantum non cogar, quod inter Carthaginienſes Ille ad fidum ſuum Achatem:

Sunt hic etiam ſua prœmia laudi!

Porro inquirenti mihi in cauſas tot tantarumque ſæpe mutationum Contextus Lucretiani, varia, non ita paſſim, ut opinor, animadverſa, obverſari fere ſolent. Ita enim ſtatuo, ut meam tibi mentem aperiam, non iiſdem de cauſis apud omnes Auctores veteres variatum turbatumve; alias apud alios iſtis mutationibus; ſuas itaque, eaſque peculiares, apud Noſtrum, Variantibus Lectionibus ſubeſſe. En itaque, quæ eo ſpectantia cum maxime præ manu erant,

Dum locus eſt præſto, nec res nec cauſa moratur Ulla,

in certas quaſdam claſſes tibi redacta:

I. Idem verſiculus, cum iiſdem ſæpe ſervatis verbis, eodemque ſenſu, varie tamen refingi poſſet, in libris, ut plurimum etiam diſſenſionem peperit. Ita factum, ex. gr. ut, II: 1138. *Quantum opus eſt, & quod ſatis eſt*, in aliis legeretur: *Quod ſatis eſt, & quantum opus eſt.* Item, VI: 972. *At nihil eſt homini*

mini frunde hac quod amarius exſtet, in aliis: *At nihil eſt homini quod amarius frunde hac exſtet*.

II. Mira quandoque apud Lucretium vocum earundem, aut ἰσοδυναμούντων, repetitio ſuſpectum reddidit contextum; & dum copiam oſtentare vult, indulgentior in hiſce Poëta fuit, quam rigidi quidam cenſores ſibi perſuadere potuerint. Fateor, eadem res & mihi ſuſpicionem movit, quam ad I: 724, aperui, cujus me nondum tamen pœnitet. At vide, quæſo, I: 815. III: 631. & ſeqq. VI: 756. & 789. & non alia de cauſa turbatum iſtis locis, mecum, ut puto, recognoſces.

III. Multa e ſcriptis Codd. vitia ſcripturaria ita variant, ut receptam lectionem confirment potius, quam ullam in ea mendi ſuſpicionem relinquant. Sic II: 1134. *ætas &*, veram lectionem: *& a ſe*. III: 29. *ſignatur a tua vi*, receptam: *ſic natura tua vi*. VI: 938. *dixi*; gloſſema eſt, *dare* veſtigia ſervat veræ vocis *claret*. Hinc Is. Voſſio ut videtur, nata conjectura, VI: 887. *Non ita multa tamen*, pro: *Non tam viva tamen*.

IV. Sunt, fateor, apud Lucretium loca, quæ nimia Lectionum varietas prorſus, aut fere prorſus obruit, ac tantum non conſopivit. Ex. gr. VI: 747. 793. 954. Mireris tamen, res tam puſilla, imo vox ſæpe innocua, quam magnas turbas dederit. Sic II: 1010. ut alibi notare memini, vocula *quod*, pro cauſali accepta, cum relativa ſit, & relativam eſſe primus fortaſſe (præfiſcine dixerim) licet non ſuo loco, vide, quot ingenia exercuit! quantum negotii vel uni Palmerio, quem obiter quoque tangit Creechius, dedit! tom. IV. Fac. Crit. pag. 638. Ordo hic eſt, q. d. Hæc eo dico, *Ut noſcas referre*, &c. vſ. 1006. *Neve putes &c.* 1009. *Aut ne putes*, *id quod in ſummis rebus videmus fluitare*, &c. nimirum, *formas*, *colores*, *ſenſus*, &c. ex vſ. 1004. 1005. *poteſſe reſidere penes corpora prima æterna*: Faceſſat itaque inde parentheſeos illa nota, & vſ. 1011. poſt vocem, *perire*, ponatur punctum. E contrario relative ſumpta vocula *quod*, II: 465. in cauſa fortaſſe fuit; ut *fluvidum* ibi proxima ſede, pro eo, quod Variantes ſervant, *fluvidus*, legamus; licet enim recepta lectio tueri ſeſe queat, quanto tamen rotundior altera illa: *Nam quod fluvidus eſt*, nempe ſudor maris, de quo ſermo, *e lævibus atque rotundis Eſt*, *at lævibus atque rotundis miſta doloris Corpora*. Q. d. Nam quod ſudor maris, aqua marina, fluidus eſt, id quidem a lævibus atque rotundis, quibus conſtat, corporibus habet; At lævibus atque rotundis iſtis miſta doloris (dolorifera, aſpera) quædam ſunt corpora; &c. hinc fluiditati amaror accedit. Similiter vox *jactus*, eodem libro, 1046. ſed nullo ſuo merito jactata, & in tot vocum miracula ſeſe transformare adacta. Nam & *animi injectus* ipſe Poëta alibi dixit, & *lapidis jactus*, apud alios, quemadmodum apud Noſtrum, *miſſus ſagittæ*, *curſus veruti*, IV: 410. 411. abunde occurrit. Metaphoram itaque Lucretio non indignam videre mihi videor, *Atque animi jactus liber quo pervolitare*, facile illuſtrandam ex I: 669. Fluctus in ſimpulo mihi excitaſſe videtur Faber, ad II: 1061. qui tritiſſimi uſus vocis *ſemper*, ne dicam ſui oblitus, ibi *nempe* legendum contendit. Idem tamen quam feli-

feliciter (ſic ego ſtatuerim) ſimpliciſſimam quandam ac neceſſariam lectionem, VI: 1076.

Denique non auro res aurum copulat una?
Aerique æs plumbo fit uti jungatur ab albo?

e fuga retraxit!

V. Littera x in Lucretio ſeditioſa fere, niſi inviſam, maleque habitam potius dicere convenit. Hinc *fixa* in *ficta* degeneravit, III: 4. licet utrumque Veteribus uſitatum fuiſſe, in Indice notet Gifanius, utriuſque editionis, in poſteriori etiam *ficta* in textum receperit, & in margine notarit. Adde *connexius*, pro quo idem, III: 555. *connectius*. Ego *ficta* & *connecta*, pro *fixa* & *connexa*, & ſimilia, non aliunde orta putem, quam quod *ficſa*, & *connecſa*, &c. in exemplaribus repererint Librarii. Sicuti & *noxia*, primo in *nocſia*, deinde in *noctia*, mox in *noctibus* & *nocti* tranſiiſſe credo, poſtremo omnium, gloſſematis ſuis, qualia manifeſto ſunt *triſtia*, & *fortia*, in Variantibus, locum cedere coactum fuiſſe. Et unde, quæſo, (neque ad hæc amplius quid addam) illud: *vix ſe edita tuſſi*, niſi a *vixs edita*, quod τῷ *vics edita* originem ſuam debebat, cum *vix edita tuſſis*, inculpata ac vera eſſet ſcriptura, VI: 1187.

VI. Syllaba *re* in compoſitione, quoties producenda venit, irrequieta fere, & neſcio quas ſubſequentis cujuſque litteræ geminationes poſtulare idonea ſibi videtur; quum vel unicum verbum *referre*, toties producta priori apud Lucretium, monere potuerit, nec in cæteris curandam illam πολυπραγμοσύνην. Nam & *reccidere*, *redducit*, *relligio*, *remmota*, *repperit*, & ſimilia in Editionibus, non a Lucretio, ſed ab incondito, ſibique nequaquam conſtante metu Librariorum profecta putaverim. Eſt ubi verbum *propellere*, ob correptam primam, e contextu fugarat ſollicitudo ſimilis. Nam & alibi ſæpius hoc facinus auſus fuerat Carus.

VII. Ablativi tertiæ declinationis in *i*, Poëtæ dicto obedientes, quoties neque cæſura quam vocant, neque conſonantium duarum, pluriumve, in ſubſequentis vocis initio, vis magna ſatis, ultimam natura brevem in *e* ſuſtinere poſſet, immodice paſſim & alibi, & injuſſu, ut ego quidem opinor, Lucretii, prodeunt. Sic I: 1104. *de parti* IV: 236. *in luci.* IV: 701. *quod igni conlabefacta.* V. 75. *qui in orbi ſancta tuetur.* V. 928. *nec labi corporis ulla.* & alibi indubia, atque ſincera ſunt. Suſpecta, mihi ſaltem, I: 707. *ex igni ſummam*, Quid ni enim, *ex igne ſummam*, ibi ſcripſerit Auctor, quemadmodum I: 806. *& tabe nimborum.* Saltem, V: 720. *dimidia ex parti candenti*, aures reſpuunt, (*quibus Veteres ſerviiſſe*, etiam in aliis, ut in illo, apud Noſtrum, II: 1153. *Aurea funis*, & Gellius lib. XIII. c. 20. ſcribit, & erudite quoque in rem ſuam obſervat Auctor de Poëmatum Cantu, & Viribus Rythmi, pag. 26.) Adde V. 512. *parti premere*, niſi hic ab ipſo Poëta huic ſono indultum. Item IV: 518. *ex parti claudicat*, Quidni enim & hoc loco, *ex parte claudicat*, legamus? Ita alibi Noſter: *in aperta promptaque cæli.* Ennius apud Cic. I. de Div. *ſtabilita ſcamna, ſolumque.* Quid? quod vel eo inſolentiæ perventum reperimus, ut ad illud: III: 108.

par-

parte latenti, ſcribere neceſſe habuerit Marginalis noſter: *parti Codd. vett. ſic Cic. & Ovid. partique recepta Liberioris aquæ. ſic Val. Max. fuſti pro fuſte*, ſic ille. φεῦ τῆς ἀπειροκαλίας!

VIII. Verba tranſitiva abſolute, intranſitiva autem quæ vocant, cum caſu, monſtra fere, horrenda, ingentia, Librariis videas. Et tranſitiva quidem, ex. gr. *variare* IV: 652. 661. V. 72. VI: 995. *turbare*, II: 125. 438. V. 505. VI: 369. ubi neceſſario hoc verbum reſtituendum arbitror iſti formæ, juxta MSS.

Prima caloris enim pars, & poſtrema rigoris
Tempus id eſt vernum. Quare pugnare neceſſe eſt
Diſſimileis inter ſeſe, turbareque miſtas.

Nam vulgo: *inter ſe res*, neque notatum cuiquam; eleganter autem *Tempus id*, ut II: 633. *Jovis illum vagitum*. V. 657. *ſol idem ille*. (& apud Scal. Poetices, pag. 504. ex Virg. *At pater*, &c. *Non ille*.) *remôſſe*, III: 69. *migrare*, V: 828. juxta Giſanium. *convertere* IV: 311. Tuis auſpiciis, ſimiliaque plura, quam ægre & ne vix quidem e luto ac tenebris emerſerint, patet. ego vero & audiendum Palmerium cenſuerim, ſi per te liceat, qui & eodem jure, ſi non, V. 586. *mutare*, at II: 1162. ſubſtituit: *Parcunt fœtus, augentque labores*. tom. IV. Fac. Cr. pag. 870. Intranſitiva autem, vel quæ ita ſaltem videntur, nihilo facilius eluctari cernere eſt. Ex gr. *conruere* III: 824. conf. V. 369. *erumpere*, *prorumpere* I: 725. VI: 435. *conſiſtere*. VI: 10. conf. IV: 473. *conſueſcere*, VI: 396. *effervere*, II: 927. Quamobrem, neque meæ me conjecturæ pœnitet, ad III: 433. illud: *alta Exhalare vapore altaria*. & VI: 1193. lubenter legerem:

Duraque inhorrebat rictum, frons tenta minebat.

pro: *inhorrebat*, *imminebat*, ut alibi: *Inclinata minent*, pro *inclinata imminent*; ita ut præpoſitio *in* ἀπὸ τοῦ κοινοῦ poſterioribus æque verbis, ac prioribus inſerviat, niſi hoc inſolentius tibi viſum fuerit.

IX. Finalis, natura brevis, quoties pedem ordiri, hoc eſt, produci debuit, quodnam fere periculum adierit, patet, non apud Noſtrum ſolum, ſed & alias. Hinc natæ mihi conjecturæ, ex gr. ad I: 390. *Complere ſpatium*, V. 313. *ruere proporro*. neque ibi tantum, ſed & quoties in ſubſequenti proxime voce nihil a conſonantibus præſidii eſſet. Ex. gr. I. 492.

Diſſiliuntque fere ferventi ſaxa vapore,

nam &, II: 370. ita.

Ad ſua quiſque fere decurrunt ubera lactis,

paſſim. Porro II: 378. *Natura quoniam conſtat*. III: 723. *priva ſi in corpora*. IV: 1053. *Hinc illa Veneris*, quæ Giſanii lectio, & vera, meo judicio eſt.

X. Haud levioribus exercita plagis deprehendiſſe mihi videor id genus vocabula, in quibus vocalem aliquam ſyllabæ nimirum brevis, inter pronunciandum ſupprimere ſolebant veteres. Iſtam difficultatem quidem ſuperarunt ex. gr. *univerſum*, IV: 263. *ſingulariter*, VI: 1056. *copulata* VI: 1086. &c. ſicuti & apud alios alia. Unde hodieque, tanquam per manus traditum quid, iſtis locis *inverſum*, *ſinglariter*, *coplata*, habemus. Illud: *ſubmerſo capite* (q. *capte*) *pu-*

tandum eſt, a te reſtitutum, VI: 540. quanto in periculo verſabatur! & abſque Enniani naufragii tabulis fuiſſet, numquid toto orbe apparere hodie uſpiam auſum fuiſſet? Jam vero, quid obſtat, quominus & idem jus ſibi vindicet II: 1109. illud: *Aperiret cœli ſpatium.* quaſi *Apriret*? præſertim, quum inde ortum vocabulum *apricus* per omnium ora volitet, & Ennius apud Cic. I. Div. *Avium*, in verſus principio ſpondæum faciat, licet contrarium moneri videamus in Collectionib. Fragmentorum illorum, ſaltem editionis novæ; neque diſſimile quid, in *Genua labant*, apud Virg. *tenuia*, toties apud Noſtrum, omnes æquo animo ferant. At littera *e* exterenda erat. Ea cauſa mali, ut opinor. Ego vero hoc loco plura etiam, ejuſdem ſortis & conditionis fere, tanquam e ſpecula conſpicere mihi videor, quæ partim manum aliquam ſervatricem jam experiuntur, partim in medio Variantium Lectionum gurgite adhuc fluctuant, & modo emicant, modo præter fluctus, quos excitant, nihil prodere queunt, veluti IV: 895. *Corporis ut hæc navis.* IV: 215. VI: 229. *temporis imago. temporis*, *&* *aurum* (quæ duo loca operæ pretium eſt videre quam miſere ac fruſtra dextram petant ab Chr. Rufo, tom. II. Fac. Crit. pag. 605.) II: 1024. *Accedere*, *&* *nova ſe ſpecies oſtendere rerum.* V: 608. *Accendere ex una ſcintilla incendia.* Item, II: 680. *contingere parato.* & IV. 956. *degerere bellum.* Denique & meum illud τόλμημα, ad II: 352. *ſurripere*, quaſi *ſurrip're*, non *ſurpere.*

XI. Ad haſce Eliſiones accedant Craſes nonnullæ, & Synalœphæ, vocalium ac ſyllabarum, niſi mavis συνεκφωνήσεις appellari. Non enim & haſce, niſi difficulter admodum in lucem, prodire cernimus. Exempla ſuppeditant, I: 976. *prohibeat*, *officiatque.* Unde & illud III: 876. *Id quoniam mors eximit*, *eſſeque prohibet*, *Illum*, *&c.* mihi arriſiſſe mireris nolim; neque enim inſolentia movebar eorum, quæ ſequuntur: *Illum ante fuiſſe*, quæ ellipſin pati voculæ, *nimirum*, *nempe*, ſimiliſve puto, q. d. Id eximit mors, & ita eſſe prohibet, nimirum, illum ante fuiſſe, &c. Item, verba *fluctuare* & *fluitare.* Qua enim alia de cauſa in *fluctare* & *flutare*, hic illic apud Lucretium, migravêre, quam ob ignoratam perditamque demum vocalium *ua*, & *ui* συνεκφώνησιν? Idem in reſtituta a te voce *coapta*, IV: 31. obſervo. Idem in *ſuos* & *ſuas*, apud Alios, in *ſuis* apud Noſtrum etiam, ex. gr. III: 1038. Aut enim in *copta*, *ſos*, *ſas*, *ſis*, transformantur, aut alienis vocibus locum cedere coguntur. Quo autem manifeſtius, quæ dico, appareant; quis, quæſo unquam in animum induxit ſuum, ut aut *andem*, *odem*, *âdem*, apud Lucretium noſtrum ſcriberet, pro *eandem*, *eodem*, *eâdem*, quoties διουλλάβως ab eo inſurpantur? uti fit, I: 481. IV: 748. 787. 957. aut *imdem*, *undem*ve, item *ædem*, *oſdem*, *aſdem*, pro *eundem*, *eædem*, *eoſdem*, *eaſdem*, ſi ſimiliter occurrerent? Ne quidem in voce *ſeorſum*, toties diſſyllaba apud Noſtrum, quidpiam, quod ego ſciam, propterea imminutum. Iidem tamen illi, qui illæſa iſta ad nos tranſmiſere, in vocibus *eum* & *eam*, quam ſeveri ſunt! ne quid gravius dicam. Non enim niſi truncatæ de eorum manibus avolant. Unde *im*, & *am*, etiam apud Noſtrum, III: 445. 876. IV: 907. quoties μονοσυλλάβως a Poëta uſurpantur. Ego & *fluctuant* & *fluitant*,

tant, & *prohibet*, & *coapta*, & *eundem*, & *eandem* & *eodem* & *eâdem*, & *ſeorſum*, quoties diſſyllaba ſunt, *ſuos* autem, & *ſuas*, & *ſuis*, & *eum*, & *eam*, & ſimilia quoties monoſyllaba, nullo prorſus diſcrimine habenda ſi decernam, num quid a vera tibi magnopere ratione deërraſſe videbor? præſertim, quum Græcorum nobis exempla ob oculos ſint, apud quos, ut alias omittam, ε vocalis non modo τῇ α, ſed & τῇ ω (vide quam grandi ac ſonoræ) paſſim συνεκφωνεῖται. Unde, & in Ἐργ. καὶ Ἡμ. apud Hes. I: 5.

Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει.

& apud Hom. Οδυσ. α. 33.

Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κακ' ἔμμεναι.

Alia de parte quantopere in voces nonnullas, ob productam *u* vocalem, puram quam vocant, ſævitum fuerit apud elegantiarum & leporum Patrem Lucretium, laceræ earundem veſtes, & quaſi exuviæ, per Variantes hic illic lectiones ſparſæ, ſatis, opinor, monſtrant. Vidit hoc jam, ſed & primus forte, Adrianus Turnebus, licet non niſi ad I: 387. uti quidem videtur; ubi per Lambinum illud *fuvat* reſtituit; neque enim, XIV. Adverſ. 19. aut XIX: 12. quicquam in Lucretio, præter II: 465. *Nam quod fluvidum eſt*, tangit. Ejus itaque monitis illis, tanquam filo quodam Ariadneo utendum fuit, ut & vocibus *fuit*, III: 948. & *fluant*. VI: 532. par reperiretur ſolatium. Denique quum & *e* puram aute *i*, in *ei* non modo, ſed & *rei* aliquoties ſimiliter produci cernerem apud Noſtrum, non minori cura illud *ejus* reſpiciendum mihi putavi, ut eodem jure ac gradu haberetur, adeoque & τριςυλλάβως, & priori producta a Poeta uſurpatum videri poſſet, uti factum, III: 358. & a te probatum.

XIII. Ἀνακόλουθα, quæque longioribus interjectis parentheſibus, horum ſpeciem referebant, item Ἀσύνδετα quæ vocant, vereor, in plura quam quidem deprehendere nobis licuerit, apud Lucretium diſturbata ſint. Quid enim ſublimius, mentemque & cogitationem noſtram ſuſpendere aptius, &, verbo ut dicam, ſubjecta materia dignius, quam quod II: 1039. licet non ſuo loco, ſed II: 435. notatum demum, ex MSS. Lectione reſtitui poſſe opinatus ſum? nempe illud:

Principio cœli clarum purumque colorem, &c.
Quam tibi jam nemo (feſſus ſatiate videndi)
Suſpicere in cœli dignatur lucida templa!

Idem fere, quod τὸ ἀνακόλουθον in hiſce, ibi ut opinor, τὸ ἀσύνδετον valebit, ubi VI: 963. quod monere pæne oblitus eram, ita legendum cenſuerim: *& altis montibus, altas, Exſtructas ningueis*, &c. Aut, ubi ex tua emendatione, II: 694. legimus:

Et lapis oppreſſus, ſubitus, e frugibus aſper.

Nam & VI: 1187. ſimiliter, ut alia obvia omittam:

Tenuia ſputa, minuta, croci contincta colore.

Plane ex imitatione Græcorum, quale illud ex. gr. Odyſ. α. 136.

Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα·
Καλῇ, χρυσείῃ, ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος,
Νίψασθαι.

XIV. Factum nonnunquam, ut inſignis aliqua vox, aut formula (quis crederet?) neſcio quos fluctus excitaverit, non in propria quidem ſtatione, ſed in proximis hic illic regionibus. Quod tamen mirari deſino; ubi perpendo, quam avide, quod ſemel pulcre dictum eſſet, eo non contenti Lucretii contaminatores repetierint fere, & arripuerint non ſuo loco; ſed in proximis, quæ vel præcederent, vel ſequerentur, dum recens videlicet talis alicujus loci memoria animo eorum obverſaretur. Hinc nata mihi ſuſpicio, vocem *vivata* III: 410. pro *vitata*; verſu autem ejuſdem libri 557. pro *vaſta*, ſimilive alia, intruſam; non aliunde, quam ex verſ. 680. Quemadmodum, non quidem ſtatim ad vſ. 410. ſed ad 457. demum monere in Annotatiunculis meis ſubiit. Quid enim Lucretio dignius tandem ab ullo unquam homine excogitari, ne dicam ad ſenſum accommodatius, poterat ibi, quam: *ſtat cernendi vitata poteſtas*, ut innuat illæſam atque integram manere. Senſus enim eſt: Lacerato oculo circum, ſi pupula manſit incolumis, ſtat vitata, i. e. incolumis etiam ſervata eſt, & manet, cernendi poteſtas, neque viſum amiſit oculus, &c. Ad verſ. autem 557. quam apte ibi: *animai vaſta poteſtas*, legatur, & verſui 680. ſoli vocabulum *vivata*, reſervetur, ſatis uti puto, oſtenſum eſt. ſimiliter, *Boves Lucæ*, quæ v. 1301. juſtum jam ſpectaculum ediderant in contextu, nonne ἀπροσδιονύσως prorſus ejuſdem libri vſ. 1338. in theatrum idem rurſus aſcendunt? Atque hic veniam a te diſcedendi precor, qui in libro III. eorum cauſam tueris, qui illud: *delirat lingua*, *madet mens*, jam vſ. 454. audiri ac reſonare voluere. Ego non niſi vſ. 478. Poëtæ id effluxiſſe opinor. Par ratio ſex iſtorum verſuum: *Omnis enim per ſe Divôm natura* &c. Non a Poëta, ſed a Librariis Lucretii Interpolatoribus, libro I. anticipatos eos, (in aurem tibi dico) certus ſum; ſacra Matris Deûm, quæ explicanda, atque irridenda, reſervabat in librum II. ſummatim perſtricturos, atque ibi demum, non ante; ſuo loco apparituros. Non ulterius tamen iſta concedi mihi poſtulo, niſi quatenus inſigne, uti dixit, ſignatumve ac meditato illatum aliquod dictum ſpectant. Alia, communiora quippe, quin ſæpius repetita ſint, rationibus ſcilicet diverſis admoderate, nequaquam intercedo.

XV. Quam non curandæ etiam ſint piæ quædam fraudes, ſi ita loqui liceat, in Lucretio, quoties aperte nimis Epicuream illam impietatem præ ſe fert, admiſſæ, quivis, ut opinor, facile perſpiciet. Tam aperte nonnunquam Poëtæ mentem invertunt. Ex. gr. II: 1103. *Quod ſæpe nocenteis Perterit*, pro *Præterit*. Et III: 15. *Naturam rerum divina mente coörtam*, pro: *Divûm ſine mente*, ut Alii repoſuëre. Et ſic in cæteris.

XVI. Nova verba Lucretii, & inuſitatiora pleraque, quippe *quibus multa agendum ſibi* palam profitetur;

Propter egeſtatem linguæ, & rerum novitatem, detrimentum ne Auctori majus,

jus, an lumen aſperſerint, merito dubites. Ita plerumque aut propriis ſedibus turbant, aut alienis aliena provocant. Propriis ſedibus, verbum *Curvaſcunt*, ex. gr. III. 481. ſubſtantivum *tama*, adjectivum *inferium* VI. 554. &c. incondite egiſſe, adeoque in ordinem redigenda, eo quo docui ritu, putavi. Similiter v. 1352. non *Inſubula* modo ſed & *Inſilia* ſimulacra quædam puto veræ vocis *Enſilia*, quam Is. Voſſius ad Catullum, & ex eo Creechius, verbo indicant; Annotator autem noſter ex Notis Tyronis Pag. 126. ubi legas: *Enſis*, *Enſilia* (quibus adjicit *Enſibila*, pro *Inſubula*, quæ tamen ibi, in nova ſaltem editione, non reperio) *Vagina*, &c. quam opportune probat; &, præter Iſidori Gloſſas in *Netorium*, etiam Nonium citat, in *Gracilento*, apud quem hic Ennianus verſus:

Deducunt habiles gladios filo gracilento.

Enſilia igitur, ſicuti & *gladii* fuerint dicti, quæ Græcis σπάθαι. Nam & in vocibus μάχαιρα, & ξιφίδιον, hanc explicationem habet Heſychius; & inſtrumentum textorium fuiſſe, quo κατακρέεσθαι τὰ ὕφη ſolebant, ſeu ſtamen & ſubtemen *coire cogebantur & jungi*, non Heſychius tantum, ſed & Pollux, VIII. cap. 10. &, X. cap. 28. & Seneca, ep. XC. docent; a forma videlicet ita dictum, cujus figuram quoque exhibet celeberrimus Joh. Braunius, lib. I. de Veſtitu ſacerdotum Hebr. cap. 16. Cogitari etiam non incongrue poſſet, Lucretium ſcripſiſſe *Penſilia*, & ita *pondera* illa ac λίθους appellaſſe, de quibus & Seneca, & Pollux, &c. locis citatis. Sed conjecturarum, ut opinor, ſatis jam dudum. Alienis, *ut dixi*, quandoque ſedibus Lucretii peculiaria iſta motus excitant. Ita, ex. gr. participium *inolens*, pro *non-olens*, Giſanium ſollicitavit, ut in Collectanea ſua verbum illud nihili, *inolere*, pro *non olere*, referret, cum tamen non niſi antiquum ſuum obtineret Carus, qui & ita *immerentes*, pro *non merentes* alibi dixit, licet nunquam vel tantillum cogitaret de uſurpando verbo aliquo, *immereri*, pro *non mereri*. Omitto illa talia, quæ partim Lambinus, partim Giſanius, partim etiam, ὁ πάνυ Voſſius noſter, auſi; veluti: *talipedare*, *ſevidere*. *remorare* pro *remorari*, *imitare* pro *imitari*, *vagare* pro *vagari*, *exhortare* pro *exhortari*, *minare* pro *minari*; tum & *lamentæ*, *ceſſamenta*, *enunc*, & ſimilia. Illud v. 945. *Claricitat late* Lambino, & Simeoni Boſio lubens meritoque concedo, tam clare veteris ſcripturæ veſtigiis exprimitur. Ad formam autem verbi Lucretiani *teneraſcere*, etiam τὸ *curvaſcere* III: 481. te volente, & admitti, & in contextum recipi, non ſine voluptate video.

XVII. Habet & elegantias quaſdam ſuas Lucretius, quibus dum perfrui cupit, ſæpius a ſciolis vapulat. Ex. gr. Terentianam imprimis phraſin cum in deliciis habeat; unde & II: 1100. *cœlique ſerena Concutiat ſonitu*. III: 974. *aliena tua ætate*. IV: 1135. *Atque in amore mala hæc proprio*, &c. V. 699. *Ceſſant*. & 1156.

Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet.

& ſimilia: non ubique tamen per iſtos in hiſce ipſi licuiſſe genio ſuo indulgere, teſtis mihi eſt locus II: 1024. jam obiter ſupra, ad §. X. notatus: *Nam tibi vehementer nova res molitur ad aureis Acced're, & nova ſe ſpecies oſtendere rerum.*

Qui quam elegantiſſime illud Comici exprimit, quod eſt in Hecyra, III. v. 32. *Pamphile haud invito ad aures ſermo mihi acceſſit tuus.* *Accidere* enim maluerunt. Solemnium formularum captator Lucretius (uti manifeſto ſeſe prodit in iſtis ex. gr. ubi I: 742. dicit:

Et graviter magni magno cecidere ibi caſu.

aut III: 1528.

Sed metus in vita pœnarum pro malefactis
Eſt Inſignibus Inſignis.

formulam enim referunt quæ non apud Ariſtophanem modo, aut alibi, ſed & in ipſis Sacris litteris occurrit: ἀπολέσει κακοὺς κακῶς, &c.) cum & III: 556. ſcripſiſſet, ut omnino exiſtimo, & ibi moneo, *connexu corpus adhæret*, & ſimile quid tinnire cuperet, mutari tamen, & corrigi a cenſoribus ſuis debuit. Tropis indulgere quantus fuerit artifex Poëta noſter, paſſim, ut opinor, & abunde patet. Quid enim tam durum atque intolerabile per ſe, quod non, dexteritate quadam emolliat, & pulcherrimum efficiat. *Vivum buſtum* dicturus feras beſtias, v. 991. atque adeo adſpirans eandem illam metaphoram, quam in ὑποξύλοις quos vocat, (quaſi *bracteatos* Latine dicas) Sophiſtis quibuſdam Hermogenes, in Gorgia Leontino ille, quem & Faber ibi citat, Longinus, ut inſolentem, ac frigidam palam reprehendere non dubitavere; quam dextre tamen ἐκ παρωνομασίας eam infert, atque hujus vel ſolius ope, qnod vult, conſequitur! Ipſo enim Hermogene, ſi opus eſt, judice, ἀργῇ πεποίηκε τὸν λόγον, cap. περὶ δριμύτητος, ſimulatque ita eo aſcendit, ut & præmittat: *pabula viva feris præbebat*, mox autem inferat: *Viva videns vivo ſepeliri viſcera buſto.* Eodem itaque conſilio illuſtrandis ac veluti communiendis, quibus utitur, metaphoris, per ſe inſolentioribus, ab inducendis mox, aut jam inductis Comparationibus παραμυθίαν mutuari ſolet; ut I: 403. *Namque canes ut montivagæ*, &c. II: 54. *Nam veluti pueri*, *&c.* v. 601.

Nonne vides etiam, quam late parvus aquai
Prata riget Fons interdum? &c.

Quam non ſemper autem ipſi ne quidem in hiſce artem ſuam exſerere integrum propter mutilatores ſuos fuerit, indicio mihi eſt locus IV: 895. ubi ſcripſit haud dubie, ut & hoc ſupra jam tetigi: *Corporis*, quaſi,

Corp'ris ut hæc navis velis ventoque feratur.

Ipſa enim more ſolito ſequitur mox Comparatio: *Quippe etenim ventus*, *&c.* Illi autem in alia omnia plerique abeunt. Accedunt Archaiſmi, quibus quantopere delectetur elegantiſſimus Auctor, non opus eſt verbis. At nonne verendum eſt, ne inter alia etiam Gifanii illud, I: 105. *multa tibi me fingere poſſum*, quod & Adr. Turnebum approbatorem habet, & alios inter Scioppium etiam Suſp. Lect. lib. v. epiſt. 19. contra Poëtæ mentem cæteri deformarint in: *multa tibi jam fingere poſſum*? Quod ſi ita eſt, quid obſtabit tantopere, quo minus & III: 723. quod & ſupra jam citavi, Num. IX. legamus: *priva ſe in corpora poſſe venire?* E contrario: *video firmare poteſſe*, non *videor*, & mihi perſuaſum eſt ſcripſiſſe

Lucre-

Lucretium, III: 320. & ab aliis probatum. Denique & particularum rarior quidam, & vel ſignificantiſſimus ſæpe delectus, eſt ubi Viro fraudi fuit. Neque enim alius quiſpiam tam copioſe atque ornate vocibus: *nempe*, *profecto*, *neque autem*, *& autem*, *porro*, *tum porro*, *nimirum*, &c. uſus reperitur. Hinc igitur, & illud *tamen* I: 683. auxilio egebat adverſus eos, qui id mutare aggreſſi fuerant.

XVIII. Paſſim, ubi metri legibus nimirum, aut fruſtra timet Lambinus, iiſdem iniquior mihi videtur fuiſſe Gifanius, & ad inordinatos ſuos ſeſe recepiſſe numeros; quibus quidem ſi ſemel oppoſuerimus Adr. Turneb. judicium, quod in Pierium profert, quia & ille jam apud Noſtrum VI. 1133. legendum contenderat:

An cœlum nobis intra natura corruptum:

nimirum: *ſi ita impune liceret ſyllabarum leges violare, quis non carmen pangeret? quid nobis præceptis opus eſſet?* uti videmus XXII. Adv. 19. abunde ſatis factum iri puto. Exemplum habeo VI: 762. ubi, cum Lambinus non fuiſſet auſus legere: *Janua ne potius Orci regionibus eſſe Credatur poſta:* ſed tranſpoſitis, metri videlicet gratia, vocibus: *Janua ne his Orci potius, &c.* Giſanius, ut in alteram potius peccet partem, credo, ita legit: *Janua ne potius his Orci regionibus eſſe Credatur.* Ego neque tranſpoſitione ulla, neque vocabulo *his* opus eſſe puto. Ultima in *potius* pedem orditur, &, licet ante vocalem, ſat firmo tamen talo inſiſtit. Senſus autem ſalvus eſt, & hic, meo judicio: *Ne potius, regionibus Orci*, nempe, quas ſibi Vulgus imaginantur, *janua* aliqua *credatur poſita eſſe; hinc &c.* ſive: *Ne Orci regiones januam aliquam habere credantur, &c.*

XIX. Gaſſendi lectiones ſolitariæ fere; neque MSStorum editorumque librorum auctoritate fultæ, neque emendandi Lucretii ſtudio excogitatæ mihi videntur, ſed a memoriæ lapſu, docto tamen eo, nihilque Lucretio indignum affingente, dum nempe verſus Lucretianos ita ſibi familiares habet, ut inter ſcribendum, quoties Poëtæ verba citat, non exemplar aliquod, ſed ſolam memoriam conſulere ſatis habeat, profectæ. Exempla, II: 977. *de rerum natura*, pro *miſtura.* & 979. *totis animalibus adſimilata*, pro *mortalibus.* & 1101. *& in diverſa recedens*, pro *in deſerta.* Item, III: 80. *Percipit ingratos odium*, pro *humanos.* & 226. *neque detractum de corpore quicquam*, pro *de pondere.* Addo & IV: 859. *remis ventoque*, pro *velis ventoque.*

XX. Faji emendationes peculiares, ac ſpecioſæ, ut plurimum mihi videntur. Sic III: 374. ubi pro: *nectere membra* habet: *Adpoſita alterius variare, & vertere membra.* Et ejuſdem libri vſ. 490. ubi pro *Inconſtanter*, *Incunctanter & in jactando membra fatigat.*

XXI. In Voſſianis multa reperio, quæ non tam plenas emendationes, quam emendationum veluti rudimenta quædam repræſentant; prout nimirum vir ille eruditiſſimus locis difficilioribus quandoque vocem unam alteramve ludibunde, & quaſi aliud agens, aſperſerit, & ad ſcripturam veterem quam proxime finxerit, de ſenſu videlicet poſtea viſurus. Ita III: 174. ad illud: *in terra mentis*, adjeciſſe videtur: *inter mœrentes*, *inter lamentas*, *in ceſſamentis.* Neque alio con-

ſilio

ſilio VI. 793. verbum *Concidere* transfuderit in: *Cum cinere*. Item, 938. ex vocibus *ad res*, *ardes* fecerit, quod marginalia noſtra habent, ut & 1238. ex *Pœnibat*, *Pœnæ ibus at*. Annotator autem noſter, (Hadr. Beverlandus) licet Voſſianarum Obſervationum exſcriptorem tantum in libri noſtri fronte profiteatur, multa tamen de ſuo etiam adjeciſſe videtur. Argumento mihi eſt, quod VI: 786. ad illud: *In Heliconis montis arbor Floris odore hominem tetro conſueta necare*, notat: *Hujus arboris meminit quoque Dicæarchus, in deſcriptione montis Pelii*; Quod fragmentum tamen, non niſi Anno CIↃIↃCCIII. atque adeo longe poſt obitum clariſſimi Voſſii, lucem aſpexit Oxoniæ, in tom. II. Geographorum, quos vocant minores, idque e Cod. Gudiano a Jos. Alb. Fabricio tranſmiſſum Clariſſimo Editori. Niſi mavis, ab ipſo Is. Voſſio illud ineditum adhuc inſpectum, quippe quod notum fuiſſe ipſius ſaltem Parenti ex lib. I. cap. 9. de Hiſtoricis Græcis, apparet: vel denique, reſpectum ad ejuſdem fragmenti, Salmaſio jam ex inedito exemplari citata, verba, cap. LXXXIII. de Homon. Hyles Jatr. Quicquid ſit; Annotator ille noſter, ſi univerſa deſcripſit, multa prave deſcripſit, nec intellecta. Obſervavi etiam ejuſdem pleraque eſſe, quibus Londinenſes in Variantibus Lectionibus apponunt *Quidam*.

Habes, Vir optime, mihique amiciſſime, quæ, inter mea illa ad Lucretium πάρεργα, reliqua habebam, οὐ παρέργως tamen oſtenſura, uti, ſpero, τὸ φίλεργον, quo quam lubentiſſime in id genus delicias ſymbolam aliquam confero. Quod ſi & hæc tanti Tibi videbuntur, ut, in curanda atque exornanda elegantiſſimi Poëtæ nova Editione, rationem eorum habendam cenſeas, erit, quod mihi, de non male locata in iiſdem opera gratuler. Vale.

Mudæ, III. *Idus Julii* CIↃIↃCCXXV.

DEDICATIO EDITIONIS ALDINÆ ANN. 1500.

Aldus Manutius Romanus. Alberto Pio Carporum Principi

S. P. D.

Titum Lucretium Carum mea cura nuper expreſſum publicare ſub tuo nomine, tibique jam conſummato philoſopho, philoſophum ſuæ ſectæ doctiſſ. dare muneri ſtatui, Alberte Princeps eruditiſſime. Nam qui ante impreſſus habetur in manibus, adeo eſt mendoſus, ac mutilatus, ut paucis in locis queat intelligi. Noſter vero ſic emendatus, & integer prodit in vulgum, ut perpauca caſtigatione indigeant. Qua in re habenda eſt plurima gratia Hieronymo Avancio Veronenſi, viro latinæ linguæ, ac liberalium diſciplinarum non mediocriter perito, quod multos annos Lucretio corrigendo, in priſtinamque reſtituendo integritatem accuratiſſime elaborarit, tandemque eo ipſo Tito adjutore correxerit, quod in eo non hemiſtichia ſolum, atque integri verſus, ſed multa etiam carmina ſæpe repetita more Homerico inveniantur. Cum igitur Avancius noſtrum Lucretium memoria teneat, ut digitos, unguesque ſuos, perfacile hemiſtichium hemiſtichio, & carmen carmine emendavit, idemque factum eſſe eorum auxilio verſuum, qui ſparſim apud authores Latiæ linguæ adducti habentur. Tu itaque debes Alberte humaniſſ. librum hunc benigna fronte in doctiſſimam Academiam tuam admittere, tum quia ipſe dignus ſua ipſius authoritate & gratia, non quod vera ſcripſerit, & credenda nobis, nam ab Academicis etiam, & Peripateticis, nedum a Theologis noſtris multum diſſentit, ſed quia Epicureæ ſectæ dogmata eleganter & docte mandavit carminibus, imitatus Empedoclem, qui primus apud Græcos præcepta ſapientiæ verſibus tradidit; cujus ſcripta, vel injuria temporis, vel barbarorum incurſionibus, a quibus ſæpe & Græciam ſpoliatam, & Italiam conſtat, deperierunt. Vix pauca quondam ab Ariſtotele in meteoris, & alibi citata viſuntur. Quanquam & apud Stobæum, qui eclogarum ex antiquiſſimis magnum volumen confecit, multa & Empedoclis, & aliorum quorundam; quorum ſcripta jamdiu interierunt, aliquando volente Deo expreſſa publicabimus, tum etiam perhumaniter a te ſuſcipiendus eſt Lucretius, quod ab Avancio tibi deditiſſimo ſumma cura emaculatus eſt, tum præterea quia tibi ab Aldo tuo nuncupatus, dono ad te mittitur. Vale.

Hieronymus Avancius Valerio Superchio Piſaurenſi bonam fortunam.

Dii tibi dent, quod bene amas, Valeri amicorum ſpectatiſſime. Etſi non ignoro te divinis medicinæ præſcriptis pene obrutum, & publicis mathematices lectionibus, quas frequentiſſimo auditorio profiteris, diſtrictum, pro tua tamen

in me non vulgari amicitia paulifper percurſurum ſpero Lucretium hunc meum, cujus ad communem ſtudioſorum utilitatem pene infinita loca corrupta & mendoſa corrigere ſtudui, aut ſaltem totidem incurata vulnera indicare. Ubi diu cogitans, an quod volebam aſſecutus ſim, te unum medicum inſignem delegi, cui hanc remediorum meorum meditationem honeſtius aut tutius penſandam committerem. Quis enim me ſolum extreme laboranti, ac ferè conclamato pharmaca depromptūrum opinetur, niſi te uti opificem Aeſculapium judicem vindicemque conſtituerim? Quum potiſſimum te diſciplinarum omnium cognitione eminentiſſimum ſæpius Patavinum gymnaſium declaraverit, quumque me (ut palam eſt) mutuo ames, haud patieris, ſcio, vigilias noſtras prodire, niſi prius ungue, obeliſco, lituriſque tuis tam multa expunxeris, confoderis, deleveris, ut cætera emendata credi poſſint. Plus itaque amantiſſime Valeri veritati, quam benivolentiæ tribuas, a Valerio, non ab amico, teque mei ſtudioſo noſtra expendantur velim. Diu fateor laboravi, quum viro inſigni obſequens emendare adniterer Catullum, Priapeias, Auſonium, Plinii epiſtolas, ac Papynii ſilvas, quas omnes caſtigationes nunc inpreſſas adoleſcens publicavi, cæterum offendi adeo mutilata manca & lacera Lucretiana carmina, ut ante jucundos labores meos vix ulla pars ſincera maneret. occurrebant tot inverſi verſus, tot portentoſæ dictiones, ut jam (niſi Valerius adſit) ad hæc verborum monſtra tollenda plures mecum Hercules deſiderarim. lætabor vel ſi oſtenderis complures Lucretii verſus non depravatos, ſed a me non intellectos. Omnino enim (quod quærebam, aſſequar, ut ſcilicet Lucretium Latinorum poëtarum ſcientiſſimum, & quem maxima æmulatione in pleriſque imitatus eſt præcellentiſſimus Maro, in priſtinum candorem in ſuam lectionem reſtitutum conſpiciam, ut jam auſpiciis meis virbius dici poſſit. Verum ſi tibi variis occupationibus impedito immenſum importunumque negocium impono, velim has lucubrationes Vincentio Quirino literarum decori eximio, ac Mecœnati noſtro, dum animum a philoſophorum dogmatibus occupatiſſimum relaxare libuerit, legendas & caſtigandas commendes. Pili enim faciam quicquid alii maligne irridebunt, aut invidenter vellicabunt, ſi tecum hunc Academiæ noſtræ aſſertorem, approbatorem ſubſcriptoremque nactus fuero. Hic certe, quod in luculentiſſima mathematices prælectione liquido demonſtraſti, tam fauſta undequaque ſidera ſortitus eſt, ut nulli ſit facilius literarum arcana perſpicere, ac virtutum omnium apicem attingere. Quare diis bene juvantibus ad meritiſſima dignitatum ampliſſimarum faſtigia pleno gradu hunc evaſurum ſpero. & vehementer opto, quum propter ſingularem humanitatem, inauditam modeſtiam & incredibilem prudentiam, miro diſciplinarum amore, atque acerrimo ſtudio, beatiſſimam memoriam & fere divinum ingenium excolat, foveatque. Quis præterea Vincentii inluſtris judicio non lubens acquieſcat? quando eundem acutiſſime diſputantem tum nos alias admirati ſumus, tum nuper multis honoratis verbis approbarit vir ex bonis omnibus incomparabilis, alterum hujus ætatis præcipuum lumen, omnium ſtudiorum ſtudioſorumque pa-

patronus, omnium ſcientiarum princeps & pene intimus naturæ ſecretarius, interpreſque fidiſſimus Dominicus Grimannus, & multijugarum doctrinarum præſtantia & chriſtiani cardinis cuſtodia colendus. Quare ut egregius vates ab ejus conſortibus ex intimis orci penetralibus prorſus redimatur, medius fidius debet doctorum nemo honeſtiſſimis optatis meis non obſequi, quum perpauca ſint ſcitu vel reconditiſſima, quæ mortalium aliquis non probe teneat; vobiſcum eruditos omnes, qui opus hoc adſument, rogatos velim, ſinguli ſingulas emendationes noſtras perlegant, examinent, & pro arbitrio caſtigent. Amplius namque mihi quodvis ſatisfaciet, ſi quæ male habentia Lucretii loca a me intacta aſſignaverit, & quæ a me perperam reformata recognoverit, in legitimam lectionem repoſuerit, quam ſi ſcriptis qualibuſcumque contentus vigiliis noſtris applauſerit. Non enim is ſum, qui me hujus omnium depravatiſſimi vatis pene infinitas mendas dempſiſſe cenſeam. Quin niſi quis ocyus, quod malim, noſtra hæc acriori lima animadverterit, polliceor fore, ſi quam a divina Hippocratis noſtri lectione dieculam ſuccidere valuero, ut harum emendationum eundem me & authorem & exactorem plane cognoſcant. Interim Lucretium jucundiſſime Valeri opera mea jam ſe commodius habentem, ac ut arbitror convaleſcentem, ubi tu, ſcientiſſimusque Quirinus ſuaſeritis, emittemus, parum verentes iniquam ſcrupuloſæ curioſitatis conditionem, faciles quasque potius labeculas, quam infinitas, ut ita dicam emaculationes animadverſura, quum præſertim hanc editionem inprimendam curarit Aldus Manutius, homo Latinis Græcisque literis eruditus, earundem mirifice cultor, & adeo inſtaurator ut non tam Piſiſtratus & Nicanor Seleucus, aut M. Varro de his promeruerint. Athenis enim illi, Romæ Varro vel unicam & quidem privatam bibliothecam congeſſerunt. Aldi vero ſolertia innumerabiles Latinæ, Græcæ, ac Hebrææ linguæ authores, quam emendatisſimi paſſim habentur, habebunturque. Lucretium autem eo accuratius Aldus affectat, quatenus eum illuſtri Alberto Pio Carporum Principi inſcripturus ſit, qui non Minervæ modo, ſed Apollinis etiam ingenuas artes, ac ſtudia univerſa, quibus poema ſuum ubertim referſit Lucretius, examuſſim teneat, nec mirum quidem, quando in ejus ſplendidiſſima domo porticus lycium aut academiam nequaquam deſideret. Veſtris igitur ſtudiis, Aldo aſſidente labores noſtros bonis non ingratos fore ſperamus. Diu valeas. Kalendis Martiis. M, ID.

Hieronymus Avancius Veronenſis, bonarum literarum ſtudioſis ocium optat.

Ut probi viri intelligant, unde corruptiſſimum Lucretii poëma ſine antiquo exemplari emendare, ac publicare ſim auſus, ſciant mihi ad hanc operam Ariſtotelis problemata, meteoraque admodum profuiſſe, multa etiam depravata correximus ex verbis citatis à Priſciano, Macrobio, & ante omnes Marcello, apud quem tamen ſæpius pro Lucretio, Lucillius eſt ſuppoſitus; Verum mihi

 nil

nil æque ſuppetias tulit, quam Lucretius ipſe qui non duos modo quatuorve, aut decem verſus idem tidem repetit, ſed vigintiocto in fine primi libri, & in principio quarti eoſdem videbis, quæ omnia nemo deprehendet, niſi qui diutina lectione omnia Lucretii carmina edidicerit, retinueritque. Unum affirmare auſim, *Omnis enim per ſe divum natura neceſſe eſt*, cum quinque ſequentibus, ex prologo, cum abundent, demendos eſſe, hos aptius legas, cum de magna Matre agit.

Super quoſdam verſus aliorum induſtriam expectabimus, ut cum legitur. *Interdum in pallam atque allidens jachiaque vertunt*, & diſtichum poſt illum verſum. *Cum tuba depreſſo graviter ſub murmure mugit.* & illud diſtichum, *Is locus eſt Cumas apud*, & cætera. &, *Nam ratio cum ſanguine ab humoribus omnis* & quæ in tractatu de viſu & imaginibus confuſa & tranſpoſita ſunt.

In proëmio legerem *Reſſicit æterno*, non *rejicit*, nam *re* novies producit in compoſitione, ſed geminat tunc conſonantes, ut *reccidere*, *redduco*, & licet ſtatim dicat *Quando alid ex alio reficit*, palam eſt poëtas unam ſyllabam variare vel in uno verſu in eodem ſignificato, ut Propertius *eoum*, & Catullus *Pharſaliam coeunt*, *Pharſalia tecta frequentant*, & Lucretius. *Craſſaque conveniant liquidis & liquida craſſis.*

Idem multis pedibus abutitur, ut Anapeſto in prima ſede ut *aciebus*, & in ultima Dactylum ut *omnium*, ac Tribrachum ut *tenuis*, niſi in his dicas eſſe ſyneresim, ut etiam *duellica*, *ſterilia*, *oriundi*, *quempiam*, *quiete*, *ambiens*, *vinciunt*. Forte in aliquibus ſimilibus cauſa metri ſit ſyncopa, ut cum *ſcibant* pro *ſciebant*, *ſubus* pro *ſuibus*, & *nilum* pro *nihilum*, & *nilo* pro *nihilo*, ſic *vementi* pro *vehementi*, *initum* pro *initium*, & *alid* pro *aliud*, declinationem antiquam ſecutus.

Sextum caſum tertiæ declinationis in *e* producit, ut *lapide*, *arte*, ſed in *i* ut reor terminabant, unde aliquando *in luci*, *in parti* ſcriptum eſt.

E literam producit in *rei*, *ei*, *eodem*, *fidei*.

Ut ſenſus illuſtrior ſit ſuis verſus omnes punctis apte diſtinximus, & omneis *arteis* ſcripſimus, non *omnes artes*, & hujuſmodi. Itidem veteres imitatus *repertumſt*, & *itemſt*. *neceſſeſt*, pro *repertum eſt*, *Item eſt*, & *neceſſe eſt*. & *n* literam in compoſitione non mutat, ut *conripio inluſtras*.

Aliquando etiam finalem ſequente vocali retinet, ut *Nam quod fluidum eſt*. Sæpe *s*. abjicit, ut *ſudent humore & guttis manantibus ſtillant*.

Quædam verba vel nova vel rara habet, ut *retinentiam*, *variantiam*, *pellaciam vigetur*, *poteſtur*, *poteſſe*, *ſatiatem*, *famul*, *ſanguen*, *ſenſile*, *diditur*, *hilum*, *veterinum*, *obruteſco*, *leviſomna*, *bucera ſecla*, *buceriæ greges*, *lucas boves*, *elephas morbus*, *incillare*, *vacefit*, *ſcaptenſula*, *centaurum & centaureum* pro herba. Sæpe dicit, *caulas*, *vivata*, *momen*, ſed corruptæ ſunt dictiones iſtæ, *Acheruſia*, *protelum*, *hauſtra*, *propritim*, *bone* pro *bene*, *ſupera* pro *ſupra*, *cupedo*, *amaror*, *ſonor*, *vagor*, *algus*, *juxtim*, *cupiret*, *uveſcunt*, *fereſcunt*, *petitus* nomen eſt, & *organici*, *itum* .i. inceſſum, *peſtilitas*, *maximitas*, *multeſima*, *perterricrepus*, *multimodus*, *volgivagus*, *tuditantia*. Sæ-

Sæpe dicit *quod genus* pro quemadmodum, & *Memmius* in quinto caſu, & *totus* prima brevi, quia *quoti* reditivus eſt.

Multas græcas dictiones uſurpat ut *præſteras*, *procraxe*, *mele*, *ſmyrna*, *chroniſcant*, alias quaſdam ubi agit de rebus venereis.

Uti *urgit*, *ſcatit*, ſic *ſonere*, *lavere* dicit.

Hæc raptim congreſſimus, quæ in Lucretio fræquentius, quam in aliis vatibus obſervaverim, ut etiam *æqua*, *mutua*, *crebra*, & alia quam plurima adverbialiter ſæpiſſime ponit.

PRÆFATIO EDIT. ALDINÆ ANN. 1515.

ALDUS Pius Albertum Pium Carporum Principem, ac Cæſareum Oratorem apud Pont. Max. Salvere jubet.

Jampridem Alberte, Decus Principum, Decus hujus ætatis eruditorum, conſtitui omnes de philoſophia libros, quotquot ex ædibus noſtris exirent in manus ſtudioſorum, tibi dedicare; tum mea erga te ſingulari benevolentia: tum etiam, quia id genus libris præter cæteros delectaris. Deus perdat pernicioſa hæc bella, quæ te perturbant: quæ te tamdiu avertunt a ſacris ſtudiis literarum: nec ſinunt, ut quiete, &, quod ſemper cupiviſti, atque optaſti: fruaris otio, ad eas artes, quibus à puero deditus fuiſti, celebrandas: jam aliquem fructum dediſſes ſtudiorum tuorum, utilem ſanè & nobis, & poſteris, qua te privari re, ita moleſte fers: ut nullam aliam ob cauſam credendum ſit: nuper te Romæ tam gravi morbo laboraſſe, ut de ſalute tua & timerent boni omnes, & angerentur.

Di prohibete minas: Di talem avertite caſum:
Et placidi ſervate Pios.

En igitur tibi Lucretius & Poeta, & Philoſophus quidem maximus vel antiquorum judicio, ſed plenus mendaciorum; nam multo aliter ſentit de Deo, de creatione rerum, quam Plato, quam ceteri Academici, quippe qui Epicuream ſectam ſecutus eſt, quamobrem ſunt qui ne legendum quidem illum cenſent Chriſtianis hominibus: qui verum Deum adorant: colunt: venerantur. Sed quoniam veritas, quantò magis inquiritur, tantò apparet illuſtrior, & venerabilior: qualis eſt fides catholica: quam JESUS Chriſtus Deus Opt. Max. dum in humanis ageret: prædicavit hominibus; Lucretius, & qui Lucretio ſunt ſimillimi: legendi quidem mihi videntur: ſed ut falſi, & mendaces: ut certe ſunt.

Hæc autem attigimus: ut ſiquis hæc noſtra legens, neſciat deliramenta Lucretii: id diſcat è nobis: licet ad te unum ſcribere videamur. Id enim eſt harum epiſtolarum genus: ut cum ad unum ſcribuntur: ad omnes, in quorum manus pervenerint: tanquam argumenta ſcribantur. Quod autem longè correctior

emittitur nunc Lucretius ex ædibus noſtris, quàm conſueverit: habenda eſt potiſſimum gratia Andreæ Naugerio noſtro: qui eum, quanquam curſim propter ipſius occupationes, & importunam impreſſorum noſtrorum feſtinationem, tamen accurate recenſuit; Capita præterea mutata ferè ſunt omnia: ut vere quod ſingulis quibuſque locis complectitur: contineant, & licet non inſerenda ſuis ea locis curaverimus, ne librum dividerent, cum non Lucretius illa: ſed alius quiſpiam inſeruerit: tamen ad evitandum inquirendi laborem, & pagellam citant, & verſum, quò referenda ſunt. Quod ſi per adverſam valetudinem mihi licuiſſet, qua menſes jam aliquot acerbiore conflictatus ſum, addita eſſent infra non pauca, quæ diligentiæ noſtræ fidem omnibus facerent, & Lucretium ipſum planiorem redderent, utcunque ſit, cavendum etiam fuerat, ne plus juſto opus excreſceret, & magnitudo voluminis moleſtiam afferret, cætera ita præſtita eſſe à nobis opinor Naugerii noſtri induſtria, quam non contemnendam adhibuit; ut Lucretius legi atque intelligi tandem poſſit. Vale.

JO. BAPTISTÆ PII DEDICATIO
SIVE EPISTOLA NUNCUPATORIA. ANN. 1511.

R. ac auguſto antiſti Domino Georgio Caſſovio Regis Illuſtriſſimi Pannonii ac Boiemici Supremo Secretario, Epiſcopo Quinquecleſienſi, Patrono Colendo, Joannes Baptiſta Pius Bononienſis,

ARISTOPHANES antiquæ comœdiæ princeps, Sacroſancte Georgi, Dei opmi maxumique ſignifer, & explorator fidei ſollertiſſime, in Ranis Bacchum inducit ad inferos deſcendere molientem ut Euripidem aut eximium quempiam vatem inveniret. Apud ſuperos enim neminem reperiebat: niſi malum. Quod ſi Petrus ille protomyſtes & fidei hierarcha factitare in animum induceret: Pannoniam tanto bono fortunatam peteret, ut te omnis divini & humani juris conſultiſſimum gregis electi moderatorem optaret: In quo tot ac tanta corporis ac animi bona viſuntur: tanta felicitas ingenii: ut quocunque loco natus eſſes, fortunam tibi ipſe facturus viderere: quæ rudis in minime facundo homine lingua non ſuppetens animo, dicendi viribus adæquare non poteſt: ut in cujus laude difficilius ſit exitum quam principium invenire. Quid patriam tuam Pannoniam recenſeam: Pœoniam inquam illam nunc, auctore Livio, vocatam Aemathiam: quam fons ingeniorum Homerus libro Iliados vigeſimo primo fœcundam vocitat: ubi Pannonii meminit clari Pelegonis filii ſtrenui bello viri: & ambidextri: qui Achilli formidando bellatori non diffidenter auſus eſt congredi. Necnon idem poeta decima ſexta Iliados rhapſodia Pyrechmin Pæonum ducem Patroclo concertantem facit: ſub quo Pæones ex Amydone urbe, & late fluente Axio venerant:

rant: quos magnus virtutis heroicæ præco Meonides vocat egregios. Præterea Dolon apud eundem poetam Iliados libro decimo Pœonas ancylotoxos arcum lunare & infle&ere promptiſſimos ad partem maritimam juxta Cares, Leleges, & Caucones collocat: quibus non minus ad lanceam manus & ad enſem quam ad arcum pruriunt. Quem ſecutus Papinius in Sylvis inquit: *Pannoniuſque ferox: arcuque horrenda fugaci Armenia.* Sed hæc vulgaria & obſoleta ſunt: Pannoniam noſtra tempeſtate eſſe propugnaculum: murumque tranquillitatis Chriſtianæ: vaſtiſſimum, immaniſſimum, fœdiſſimum monſtrum Turcharum tyrannum corporum ſuorum obice a cervicibus noſtris arcere, fontem auri & ſeminarium vocari. In cujus de fide noſtra optime meritæ nationis præconia timide quidem pedetentimque deſcendi: libenter ac pie tamen: & licet arrogantis ſit dicere: cum ex copia materiæ perorare non liceat: ingrati tamen eſt tacere. Ex Pannoniis invictus Philippi ac Alexandri magni conſtabat exercitus: qui plurimum (ut inquit Appianus) in bellis præſtiterunt. Hi Cornelium cum exercitu fuderunt: unde ingens Pœonum fama univerſam adeo formidine concuſſit Italiam: ut magiſtratus Romani hos deinceps aggredi non ſint auſi. Adde Probum Imperatorem Romanum oriundum fuiſſe Pannonia civitate Syrmienſi: & Decium: qui Eutropio auctore Pannonius fuit Bubaliæ natus. Sed hæc de Pannonia ſatis. Vitili namque futilique navigio Aegæum ſulcare dementis eſt ocii. Patria, ſinuſque felix ille ubi divinus antiſtes lucem hauſit: terram natus tetigit: luſtrico die exorciſmo ſpiritali, & ſanctiſſimis undis redemptus eſt: quam reptavit: ubi literas didicit: togam puram ſumpſit: eſt Caſſovia civitas pollens ac opulens: quam exemplo Thucydidis in Euripidis epigrammate Athenas τῆς Ἑλλάδας Ἑλλάδα vocantis: nos perinde Caſſoviam Pannoniæ Pannoniam vel a tali tantoque alumno jure vocabimus: quam, ne in aſſentationis aleam eamus, his contenti ſeponemus. Parentum majorumque ſuorum Georgius, omnium qui ſunt, fuerunt, erunt epiſcoporum princeps: nobilitati reſpondit: etiam proprium genus audendo agendoque creſcens illuſtravit; fortunaque ut ſæpe alias virtutem eſt ſecuta: cum majoribus ſuis facibus ingenii præluxerit. Inſidet enim quædam (ut auctor eſt Cicero) in optimo quoque virtus: quæ noctes & dies animum gloriæ ſtimulis concitat: atque admonet non cum vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis noſtri: ſed cum omni poſteritate adæquandam. Quamobrem vir iſte lectiſſimus cum hanc Euripidis in Phœniſſis ſententiam legerit: ὁ δὲ ὄλβος, οὐ βέβαιος, ἀλλ᾽ ἐφήμερος: felicitatem videlicet humanam inſtabilem eſſe ac prope dialem. Et Homeri carmen id non uſque quaque ſpreverit ex Iliados libro vigeſimo. Ζεὺς δ᾽ ἀρετὴν ἄνδρεσσιν ὀφέλλει τε μινύθει τε Ὅππως κεν᾽ ἐθέλησιν. Jovem ſcilicet pro voluntate mortalibus & augere virtutem & minuere: religionem piaque myſteria intentiſſima cura & obſervat & colit templa recidiva, fatiſcentia, ſæculorum carie pereſa reſarcit: inſtaurat: a fundamentis excitat: memorque vitam eſſe brevem: curſum gloriæ ſempiternum: in Deo, in mente totus eſt. quæ omnia ſpem nobis affirmant: vitæ ſociam virtutem, mortis comitem gloriam futuram. Quid auguſti ac heroici

roici corporis robur: in quo majeſtas, & quidam ſenatorius, regiuſque decor effulget verendus ſimul ac amabilis: honore verborum proſequar; quæ bona Paris Homericus vocat excellentia: & quæ volentibus etiam non contingunt. Quin ab eodem poeta θεοειδὴς a ſpecie imperio digna Priamus appellatur. Sed hæc titubanter & ſtrictim recenſeo, compertum habens fortunæ, quæ ei cumulatiſſime ſuperſunt, corporiſque bona, quæ fortaſſe Smyndiridem, Sardanapalum, Cliſthenemque delectarent: hunc divinum virum ſuſque deque facere: & inter ancillares reginæ virtutis appendiculas recenſeri: quas tamen qui poſſidet, cum ad bonorum ſubſidium, munificentiam, beneficentiam convertit: contagioque ſuo polypæo non contaminatur: munitiſſimum & invictiſſimum animum oſtendunt. Et profecto (ad te enim, me convertam Archiflamen eminentiſſime) te bonis exteris beatiſſimum vocant omnes: dignitate, auctoritate, exiſtimatione, gratia non inferiorem his qui unquam fuerunt ampliſſimi: præſertim Laurentio Biſtritio nepote juvene egregio, inſtructo naturæ fortunæque bonis omnibus: mera probitatis morumque tuorum imagine: qui, cum raro ſimul hominibus bonam fortunam, bonamque mentem dari conſtet, nobilibus eſt honeſtatis exemplar: & politici cultus idolon. Quem Bononienſes, nec ii ſolum, ſed invictiſſimus & ſanctiſſimus pontifex Julius terræ cœlique janitor & libenter audivit & approbavit: quantiquem ſis ex nepotis ingenuitate judicavit. Et profecto tota muſæa noſtra in laudes illius plauſibiliter eunt. Doctores & poëtæ certatim afferunt veniſſe ſidereum juvenem vincentem omnia tum dexteritate, tum beneficiis. Ita repente moribus politioribus aſſuevit: ut nemo tota juventute prior habeatur: cui ut olim Romani Sempronio Gracco, ſacris, quod tunc perrarum in mandandis ſacerdotiis erat, a teneris inaugurato, curam templorum adoleſcentulo mandaſti: quippe cum non ſimilis perverſiſſimis clericulis evaſerit: qui deos impia mente conquirunt: violatis oculis legunt: contaminatis manibus attrectant. A Laurentio nullum laxamentum a ſtudiis datur: pontificii juris evolvit auctores: poetas intime rimatur: rhetoras me prælegente medullitus excutit: adeo ut omnibus qui Bononiæ muſis ſtipendia faciunt longe ſuperior evaſerit: qui ſi commilitonibus ſtudiorum ſuorum comparetur, eſt anemonam roſæ conferre. In quo non voluptatum blandimentis, ut in multis, ſopita virtus connivet: ſed abdicato cœno, declinatiſque volutabris, virtuti proprius adſiſtit, multa quotidie diſcit: multa dediſcit: quod Cicero virorum bonorum inſtituta ſequi volenti neceſſarium putat. Sed jam me pudore tacita veras etiam laudes reſpuentis modeſtia ſuffundit: ut qui ſemper maluit eſſe quam videri. Inhibebo remos igitur: id Ovidianum, utinam auſpicato, canens. *Dii ſibi dent annos: per ſe nam cætera ſumet; Sint modo virtuti tempora longa ſuæ.* Cæterum deliberabundus quid primum, mediumve canam: quo fine quieſcam: hæreo: & copia me reddit egentem. Occurit tamen animus ille tibi cœleſtis Epiſcope cœlitus indultus: quo quid ſanctius: quid omni religione munitius. Etiam in virenti pubentique ætatulæ floſculo, quam indoles regia & examinata fuit; nihil humile cogitaſti aut dixiſti: quod a pueri Catonis præcoci virtu-

te

re diſcreparet. Nec in uno gymnaſio interiorem hominem excoluiſti. Quinimmo peregrinabundus nomina magna, magnos virtutis aquiliferos indictis prope tibi voluntariis exiliis, ut Pythagoras, Plato, Tyaneus indagaſti: eoque laborem impendiſti & periculum: unde emolumentum honoremque ſperaſti. Quare ſub haud pœnitendis magiſtris lucubratorio labore vigiliis ærumnoſis tantum profeciſti: ut ſolus propemodum ſapere viderere. Nam quum Pannoniæ rex feliciſſimus, orthodoxæ fidei propugnator, unicus virtutis cujuſque penſitator, ut ætatem ſeneſcentem curis exoneraret, regni, rei inter deos homineſque pulcherrimæ, clavum viro majeſtatis imperatoriæ dote conſpicuo, dexteritatis, felicitatis, auctoritatis effertiſſimo meditabundus deſtinaret: cui labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in providendo ſupereſſet: & cui ingenium idem ad res diverſiſſimas, parendum atque imperandum, habile foret: qui Quinqueccleſienſi epiſcopo ſuperior eſſet non invenit: cujus fortitudine, juſtitia, continentia, ſobrietate, vigilantia, cæteriſque virtutibus inſignem, ſuopteque ingenio, diſciplinifque liberalibus temperatum animum nactus, obviis ulnis excepit: in quo videret fervorem & naturalem audaciam ætatem quotidie auferre: quod deſideretur conſilium in dies creſcere: ſeneſcentibus, ſi qui inoliti a corporea ſylva fuerant, affectibus: matureſcente virtute. In quo radiabat conſilii animique ſpecimen: & neutiquam vulgatæ laudis ingenium in vivido pectore vigens, virenſque integris ſenſibus: in quo nulla ars, ut de Catone vere non minus quam venuſte Livius inquit: neque privatæ neque publicæ rei gerendæ defuit. Ad ſummos honores alios ſcientia juris, alios eloquentia, alios militaris gloria provexit: huic verſatile ingenium ſic pariter ad omnia ſupereſt, ut natum ad id unum dicas: de quo verius quam de Pompejo ſeditioſiſſimo & Syllaturo cive id Ciceronianum elogium adſtruemus: neminem unquam tam impudentem fuiſſe qui a diis immortalibus tot ac tantas res tacitus auderet optare: quot & quantas dii immortales, & deorum rex adminiſter ad R. Georgium contulerunt. Nec tempora ſua parce viventes laudare ſolita hunc meritis laudibus ornare deſiſtunt. Meminimus R. S. Sixti Cardinalem Achillem Craſſum Bononienſem virum ſupra viros omnes: quem honoris & amoris gratia nominavimus: liberalitatem, dexteritatem, ingeniique ſui dotes non ſine admiratione recenſentem: Sigiſmundumque Comitem Fulginatem diviniſſimi Julii Quercentis archigrammateum ſæculi noſtri decus, facundiſſimum oratorem, epicum melicumque poëtam, cothurnatum ſimul & tenerum, hiſtoricum florentiſſimum qui Maroniano Protheo ſimilis, novit: quæ ſunt: quæ fuerunt: quæ mox ventura trahuntur: in hoc uno celebrando genitivum laconiſmon exuere: ſuccinente Jaccho Orodryino apoſtolicorum ſecretorum moderatore, græce latineque cultiſſimo: eum liberaliſſimum, pientiſſimum, virtutum omnium numero beatiſſimum prædicare. Cui non eblandita ſed enucleata laude ſemper tanquam optimo Soteri ſuo Pæana canens populus omnis Pannonius aſſurget: hunc ſemper omnes gentes loquentur: nulla unquam obmuteſcet vetuſtas. Et cum Euripide auctore: εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ. unus videlicet homo omnia non videat: concilium cogit: ubi Theo-

b do-

dorici regis exemplo multa audit: pauca reſpondet. Cujus animum deum merum in hoſpitio corporis divertentem cum rex ipſe apprime dignoſcat: mutum concilium: elinguem curiam vocat: ubi Pannonius Cato non interfuit: quem ſi forte Philocæni & Apſicori limo intuentur: hos tanquam Juppiter Homericus: qui deos deſciſcentes nihilifacit: neque ut retineat curæ eſt: meliorem mentem adprecatus: etiam fovet & ſublevat. nam auctore eodem poëta Smyrnæo. ἀκεστάιτοι φρένες ἐσθλῶν: ſenſus bonorum ſunt placabiles. Novit id Poſidippi poëtæ ſcitu digniſſimum: καιρὸς πανδαμάτωρ: unde cum libere loquentes audiat: quod regium putat Homerus: tanquam ſi Gygis anulum habeat, Plutonis galeam, aut divinam virgulam, regi ac ſibi feliciſſime cuncta ſuccedunt: nec ut multi ventri & ſaginæ nati ſub leonis exuviis turpem, ut inquit Lucianus, ſimiam tegit: ſed plura habet in receſſu quam polliceatur in fronte: & diis hominibuſque plaudentibus ſemper bonos extollere non ceſſat: in plures quam ὁμολοττῶν βοῦς partes, curas, & officia diſtractus: quibus ingenita dexteritate affatim ſufficit. ſiquidem auctore Periandro μελέτη πάντα δύναται: omnia cura poteſt: & Aeſchlo teſte φιλεῖν δὲ τῷ κάμοντι σπεύδειν θεὸς: dei facientes adjuvant. Sed quid ego Peliam lavare contendo: & Caſſioticum nodum ſolvere? Non ſi mihi oris neptunii ſpiritum vocaliſſimum natura largiretur: ſatis eſſem ad tantæ præconia laudis. Quod cum noverim facio quod præcones apud Euripidem in Oreſte: qui ſe feliciorum partibus, ut poſſunt, accommodant. Et ſi deficiant vires: audacia certe laus erit: in magnis & voluiſſe ſat eſt. Deberem ſilere potius Græcæ ſententiæ memor. τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος, ἐπὶ τῆς γλώττης ἐςὶ τοῦ μεθύοντος. Silentium tamen a me mihi impetrare non poſſum cum tot ac tanta beneficia ab eodem in me collata recogito: munera regia: qualia nec Octavia Virgilio: nec Oppiano Pius Antoninus. Nam cum omnibus virtutibus me effertum eſſe cupiam: tum nihil eſt quod malim quam me & gratum eſſe & videri. Hæc eſt, ut M. T. eloquentiæ deus atteſtatur, una virtus non ſolum maxima: ſed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quare quum reculas, viriculaſque meas emetior atque recenſeo, non eſſe ſolvendo video. Aurum nec dare poſſumus: quo te ſacer Antiſtes tuaſque fodinas divite cornu fortuna beatior inauravit. Honores, quibus non tam uti voluiſti quam dignus videri, ad ſatietatem habes. Igitur Hermodori mittam munera, hoc eſt ſermones: quæ nos muſarum ſacerdotes habemus: quibus eſt tantum chartea ſupellex: ſermones inquam mittam nec qualeſcunque: ſed Lucretianos omnibus litos ingenii luminibus: nec non artis plurimæ: & tibi præcipue: ut tandem pietati ſub umbra tam ſacroſancti præſidis initientur: apud quem, ſi quis infuerit hæreticæ pravitatis aſphaltus, influentis Jordanis ſuavitate dulceſcet. Mittam inquam Lucretium non jejunum ut antea & exanguem: ſed ſolito curatiorem. Attamen minus gravem. Noſti illud adagium ex trivio: ventrem videlicet plenum eſſe leviorem. In quo ſubigendo quantum laboris exhauſerim non fere tibi explicem, ut non terdecies reſpirem. Deo teſte non mentior in nullo me opere fuiſſe operoſiorem. Nec ignoro multos

emerſu-

emerſuros, qui ut aliquid novi reperiſſe videantur: nova & aliquando ſubventanea pariant: & mera ægroti veteris ſomnia nitantur afferre: quando auctore libro vigeſimo Iliados Homero ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω: hoc eſt inventa etiam ſtulti inveniant. Totus Lucretius nodoſus, mendoſus, impervius & uti græco inolevit adagio totus fuit echinus aſper. Multi qui ante nos Lucretium attentarunt fulgur ex pelui minitantes, echinatam demum doctrinam averſati, canes nilotici facti ſunt: & deſperatione ſuborta rhipſaſpides. Non deſunt quidam ſcioli: quibus etiam alabaſtra unguenti plena putent: qui buccis tumentibus, librato veſtigio, labiis demorſis, oculo ſuſpenſo, cuncta cavillantur & inceſſunt: ſubduntque fœtores ſuos & affannias: quibus ut harpyiæ cuncta fœdant. Horum perdelira, commentitiaque commenta ſino præterfluere: nec ideo me ac mea pilo minus amo: quando ut Theognis ait: neque pluvius Jupiter omnibus placet. Juvat enim: ut teſtatur Euripides: aliquando non nimis ſapere. Verum quatenus ii profecerint ex eventu ſciemus: &: ut inquit ille: cocta numerabimus exta. Serius tamen quam ſperaram: & ſtudioſorum preces efflagitabant, evolarunt ad te noſtri in Lucretium Commentarii: operis difficultate votum tardante. Eſt etiam feſtinatio improvida & cæca: tardi ſapientes ut inquit Euripides. Lucianum probavi dicentem. ἡ βραδύπους βουλὴ μέγ᾽ ἀμείνων. ἡ δὲ ταχεῖα αἰὲν ἐφελκομένην τὴν μετάνοιαν ἔχει: conſilia videlicet tardiora eſſe meliora: celeritatem ſubſequi pœnitentiam. Quæ omnia vir ampliſſime æqui bonique facias: & pro Pio, qui jam pridem in clientelam tuam nomen ſtaturum dedit, fœtus Pii novitios amplectere: & quum ab adminiſtranda tanti imperii mole ad hæc leniora ſtudia curis obrutam mentem convertes: Lucretium jam vindice Pio formæ ſuæ reſtitutum pellege: & per epiſtolium priori ſimile ſcite ac literate perſcripto: in quo ῥέδα μ᾽ ἔρηκας: an, quod dî omen obruant, labores mei diſpliceant: aut potius digitum levandum cenſeas: innue. Vale æthernum felix clientis tui memor.

Omnia orthodoxæ fidei ſubjicio.

R. Epiſcopo Quinqueccleſienſi Pius.

Mitratos inter proceres venerande Georgi
Mens: oculi: Os: aures principis Aemathii:
Romuleis animum vigilem nunc dede libellis.
Hoc Pius: hoc vates: hoc rogat uſque cliens.
Scipiadas imitare precor: Sullamque: Titumque:
Et quibus in cælum verſibus ire libet.
Et famæ vates præco. Tibi noſtra Camœna
Serviet, in laudes ſemper itura tuas.

 Tu

Tu modo pauperiem remove: tenuique poëtæ
Ocia Cæſareo tuta favore dato.
Sic meritum redimi triplici diadematis auro
Cingat adoratum coccina mitra caput.
Sic concors faveat tibi celſus olympus Julo:
Juppiter & faciat ſic rata vota Jovis.

In calce Commentariorum ſuorum hæc idem Pius annotaverat.

EIDEM. R. EP. SALUTEM PIUS IDEM.

HAEC ſunt Antiſtes & Archiflamen eminentiſſime: quæ ſtudioſorum impenſiſſimis precibus: intentiſſima cura: nec ſine animi ſumma trepidatione non dico edidimus: ſed edebamus. Quæ ſoli legant eruditi velim: vel qui ſtudent eruditioni, quia authore Terentiano pro captu lectoris habent ſua fata libelli. Nec enim hoc pabulum adoleſcentulorum eſt aut amatorum: qui curata cuticula grunientem turmatim ſectantur parem Sardanapalo Smyndiridem. Et ut proverbium e re nota convertam: hic nemo interſit niſi frugi. Cui Venus: Comeſſatio: chorea: cantus Jonici ſunt cordi: hic ſi Lucretium ſumit: pondus tantum ſumit: æthiopemque abſtergere nititur. Si ſtoicus forte detur aurem mordaci lotus aceto: hic eſt quem quærimus. Hæc ſane noſtra doctiſſimum omnium Perſium legere volo: Lælium Decimum nolo. Præfabor quod Ariſtoteles in elenchorum calce. Reliquum erit omnium veſtrum: vel eorum qui legerunt hoc opus: omiſſis indulgere: inventis autem multas habere gratias. Vale fauſtiter: terque & amplius Vir divine feliciter: & Pii lucubrationibus nomini ac numini tuo dicatis applaude.

JO. BAPT. PII PRÆFATIO HOC TITULO CONCEPTA.

In Carum Lucretium de Rerum Natura interpretatio, auctore Joanne Baptiſta Pio Bononienſi: ubi vita auctoris inſeritur.

HIERONYMUS libro contra Rufinum primo ſcribit ſe vidiſſe commentarios in Lucretium & Plautum. Nemo me igitur temeritatis arguat: qui &

& Plautum jampridem ſum interpretatus: & nunc cum Lucretio auctorum difficillimo congredior: utpote qui ſine circumfuſis commentariis vix percipi: immo nullatenus ab ingeniis mediocribus conceſſum eſt. Sed ut opera magis quam verbo interpretem agam, ad rem noſtram favente numinum genio divertamus ſemper aliquid edentes: quo nos vivere teſtemur. Nam ut tradit Philiſcus in conſolatoria ad Ciceronem, Componere: totum exercitium ſapientis eſt: omnique viro & omni reipublicæ aptiſſimum. Cumque auctore Hermogene maxime expoſitoris ſit elaborare in tribus: In ſenſu: in dictione: & conſtructione: dabo operam ut hæc plana ſint & aperta auditoribus: nihilque horum penitus ignorent aut dubium habeant.

In exponendis auctoribus hæc conſideranda ſunt. Poetæ vita. Titulus operis. Qualitas carminis: ſcribentis intentio: numerus librorum: explanatio. Sed ut quod primum inſtat agamus: hæc ex diverſis auctoribus in unum veluti corpus redegi de Cari Lucreti vita. Lucretium, ut nomen Romam redolens omittamus, cum linguæ proprietate Romanæ: tum quod Romana bella deplorans libro primo ſic canit,

Nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo
Poſſumus æquo animo:

conjicio Romanum fuiſſe: quem non intactum Euſebius Pamphilus omiſit: cujus verba ſubtexui. *Olympiade centeſima ſeptuageſima prima Titus Lucretius poëta naſcitur: qui poſtea amatorio poculo in furorem verſus, cum aliquot libros per intervalla inſaniæ conſcripſiſſet: quos poſtea emendavit Cicero: propria ſe manu confodit, anno ætatis quadrageſimo tertio: quod evenit Gn. Pompejo Magno. M. Licinio Craſſo conſulibus.* Hoc teſtimonia vatum quamplurima comprobare videntur furorem Lucretianum laudantium: licet dicantur a græcis ὡς γὰρ μαινομένοι ὁι ποιηταὶ: quodam modo videlicet poëtas inſanientibus evadere ſimiles. Reperio apud Donatum, Virgilianum interpretem, Maronem decimum ſeptimum ætatis annum agentem ſumpſiſſe virilem togam: quo die Lucretius deceſſit. Multi ut bene meritum de latinitate Lucretium laudibus ornaverunt. inter quos Ovidius.

Carmina divini tunc ſunt moritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit una dies.

Idem ſecundo Triſtium.

Explicat ut cauſas rapidi Lucretius ignis:
Caſurumque triplex vaticinatur opus.

Quintilianus Macrum & Lucretium legendos putat: *ſed non ut Phraſin id eſt corpus eloquentiæ faciant: elegantes in ſua quiſque materia: ſed alter humilis. alter difficilis.* Quod vitium, ſi modo vitium vocari poteſt, non poëtæ recte poteſt aſcribi: ſed hypotheſi hoc eſt materiæ: quamvis facilis eſſet ex Platonis ſophiſta reſponſio. Vulgarium animarum oculi divinitatis radios ſuſtinere non poſſunt. Cum Tacitus inquit, *Vobis itaque verſantur ante oculos qui Lucilium pro Horatio: & Lucretium pro Virgilio legunt:* Phraſin conſideravit non Hypotheſin.

Quod ſi ſubinde vocibus aſperis & parum dulcedini modulorum idoneis utitur: id aſcribatur velim cum penuriæ linguæ, tum carminis difficultati: in quo demiror hæc tam ſcite: tam modulate: tam concinne inſeruiſſe Lucretium: quæ vix ſine ſcoria pedeſtri orationi poſſunt includi. Qua neceſſitate & anguſtiis arctatus Ariſtoteles verba innovat: pro re ſua Cicero confingit: etiam poſt Ciceronem Hieronymus: Lactantius: & Auguſtinus quoque. Danda Lucretio ea venia: quam ſibi libro ſecundo Manlius deprecatur ita canens.

Ornari res ipſa negat: contenta doceri.
Et ſi qua externa referuntur nomina lingua
Hoc operis non vatis erit: non omnia flecti
Poſſunt: & propria melius ſub voce notantur.

Fuſius alibi de Lucretio tradit hæc Fabius. *Nec philoſophiæ ignara poteſt eſſe grammatice: cum propter plurimos in omnibus carminibus locos ex intima quæſtionum naturalium ſubtilitate repetitos: tum vel propter Empedoclem in græcis: Varronem ac Lucretium in latinis: qui præcepta ſapientiæ verſibus tradiderunt.* Videtur Papinius potionatum & amatorio delirantem Lucretium ſignificare cum ſic inquit in ſylvis.

Et docti furor arduus Lucreti:

cui rei, ut ſentio, Lactantius alluſit iis in libro de ira dei poſitis. *Quis hunc putet habuiſſe cerebrum cum hæc diceret.* Quanti in ſolida philoſophia fiat ab omnibus hæc Pollionis verba docent ex architectonicæ lib. IX. *Item plures poſt noſtram memoriam naſcentes cum Lucretio videbuntur velut coram de rerum natura diſputare.* Conſtat amatorio verſum in furorem ab uxore: ſed quo nomine diceretur illa plurimum ambigitur. Sunt qui Luciliam velint iis Hieronymi verbis adducti: quæ poſita ſunt in diſſuaſoria ad Rufinum. *Livia virum ſuum interfecit: quem nimis odit: Lucilia ſuum, quem nimis amavit. Illa ſponte miſcuit aconitum: Lucilia decepta furorem propinavit pro amoris poculo.* Lucreti emuncta poëmata M. Tullius in epiſtolis ad Atticum *lita* putat *multis luminibus ingenii: multæ tamen artis.* Poſt Lucilium *Naſi primum conditorem* Sidonius Lucretium nominavit. Unus Lactantius *inaniſſimum poëtam* vocat: quia Epicurum ut Murem Leonis laudibus ornavit. Titulus operis hujus poëtæ eſt *de natura rerum:* quo titulo ante Lucreti libros ſcripſit Egnatius auctore Macrobio libro ſexto. Luculenter in hoc poëmate naturalia deſcribit heroico verſu Empedoclem imitatus: ut nullus melius: immo nemo fere latinorum ante Lucretium hunc dicendi characterem tentavit. In hoc opere intendit mentem nebulis inſcitiæ circumfuſam liberare: & ad illam felicitatem inducere: quam Maro pollicetur ita canens.

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas:
Atque metus omneis, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus: ſtrepitumque Acherontis avari.

Nititur pro viribus religionum hoc eſt ſuperſtitionum nodis animos exolvere: ut nihil timeant: cupiant nihil, quod ſit citra decorum. Intentio ſane vatis eſt

com-

communis utilitas: quod & ipſe demonſtrat ita referens.

Talibus in rebus communi deeſſe ſaluti.

Librorum numerus ſenarius putatur ab omnibus: nec plura quam volumina ſex naturalia comperio a Marcello, Lactantio, Macrobioque citari. Unus vir doctiſſimus undecunque Varro dubio procul oſtendit plures edidiſſe libros. Sed qui fortaſſis inchoati non perfecti rejecti ſunt a cenſore ſollertiſſimo Marco Tullio. Varronis verba ſubſcripſi. Lucretius ſuorum *unius & viginti librorum initium fecit hoc.*

Ætheris & terræ genitabile quærere tempus.

Priſcianus quidem libro ſexto Lucretium teſtem adducit in ſeptimo. At vero ſex iſti: qui a naufragio conſumatiſſimi poëtæ ſuperfuerunt, ita ſtrumoſi, laceri, concerpti, mutili circunferebantur: ut quemadmodum proverbium frequens eſt de Samnio: in Lucretio Lucretius quæreretur. Contulimus non ſine ærumnis vigiliiſque diutinis codicem Veneti Hermolai: & Pomponi Romani: codicemque non omnino malum, qui ſervatur Mantuæ in bibliotheca quadam ſuburbana: qui fuit viri non indocti gentis clariſſimæ Strotiorum. Non defuit Philippi Beroaldi præceptoris quondam mei, nunc collegæ, impreſſus quidem, ſed tamen perpenſe examinatus. Codri quoque grammatici Bononienſis: cujus copia mihi per Bartholomeum Blanchinum virum eloquii excultiſſimi facta eſt: Marullique poëtæ induſtria mira caſtigatum non defuit exemplar, Severo Monacho Placentino græce latineque perdocto muſarum athleta non gravatim offerente: ex quibus ſicuti Zeuſis, ex quatuor diverſis corporibus unam, & ut arbitror, integerrimam formam Lucretio præſtitimus: qui ſine ſapientiæ primario poëta ſapientes prorſus evadere nequiviſſent. Et quoniam auctore Magno Alberto libro de animalibus vigeſimo ſecundo ſapientibus & inſipientibus nos cognoſcimus debitores: ſtilo perſpicuo utemur & illaborato: quippe verum eſt id Thucydidis in ſecundo, loquente Pericle. *Qui novit neque id quod ſentit explicat perinde eſt ac ſi neſciret.*

JOD. BADII ASCENSII PRÆFATIO, ANN. 1514.

Jodocus Badius Aſcenſius Franciſco Deloino Regio Conſiliario prudentiſſimo: & omnis literaturæ peritiſſimo S. D.

Quandoquidem priſcas recolis Franciſce Camœnas:
Moribus & priſcis integer invigilas:
Naturæque ſagax calles arcana: Beraldum
Hæc tibi ſacrantem dogmata: laudo meum.

Is

Is ſiquidem totus cum ſit formatus ad unguem:
Cognovit ſtomacho fercula grata tuo.
Novit Lucreti te dia poëmata amare:
Quæ vetera: & priſcis condita carminibus.
Novit ab erratis te illius rite cavere:
Et fidei ac ſophiæ ſenſa tenere bonæ.
Novit ab iis ſuaveis te carpere fontibus hauſtus:
Unde Maro plenis proluit ora labris.
Novit ad hoc Badium jampridem quærere: quicquam
Quod dignum auſpicio cenſeat eſſet tuo.
Quando igitur novit bonus ille hæc cuncta: Beraldum,
Hæc tibi ſacrantem dogmata: laudo meum.

NICOLAI BERALDI PRÆFATIO,

Eidem Aſcenſianæ Edit. præfixa.

Nicolaus Beraldus Illuſtriſſimo Viro Franciſco Deloino Regio conſiliario felicitatem.

Scripſere primum latino carmine res phyſicas illuſtres poëtæ duo Empedoclis exemplum ſecuti Varro Attacinus Narbonenſis Gallus, & Carus Lucretius Romanus. Quorum alter Pythagoreum dogma ſecutus dicitur, ſicut hic noſter Epicureum: quod & Hieronymus in Ruffinum teſtatur, & Lactantius in eo libro cui titulus eſt de opificio dei apertiſſime confirmat. Egregius uterque, quodque multo mirabilius, in tam difficilis materiæ genere elegans ac purus. Verum de Varrone alieni operis interprete non ſpernendo quidem, ut Fabius ait, ſed ad augendam dicendi facultatem parum idoneo parce dicendum hoc loco, ut cujus ſcripta ætas adhuc noſtra deſideret. Lucretii vero libri ſex numero ex antiqua illa ac publica literarum clade reliqua, ac velute e naufragio ejecti, obſcuri primum, mutili, luxati & a doctis parum antehac intellecti, Merulæ primum (ut audio) dein Beroaldi diligentia locis emendati compluribus, mox a Baptiſta Pio vetuſtatis diligentiſſimo ac plane antiquario interprete, reſtituti nobis ac illuſtrati, proxime in lucem exeuntes, incredibili ſtudioſorum favore ac plauſu ſunt excepti, non modo quod rerum cauſas in iis eleganter Lucretius ipſe explicaverit, quamquam id maximum, ſed quod enarrator hic novitio commentario longe mutatus ab illo qui quondam fuerit, ubique pene & perſpicuus incedat, inaffectatuſque ac luculentus poëtam ipſe ſuum ita excutiat, ut nihil fere ſit ultra quærendum. Qua re factum ut qui antehac ab ejus ſcriptis

ceu

ceu moroſis nimium &c, ut eorum ipſorum verbo utar, putidulis; non aliter quam ab infami aliqua ac peſtilente domo abhorruerant novam hanc in Lucretium interpretationem, Lucretiumque ipſum avide nunc legant & amplectantur, ingenue fatentes Pio præter variam reconditamque doctrinam nec ſtili candorem facultatemque deeſſe. Lucretium porro ipſum, quamquam de Atomis, inani, nihiloque quædam cum Epicuro ſuo ſomniaverit, non modo propter doctæ vetuſtatis quæ in eo viſuntur veſtigia diligentiſſime legendum puto, ſed propter jucundiſſimam rerum cognitionem dignam homine libero, atque adeo meliorem hominis partem perficientem & ad activas, moraleſque virtutes ſenſim perducentem. Alioqui ἀφιλόκαλον, ut Plinii Cecilii verbis utar, illiteratum ac pene iners eſt, non putare tanti naturæ peritiam, quam plærique ſusceptis difficillimis laborioſiſſimiſque peregrinationibus quæſiere. Quum itaque nuper Lutetiæ primum Aſcenſianis Typis excuſus eſſet Lucretius, jamjamque ex impreſſoria officina prodire in lucem geſtiret, unus tu adeo nobis viſus es primus hoc munere dignus doctiſſime ſapientiſſimeque Deloine. Etenim quum gravioribus ac ſanctioribus legum ſtudiis jam olim amœniora hæc copulanda tibi in animum induxeris, poſt quæ ſenatorii iſtius muneris adminiſtrationem ad poëtica oratoriaque illectamenta deſcendere gaudeas, & in nullo non authorum genere verſari, non mediocri te (ſcio) voluptate Lucretiana lectio adficiet, propter florulenti carminis inexplicabilem quandam jucunditatem, inimitabilemque vetuſti illius ſæculi, quo primum latina poëſis nata eſt, ſuavitatem amœnitatemque, ac plane delitias quaſdam adorandæ vetuſtatis, quibus mire noſter hic blanditur arridetque Lucretius. Quod ſi tibi verba quædam occurrent duriora, ut occurrent, hypotheſin hic conſiderandam putamus non phraſin. Macrum enim & Lucretium Quintilianus legendos quidem putat, ſed non propter ornamenta ac virtutes orationis, neque ut phraſin id eſt eloquentiæ corpus faciant. Alioqui nihil tam aſperum eſſe apud Lucretium exiſtimo, quod uſu non queat molliri. Et profecto alienis plus æquo favemus erga noſmet ipſos parum æqui, Latineque linguæ limites nimium proferre timemus, & in uſum lucemque vetuſta ac deſita revocare. Sed tu hæc melius. Accipe idcirco munus hoc noſtrum eo vultu, quo me cotidianum pene convivam excipis, & quoties Lucretium in manus ſumpſeris, toties Nicolai tui fac apud te memoria reviviſcat. Vale. Lutetiæ idibus Auguſtis.

PRÆ-

PRÆFATIO EDITIONIS JUNTINÆ, AN. 1512.

Petrus Candidus Thomæ Sotherino

S. P. D.

AGrigentinum Empedoclem Pythagoreorum omnium longe clariſſimum, qui poſteaquam pleraſque Græciæ urbes cum coronis delphicis, aureiſque amyclis inviſiſſet, in Aetnæ ſe crateras, quo famam divinitatis, corpore nullis arbitris è medio ſublato, indipiſceretur, nocte intempeſta præcipitem dedit, luculentiſſimum de rerum natura poſteris ſuis Græcis poëma reliquiſſe memoriæ proditum eſt. Hunc in Latio ſæculis haud ita multis poſt æmulatus T. Lucretius Carus Epicuri dogma litis multa luce carminibus complexus eſt. Quem nitidiſſimum poëtam, cum eorum vitio, Thoma Sotherine clariſſime, Philoſophiæ penitus ignari, aut literarum humanarum expertes in ejus lectionem incidiſſent, quæque minus perceperant, pro ſuo quiſque captu invertiſſent, tot vomicis, tot perſcatere ulceribus, tot fœdis (ſic dixerim) confici monſtris deprehendiſſem, quippe qui concerptus undecunque, miſeriſque lacer modis per tam diverſa inter ſe, parumque ſibi conſtantia exemplaria circumferretur, operæprecium facturum me exiſtimavi, ſummis, iiſdemque doctiſſimis adhortantibus viris, impendioque id à me efflagitantibus, ſi vetuſtis, quæ in noſtra urbe optimarum artium, ac diſciplinarum jam inde à jactis fundamentis altrice nacti ſumus, collatis exemplaribus, præſtantiſſimorum ætatis noſtræ vatum Pontani, Marullique obelis temere inducta expungendo adhibitis, tam putida in eleganti poëta manantia ulcera non ſplenio, quod factum antehac eſt à pleriſque, contegerem, quin ad vivum uſque penitus, radicituſque exantlarem, monſtraque illiuſcemodi, quæ Carum tamdiu, tamque miſerabiliter collaceraverant, profligarem. Cum præſertim ingenui, optimique cujuſque ſit, per quos in aſſequendis diſciplinis, aliquove nitore profeceris, nulla non eos induſtria, quatenus liceat, ab injuria vindicare. Marullus ſanè amicus olim noſter jucundiſſimus, cujus in hoc opere cenſuram potiſſimum ſecuti ſumus, Lucretianæ adeo veneris per omnem ætatem ſtudioſus fuit, ut nuſpiam ferè non eo comite itaret, nunquam cubitum (quod de Archeſilao, Homerique rhapſodia traditur) niſi perlectis aliquot, exploratiſque Cari carminibus ſeſe reciperet. Quin etiam ex miſeranda illa in mediis Cecinæ undis Latinarum Muſarum jactura, cladeque inſigni, unus eſt Lucretius receptus. Sed enim quo perenni aliquo monumento tam clari, rarique amici memoriam proſequamur, emittetur à nobis hiſce iiſdem typis excuſum, præter epigrammaton, hymnorumque naturalium, qui paſſim habentur in manibus, libellos, primum ex quatuor (tot enim parturiebat) ejuſdem heroico car-

carmine de Principe volumen, Neniæque ad hæc, atque Epigrammata nondum vulgata quædam. In Lucretii autem poëmate, quantum ad ipſam ſcribendi formulam attinet, ſervandum vel inprimis nobile illud Phavorini eulogium, ſicuti veterum moribus vivendum, ita præſentium verbis loquendum, ſemper cenſuimus. Nam quo demum pacto legat quis in tam culto, tam nitido, tam undecunque caſtigato poëta, *frundes*, *acherunta*, *volgique* ac *volnera*? tametſi neutiquam ivero inficias, eam ſic propemodum ſolitam enunciare ætatem. Verum pleraque tamen dein à junioribus tanquam ruſtico prolata more repudiata ſunt. Nam illa quidem, *Nullaſt. Haudquaquaſt.* & item illa, *Speculuſt*, *Animaiſt*, aliaque id genus adeo multa, quis non videat in ſcena perſonatos magis ſine ulla controverſia decere hiſtriones? Quocirca ſic ea adamuſſim reſtituta nobis paſſim ſunt in xx. Varronianis Accii Plauti comœdiis, quæ mox longe quidem limatiores, quam quæ nunc habentur in manibus, per hujuſcemodi enchiridia ex noſtra prodibunt officina in vulgum. Iſtæc autem purior in Caro ſcribendi ratio, aurem mordaci lotis aceto, Marulloque inprimis, cujus peracre in literis judicium, καὶ τὸ τῆς γνώμης ἀγχίνουν ipſe nunquam non ſumma cum admiratione ſuſpexi, jampridem contra vitilitigatorum omnium contentionem probata eſt. Quod ſi cui tamen ex vetuſtate ſervare iſta lubebit, & alia itidem ei, quæ vaſtam, oppidoque quam tenebroſam ſilvam efficiant, ſervanda erunt. fietque, ut genuinum continuo ſuum amittat nitorem lepidiſſimus omnium judicio poëta. Itaque paucis admodum, eiſdemque ex poſteriorum, ſummorumque uſu vatum receptis, cœtera iis citra omnem invidiam relinquemus, qui meram ſermonis (ita dixerim) fæcem, ipſi nimirum vieti, rancidique ambitioſius admirantur. Cecilianumque illud haud hercules inviti identidem uſurpabimus. Ego neque florem, neque floces volo, mihi vinum volo. Atqui duriusculus interdum nonnullis, & ſcaber videri in ſua phraſi Lucretius ſolet, quibus abunde mea quidem ſententia ſatis, ſuperque, præterquam quæ molliori ægre admodum ſtilo ætas inſecuta acquievit, ipſemet ſuas ſcite tutatus parteis reſpondet poëta, cum inquit.

Nec me animi fallit, Graiorum obſcura reperta
Difficile illuſtrare Latinis verſibus eſſe,
Multa novis verbis præſertim cum ſit agendum,
Propter egeſtatem linguæ, & rerum novitatem.

Quin & Manilius pereleganter ſic cecinit.

Ornari res ipſa negat contenta doceri.
Et ſiqua externa referuntur nomina lingua,
Hoc operis, non vatis erit. Non omnia flecti
Poſſunt, & propria melius ſub voce notantur.

Ea tamen eſt per omnem ſuam poëſim in eo ſcribendi genere Lucretii elegantia, is nitor, ea majeſtas, ut nihil non ab eo ad Ariſtophanis, ipſiuſque Cleantis lucernam elucubratum fuiſſe videatur. In cujus ſcilicet non apes ore, quod de Platone, non philomela, quod de Steſichoro proditum eſt, ſed meræ ipſæ Charites, & Muſæ ſeſſitaviſſe exiſtimandæ ſunt. De quo & item illud medius fidius doctiſſimorum omnium ſuffragiis haud minus vere, quam eſt de Euripide ab Ætolo illo dictum, pronunciari queat. Ἀλλ' ὅτι γράψαι, τοῦτ' ἂν μέλιτος, καὶ σειρήνων ἐτετεύχει. Neque illud nobis prætereundum ſanè eſt, quod ſcriptum in libris de lingua Latina à M. Varrone legitur. Unius ac viginti ſuorum librorum hujuſmodi uſum initio Lucretium. *Aetheris & terræ genitabile quærere tempus.* Sed nihilo profecto minus, & hujuſce per me rei monitam juventutem omnem velim. Neutiquam adeundem iis eſſe Lucretium, qui puræ, qui veræ philoſophiæ decretis imbui, qui altius denique ſe in rerum ipſius naturæ penum inſinuare aveant. Nam iſtos ego multo hercule libentius, citraque hæſitationem omnem ad Stagiritam Ariſtotelem, divinumque Platonem, duo utique totius ſapientiæ lumina, ubi altiſſimarum ſcilicet diſciplinarum frugem & purius, & huberius, & ſanctius demetant, rejicio. Huc vero ad Carum, quibus quo pacto Romane, qualibusve poëtices aut figuris, aut numeris, quæ philoſophiæ ſcita ſint, claudantur, diſcere eſt in votis, huc inquam e veſtigio recta his ſe conferant ſuadeo. Nam quem priſcorum ad eam rem Lucretio anteponamus, ſi verum fateri libeat, equidem non reperio. Noſtra autem hæc, qua in emaculando nobili poëta, tuis auſpiciis uſi Thoma ſplendidiſſime ſumus induſtria, ob idque incomparabili virtuti tuæ dicata, fiet jam per te omnibus bonarum artium ſectatoribus exploratior. Tibique non in poëtica ſolum, atque oratoria, in quibus tantopere excellis; ſed in reliquis quoque omnibus diſciplinis exculto, cujus ampliſſima optimo, doctiſſimoque cuique ſemper patuit domus, cujus ob hereditariam, eminentemque ſapientiam, Deique ipſius opt. max. munere ad ſumma evecti rerum faſtigia patrui, Italiæ hac tempeſtate veluti clariſſima duo ſidera illuxêre, nulli non humanarum literarum ſtudioſi perpetuo ſe debere fatebuntur. Mihi vero in quem egregia tua, Reverendiſſimique inprimis patrui tui extant merita, nihil prorſus evenire potuerit antiquius, quam ſi acri, magnoque utriuſque judicio hiſce in T. Lucretium caſtigationibus ſatis à nobis fuiſſe factum intellexero. Vale, καὶ εὐτύχει.

Dimetron Jambicum Catalecticum

Rubri ſinus elenchos,
Argenteaſque conchas,
Et myrrhinum toreuma,
Vel cimbium à Corintho,
Seu facta ſigna cœlo,
Coloribuſque vivas
Artis catæ figuras,
Donum tibi ferunto
Thoma; quibus ſereno
Fortuna riſit ore,

Qui

Qui purpura fluenti
Verrunt domos, & auro
Bibunt, eburque ſellis,
Et proterunt cubili.
Me pauperem peculi
Caſtæ vident Camenæ
Interſitum libellos,
Et barbito canentem,
Pura ſalini mica, &
Holuſculis inemptis
Vitam die parare.
At ne ſacros penates
Muſisque, Apollinique
Manu tuos inanis
Aſymbola frequentem,
Agenoris nigellæ
Neptes, nihil moratæ
Typos venuſtiore
Nota, minutuloſque,
Opes ſuas tulerunt,
Nuper quibus recudi
Caros tibi futuros
Cari libros Lucreti,
Frictuque mundioris
Limæ diu retondi.
Hos prenſiles pugillo
Tibi ferens ad oci
Curas honeſtioris,
Rerum phyſin parentem,
Futes & orbis ampli
Elementa continentes,
Brevi ſinu coactos
Miraberis tuendo.
Forſan nec infacetus
Rariſſimi clientis
Factum feres ad aſtra.
Qui cum nihil putarit
Donaſſe, vel puſillum,
Dono hoc ſuo puſillo
Nil cœteris reliquit.

DEDICATIONES DION. LAMBINI.

Dionyſius Lambinus

KAROLO NONO,

REGI Chriſtianiſſimo, S. D.

SI quod eſt in his paucis ſcriptorum veterum, tamquam ex naufragio reliquiis, litterarum genus, Karole, Rex Chriſtianiſſime, unde multæ, magnæque utilitates ad nos permanarint, poëmata ſunt. Poëtæ enim, qui iidem philoſophi fuerunt, primos illos homines rudeis, impolitos, feros erudierunt, expoliverunt, à feritate ad hunc humanum, & civilem victum, cultumque traduxerunt. Iidem & melius, quàm plerique minuti philoſophi, virtutis pulchritudinem deſcripſerunt, ejuſque amore nos inflammarunt, & gravius à vitiorum turpitudine nos abſterruerunt: iidem non, ut hiſtorici, ex veris rerum

geſtarum narrationibus, ſingulariumque perſonarum dictis, factis, eventis: ſed philoſophorum more, rebus veriſimilibus excogitatis, perſonis fictis, caſibus cuique perſonæ conſentaneis ad extremum ſubjunctis, nos & præceptis utiliſſimis inſtituerunt, & moribus optimis imbuerunt. Cùm autem poëtarum non ſit unum genus: alii enim ſunt epici, alii tragici, alii comici, alii lyrici ac melici, alii dithyrambici, alii jamborum, & elegorum, & epigrammatum ſcriptores, & ſi qui ſunt alii: omnium & vetuſtiſſimi, & laudatiſſimi ſunt epici. Philoſophi enim, & Theologi illi antiqui res tum divinas, tum humanas eas, quibus hominum vita exculta, & ad humanitatem conformata eſt, heroo potiſſimùm carminis genere perſecuti, poſteris tradiderunt: quo in numero ſunt apud Græcos Orpheus, Muſæus, Homerus, (nam ſuperiorum, non ſolùm ſcripta, verùm etiam nomina, temporis diuturnitas oblivione ſempiterna obruit, penituſque delevit) Heſiodus, Tyrtæus, Phocylides, Xenophanes, Pythagoras, Empedocles, Parmenides, aliique complures: apud Latinos Ennius, Furius, Lucretius, Varius, Virgilius. Epicos ſubſecuti ſunt tragici, qui clarorum virorum, publicarumque perſonarum actiones, atque eventus numeris & modis imitantur: quo in genere ſunt Æſchylus, Sophocles, Euripides, Pacuvius, Actius: comici, qui obſcurorum, & privatorum hominum vitam, facta, caſus exprimunt: quales ſunt Eupolis, Cratinus, Ariſtophanes, Menander, Epicharmus, Cæcilius, Plautus, Terentius: Dythirambici, qui in Bacchi numine prædicando, laudibuſque efferendo, atque in ejus rebus geſtis, ac victoriis canendis toti ferè ſunt occupati: quorum omnium primum Glaucum quendam fuiſſe ab Herodoto traditum eſt: jamborum ſcriptores, qui in eos, à quibus læſi ſunt, acerbius invehuntur: ut Archilochus, Hipponax, & interdum Catullus, & Horatius: elegorum opifices, quo in numero ſunt Callimachus, Mimnermus, Philetas Tibullus, Propertius, Ovidius: Horum igitur omnium cùm epici, meo quidem judicio, plurimùm proſint, longeque ceteris auctoritate antecellant: hi ſtudioſè nobis ſunt legendi. In epicis porrò non eos tantùm numerandos eſſe duco, qui res fortiter, & præclare geſtas, bellaque cecinerunt, ut Homerus, Apollonius, Ennius, Varius, Virgilius, Lucanus: aut qui de agricultura ſcripſerunt, ut Heſiodus: aut qui de piſcibus, & venatione, ut Oppianus: verùm etiam, multoque adeò magis eos, qui rerum cauſas occultas, atque à natura involutas longis verſibus explicarunt, ut Empedocles, & Lucretius: & qui de affectibus animi comprimendis, de virtutibus expetendis, de vitiis fugiendis heroïco carmine præcepta liquerunt, ut Pythagoras, ut Phocylides, ut Horatius. Nam cùm è rerum naturalium cognitione, morumque ac virtutum explicatione homines efficiantur neſcio quo modo majores, atque elatiores: & cùm ex utraque re animi magnitudo contra fortunæ impetus, rerumque humanarum imbecillitatem: fortitudo contra mortis timorem, temperantia contra ſuperſtitionem comparetur: poëtis autem hoc maximè propoſitum eſſe debeat, ut lectorem reddant meliorem: ſecundo loco, ut delectent: abſurdum ſit profectò eum, qui talia argumenta heroïco carmine pro rerum dignitate tractarit,

rit, iudignum poëtæ nomine judicari: bellorum, aut rerum ruſticarum, & ſimilium ſcriptorem ſolum in poëtarum numero, cœtuque collocari. Magnopere etiam ab iis diſſentio, (quamvis graves ſint auctores) qui Empedoclem, & ceteros hujus generis ſcriptores è poëtarum choro ſuſtulerunt, nihilque eos neque poëtæ proprium, neque cum Homero commune, præter numeros, habere pronuntiarunt. iis libentius aſſentior, qui illum & philoſophum præſtantem, & optimum poëtam fuiſſe cenſuerunt. Non enim poëſim imitatione ſola, ſed numeris, & figuris, & virtutibus poëticis metiendam puto: neque poëtam imitatorem quendam ſtatuo tantùm, ſed ingenio excellentem virum, & mente concitatum, & pæne dicam, divinum: verbis non ſemper utentem uſitatis, & popularibus, & de medio ſumtis: ſed interdum, & quidem ſæpius, novatis, priſcis, longè arceſſitis: res magnas, res admirabileis, res abſtruſas, ac reconditas in lucem proferentem. Denique ei, cui ſit ingenium, cui mens divinior, atque os Magna ſonaturum, do nominis hujus honorem, ut jubet Flaccus. Verùm, dicet aliquis, hoc in Homero maximè laudabile eſt, quòd non ſolum virtute præſtantium, fortiumque virorum actiones honeſtas, & cum virtute conjunctas, ſed etiam improborum, ignavorum, amantium, libidinoſorum, iratorum, invidentium, metuentium dicta, factaque optimè exprimit, atque ob oculos proponit: quod quando neque Empedocles, neque Lucretius facere curarunt, poëtarum nomen non merentur. Immò verò hoc ipſum eſt, quod in Homero reprehendunt cùm alii multi, tum philoſophorum princeps Plato: eumque hoc nomine, neque in civitatem bene moratam, boniſque legibus temperatam recipit: & ex ſua rep. non vi expellit ille quidem, aut ignominiosè exturbat, ſed certè verecundè deducit, atque honorificè dimittit. Quare non continuò ſi Empedocles, & Lucretius perſonarum ſic affectarum orationem, atque actionem non imitantur, poëtarum nomen eis adimere nos oportet. At Lucretius animorum immortalitatem oppugnat, deorum providentiam negat, religiones omneis tollit, ſummum bonum in voluptate ponit. Sed hæc Epicuri, quem ſequitur Lucretius, non Lucretii culpa eſt. Poëma quidem ipſum propter ſententias à religione noſtra alienas, nihilominus poëma eſt. tantumne? immò verò poëma venuſtum, poëma præclarum, poëma omnibus ingenii luminibus diſtinctum, inſignitum, atque illuſtratum. Haſce autem Epicuri ratione inſanas, ac furioſas, ut & illas abſurdas de atomorum concurſione fortuita, de mundis innumerabilibus, & ceteras. neque difficile nobis eſt refutare, neque verò neceſſe eſt: quippe cùm ab ipſa veritatis voce, vel tacentibus omnibus, facillimè refellantur. At debuit ingenii ſui vim ad modeſtiorem, probatioremque diſciplinam, atque ad gravius argumentum conferre. Debuit. quis negat? Sed dolere, & queri hoc licet: corrigere non licet. At Epicurus & Lucretius impii fuerunt. Quid tum poſtea? num iccirco nos quoque, qui eos legimus, impii ſumus? Primùm quàm multa ſunt in hoc poëmate cum aliorum philoſophorum ſententiis, ac decretis conſentanea? quàm multa probabilia? quàm multa denique præclara, ac propè divina? Hæc ſumamus,

mamus, hæc arripiamus, hæc approbemus. Illa, quæ ſunt commentitia, quæ abſurda, quæ cum religione Chriſtiana pugnantia, rejiciamus, aſpernemur, improbemus. Deinde adeone faciles, & creduli ſumus, ut, quæ ſunt à quibuſlibet ſcriptoribus memoriæ prodita, litteriſque mandata, ea vel tanquam ex Apollinis oraculo edita, vera eſſe judicemus, vel tanquam ab Archimede deſcripta pro certis habeamus? Quòd ſi multa quotidie fabuloſa, incredibilia, falſa denique legimus, vel ut animos relaxemus, vel ut in iis, quæ ſine controverſia vera ſunt, libentius acquieſcamus, conſtantiuſque maneamus: quid eſt, quòd Lucretium, elegantiſſimum, cultiſſimumque poëtam, aſpernemur? Atqui non ita fuerunt nec ineptè religioſi, nec ſuperbè faſtidioſi, veteres illi Chriſtiani, ſanctiſſimi viri, Juſtinus Martyr, Gregorius Nazianzenus, Baſilius Magnus, Joan. Chryſoſtomus, Clemens Alexandrinus, Athenagoras, Euſebius, Cyprianus, Tertullianus, Arnobius, Firmianus, Auguſtinus, Hieronymus, ut ſcriptorem, niſi Chriſtianum, & omni ex parte gravem, caſtum, ac verum, neminem lectione dignum judicarent. Quin & Empedoclem, & Democritum, & Epicurum, & Lucretium, & ceteros philoſophos ac poëtas (ut oratores & hiſtoricos taceam) tum Græcos, tum Latinos, quamvis profanos, quamvis mendaces, quamvis impios, ſtudiosè legebant. Neque id temerè, aut fruſtrà. Nam quemadmodum apes ex ſingulis floribus, quod eſt ad mel conficiendum utiliſſimum, atque aptiſſimum limare, ac depaſci conſueverunt: quod eſt inutile, non attingunt, aut certè non deguſtant: ita ſanctiſſimi illi, & Chriſtianiſſimi homines ex poëtis Græcis ac Latinis, ex ſcriptoribus profanis, atque à pietate Chriſtiana remotiſſimis, quæ ad religionem noſtram propagandam, atque ornandam valere exiſtimarent, ea diligenter & accuratè carpebant, ac ſeligebant: quæ repugnare ſentirent, ea aut præteribant, aut reſpuebant. Quo majore odio digni, graviuſque vituperandi ſunt perverſi quidam homines, qui non ita pridem, hac noſtra aetate, qua ætate omnes honeſtæ diſciplinæ, omnes bonæ litteræ, multa ſæcula oppreſſæ, ac ſepultæ, aliquando tandem & Dei opt. max. benignitate, & Regis Franciſci I. avi tui, litterarum parentis, conſilio, ſtudio, atque opera reſtitutæ, atque inſtauratæ, oculos ſuſtulerunt, è tenebris emerſerunt, florere denique cœperunt: ejus ipſius, à quo tantum beneficium accepimus, filio Errico II. patri tuo perſuadere conati ſunt, ut ex tota Gallia litteras omneis exterminaret, funditusſque deleret. Quod quemadmodum ab optimo principe non potuerunt obtinere, ita neque abs te, ejus filio, ingentis ſpei, & divinæ indolis adoleſcente, umquam obtinebunt. Namque ut clariſſimi quidam viri ſe tum paratiſſimos litterarum defenſores apud parentem tuum præbuerunt: ita & poſthac apud te, ſi opus erit, vel iidem illi earum patrocinium conſtantiſſimè ſuſcipient, vel alii illorum exemplum ſecuti, acerrimos ſe earundem patronos profitebuntur. Sed (ut eò, unde degreſſus ſum, revertar) ſi ſcriptores omneis, qui religioni Chriſtianæ adverſantur, rejiciendos, ac damnandos eſſe arbitramur: ne Plato quidem nobis erit attingendus: apud quem omnia ferè in utramque partem diſputantur: qui uxo-

uxores, & liberos vult eſſe communeis: hoc eſt, ſi verba ipſa ſpectemus, qui certorum, & ſtabilium matrimoniorum uſum tollit: cujus dialogorum bona pars flagitioſis puerorum amoribus referta eſt. Ne Ariſtoteles quidem lectione dignus erit: qui mundum, ut numquam ortum eſſe, ita numquam interiturum putat: qui denique de animorum immortalitate videtur & à magiſtro ſuo Platone, & à nobis valde diſſidere, plurimumque diſcrepare. Stoici, diligentiſſimi virtutis cuſtodes, acerrimique vitiorum, & voluptatis hoſtes, nobis erunt mortis inſtar fugiendi. Deum enim, rerum omnium opificem, ſecundarum cauſarum vinculis devinciunt: fati, & neceſſitatis legibus conſtringunt: omni denique agendi libertate à fato ſeparata ſpoliant. quod & à Dei natura eſt alieniſſimum, & à noſtra religione remotiſſimum. Verùm philoſophos omittamus. Homerus ipſe, qui propter excellentiam commune poëtarum nomen fecit ſuum, ſi in ſcriptore nihil, niſi ſincerum, caſtum, religioſum, pium probabimus, ſæpe nobis erit de manibus ponendus, atque abjiciendus. Quàm multa enim ſunt apud eum de Diis abſurda, eorumque majeſtate indigna? quàm multa foeda, obſcaena, flagitioſa, turpia? (quamquam magna quaedam, & recondita myſteria in hujuſmodi fabulis involuta deliteſcere non me fugit: quæ non eſt hujus loci aperire, aut explicare) ſed tamen cui ſunt illa inaudita? Jupiter ipſe, Deorum, atque hominum rex, ſexcentis adulteriis, ſtupriſque nobilitatus? Ganymedes ab eodem propter formam raptus? Mars à Vulcano in adulterio deprehenſus? Mercurius Marti complexum Veneris invidens, ſibique talem amoris ſucceſſum exoptans? Juno muliebri illo dolore ex Jovis incontinentia ſuſcepto excruciata? Venus in proelio à Diomede ſauciata? Thetis & Aurora Jovem pro filiis, ne in acie cadant, deprecantes? Jam Heroïbus, & fortiſſimis totius Græciæ, atque Aſiæ viris quam perſonam imponit? quos mores attribuit? quam orationem affingit? iurgant inter ſe, conviciantur, male dicunt, libidine inflammantur, ira incenduntur, ægritudine contabeſcunt, plorant, lamentantur. Achilles Apollini minatur: cum Xantho fluvio decertare paratus eſt: juvenibus Trojanis captivis crudeliſſimè interfectis Patroclo parentat. Eundem mortuum tantum vitæ deſiderium afficit: tantum mortis odium percipit, ut dicat, malle ſe ab inferis excitatum homini non admodum copioſo mercenariam operam præſtare, quàm mortuis omnibus imperare. noti quidem ſunt omnibus Homerici verſus, ſed eos tamen proferre nihil vetat.

Βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
Ανδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,
Η πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν·

Ulyſſes non viri fortis, non prudentis, non ſapientis, ſed verſuti, ſed malitioſi, ſed fallacis, ſed mendacis exemplar nobis ab illo proponitur. Idem apud Alcinoum ait nihil ſibi videri melius, nihil præſtabilius, nihil optabilius, quàm

Convivas lætos plenis accumbere menſis,
Cùm Cererem expediunt, & lauta obſonia comti

d Hinc

Hinc illinc pueri apponunt, & vina miniſtrant,
Et reboant citharis laqueata, aurataque tecta.

Vulgatiſſimi ſunt verſus, planè cum Ariſtippi, & Cyrenaicorum ſententia congruentes.

Οὐδέν ἔγωγέ τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι,
Ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα,
Δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ,
Ἥμενοι ἑξείης, παρὰ δὲ πλήθωσι τράπεζαι
Σίτου καὶ κρειῶν, μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
Οἰνοχόος φορέῃσι, καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσι.
Τοῦτό τί μοι ἥδιστον ἐνὶ φρεσὶν εἴδεται εἶναι.

Sed de Homero verecundius, parciuſque nobis erat dicendum. Veniamus ad tragicos, qui omnium manibus teruntur, qui aſſiduè leguntur, qui ediſcuntur. Primùm ipſa tragœdiarum argumenta, partim tota ſunt atrocia, & ſcelerata, & impia: partim flagitioſa, & inceſta: partim incredibilia, atque abſurda: exempli gratia: liberi à matribus trucidati: matres à liberis interfectæ: viri ab uxoribus, adjuvante adultero, de medio ſublati: indomitæ, atque effrenatæ mulierum libidines: filiorum cum matribus concubitus: novercæ privignorum amore flagrantes: fratres mutuis vulneribus animam unà cum ſanguine profundentes: patres per ſpeciem & cauſam religionis filias immolantes: fortiſſimi viri alii acceptæ injuriæ dolore ad inſaniam redacti: alii, ne ad bellum proficiſcantur, furorem ſimulantes: ſexcenta his ſimilia. Deinde ſententiæ talibus argumentis conſentaneæ:

Oderint dum metuant: &
Natis ſepulcrum ipſe eſt parens: &
Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas: &
Juravit lingua, mentem injuratam gero.

Τοῦ μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἄρνυσο,
Τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν δρῶντος ἔνθα κερδανεῖς: *id est*
Opinionem juſti hominis tibi para:
Sed quæſtuoſa quæ ſient, facito omnia. &
Τὸ κέρδος ἡδὺ κἂν ἀπὸ ψευδῶν ἔῃ: *id est*
Dulce eſt lucrum, partum licet ex mendacio. &
Πολλαῖσι μορφαῖς οἱ θεοὶ σοφισμάτων
Σφάλλουσιν ἡμᾶς, κρείττονες πεφυκότες: *id eſt*
Multis labefactant nos ſuperi artium modis:
Præſtantiores quippe longè viribus. &
Ὦ Ζεῦ, τί λέξω, πότερά σ' ἀνθρώπους ὁρᾶν;
Ἢ δόξαν ἄλλως τήνδε κεκτῆσθαι μάτην,
Δοκοῦντας ἄλλως δαιμόνων εἶναι γένος,
Τύχην δὲ πάντα τἀν βροτοῖς ἐπισκοπεῖν; *id eſt*

O Jupiter, téne aſpicere humanum genus
Dicam? an, deorum nulla cùm natura ſit,
Nos falſa opinione labi, & omnia
Mortalium negotia fortuna regi? &
Εὔφραινε σαυτόν· πῖνε, τὸν καθ' ἡμέραν βίον
Λογίζου σὸν, τὰ δ' ἄλλα τῆς τύχης. *id eſt*
Animum tuum oblecta: bibe: præſentem diem
Tuum eſſe: cetera omnia fortunæ puta.

Quid comici? nonne hi quoque, ſi ſummo cum eis jure agere, atque ad vivum omnia reſecare volemus, è bibliothecis omnibus exigendi? Nihil dicam de Ariſtophane. notum os veteris comœdiæ. nota verborum illius non libertas, aut licentia: ſed turpitudo, atque impudentia. Plautini item ſales nemini ſunt inauditi. mitto quàm ſint improbi, quàm ſcurriles, quàm obſcæni. Ne Terentius quidem, quem omnes eruditi comicorum omnium pudentiſſimum, & verecundiſſimum fatentur eſſe, omni ex parte ſermonibus prætextatis, atque impudicis vacat: quod genus,

Lepus tute es, & pulpamentum quæris. &
Ego iſtum eunuchum vel ſobrius.

Jam illud ab irato ſene impiè dictum,

Deos neſciò.

Ne multa. totum argumentum comicum ex ſenibus avaris, ſtultis, deliris: ex adoleſcentibus amatoribus, intemperantibus, ſcortatoribus, profuſis, ac perditis: ex virginibus aut vi, aut pretio corruptis: ex meretricibus procacibus ac rapacibus: ex ſervis fallacibus, ac furacibus: ex lenonibus impiis, ac perjuris: ex paraſitis edacibus: ex militibus glorioſis conſtat. Quòd ſi non poëtas modò, ſed oratores, & hiſtoricos, & ceteros ſcriptores omneis, ad religionis perpendiculum, normamque exigemus: permulta in eis abſurda, improba, turpia, nefaria, impia reperiemus. Ad Lucretium igitur noſtrum revertor, poëtam egregium, ac præſtantem, ſcriptoremque omnium Latinorum politiſſimum, vetuſtiſſimum, elegantiſſimum: ex quo Virgilius & Horatius non ſolùm dimidiatos, ſed integros ſæpe verſus mutuari ſolent. Hic ubi de rerum primordiis, ſeu corpuſculis individuis: de eorum motu, & figuris, de inani, de imaginibus, ſive ſimulacris, quæ è ſummo rerum corpore mittuntur: de animorum natura, de ortu, obituque ſiderum, de ſolis & lunæ defectu, de fulminis natura, de arcu cæleſti, de avernis, de cauſis morborum, & multis aliis rebus diſputat: ſubtilis, argutus, enucleatus, limatus eſt. in librorum prooemiis, in nonnullis ſimilitudinibus, in exemplis, in diſputationibus de morte contemnenda, de amore fugiendo, de ſomno, & inſomniis, gravis, copioſus, amplus, magnificus, elatus, ornatus eſt. Quem ſi quis caſus ad graviorem, & probabiliorem aliquam diſciplinam, puta Platonicam, aut Peripateticam, aut Stoicam detuliſſet: Dii immortales, quantum ex eo fructum, quantam utilitatem caperemus! quantam ſui admirationem hominibus excitaret! quanta ſui ſtu-

dia commoveret! Nam ſi tam infelici argumento ſibi propoſito, poëma tamen edidit tam præclarum, tam illuſtre, tam luculentum: quid eum cenſemus fuiſſe facturum, ſi vel rerum Platonicarum magnitudinem, ac majeſtatem, vel Ariſtotelis acumen, atque ubertatem, vel Zenonis gravitatem, ac ſeveritatem verſibus materiæ conſentaneis expreſſiſſet? quantum nomen, quantam laudem, quantam gloriam conſecutus eſſet? Quamobrem ſic agamus potius. id, quod adeſt, laudemus, eoque fruamur: eo, quod abeſt, æquo animo, patienterque careamus: hoc eſt, hujus poëmatis elegantiam, venuſtatem, pulchritudinem amemus, atque amplectamur: argumenti melioris ſortem in eo deſideremus. Quid enim? eos poëtas, ex quibus ſolam curarum noſtrarum oblivionem, ſolamque oblectationem quærimus, cupidiſſime legere ſolemus, poëtam non modò noſtros animos delectantem, verùm etiam obſcuriſſimas de rerum natura quæſtiones pulcherrimis verſibus explicantem, negligemus? Homerum, propterea quòd in quibuſdam fabularum partim turpium, partim abſurdarum involucris omnium rerum naturalium, atque humanarum cognitionem incluſam continere exiſtimatur, non ſolùm legimus, verùm etiam ediſcimus: Lucretium ſine fabularum, taliumque nugarum integumentis, de principiis & cauſis rerum, de mundo, de mundi partibus, de vita beata, de rebus cæleſtibus ac terrenis, non vere illum quidem, neque piè, ſed tamen ſimpliciter, & apertè, &, ut Epicureum, ingenioſè, & acutè, & eruditè, & puriſſimo ſermone loquentem non audiemus? Non enim, ſi multis locis à Platone diſſidet: non ſi multa cum religione noſtra pugnantia dicit, iccirco ea etiam, quæ cum illorum, & Chriſtianorum ſententia congruunt, ſpernere debemus. Quàm præclarè de coërcendis cupiditatibus; de ſedandis animorum motibus, de mentis tranquillitate comparanda diſputat? Quàm ſubtiliter, & argute eos, qui nihil percipi, nihilque ſciri poſſe affirmant: qui ſenſus omneis fallaceis eſſe dicunt, coarguit, ac refellit? quàm copioſè ſenſus defendit? quàm probabiliter, & pæne dicam, verè oſtendit, ſenſuum fide labefactata, atque everſa, actiones omneis humanas eodem motu conquaſſatas concidere & corruere? Quot, & quàm firmis argumentis demonſtrat, ſenſuum veritate ſublata, rationem quoque ipſam, atque adeò vitam, ac ſalutem funditùs interire? quàm pulchræ ſunt apud eum deſcriptiones? quàm venuſta (ut Græci appellant) epiſodia? quàm bellæ de coloribus, de ſpeculis, de magnete, de avernis diſputationes? quàm graves ad continenter, juſtè, moderatè, innocenter vivendum cohortationes? Quòd ſi quis plus æquo ſeverus totam hujus poëmatis ſententiam, ac materiam vituperabit, atque aſpernabitur, ſolo fortaſſis Epicuri, quem Lucretius exprimere conatus eſt, nomine offenſus: quid de ejus ſermone ſtatuemus? quo quid purius, quid incorruptius, quid nitidius, quid elegantius dici, aut excogitari poteſt? Equidem hoc tibi, Karole, non dubitanter affirmabo, nullum in tota lingua Latina ſcriptorem Lucretio Latinè melius eſſe locutum: non M. Tullii, non C. Cæſaris orationem eſſe puriorem. Itaque, ſi ita commodum eſt, totam ſanè Lucretii, hoc eſt Leucippi, Democriti, Empedoclis, Ariſtippi, Epicuri,

ri, quos ſecutus eſt Lucretius, philoſophiam improbemus: at incredibilem verborum nitorem: at ſingularem ſermonis elegantiam: at incorruptam Latinè loquendi facilitatem admiremur, amplectamur, æmulemur. Atque utinam, Karole, utrumque ſimul, & pietatem, & linguæ Græcæ, ac Latinæ cognitionem ex unis atque eiſdem auctoribus comparare poſſemus, eſſet præclarum ſacris libris eſſe contentos, profanos non deſiderare. Nunc autem, cùm litteras quidem Græcas ex Homero, & ceteris epicis: ex Sophocle, & ceteris tragicis: ex Ariſtophane, qui ſolus ex tot comicis ad nos pervênit incolumis: ex Platone, & Xenophonte, & Ariſtotele, & Plutarcho: ex Herodoto, & Thucydide, & Dionyſio Halicarnaſſeo: ex Lyſia, & Demoſthene, & Æſchine, & aliis rhetoribus; Latinas autem ex Plauto, Terentio, Lucretio, Varrone, Cæſare, M. Tullio, Catullo, Virgilio, Horatio, Tibullo, Propertio, Plinio, & ſimilibus, qui vel falſam religionem, vel meram impietatem quibuſdam locis ſpirant, ac redolent, diſcere neceſſe habeamus: quid vetat, quo minus hos ſcriptores ita tractemus, itaque legamus, ut eorum ſermonis quidem divitias, lepores, ornamenta ab ipſis compilemus: talibuſque furtis ac ſpoliis, antiquorum illorum Chriſtianorum exemplo, eccleſiam Dei opt. max. locupletemus, amplificemus, exornemus: religionem autem noſtram, quam ex litteris ſacris, tamquam ex liquidiſſimo, & ſinceriſſimo fonte hauſimus, incorruptam, inviolatam, atque integram conſervemus? Nam neque olim cùm me litteris Latinis docendis præfeciſti, eo conſilio Lucretium meis auditoribus explicandum ſuſcepi, ut philoſophiam Epicuream, jam exploſam, atque damnatam, revocarem, ac reſtituerem: neque nunc, poſtquàm eundem mè linguam Græcam docere juſſiſti: magno meo labore, multiſque vigiliis, hunc eundem poëtam mendis innumerabilibus maxima ex parte purgatum, & brevibus commentariis illuſtratum, ea mente edendum curavi, ut homines vel à pietate Chriſtiana avocarem, vel nova religione inficerem. non ita inſanio (nam philoſophiam quidem ſequor, & probo tum eam, quæ à Platone, & Xenophonte, tum eam, quæ ab Ariſtotele manavit: religionem autem nullam aliam neque colo, neque amplector, niſi quam à Domino noſtro Jeſu Chriſto, Dei immortalis filio, generis humani ſervatore, ac liberatore edoctus ſum:) ſed primùm ut linguam Latinam hoc ipſo inopem, atque egentem, quòd Lucretius mendoſus, laceratus, ac deformatus obſoleſcebat, bonis eam ſuis, & opibus avitis augerem, ditarem, atque ornarem: deinde ut de omnibus omnium gentium hominibus, quos Latini ſermonis mundities delectat, optimo hujus linguæ auctore tot mendis ferè perpurgato, bene mererer: poſtremò ut omnes bonarum litterarum ſtudioſi tibi, Rex potentiſſime, qui patris & avi tui veſtigia perſequens, ingenuarum artium, bonarumque litterarum doctores, ac magiſtros Lutetiæ Pariſiorum amplis præmiis affectos retines, alis, ac tueris, gratiam habeant, quòd ii, quos in urbe totius Galliæ maxima, ac celeberrima, liberalibus artibus, ac diſciplinis, litteriſque Hebraicis, Græcis, ac Latinis docendis praepoſuiſti, non ſolùm juventutem ex omnibus Europæ partibus in

 hanc

hanc urbem, tamquam ad uberrimum omnium diſciplinarum mercatum, convenientem, viva voce erudiant, verùm etiam ſcriptoribus antiquis, injuria temporum depravatis, in integrum reſtituendis, omnium mortalium à litteris non abhorrentium ſtudia juvare, ac ſublevare conentur. Enimverò, Karole, nihil habet tua majeſtas majus, quantumvis licet alii artem militarem extollant, quàm quòd bonas litteras, ingenuaſque diſciplinas diligis, tueris, ac propagas. Ars enim militaris ſine litterarum, & doctrinæ adjumento non ſolùm Regibus ac civitatibus liberis parum prodeſt, verùm etiam totas ſæpe reſpublicas, totaque regna labefactat, ac funditùs evertit: litteræ contrà, & cognitio rerum ex libris petita, ſæpe ſine armorum, & rei militaris acceſſione maximas civitates incolumeis, potentiſſimaque regna ſalva tuentur, & conſervant. Jam verò, quòd nos malevoli quidam homines inſimulant, quaſi omnia reip. mala, quæ his perditiſſimis temporibus vidimus, à litteris, & litteratis orta ſint, ut tibi perſuadeant, litteras ex tota Gallia eſſe ejiciendas, fundituſque exſtinguendas, ſi remp. ab his malis conquieſcere, aut reſpirare cupis: ſic contrà tibi perſuadeto, Karole, veriuſque hoc eſſe credito, quàm, *Pythia quæ tripode ex Phœbi, lauroque profatur*, ut ait Lucretius, eos omneis, qui hujuſmodi ſermonibus litteras in crimen, & invidiam vocant, vel avaros, vel ambitioſos, vel facinoroſos & ſceleratos, & ſimilibus vitiis coopertos, & contaminatos eſſe: atque idcircò litteras odiſſe. Nam cùm ſuis flagitiis, & vitiis latebras ac tenebras quærant: litteras autem clariſſimi luminis inſtar eſſe intelligant: nihil ſuis tætris ulceribus, graviſſimiſque animorum morbis tam adverſum, quàm litteras eſſe arbitrantur. Itaque viri boni, integri, abſtinentes, temperantes, innocentes, & litteras plurimi faciunt, & litterarum ſtudioſos colunt: in pretio, atque in honore habent: eoſque ſi re juvare non poſſunt, at verbis ampliſſimis, & oratione perquàm honorifica proſequuntur. Sed de his nimis fortaſſe multa, præſertim ad te. Hos igitur T. Lucretii Cari de natura rerum libros ſex, Karole, Rex invicte, omnium, qui umquam pòſt artem typographicam inventam editi ſunt, emendatiſſimos, tibi dono, ac dedico. Neque verò in hoc, ſtellionatus crimen, aut inconſtantiæ vituperationem ſuſcipio, quòd, quæ aliis jam antè deſponderim, ac donarim, tibi denuò donem. Singulos enim libros ſingulis viris tui regni & mihi amiciſſimis, & doctiſſimis, eo animo donavi, ut eſſent amicitiæ noſtræ monumentum ſempiternum. Tibi autem nunc eoſdem univerſos, illorum rogatu, tibi dono: quin illi ipſi, qui tuo in regno nati ſunt, quique te dominum ac Regem ſuum agnoſcunt, ſeipſos unà cum his libris tuos eſſe profitentur, tibique tradunt, & commendant, ut & ipſi, & hi libri tuo fideliſſimo præſidio freti, ab omni injuria externa ſint tutiores, ac munitiores. Nam ſinguli ſingulis donati, ac traditi, atque ita disjuncti, ac divulſi, contra injuriam hominum, virtuti inimicorum, atque infeſtorum, his præſertim temporibus, cùm litteræ invidia, odioque immeritò laborant, fortaſſe eſſent imbecilliores. Nunc autem conjunctis & univerſi, tibi, & tuæ certiſſimæ fidei commendati, tuaque validiſſima

&

& potentiſſima dextera tecti ac defenſi, nullos quantumvis acreis & violentos malevorum hominum impetus pertimeſcent. Ita igitur vivas, & valeas, & regnes, Karole, ut litterarum, ac litteratorum, virtuteque præſtantium virorum columen, & præſidium, & perfugium multas ætates eſſe poſſis. Lutetiæ, anno ab humano genere ſervato, CIↃ. IↃ. LXIII. Kalendis Novembr.

JO. AURATUS, POETA REGIUS, IN Lucretium à Dionyſ. Lambino reſtitutum.

Immortalia ſi mortalibus ex elementis,
Non eſt, ut poſſint ulla ratione creari:
Mentis opuſque tuæ ſunt carmina, docte Lucreti,
Quæ tu de rerum natura pangere pergis:
Miror, te mortalem animi ſtuduiſſe probare
Mentem, talia quæ ſcripta immortalia condat.
Nam ſi quas maculas injuria temporis (ut fit)
Chartis fortè tuis alleverat: ilicet, illas,
Ut quondam Cicero, ſic nuper menti ſagaci
Detergens Lambinus, in antiquumque nitorem
Carmina reſtituens, docuit vivacius eſſe
Mente nihil, ſcriptis dare quæ ſit idonea vitam.
Denique quî poſſit non immortalis haberi
Vis animi, quæ immortalem dat carmine famam
Atque ſibi, atque aliis, tibi ut olim, clara propago
Memmi? cujus adhuc per carmina vatis amici
Gloria viva viget mage, quàm per clara tropæa,
Aut tabulas pictas, aut erepta urbibus æra.
Nunc certè tanto pòſt tempore Memmius alter,
Qui ſua gentili cognomina comprobat arte,
Ipſe colens Muſas, illaſque colentibus æquus,
Nominis immortale décus ſibi ſentit oriri,
Atque alii pariter, quibus, ô Lambine, labores
Ipſe tuos in reſtituendo vate vetuſto
Conſumtos, immortali cum laude dicaſti,
Æternum æterni monumentum, & pignus amoris:
Atque animi ſimul æterni, ſenioque carentis
Argumentum ingens contra facunda poëtæ
Dicta, magis, quàm niſa bona ratione, fideque.
Sed nos ingenii miremur acumina, linguæ
Flumina miremur: pietas ſua fœdera ſervet.

PRÆ-

PRÆFATIO DIONYSII LAMBINI, EDITIONI PRIMÆ & SECUNDÆ PRÆFIXA.

Erudito Lectori.

DION. LAMBINUS S. D.

Fuit mea ſemper hæc ſententia, lector erudite, eos, qui ſcriptores veteres vel difficileis, atque obſcuros explanant, atque illuſtrant, vel injuria temporum depravatos, codicum manuſcriptorum auctoritate freti, in antiquum ſtatum, priſtinumque ac nativum ſplendorem reſtituunt, de bonis litteris, honeſtiſque diſciplinis melius mereri, quàm qui aut poëmata, aut orationes, aut libros artem aliquam jam antè à veteribus traditam, atque explicatam complectenteis ſcribunt & componunt. Nam ſi ſe ad poëmata ſcribenda conferent: profectò Virgilio, Catullo, Horatio, Tibullo, & ceteris, quos ſibi ad imitandum propoſuerint, non erunt ſuperiores. Si orationes, & epiſtolas conſcribere conabuntur: à M. Tullii facundia, atque eloquentia longo ſcilicet aberunt intervallo. Si verò artis grammaticæ, aut rhetoricæ, aut dialecticæ præceptiones litteris perſequi ſtudebunt: veteribus illis, qui eadem præcepta tradiderunt, ſine dubio multo erunt inferiores. Itaque cùm horum ferè omnium arrogantiam mirari ſoleo, tum eorum maximè ſtultitiam, ac pæne dicam, inſaniam ſatis miſerari, ac deplorare non poſſum, qui hodie grammaticas arteis, rhetoricas, dialecticas à ſe ſcriptas, magno ſupercilio adoleſcentibus venditant, atque oſtentant. Nam vel ea ipſa dicunt, quæ ſunt jam à veteribus occupata: vel alia. Si eadem: vel id apertè, & ſine diſſimulatione faciunt: & tum, præterquàm quòd impudentes, atque injuſti ſunt, etiam actum agunt, inanemque operam ſumunt: vel obſcurè, ac diſſimulanter, quibuſdamque rebus immutatis: & tum nihil à furibus differunt, qui rerum furtivarum notis commutatis, furta ſua ſe occultare poſſe confidunt. Si alia omnia afferunt: nugas afferunt: & ita, non ignorantiam ſolùm, verùm etiam temeritatem, ac vanitatem ſuam patefaciunt, indicant, ac produnt. Cùm enim afferre meliora non poſſint, reliquum eſt, ut ſuis ſectatoribus deteriora pro melioribus obtrudant. Quare, ſi ita ſentiunt, quemadmodum præ ſe ferunt: cùm ipſi magno in errore verſantur, tum alios in eundem errorem ſecum trahunt. ſin, quæ recta ſunt, intelligunt, ſed aliter tamen vel quæſtus ſpe ducti, vel inani gloria peruſti faciunt: capitalem fraudem admittunt. Neque verò me fugit, nonnullos & noſtra, & patrum noſtrorum ætate claros viros exſtitiſſe, qui & poëmata, & orationes, & arteis magna cum ſua laude conſcripſerunt. Sed & rarum eſt hoc ho-

hominum genus, & neſcio quo modo plerumque fit, ut, qui ad ſcribendum ſunt ineptiſſimi, ii incredibili ſcribendi dulcedine, ac voluptate, quaſi prurigine, & ſcabie quadam affecti ducantur: qui contrà ad id ipſum cùm ingenio, & natura facti, tum arte & ſtudio egregiè inſtructi ſunt: ii aut à ſcribendi voluntate & conſilio refugiant: aut, ſi quid ſoli & apud ſe ſcribant, de eo in vulgus edendo, tamquam ſibi & Muſis canentes, non valde laborent. Ego autem, quid in ſcribendo poſſim, aliis judicandum relinquo, ſi modò è ſcriptis meis non ita multis, quæ divulgata ſunt, judicium hac de re fieri poterit. Sed certè in hoc genere partim explicandorum, ac declarandorum, partim reſtituendorum atque emendandorum poëtarum veterum elaboravi. Qua in re quam laudem meruerim, neſcio: quin ne quæſivi quidem. Semper enim in ipſa virtute, & rectè factis ſatis laudis ineſſe judicavi, etiam ſi multitudo non laudaret. Verumtamen mihi conſcius ſum me omnibus bonarum litterarum ſtudioſis prodeſſe, & conſulere voluiſſe. Si non fuit par voluntati facultas: non arrogantiæ, aut confidentiæ, ſed tarditatis, aut infirmitatis crimen ſuſcipere debebo. Sed ad Lucretium tandem, cujus gratia hic ſermo à me inſtitutus eſt, venio. Hunc igitur poëtam, lector humaniſſime, liquidò tibi confirmare, vereque apud te gloriari poſſum, mea opera planè alium ab eo, qui abs te anteà viſus ſit, in manus tuas pervenire. Octingentis enim locis (neque hoc ὑπερβολικῶς, ſed Latino more dico) reſtitutum eſſe, tibi legendo cognoſcere, atque experiri licebit. Uſus autem ſum in eo reſtituendo, Romæ quidem tribus libris manuſcriptis: uno Vaticano: altero, qui fuit Gabrielis Faërni: tertio, quem Scipio Tettius Neapolitanus mihi commodatò dedit: Lutetiæ verò duobus: uno Memmiano, altero Bertiniano, qui ex cœnobio D. Bertini, (eſt autem hoc cœnobium in oppido D. Odomari non longè à Morinis) olim ad P. Gallandium ipſius rogatu Lutetiam miſſus eſt, deinde Adriano Turnebo à P. Gallandio ejus copia facta eſt. Atque ego (ne mentiar) Bertinianum codicem, quem in meis ſcholiis ſæpe commemoro, non vidi, ſed librum Adriani Turnebi è formis plumbeis expreſſum, cum illo exemplari manuſcripto diligentiſſimè, & accuratiſſimè uſque ad librum ſextum duntaxat comparatum, habui, quandiu volui: eumque, quia Bertiniani codicis ſcripturas omneis diſſimileis, & differenteis à vulgatis, ſumma fide imitatas continebat, Bertinianum nominavi. Ne vulgatos quidem libros aſpernatus ſum. Quin omneis, quos potui, undique conquiſivi, & corrogavi, Pariſienſeis, Lugdunenſeis, eoſque binos, Venetos item binos, unos antiquiores, alteros recentiores, Florentinos, Vicetinos, Baſilienſeis. Præterea grammaticos omneis veteres, & linguæ Latinæ veluti magiſtros, quos ſuperioris ætatis oratorum, ac poëtarum verſus proferre meminiſſem, ſtudioſè relegi: in his Varronem, Pompejum Feſtum, Macrobium, Nonium Marcellum, Diomedem, Soſipatrum Cariſium, Servium, Priſcianum, & ſimileis, ut ſi qui verſus Lucretiani integri, atque intaminati, aut certe quam minimum contaminati, & corrupti, ab eis proferrentur: ego eorum teſtimonium ſecutus, Lucretii vulnera ſanarem. Scholia præterea, ſeu breveis commentarios, addidi, quibus partim immutatorum a me

locorum rationem reddidi, partim obſcuriores quaſdam voces declaravi, partim quædam ad philoſophiam, aut hiſtoriam pertinentia, difficiliora, atque impeditiora, ex Homero, Heſiodo, Pindaro, Theocrito: ex Platone, Ariſtotele, Theophraſto, Cleomede: ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Plutarcho, Diodoro Siculo, Strabone, Pauſania, Arriano, Laërtio: ex M. Tullio, C. Cæſare, T. Livio, Q. Curtio, Plinio, & aliis poëtis, philoſophis, hiſtoricis, partim Græcis, partim Latinis, quos enumerare longum ſit, expedivi, atque illuſtravi. Poſtremò, quoniam ſæpe animadverti, magnos, & eruditos viros, dum ſuis cogitatis, atque inventis, nimio opere delectantur (ut ſumus omnes φίλαυτοι, natura) dumque in ſuis ſcriptis recognoſcendis, atque examinandis neminem alium arbitrum adhibent, præterquàm ſeipſos, interdum turpiter labi, atque errare: ego meis viribus, meoque ingenio diffiſus, ubicumque mihi, ut hærerem, ac dubitarem, accidit, ad viros doctos mihi notos ac familiareis, tùm alios multos, tùm verò Galliæ noſtræ, atque adeò totius Europæ principes, collegas meos, Adrianum Turnebum, & Joannem Auratum retuli: nonnullas meas conjecturas cum eis communicavi: eorum ſententias, & quaſi reſponſa, quamvis ea interdum non ſatis mihi probata, ſumma fide ipſis auctoribus reddidi: neque me puduit, unde profeciſſem, ingenuè profiteri: quin contrà, turpiſſimum mihi futurum duxi, id, quod ab aliis acceptum probaviſſem, mihi impudenter adſcribere, atque arrogare. Hæc te, lector, ſcire volui. Atque ea ipſa nimis fortaſſe multa tibi videbuntur, jamdudum Lucretium legere properanti. Sed te per humanitatem tuam, per eam denique, quam mihi debes, ſi quam debes, gratiam, obſecro, & obteſtor, ne prius Lucretium legere incipias, quàm librarii, operarumque errata ita correxeris, quemadmodum eſſe corrigenda ad calcem libri admonui. In quorum numerum, atque ordinem, nonnulla etiam ex iis, quæ primæ editioni addidimus, non ſatis diligenter ſuis locis adglutinata, & idcirco ab operis per imprudentiam prætermiſſa: conjeci, &, quo quæque loco eſſent reponenda, indicavi. Quòd ſiqua alia inter legendum animadvertes, quæ nos fugerint, ac fefellerint: fac memineris, nos homines eſſe, diſcaſque, rebus humanis concedere oportere. Vale.

PRÆFATIO DION. LAMBINI PRÆFIXA ED. III.

DION. LAMBINUS TERTIÆ EDITIONIS LECTORI S. D.

Fuerat olim (erudite lector) à pictore quodam præſtantiſſimo, atque excellentiſſimo tabula pulcherrimè picta. Eam tabulam mali pictores longo poſt tempore vetuſtate aliquantùm obſcuratam, & propemodum obſoletam, nacti, non ſolùm novis & alienis coloribus contaminarant veriùs, quàm

quàm illuſtrarant; verùm etiam cœno, & ſordibus conſpurcarant. Ego autem eam miſerandum in modum contaminatam, ita, ut vix priſtina picturæ dignitas & pulchritudo agnoſceretur: annos abhinc ſeptem multis ſimilibus tabulis, ex illa prima, & nativa, quaſi ad vivum expreſſis, atque imitatis, adjutus, in ſuam pæne formam, atque in antiquam integritatem:, ac dignitatem reſtitueram: ſordeis ferè omneis ablueram: colores ineptos, & ſuppoſitos abſterſeram: aliena lineamenta deleveram: nativos & veros colores ſuppoſitiis illis, & falſis inquinatos, oblitos, obſcuratos, ac pæne dicam, ſepultos, aperueram, patefeceram, illuſtraram, in lucem revocaram, ingenua & germana lineamenta, ſpuriis & adulterinis illis partim deformata, partim cooperta interpolaram, reconcinnaram, ac redintegraram. Eam hunc in modum opera mea quaſi renatam, cùm totam quidem Regi Gallorum, Karolo IX. ſingulas autem parteis ſex viris Galliæ noſtræ doctiſſimis, atque ornatiſſimis donaviſſem, & quaſi conſecraſſem, omnibuſque nationibus ſpectandam ac fruendam expoſuiſſem: quidam omnium mortalium, qui umquam fuerunt, qui ſunt, qui erunt, injuſtiſſimus, audaciſſimus, impudentiſſimus, ſibi improbiſſimè arrogavit: à ſe eſſe redintegratam, ſuo decori reſtitutam, atque ab omnibus maculis vindicatam, ſuis denique & nativis coloribus illuſtratam, impudentiſſimè prædicavit. Hanc injuriam apud te, lector, queri volui prius, quàm in hac tertia Lucretii mei editione quidquam legere inciperes: non ſolùm ut de iſto improbiſſimo fure, atque adeò reip. depeculatore, ita, ut meretur, exiſtimares, tibique nota eſſet iſtius Patæcionis injuſtitia, & confidentia ſingularis, verùm etiam ut atrociſſimam mihi ab iſto factam injuriam, meumque juſtiſſimum dolorem, pariter, communiterque mecum doleres. Proferam autem, & explicabo in conſpectu tuo tabulas publicas, quibus ego eum furti manifeſti, atque adeò peculatus, ita apertè convincam, ut, quamvis omneis homines confidentia, atque impudentia vincat, negare non audeat tamen, ſe in rem alienam inquiſſimè invaſiſſe, eamque vero domino, ac juſto poſſeſſori injuſtiſſimè eripuiſſe. Sed, ne te diutius ſuſpenſum, atque incertum teneam, ſcire cupientem, quam ego tabulam pictam olim ab aliis inquinatam ac deformatam, à me non ita pridem magna ex parte nitidiorem effectam, ab iſto mihi ereptam, querar. non ſinam te diutius (quamquam propemodum, quid velim, quidque ſignificem, intelligentem) verum tamen non ſinam te, ſi forte tibi res tota inaudita, atque incognita eſt, diutius animi pendêre. Omnium poëtarum Latinorum, qui hodie exſtant, & qui ad noſtram ætatem pervenerunt, elegantiſſimus & puriſſimus: idemque graviſſimus, atque ornatiſſimus, Lucretius eſt. Eum cùm librarii ſcriptores, nondum inventa arte typographica, mendis innumerabilibus, maculiſque fœdiſſimis contaminaſſent, atque obruiſſent: ad illa à librariis illata vulnera, levia ſanè & ſanabilia, acceſſerunt multo graviora, ac pæne dicam, inſanabilia, ab hominibus doctis quidem illis, ſed plus nimio ſuo ingenio indulgentibus (ut ſumus noſtri ferè plus æquò amantes) impoſita atque inflicta. Quibus hic, alioqui politiſſimus & elegantiſſimus ſcriptor, ita laceratus, confoſſus, depravatus, corruptus eſt, ut

vix quiſquam eum legere, vix attingere, vix adſpicere auderet. Quod cùm ego animadvertiſſem, ſæpeque & in Italia, & in hac noſtra Gallia doctiſſimorum virorum querelis interfuiſſem, tantam linguæ Latinæ jacturam deplorantium: ego eodem ferè tempore, quo tempore Horatium cum octo exemplaribus antiquis Romæ contuleram: Lucretium quoque cum tribus codicibus manuſcriptis quos ibidem nactus ſum, diligentiſſimè & accuratiſſime comparavi. Ac de Horatio quidem, quid in eo præſtiterim, ignorare arbitror neminem. Litteræ certe & ex ultima Gallia Belgica, & ex Germania, & ex Italia à doctiſſimis viris ad me multæ venerunt, quibus mihi & gratulati ſunt, & gratias egerunt, quòd Q. Horatium Flaccum à tot mendis vindicaſſem, talibuſque commentariis illuſtraſſem. De Lucretio autem, ſi qui ſunt, qui numquam, quid in eum à me boni profectum ſit, audierint, eum ego tribus illis codicibus, quos Romæ habui, & duobus, quorum alterum hîc Lutetiæ à Turnebo, ſingulari ingenio & doctrina viro, collega meo, (cujus mortem æternùm Gallia deflebit) alterum ab Err. Memmio, viro clariſſimo, in reconditiore ſenatu ſenatore ornatiſſimo, commodatò acceperam: his, inquam, quinque codicibus fretus, Lucretium omni ex parte maculoſum, deformem, atque ulceroſum, magna ex parte à maculis, & ulceribus vindicavi, & (quod vehementer ad rem pertinet) commentariis brevibus quidem illis, ſed tamen (nequid arrogantius dicam) non inutilibus, illuſtravi. Quod cùm feciſſem, poſteriuſque quoſdam locos horis ſubſecivis, partim mecum relegiſſem ac recognoviſſem, partim cum doctis viris communicaſſem: curavi, ut ſecundùm ederetur, idque figura, & forma quàm minima, & ad circumgeſtandum facillima. Vixdum hæc ſecunda editio abſoluta erat, cùm, ecce, mihi nuntiatum eſt, Thraſonem quendam (ſic enim eum doctiſſimus quidam Germanus, doctis omnibus nomine & fama notus, appellat: ego autem numquam adducar, ut eum nominatim deſcribam) exortum eſſe, qui non ſolùm in alienam poſſeſſionem irrueret, verùm etiam alienam meſſem in granaria ſua converreret, & conveheret. Non negabo (lector) mihi hunc nuntium injucundum accidiſſe; verumtamen hoc me ſolabar, quòd ita mecum ratiocinabar, ita cogitabam: & verò hoc mihi perſuadebam, eum, qui hoc ſuſciperet, vel doctum & pudentem, vel indoctum atque impudentem eſſe: (nam neminem, qui aut doctrinam cum impudentia, aut ignorantiam litterarum cum pudore conjunxiſſet, pertimeſcebam) ſi doctus & pudens eſſet: confidebam, eum & gratiam mihi relaturum, quòd ſibi viam ad Lucretium intelligendum, aperuiſſem, ac muniviſſem, lucemque quaſi prætuliſſem: &, ſiquid fortè humanitus peccaſſem, ſummo jure mecum non acturum. Sin indoctus & impudens: eum ego augurabar ſuis etiam ridiculum futurum. Omnino non exiſtimabam, quemquam ad eam amentiam progreſſurum, ut, quæ à me eſſent occupata, ſibi impudentiſſimè arrogaret: quæ optimè emendata, injuſtiſſimè reprehenderet: quæ fortaſſe minus accuratè, ut ab homine, excogitata, & ſcripta: ex iis maledicendi anſam arriperet. Sed venit tandem ad nos exſpectatus ille, & renovatus ab illo Thraſone Lucretius,

librum

librum aperui, inſpexi, legi. Quid quæris? Obſtupui. (lector) tribus, aut quattuor paginis lectis. Omnia ferè, quæ in eo Lucretio recta ſunt, mea ſunt: quæ tamen iſte, aut ſilentio prætermittit, aut malignè laudat, aut ſibi impudenter arrogat. Sicunde reprehendendi anſam arripere poteſt, ibi mihi petulantiſſime inſultat, in eo me improbiſſimè inſectatur. Quid multa? Numquam poſt homines natos quiſquam tam verus atque inſignis ſycophanta fuit, quàm ſeſe iſte in me præbuit. Quid ergo? dicet aliquis. Tune ſolus, Lambine, regnum in litteris obtinebis? te ſolum librorum omnium emendandorum facultatem habere gloriaberis? ceteros omneis, tamquam profanos, ab his ſacris arcebis? Ego verò (lector) non uſque eò ſum rerum imperitus, ut neſciam, latiſſimum harum litterarum, quas colimus, eſſe campum: eumque iis omnibus, qui bonos libros aſſidue tractant, ac pervolutant, patêre. Non ita ſum aut arrogans, aut impudens, ut me ſolum idoneum eſſe cenſeam, qui ſcriptores antiquos tractem, emendem, explicem, declarem: mihi ſoli has parteis depoſcam, ac ſumam: aliis autem hujus muneris adminiſtatione interdicam. Sed hæc mea ſententia eſt, lector erudite, cùm ſuum cuique ſit jus ſcribendi, tum eos, qui poſteriore loco ſcribunt, iis, qui priores aliquid in commune attulerunt, & maximè, qui ſcriptorem aliquem vel explicare, vel emendare conati ſunt, dum vivunt, & dum quod inchoarunt, abſolvere ac perpolire poſſunt, laudis ſperatæ fructum præripere non oportere. Quòd ſiquis contendat, hoc etiam aliquando factum eſſe, quotidie factitari, & his moribus increbruiſſe, atque ideò licere: eſto, demus ita eſſe: verùm ea lege tamen, primùm ut, ſiquid ab eo, qui anteverterit, præclare vel ingenii acumine inventum, vel labore & diligentia perfectum eſt: id, ſi non laudes, at certè ſilentio non prætereas. Si neque ut laudes, neque ut commemores, malevolentia, & invidia impeditus, animum inducere poſſis: at certè, ut tibi non impudenter adſcribas, atque injuſtè aſſumas. deinde ſiquid humana natura parum cavit, aut, ſiquid etiam peccavit (quis enim homo natus hoc effugere poteſt?) ut rebus humanis concedas, aut etiam diſſimules, & conniveas, atque hoc pacto legem in te æquiorem ſancias: aut ſi forte maledicus, & ad reprehendendum proclivis es natura: id tamen clementer & modicè, aut intra modum facias. Nunc autem quid de eo ſentiendum, aut quid dicendum, lector, qui praeclarè ab altero facta, non ſolùm tacet, verùm etiam ſibi ore perfricto arrogat? in quibus humanitus titubatum, aut offenſum eſt, ea petulantiſſimè exagitat, atque inſectatur? quid eſt eſſe audacem? non periculum exiſtimationis: & famæ ſine neceſſaria, atque adeò probabili cauſa adire, idque conari, unde nullam laudem, ſummam ignominiam, & infamiam referas; quid eſſe arrogantem? non ea ſibi tribuere ac ſumere, quæ non habeas? quid eſſe impudentem? non ei lædere os, ejuſque aureis atque animum offendere, qui te numquam ne verbo quidem violarit? quid eſſe ingratum? non ei nocere, qui profuit? quid eſſe petulantem? non eum maledictis appetere, qui modeſtè, innocenter, & ſine maleficio vivat? quid eſſe furem? non rem alienam invito domino contrectare, ſuam facere, atque in ſuum uſum vertere? quid

eſſe inſidioſum, fallacem, infidum, &, ut ſignificantius dicam, nigrum? non per ſimulationem laudandi vituperare, & altera manu aquam porrigere, altera ignem intentare? Quid eſſe ſycophantam? non ea, quæ recte dicta, aut facta ſunt, ſilentio præterire: quæ humanitus peccata ſunt, ea improbiſſime reprehendere? in præclaris & laudabilibus inventis mutum & elinguem eſſe: in erratis mediocribus vocem contendere, & clamorem tollere? Talem igitur iſtum, quem nutu ſignifico, cognoſces. Quod ſiquis ingenii, aut doctrinæ fama clarus: ſiquis Faërnus, Victorius, Manutius, Sigonius, Angellius, Brutus, Lolius, Urſinus: ſiquis Turnebus, Auratus, Muretus, Boſius, Bommorellius, Paſſeratius, Baïffius, Scaliger: ſiquis Camerarius, Junius, Xylander, Betulejus, Fabricius, Langius, Suffridus: ſiquis Achilles Statius, Oſorius: ſi quis Bucananus, Rogerius, Scrimgerus, & tales viri innumerabiles, quos habet Italia, Gallia, Germania: Hiſpania, Britannia, omni doctrina præſtanteis, hoc negotium ſuſcepiſſet: non eſſet quod indigne, aut moleſte ferrem: immo vero eſſet, quod gauderem, unum aliquem ex talibus viris exſtitiſſe, qui me fortaſſe defeſſum, & oneri ſuccumbentem, ſublevaret: qui mihi, onus plus æquo grave, ægre ſuſtinenti, ſuccurreret ac ſubveniret: nunc autem, exortum eſſe unum ex omnibus mortalibus nulla ex re magis, quam feritate importunitate, contumacia, ſuperbia, audacia, confidentia, & impudentia excellentem, qui auderet rem à me inchoatam ac ſuſceptam mihi de manibus extorquere, eamque ſibi injuſtiſſime atque impudentiſſime arrogare, mihi improbiſſime maledicere, me indicta cauſa damnare, de me, ut de homine nullis litteris tincto, ipſum ut hominem omnium, qui vivunt; eruditiſſimum ac litteratiſſimum ſententiam pronuntiare, non indigniſſimum eſt; Neque vero eſt, quod quiſquam Belga, Menapius, Sicamber, Flander, Hollandus, Brabantius, aut Germanus, lædi ſe putet, aut de harum nationum laude detrahi exiſtimet, cum iſtum, barbarum, aut ſycophantam laceſſitus compello. Nullas enim cum his nationibus inimicitias gero, immo mihi nonnulla etiam cum eis familiaritas & neceſſitudo intercedit. Accipio quotidie ab harum nationum hominibus doctiſſimis litteras, egoque ad eos viciſſim mitto meas, ex quibus & quid illi de me exiſtiment, & quantum ego eis tribuam, intelligere licet. Verſabar etiam quondam: (ita dico, quondam. Nam hodie per hoc novum edictum, nuper apud illos propoſitum ac divulgatum, omnium, quæ poſt homines natos compoſita ſunt, nobis moleſtiſſime ferendum, quo vetat auctor edicti, gravi multa ei, qui ſecus faxit, irrogata, quemquam in iis urbibus, quæ regis Philippi imperio ſubjectæ ſunt, natum, in ullam noſtræ Galliæ ſcholam, bonarum litterarum, aut juris civilis diſcendi cauſa, venire: cum ſchola univerſa Pariſienſis (nam de ceteris in præſenti nihil dico) ab infinitis uſque ſæculis, omnium totius orbis Chriſtiani ſcholarum princeps, Pontificibus omnibus S. E. Rom. approbantibus, meritiſſimo habita, atque ab omnibus nationibus ſemper antea maxime celebrata, & frequentata ſit: per hoc igitur novum edictum, nobis hodie non licet, neque poſthac licebit, quemquam illarum nationum virum, aut adoleſcentem Lutetiæ, aut omnino in Gallia videre. Ademta

ta plane, atque erepta nobis eſt omnis bonarum artium, atque adeo orationis ac ſermonis cum illis hominibus communio ac ſocietas.) Sed redeo ad ſermonem inſtitutum. verſabar igitur olim quotidie Lutetiæ cum eruditis viris, ac juvenibus: qui huc ex illis terrarum oris vel ſtudiorum, vel urbis cognoſcendæ cauſa venerant, cum Utenhovio, Blotio, Fruterio, Cantero majore & minore, cum Volguero, Molinario, Vornano, Torio, Eumenio, Bonardo, & multis aliis, quos enumerare longum ſit, cum & illi me ament, atque obſervent, & ego eos redamem, mutuaque benevolentia complectar. Quorum nonnulli, cum hanc injuriam mihi ab iſto, quem deſcribo, factam eſſe cognoviſſent, & apud me eum graviter accuſarunt, & injuriam mihi ab eo factam moleſtè tulerunt, & iſtum privatim acriter objurgarunt. Neque hoc ſatis habuerunt: ſed ſatyras quoque in eum mordaciſſimas, & epigrammata aculeatiſſima conſcripſerunt: quæ ſub ſigno habeo, diligentiſſimèque cuſtodio: neque umquam ejus injuria adducar, niſi perget inſanire, ut in vulgus edam. Miſſæ ſunt præterea à quibusdam eorum Lutetia jam profectis ad me epiſtolæ, quibus mihi totum hominis ingenium, totiuſque vitæ anteactæ conſuetudinem deſcribunt, atque explicant; quas, quantumvis malè de me meritus ſit, numquam foras proferam, Verum tamen, nequis me hæc accuſatoriè confingere, & ſuſpiciones falſas in iſtum commovere exiſtimet: proferam hoc loco ſatyræ cujuſdam, ab erudito, & nobili juvene, Iano Doëza, in iſtum ſcriptæ, atque ad Danielem Rogerium Anglum miſſæ, principium: qua in ſatyra ille inſignem injuriam, Fruterio: communi amico, moribundo, & animam jam agenti, per ſpeciem officii, & amicitiæ, ab iſto factam, graviter queritur: totamque iſtius malitiam, & perfidiam, & injuſtitiam octoginta & amplius verſibus hexametris perſequitur. Hujus igitur ſatyræ ipſum duntaxat principium ponam, ut quivis ex paucis verſibus intelligat, & quid de iſto ſui ſentiant, & qualis iſte fuerit in ſuos, & ne cui mirum ſit, iſtum talem in me exſtitiſſe, alienum, qui ſe in amicos tam inhumanum, atque importunum præbuerit. Sic igitur Doëza.

Fruterius quòd ſe, partemque ſui meliorem
Sacravit moriens, & magni pondus Olympi
Auxit Atlanteis cervicibus, eſſe beatus
Cenſetur meritò, quis enim tam lividus, ut non
Hoc ipſum fateatur? at idem quòd male cautis
Inſcripſit tabulis: Heres mihi Fanius eſto:
Omnibus infelix contrà, nec ſanus habetur,
Quotquot amico ipſo ſumus, heu, dum viveret, uſi:
Non, ut Fanius hic, fraudum caput, & plagii olim
Convictus, Lambine, tibi: cùm, fronte retecta,
Furtivis riſum movit cornicula plumis.
Dictu turpe ſuis, quos inter erat quoque nobis
Tunc aliquis locus: atque etiamnum forſitan eſſet
Qui fuerat, ſi non aliò nos ipſe vocaſſet
Perfidus, & ſanctum pede conculcaſſet amorem, &c.

Reli-

Reliquos verſus, ut dixi, non adſcribam, ne cui ſævior atque aſperior æquo in referenda injuria videar. Verum tamen conſideret lector, quæ ſit hujus teſtimonii vis. Si hic Doëza, contemtus aliquis homo, & levis, & improbus eſſet: tamen, quoniam iſti amicus eſt, fides ei habenda eſſet; ſi eſſet ab iſto alieniſſimus, tamen, quia caſtiſſimis & integerrimis moribus præditus eſt, teſtimonium ejus graviſſimum eſſe deberet. Ac nunc idem & amicus eſt, & homo integerrimus. Et hic teſtatur me ab iſto eſſe compilatum: eum plagii à me convictum: eum plumis furtivis, tanquam corniculam Æſopicam, ornatum, omnibus riſum moviſſe dicit: fraudum caput appellat. Quid poteſt in quemquam gravius, aut criminoſius dici? Et tamen alia ſunt in illa ſatyra longè graviora, & ſceleratiora, quæ nunc tacebuntur. Peto igitur ab aliis omnibus, qui nationis communitate cum iſto conjuncti ſunt, ne communem omnium cauſam cum iſtius cauſa conjunctam eſſe puteut, ſed exiſtiment, me ab ipſo injuſtiſſimè læſum, & indigniſſimis modis acceptum, & atrociſſimis injuriis laceſſitum, neceſſitate coactum, atque invitum, ad hanc cauſam dicendam, deſcendere. Qua in re ſi cui forte videbor indecorè, & præter conſuetudinem, atque adeo præter naturam meam, immoderatius efferri, & male dicta in eum juſto acrius regerere: cogitet, legem hanc eſſe antiquiſſimam, atque æquiſſimam, eum, qui maledixit prior, pejus audire; quamquam non ſum ei pro ejus in me contumeliis graviſſimis nimis aſperè reſponſurus, neque par pari relaturus: ſed mei pudoris, ejus loci, quem me Rex Karolus obtinere voluit, & gravitatis, & aetatis, rationem habiturus. Quòd ſi quid tamen interdum dicetur gravius: exiſtimare debebis, primùm, hanc vocem non eſſe meam, ſed juſti doloris, æquitatis, juſtitiæ & veritatis: deinde, ut ſit vox mea, me reſpondere voluiſſe, non laceſſere: Quòd ſi benedictis, & benefactis certaſſet: fuiſſe bene auditurum, beneficiique gratiam, qualem ſeviſſet, talem meſſurum. Nunc autem æquum eſſe, quod ab ipſo profectum eſt, in auctorem reverti. Quoniam igitur de injuria, & contumelia, quæ mihi, totique genti Gallorum, Regi ipſi, nationibus denique exteris, quibus olim meas vigilias impertivi, illata eſt, cognoviſti: reſtat, ut tabulis publicis id, quod tibi expoſui demonſtrem & confirmem. Tabulæ autem publicæ ſunt, Lucretii jam à me bis editi exempla: ſemel, unà cum commentariis, majore forma, anno CIↃ. IↃ. LXIII: iterum ſine commentariis, & tamen cum brevibus ſcholiis ad calcem adjectis, forma quàm maxime puſilla; ex quibus quam ego operam in Lucretio emendando navarim, quid ille novi attulerit, facilè cognoſces: multique adeò viri boni, & docti, cognoverunt: qui recenti mea de iſtius furtis improbiſſimis, & injuriis, & contumeliis, querela, data opera Lucretium ab initio ad extremum unà cum meis commentariis, perlegerunt, meaſque duas editiones cum iſtius editione contulerunt. quo facto, negare non potuerunt, iſtum non modò furem eſſe manifeſtò deprehenſum, verùm etiam petulantem, impudentem, contumelioſum, & quovis malo dignum. Omnino enim ita ſe res habet. quicquid eſt in ejus Lucretiana editione rectum & laudabile, paucis exceptis, ex mea editione ſumſit, ſive ſit hoc in contextu verborum Lucretii, ſive in commentariis. Namque hoc admonendus es, lector,

ctor, me in prima editione vulgatam lectionem nimis interdum fortaſſe religioſè retinuiſſe, ſatiſque habuiſſe, ſi antiquam ſcripturam, recepta nihil immutata, in commentariis meis proponerem, fideliterque repræſentarem. Quod cùm ita feciſſem: depeculator iſte, pleraſque ſcripturas veteres, aut conjecturas meas, in commentariis meis repertas, ſibi arrogavit, quaſi earum auctor, atque inventor. Verum tamen ſi quando aliquid ab iſto recte profectum eſt, quod non negamus: id non tacebitur, neque iſte merita laude privabitur: quamquam certior factus ſum ab iis, qui iſtum bene norunt, hoc eſſe in eo ferè perpetuum; ut, quæ aliis venerunt in mentem, quæque ab aliis tradita, & fidei ſuæ commiſſa accepit, ea ſibi impudenter adſcribat. Sed tamen quæ in ejus editione comparent, in noſtra verò ſecus, ea ſuis auctoribus bona fide reddentur. Ubi prædonem iſtum in furto manifeſto medium tenebo: tum tu mihi, bone lector, hanc veniam dabis, ut, cùm rei furtivæ ex lege XII. tabularum æterna ſit auctoritas, ego rebus meis manus injiciam, meumque Lucretium pro meo jure repetam, ac vindicem: tu autem furem plumis, & ornamentis alienis inſignem, non riſu dignum, ut corniculam illam: ſed pipulo differendum, & infamiæ nota inurendum, ſi tibi videbitur, exiſtimabis. Hæc te, lector, ſcire volui prius, quàm hanc tertiam mei Lucretii editionem legeres, partim ne tu inter legendum in digreſſiunculas quaſdam ſtomachoſiores, & amariores incidens, quibus iſtius improbitatem retundo, tacitus apud te quæreres, quid hæ verborum velitationes ſibi vellent, & quorſum pertinerent: partim ut intelligeres, me non potuiſſe iſtius injuriam, tacitam, atque inultam relinquere, niſi laudem magno meo labore, quem in emendando Lucretio ſuſcepi, partam, amittere, ac projicere vellem: quod neminem experientem, & fortem virum, fuiſſe probaturum, certò ſcio. Vale. Lutetiæ, a. d. VIII. Novembr. anno cIɔ. Iɔ. LXX.

DEDICATIONES DION. LAMBINI SINGULIS POETÆ LIBRIS PRÆFIXÆ,

DION. LAMBINUS ERRICO MEMMIO, Supplicum libellorum in Regia magiſtro, S. D.

Quamobrem hunc primum T. Lucretii Cari de natura rerum librum tibi donarim, Errice Memmi, cauſæ multæ concurrerunt, movit me primùm magnus inter nos uſus, & ſumma neceſſitudo ſatis longo convictu, neque parva aut brevi conſuetudine, conſtituta, ab illo jam tempore, cùm ego, tu, & frater tuus Jo. Jacobus Memmius, & homo doctiſſimus idemque vir optimus, ſtudiorum veſtrorum ſocius, & quaſi moderator Joan. Maludanus, (ex c jus morte nec opinata, atque immatura, mihi nuper ab Aurato noſtro nunt ata,

 in-

incredibilem hauſi dolorem) Toloſæ unà commorabamur. Qua in urbe tametſi omne ferè noſtrum ſtudium in jure civili ponebamus: horas tamen aliquot pomeridianas, & veſpertinas, & ſubſecivas ad Græcos & Latinos quoſdam ſcriptores legendos conferebamus. atque ex Græcis quidem Homerum, Euripidem, Theocritum, Xenophontem, Plutarchum: ex Latinis autem M. Tullium, M. Varronem, C. Cæſarem, T. Livium, Virgilium, Horatium, remiſſionis animorum gratia legebamus. Sic igitur me afficit ſuaviſſima illius temporis recordatio, ut neque mihi umquam beatius vixiſſe videar, &, ſi te prætercam, atque adeò ſi non in principe loco ponam, flagitium me admiſſurum putem. Multum ſecundo loco apud me valuit tui, & C. Memmii Gemelli, cui uni ſuos libros omneis Lucretius inſcripſit, & dedicavit, nominis communitas, eaque, quam Græci appellant, ὁμωνυμία. Nam cùm ego univerſos quidem libros Regi Karolo nono conſecratos: ſingulos autem ſingulis hominibus noſtratibus & mihi cariſſimis, & doctrina præſtantibus donatos in lucem prodire voluiſſem: exiſtimavi, quemadmodum Lucretius Memmio omneis dicaviſſet, ita me tibi, tamquam ejus gentili, unum ſaltem librum, eumque primum, dicare debere. Acceſſit & quæ mihi ad hoc faciendum acerrimos ſtimulos admovit, tua omnium Græcorum, & Latinorum librorum, non modò è typis expreſſorum, verum etiam manuſcriptorum, quos undique magno pretio conquiſiſti, & collegiſti, inſtructiſſima bibliotheca: ex qua depromtum unum T. Lucretii Cari exemplar pervetuſtum cùm mihi commodatò dediſſes: tantùm mihi ad hujus ornatiſſimi, politiſſimique ſcriptoris partim injuria temporum, partim culpa hominum vel indoctorum, vel ineptè religioſorum depravati emendationem adjumentum attuliſti, ut non minimam partem locorum in eo reſtitutorum cùm præſens ætas, tum omnis poſteritas tuo libro ſit debitura. Atque hoc pluris eſt ea, quam habes, optimorum librorum ſupellex, quod eam libentiſſimè, ac liberaliſſimè iis omnibus impertiris, quos exploratum habes ſolere, unde profecerint, ingenuè profiteri, neque eum, quem foris perceperint, fructum ſibi vendicare. Itaque mihi, quem optimè noſti, & quem ſcis novam omnium M. Tullii ſcriptorum editionem omnibus ſuis numeris, & partibus perfectam atque expletam meditari, jampridem tria vetuſtiſſima, atque emendatiſſima omnium M. Tullii operum exemplaria ultrò detuliſti, currentemque (ut ajunt) incitaſti. Neque verò id ſolùm feciſti, ſed etiam, (qua in re induſtriam ac diligentiam tuam incredibili litterarum amore conjunctam admiror) ſcripturas omneis inter ſe diſſimileis, atque à vulgata lectione diſcrepanteis ad oram unius exempli typis excuſi, partim tui librarii manu adſcriptas mihi commodaſti, ut minore meo labore ex talibus ſcripturis quaſi ſub uno aſpectu poſitis, Adriano Turnebo interea, & Io. Aurato collegis meis, quorum judicium eſt, ut ſcis, in hiſce litteris ſubtiliſſimum, adhibitis, & conſultis, eam potiſſimùm ſequerer, ac probarem, quæ & M. Tullio eſſet digniſſima, & ejus ſententiæ maximè conſentanea, & omnium virorum doctorum conſenſu, nemineque repugnante, optima ac veriſſima. Namque omnino mihi deliberatum eſt à vulgata & recepta ſcriptura, ne latum quidem unguem diſcedere, nihilque in tanto, tali-

taliqueſcriptore immutare, niſi quod ita perſpicuè & ſine controverſia corruptum ſit ac depravatum, cujuſque reſtitutio ita ſit auctoritate librorum veterum comprobata, & (quod caput eſt) veritate ac ratione fundata, ut omnes mortales neque indoctiſſimi, neque maximè hebetes ſic eſſe legendum, quemadmodum reſtituendum curavero, fateantur. Verùm de M. Tullio & aliàs, & ſuo loco. Nunc T. Lucretii Cari de natura rerum, à me ſumma (quod te non fugit) diligentia, maximoque labore ad veteres membranas emendati, atque ex carie, ſitu, & ſqualore in ſuam priſtinam formam, nativumque habitum ac nitorem propemodum vindicati, librum primum tibi, tuo merito, libentiſſimè dono. Vale. Lutetiæ anno à genere humano ſervato CIↃ. IↃ.LXIII. Kalendis Sextilibus.

DIONYS. LAMBINUS P. RONSARDO,

Poëtarum Gallicorum principi, S. D.

Cum primum T. Lucretii Cari librum de natura rerum Errico Memmio propter graviſſimas, & juſtiſſimas cauſas dicaviſſem, Ronſarde, hunc ſecundum me tibi donare debere non levioribus cauſis adductus judicavi. Primùm enim poëtarum Gallicorum ſine controverſia princeps & es, & haberis. Deinde, quemadmodum Lucretius noſter Latinorum primus naturam, & philoſophiam (mitto dicere, quam: do etiam, deliram, & in multis impiam) Latinis verſibus, iiſque ornatiſſimis, ac politiſſimis illuſtravit: ita tu per amœniſſima omnium poëtarum Græcorum, ac Latinorum nemora diu pervagatus, atque ex eorum liquidiſſimis, & puriſſimis fontibus infinita rerum noſtris hominibus inauditarum ubertate hauſta, ea poëmata ſermone Gallico in vulgus edidiſti, quæ Homeri, Heſiodi, Pindari, Anacreontis, Apollonii, Theocriti, Callimachi, Virgilii, Horatii, Tibulli, Propertii, Ovidii, & ceterorum ληκύθους, & μυροθήκια redolerent. Huc accedit, quòd ego, paullo te natu grandior, te adoleſcentem (ut probè meminiſſe potes) ad Græcarum litterarum ſtudia, quamvis currentem, incitavi: tibi etiam (ut ipſe prædicare ſoles) in ſcriptoribus Græcis ac Latinis verſanti, quaſi lumen ſæpe prætuli. Deinde tu me elegantiſſimo quodam, & propè divino carmine, quod immortale cum ceteris tuis ſcriptis, futurum eſſe confido, ampliſſimè ornaſti, memoriæque ſempiternæ commendaſti. Poſtremò amicitiam noſtram ex optimis initiis ortam, & profectam cùm abſente me, aſſidua mei recordatione aluiſti: tùm poſt longinquas, & diuturnas peregrinationes meas patriæ reddito, plurimis, & illuſtribus amoris ſignis, ſummiſque erga me ſtudiis amplificaſti, atque auxiſti. His igitur cauſis impulſus hunc ſecundum librum, in quo de primorum corporum motu, de figuris eorum variis, & tamen finitis, numero infinito, natura ſimpliciſſima, omniumque colorum, atque adeò omnium primarum qualitatum experte, de mundis innumerabilibus, qui fortuito illorum corpuſculorum

concurſu (rideamus licet Epicuri deliria) & oriuntur, & intereunt, diſputatur: hunc (inquam) librum amicitiæ noſtræ teſtem futurum ſempiternum, tibi libens, atque ex animo dono. Vale.

DIONYS. LAMBINUS, GERMANO

Valenti, Pimpuntio, Viro Doctiss.

In tribunali ſupremo Pariſienſi, judici, & conſiliario Regio,

S. D.

Cum multis, ac magnis de rebus philoſophos illos veteres quæſiviſſe, atque inter ſe diſſenſiſſe non ignoras, Germane Valens: tùm de animorum origine, ſede, & natura: hoc eſt unde orti, in qua parte corporis locati ſint, quid ſint, utrùm ſint mortales, an immortales, tam variæ ſunt inter eos, tamque diſcrepantes ſententiæ, ut, cùm eas collegeris, & ſub unum quaſi aſpectum poſueris, non illi veri inveniendi, ſed contrà dicendi ſtudio hac de re inter ſe concertaſſe videantur. Atque eorum tamen tolerabior eſſet ſive pervicacia, ſive temeritas, ſive confidentia ſi in eo ſaltem conſenſiſſent, ut, quamvis in ceteris de animo quæſtionibus cæcutirent: animorum immortalitatem tamen ſuis rationibus confirmarent. Nunc autem cùm plerique eorum (quo in numero ſunt ii, qui animum vel ſanguinem, vel cerebrum, vel aliquam aliam corporis partem, vel flatum, ac ventum, vel ignem, vel harmoniam, vel auram tenuiſſimam cum vapore, & quarta quadam nominis experte natura confuſam, & permiſtam eſſe cenſent:) animos, quaſi capitis damnatos, mortaleis eſſe ſtatuant: pauci, in quibus ſunt Plato, & Xenophon, à morte, & interitu vindicare conentur: non immeritò nos & illorum inſipientem inſipientiam aſpernari, & nobis ipſis gratulari debemns: qui ab Jesu Christo, unico Dei optimi maximi filio, ſervatore, & liberatore noſtro eruditi, atque inſtituti, nullis rationibus humanis, nulliſque argumentis, quantumvis licet aptè concluſis, ne Platonicis quidem, adducti, atque coacti, animos noſtros, immortaleis eſſe perſuaſum habemus, atque ita perſuaſum habemus, ut nullæ nos rationes contrariæ, quantumvis acutæ, atque argutæ: quantumvis probabiles, ac veriſimiles: quantumvis firmæ ac validæ, nedum Lucretianæ, quæ ſunt perquàm leves atque infirmæ, de hac ſententia demovere poſſint. Quod eo dico, ne qui malevoli homines, qui ex ſuo ingenio ceteros fingere conſueverunt: quòd ego cùm optimorum Græci & Latini ſermonis auctorum, tum T. Lucretiii Cari lectione valde delector, propterea me aut de animorum immortalitate, aut ulla alia de re, quæ ad pietatem pertinet, aliter, quàm hominem Chriſtiana religione imbutum oporteat, ſentire ſuſpicetur. Nam, ut omittam, quòd to-

totius meæ vitæ anteactæ teſtimonio, ſiqua talis eſſet commota in me ſuſpicio, falſa ſcilicet, refelli poſſet: quid aut me, aut quemquam ſanum ac pium moveant collecta à Lucretio adverſus animorum immortalitatem argumenta, cùm ea omnia valeant in parteis, ſeu poteſtates animæ turbidas, & rationis experteis, non in eam, quæ omni motu à ratione averſo vacat, quæque ex æthæriis illis, & divinis ignibus decerpta, & quaſi delibrata eſt? Quid quòd tanta vis eſt veritatis, ut Lucretius ipſe libro ſuperiore animos eſſe immortaleis, iiſque in cælum, unde profecti ſunt, reditum patêre imprudens, atque adeò invitus fateatur? Quid enim illa ſibi aliud volunt?

Cedit item retro, de terra quod fuit antè,
In terras: & quod miſſum eſt ex ætheris oris,
Id rurſum cæli rellatum templa receptant.

Cur igitur & hunc tertium librum, in quo immortalitas animorum acerrimè oppugnatur, & ceteros, in quibus multa & à noſtris moribus aliena, & cum vera religione pugnantia dicuntur, non inviti legimus? quia verſus ſunt optimi, atque ornatiſſimi: quia vocabula rerum alia maximè propria, lectiſſima, ſignificantiſſima: alia venuſtiſſimè facta, aptiſſimè novata, illuſtriſſimè tranſlata ſunt: quia ſermonis genus eſt puriſſimum, nitidiſſimum, politiſſimum, uſque adeò, ut (quod tu, qui hujus ſcriptoris nitorem, atque elegantiam cum primis admiraris, crebrò dicere ſoles) ſi fingamus aliquem & iiſdem temporibus, & in eadem, atque Lucretium, urbe natum, Epicuri ſententias ac rationes oratione ſoluta perſequi, atque explicare conari: credibile non ſit eum Lucretii maximè dilucidum ſcribendi genus, limatiſſimam ſubtilitatem, ſummam ubertatem, ampliſſimam verborum majeſtatem, divinam denique illam (ut ita dicam) grandiloquentiam, ne longo quidem intervallo aſſecuturum. Accedit huc, quòd non omnia ſunt in Lucretio reſpuenda ac rejicienda: quin longè plurima reperiuntur lectione digniſſima: qualia ſunt ea, quæ ab eo de continentia, ac frugalitate, de morte contemnenda, de amore fugiendo, de ſpeculorum ratione, de morborum cauſis, de imbribus, grandinibus, fulminibus, & ſimilibus, de magnete, de diſſimilibus & variis fontium naturis, & ſexcentis aliis rebus cognitu perjucundis, diſputantur. Hunc igitur tertium librum, Germane Pimpunti, centum, quinquaginta, & eo amplius, locis à me ex auctoritate codicum calamo exaratorum emendatum, & ſcholiis fortaſſe non inutilibus explanatum, tibi dono, mei quidem amoris, meæque erga te obſervantiæ pignus certiſſimum: noſtræ autem mutuæ amicitiæ monumentum, ut ſpero, & opto, immortale, ac ſempiternum futurum. Vale

DIONYS. LAMBINUS,

M. ANTONIO MURETO, S. D.

Si quis eſt ex iis, quibuſcum aliqua mihi neceſſitudo intercedit, cui unus aliquis è ſex T. Lucretii Cari de natura rerum libris à me ex auctoritate codicum manuſcriptorum emendatis, & explanatis, debeatur: tu profectò Marce Antoni, non in poſtremis dignus es, qui tuam quoque hujus munuſculi juſtam partem conſequare. Nam cùm hos libros ſex, hominibus mihi amiciſſimis donare conſtituiſſem: plureis autem, quàm quot eſſent libri, cùm multorum cauſa, eadem, aut certe pæne par, ac ſimilis eſſet, donare non poſſem: ſi te, ut hominem ſumma mecum neceſſitudine conjunctum, omnique doctrina liberali præſtantem, præteriiſſem: tu neque tibi ullam injuriam fieri, neque à me jus amicitiæ lædi fortaſſe meritò queri poſſes. Multos enim viros licet mihi commemorare tibi notiſſimos, atque adeò communeis amicos, eoſdemque perquàm eruditos: in his P. Paſchalium, virum eloquentiſſimum hiſtoricum Regium: I. A. Baïffium: I. Maludanum: I. Paſſeratium, à me neceſſariò, cùm hæ meæ facultates jam exhauſtæ, & conſumtæ eſſent, neque hæc noſtra perangufta benignitas ad plureis, quàm ad ſex, dimanare poſſet, hujus muneris experteis, indonatos, atque adeò inſalutatos relictos. Si igitur amicitiæ, aut eruditionis cauſam duntaxat ſpectare vellem, cùm ſit hoc hominum ferè ingenium, ut, quod quiſque ſe ſcire profitetur, in eo ceteris vel antecellere, vel certè æqualis videri velit: & te talem virum, ac mihi tam carum præterirem: nihilo tu fortaſſe juſtiorem, quàm multi alii, de me querendi cauſam haberes. Nunc autem cùm ad eas cauſas, quæ tibi cum aliis nonnullis poſſunt eſſe communes, accedant quædam propriè, ac præcipuè tuæ: graviſſimè me peccaturum, & dedecus admiſſurum eſſe exiſtimarem, ſi te ſive imprudens, ſive conſultò præterirem, neque tibi unum ex mei Lucretii libris librum impertirem. Tu enim mihi, cùm Romæ eſſem, princeps acerrimos ad hoc negotium ſuſcipiendum, ac perficiendum ſtimulos admoviſti, mihique vulgata Lucretii exempla cum exemplaribus antiquis, ac manuſcriptis conferenti aſſiduam operam dediſti. neque hoc tantum feciſti, verùm etiam, cùm in ſcripturam aliquam à vulgata diſcrepantem ac diverſam incideremus, atque in ea hæreremus: tu ſæpe ex obſcuris, & propemodum oblitteratis veteris ſcripturæ veſtigiis veram lectionem (quoque acumine es) ſagaciſſimè odorabaris. Præterea cùm anno ſuperiore unà cum clariſſimo viro Hippolyto Eſtenſi, Cardinali Ferrarienſi, Pii IIII. Pontificis Romani legato, in Galliam noſtram longo intervallo veniſſes, audireſque, me ſingulos T. Lucretii Cari libros ſingulis amicis dicare in animo habere: videres autem mihi per civileis diſcordias, & Reip. calamitatem, hujus politiſſimi ſcriptoris editionem maturare non licere:

neque

neque tamen dubitares, quin ubi à tot, tantiſque malis Gallia conquieviſſet, aut certe reſpiraſſet, id ſtatim parerem, quod jamdiu parturiſſem: paucis antè quam Galliam, patriam tuam, tua voluntate iterum relinqueres, Romamque repeteres, diebus, certum quendam ex mei Lucretii libris, librum à me ſtipulatus es: non quòd rem ipſam tanti faciendam putares, quamquam tu ſoles noſtras non minimi æſtimare nugas: ſed ut hoc apud omneis mortaleis, & qui hodie vivunt, & qui pòſt aliis erunt in annis, amicitiæ noſtræ monumentum exſtaret ſempiternum. Quod igitur tibi tot nominibus debeo, mi Murete: ſerò quidem, quippe temporibus, quominus hoc æs alienum ad diem repræſentarem, impeditus: ſed aliquando tamen, bona fide, libenterque perſolvo. Tibi autem hoc munuſculum meum eo gratius fore confido, quòd cùm tibi à me poteſtas, optioque eligendi facta fuiſſet, hunc ipſum librum elegiſti. neque vero tibi in eligendo judicium defuit. Totam enim hic liber ſimulacrorum, ſeu imaginum Epicurearum, quibus ille ad oculos noſtros affluentibus, viſum laceſſi: ad animum autem accurentibus, eumque ferientibus, cogitandi vim, & διανοητικὰς φαντασίας excitari putabat, explicationem complectitur: idem ſpeculorum rationem, rem varietatis plenam, & cognitione digniſſimam: idem acerrimam ſenſuum defenſionem adverſus novos Academicos, qui ſenſus eſſe incertos ac fallaceis, & nihil ſciri poſſe contendebant: idem pleniſſimam atque uberrimam de quinque ſenſibus, de cogitandi ratione, de ingreſſu, de fame & ſiti, & de earum rerum cauſis, de ſomno, & ſomniis, de libidine, & amore, multaque alia utiliſſima, ac jucundiſſima continet: Hunc igitur librum tibi promiſſum, & debitum, ac pæne dicam tuum, tibi non dono, ſed optima fide reddo. Lutetiæ, anno à ſalute generi humano data CIϽ. IϽ. LXIII. pridie idus Septemb.

DIONYSIUS LAMBINUS,

ADR. TURNEBO S. D.

Ex T. Lucretii Cari libris ſex, Adriane Turnebe, quattuor jam ſunt conſumti, magniſque & claris viris donati; reſtant duo, quintus & ſextus, jampridem tibi, & Jo. Aurato, collegis meis, viris doctiſſimis, noſtræque Galliæ ornamentis; & præter collegii ipſius neceſſitudinem, mihi amiciſſimis, deſponſi, ac deſtinati. Ac de Jo. Aurato quidem, homine ingenio, & doctrina tui ſimillimo, & pæne gemino, dicentur ea fortaſſe, quæ illo digna ſunt, ſi modò conſequi potero, cùm ad librum ſextum, qui ei debetur, ventum fuerit. nunc autem cùm ad te de te ſcribere inſtituo, & doctrinam tuam ſingularem conſidero, planè obſtupeſco. Nam ſi quando eos, qui vel noſtra, vel patrum noſtrorum ætate, ingenii, & doctrinæ gloria claruerunt, memoria repeto: video ſingulos in ſingulis diſciplinis, atque artibus vel præſtare, vel præſtitiſſe: hunc in mathematicis, illum in phyſicis: alium in philoſophia Peripate-

patetica, alium in Platonica: illum in jure civili, hunc in poëtica, illum in arte dicendi: hunc in lingua Latina, illum in Græca. Te verò quibus doctrinis eruditum, quibus diſciplinis inſtitutum, quibus litteris expolitum dicam? Nam ſi te in arithmeticis, geometricis, aſtrologicis, muſicis valde exercitatum eſſe prædicabo: veriſſimum quidem tuæ laudis teſtimonium tibi dabo: ſed reliquarum artium, ac diſciplinarum, quibus non minus excultus, atque ornatus es, laudes tibi adimere videbor. Si te præſtantiſſimum noſtræ ætatis philoſophum eſſe contendam: nemo quidem erit mortalium, qui me refellere queat: ſed, dum tibi unum ex multis, quæ propriè & verè tua ſunt, reddo: cetera, quæ æquè ſunt tua, tibi detrahere exiſtimabor. Si te Romanæ antiquitatis eſſe ſcientiſſimum: ſi ad litterarum Latinarum receſſus intimos, abditoſque ac penetraleis focos intraſſe confirmabo: nemo mihi verum dicenti non aſſentietur: ſed aliquis fortaſſe ſententiæ meæ ignarus, dum hoc ita tibi ſeorſum ab aliis, quæ non minus ſunt tua, tribuo: exiſtimabit te à me per ſummam injuriam aliis tuis infinitis laudibus, atque ornamentis ſpoliari. Si te linguam Græcam ita callere, ac tenere teſtificabor, ut ſi & iis temporibus, & in iis locis, in quibus hæc lingua maxime florebat, natus eſſes: nemo me, ut mentientem, redarguere poterit: ſed mihi verendum eſt, ne dum tibi hujus unius laudis verus teſtis, & buccinator ſum, ceteras, quæ ſunt in te multò plures, & fortaſſe majores, exiſtimer de induſtria reticere. Atqui cùm de geometricis, & geographicis ſermonem habes: totum orbem terrarum videris decempedis quibuſdam dimenſus eſſe, radioque propemodum deſcripſiſſe: Cùm de aſtris loqueris: cælum comminus ſpectaſſe, & ſtellas ipſas dinumeraſſe: Cum Ariſtotelem interpretaris: Alexandros, Themiſtios, Simplicios, atque adeò Ariſtotelem ipſum ab inferis excitare: Cùm Platonem, Theophraſtum, Plutarchum, qui videntur interdum à nobis intelligi nolle, ſuſcipis explicandos: facis ut, quæ de induſtria obſcurius eſſe locuti videbantur, planiſſimè, atque apertiſſimè dixiſſe videantur: Cum Homerum, Sophoclem, Euripidem, Pindarum, Ariſtophanem, & ceteros poëtas interpretaris: totam ætatem in poëtis legendis conſumſiſſe exiſtimaris: Cum Herodotum, Thucydidem, Polybium, & alios hiſtoricos tractas: facis, ut nullos præterea ſcriptores per omnem vitam pervolutaſſe videaris: Cum Demoſthenem, Æſchinem, Lyſiam, ceteros Græcos rhetores in manus ſumis: Athenienſis hominis iiſdem temporibus nati, & in eadem Repub. verſati ſpeciem præbes: Cum M. Tullii, ſive orationes, ſive epiſtolarum volumina in manibus habes: eos, qui te audiunt, in eam opinionem adducis, ut M. Tullii animam in corpus tuum immigraſſe putent: ita omneis illius admirabilis, & pæne dicam, divini ſcriptoris locos & implicatos explicas, & obſcuros illuſtras, & corruptos, vel ſcripturæ veteris veſtigia ſecutus, vel conjectura ductus, reſtituis, atque emendas. Idem de poëtis Latinis liquidò confirmare poſſum. Quid dicam de tua incredibili memoria? quæ tanta eſt, ut nihil umquam legeris, quod non tibi in animo penitus inſederit. quid de ſtudio ac diligentia? quæ tanta ſunt, ut, ſi ingenio eſſes tardiſſimo,

qui

qui contrà acumine, & ſollertia vincis omneis, tantos te in omni diſciplinarum genere progreſſus feciſſe, ſeu potius omneis ſcientiæ, doctrinæque numeros expleviſſe minus debeat eſſe mirandum. Sed finem faciam, ne quis, cui ſis ignotus: (quanquam quis eorum, qui litteras vel ſummis digitis attigerunt, te ignorat?) verumtamen deſinam, ne cui videar initio tuas laudes hac epiſtola prædicare voluiſſe, (cùm longè alia mens, longè aliud conſilium meum fuerit) neque id præſtare, aut conſequi potuiſſe. quis enim poſſit? Nam, ne ego hæc fingere aſſentandi cauſa videar, non vereor, cum & ii, qui tua ſcripta legerunt, & ii, qui te aliquando audiverunt, de te ſciant. & ſentiant, iis, quæ quiſquam eorum, qui hodie vivunt, dicendo conſequi poſſit, nedum ego, multo & majora, & ampliora. Hunc igitur librum pulcherrimarum (ut ſcis) diſputationum plenum, tibi iam promiſſum, ac deſponſum vel ultro dono, vel optima fide perſolvo. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, anno CIↃ. IↃ. LXIII. pridie Kalend. Novembr.

DIONYSIUS LAMBINUS,

Jo. AURATO S. D.

Vellem hoc natura rerum tuliſſet, Ioannes Aurate, ut, quemadmodum eorum, quibus ſuperiores libros dicavi, neminem eruditione, & doctrina tibi antepono: ita pari omnium gradu, ordineque ſervato, tibi & illis ſuum cuique librum dicare potuiſſem. Nam neque alios aliis anteferendo, his injuriam facere, ab illis inire gratiam voluiſſe viſus eſſem: neque te, qui principem, aut certe proximum doctrinæ locum inter noſtræ ætatis homines eruditos obtines, ſexto loco locaviſſem. Nunc autem cùm mihi ordo librorum ſervandus eſſet: ea autem numerorum ſit natura, vt & quæ prima ſunt, ſecundis, & quæ ſecunda, tertiis, & reliqua deinceps conſequentibus ordine ſint priora, prioreque loco ponenda: effugere non potui, quin, cùm ſingulos libros ſingulis hominibus donare conſtituiſſem, alios aliis anteferrem. Quamvis enim negare non poſſim, à me etiam hominum dignitatis habitam eſſe rationem: ſpectavi tamen unà cum dignitate præcipuas quaſdam, & peculiareis ſingularum perſonarum cauſas. Ne longius abeam: in eo quod Errico Memmio primum librum dicavi, præter hominis dignitatem, atque amplitudinem ſumma eruditione conjunctam, primùm ſpectata eſt à me duorum Memmiorum ὁμωνυμία, ſeu gentilitatis, & nominis communitas: deinde referendæ gratiæ obligatio, utpote, qui in hoc negotio conficiendo plurimùm à libro illo manuſcripto, quem is mihi commodatò dediſſet, adjutus eſſem: deinde cetera, quæ in mea ad illum epiſtola à me ſunt expoſita. Secundum item librum ut Petro Ronſardo donarem, multæ, & magnæ me cauſæ impulerunt: quarum tu in primis conſcius es. Quid dicam de Germano Pimpuntio Valente, homine

mine doctiſſimo, & ſingulari humanitate prædito, & mihi amiciſſimo? Quid de Mureto? quid de Turnebo? Quæ ſint horum omnium cauſæ, vides. Quinque igitur libris conſumtis, atque exhauſtis, reſtat ſextus, non ab aliis derelictus, aut rejectus: ſed, ut omnium pulcherrimus, ornatiſſimus, accuratiſſimus tibi uni reſervatus. Totam enim de rebus ſuperis, & ſublimibus, quas μετεώρους appellant Græci, diſputationem continet. ad quas accedunt jucundiſſimæ de Ætnæ ignibus, de Nili incrementi cauſis, de avernorum ratione, de variis fontium, & puteorum naturis, de magnete, de peſtilentiæ origine, quæſtiones: &, quæ libri clauſula eſt, Athenienſis illius peſtilentiæ funeſtiſſimæ deſcriptio, ex Thucydide pæne ad verbum expreſſa. Hunc igitur librum, Aurate, tibi excepi ac reſervavi. Neque enim mihi fas fuit te præterire, primùm collegam meum: deinde in ipſa collegii neceſſitudine eaſdem litteras docentem, ac profitentem: deinde, quod caput eſt, amicum. Et vero cùm de eximia, ac, pæne dicam, divina tui ingenii præſtantia, ſingularique doctrina cogito, & cùm tua ſcripta vel relego, vel memoria repeto, videor mihi felicibus illis, & fertilibus nobilium poëtarum temporibus natus eſſe: iis dico vel quibus Græci illi, Simonides, Archilochus, Pindarus, Steſichorus, Alcæus, Mimnermus, Callimachus, Theocritus: vel quibus Latini, Catullus, Virgilius, Horatius, Tibullus, Propertius, Ovidius florebant. Ceteros enim homines admiramur, & in doctis viris numeramus, qui veterum illorum ſive Græcorum, ſive Latinorum ſententias ſæpe perobſcuras, & ænigmatum ſimillimas explicare, atque enodare poſſunt. Te autem quid dicam eam laudem eſſe conſecutum, qui non ſolùm antiquorum ſcripta vel obſcura ſic illuſtras, vel corrupta ſic corrigis, ac reſtituis, ut cum illis vixiſſe videaris: verùm etiam ſcribendi ſimilitudine proximè ad illos accedis? Cùm enim Dithyrambos ſcribendos ſuſcipis: cum Pindaro ancipiti Marte certas. Cùm verſus Lyricos ſcribis: cum eodem Pindaro, cum Simonide, Steſichoro, Alcæo, Sapphone non ſine vincendi ſpe contendere videris. Cùm Elegos decantas: Mimnermum, Callimachum, Philetam ſi non ſuperas, at certe aſſequeris, breviſſimo quàm proximus intervallo. Cùm Bucolica ludibundus componis: Theocrito nihil concedis. Quid de tuis ſcriptis Latinis dicam? Cùm te ad Epigrammata ſcribenda confers: Catullum ſpiras. Cùm verſus Lyricos canis, lyram videris tractare Horatianam. Cùm Elegos amatorios ludis: Tibullum, & Propertium, & Ovidium exprimis. Denique veteres illos in ſingulis poëſeos generibus elaboraſſe, & præſtitiſſe videmus: te unum, tanquam & epicum, & melicum, & lyricum, & elegorum, & bucolicorum, & epigrammatum ſcriptorem optimum, admiramur. Neque verò mihi verendum eſt, ne, dum ego de te hæc prædico, tibi videar ea gratificari voluiſſe: cùm hæc ſcribam iis vivis, qui me mentientem refellere, & coarguere poſſint. Verumtamen finem facere ſatius eſt, ne in re nota, clara, & tot hominum conſcientia, ſermoneque teſtata, noſtræ quoque orationis teſtimonium minime neceſſarium adhibere voluiſſe videamur. Vale Lutetiæ, pridie idus Octobr. anno CIↃ. IↃ. LXIII.

JA-

JACOBUS HELIAS MARCHIANUS

In hanc Tertiam T. Lucretii Cari,
à D. Lambino de integro emendati, editionem.

Prodiit antè tua, Lambine, Lucretius arte,
Vulgus iners quem atris obruerat tenebris:
Quemque etiam indulgens nimiùm ſibi docta caterva,
Squalentem ex nitido neſcia reddiderat.
Nunc depulſa iterum prodit caligine: & omni
Squalore abſterſo, purpureo ore nitet.
Nubila quinetiam à Caro, nova, denſa, remoſti:
Quæ plagii affinis Fanius iſte creat.
Fanius iſte, tuo qui menda abluta labore,
Transfert in chartas abſque rubore ſuas.
Innumeroſque locos, acri quos lumine mentis
Claraſti, obſcurat ſordibus & maculis.
Nec ſat, flagitium tantum admiſiſſe, Thraſoni eſt,
Verùm etiam nomen lancinat uſque tuum.
Quem plumis tandem nudas ornatum alienis,
Inque ejus regeris dicta proterva caput.
Reſtituiſque ſuæ unâ operâ Carum integritati,
Et linguæ expugnas dira venena malæ.
Si duplici ergo Titus Λαμπῖνε *lampade claret,*
Quæ nox, quæ tenebræ jam ſupereſſe queant?

DEDICATIO OBERTI GIFANII.

Clariſſimo Viro

JOH. SAMBUCO,

Genere & Doctrina Nobiliſſ. Cæſareæ familiæ domeſtico,

Ob. Gifanius D.

Non eram neſcius, clariſſ. Sambuce, cùm Lucretio manum ſeriò demum adhiberem; fore, ut hic noſter labor, & inſtitutum in multorum repre-

henſiones incurreret. Scio enim eſſe & in his quoſdam etiam ſummo in loco collocatos, quibus hæc diſcendi ratio, quam nos conjuncta cum gravioribus doctrinis antiquitatis cognitione amplexi ſumus, omnino diſplicet, quique hæc ſtudia, quæ ab humanitate nomen habent, & cum ſapientiæ gravitate conſpirant, non modò non excolenda, ſed ne attingenda quidem exiſtiment. ſatis eſſe majoribus etiam diſciplinis idoneum eum, qui & grammaticis præceptionibus ac dialecticis leviter ſit imbutus. Sunt alii quibus cùm prior illa turpis & inteſtabilis videatur eſſe perſuaſio, ipſi non multo ſentiant adſerantque meliora. cuperent illi ſcilicet, pueriles (ſic vocant) has diſciplinas tempore definiri, aut iis certe modum poni, remiſſiuſque eſſe tractandas. Verum ea me adhuc permovere non potuerunt, ut vitæ ſtudiique rationem bonorum exemplo multorum inſtitutam desererem. Nam eorum primum ratio, qui à philoſophicis & politis illis artibus prorſus abſtineri volunt, ita eſt abſurda, ut mirer hoc tempore poſſe reperiri homines tam inſubidos, qui quidem in aliquo eſſe velint numero: qua tempeſtate manifeſtum eſt, omnibuſque in promptu, quas utilitates elegantiores illæ litteræ rebus humanis attulerint. Cujus rei etſi complures eaſque graviſſimas auctoritates, & exempla commemorare poſſim; ſolo juris civilis teſtimonio, idoneo, ni fallor, & locupleti nunc ero contentus. Et quis autem eſt, cui vel mica ſinceri adeſt judicii, qui non videat, manibuſque tantùm non tentet, quid his imbuti litteris juris noſtri interpretes hac & patrum memoria effecerint. Obtinuerunt profectò, ut in ſcholis (quæ ſeminaria r. p. omnes eſſe ſciunt) ſtudioſorum aures perſonent non indigeſta illa recentiorum hominum, & inquinatiſſima ſæpe commenta, quod nullo exemplo hactenus uſurpatum erat; ſed divina potius vereque digeſta veterum Prudentum reſponſa: adeò ut ſuam majoribus auctoritatem in ſcholis pænè vindicatam videamus. Quod, ſi in r. p. ac foro etiam conſequantur: quid illis qui eo ſolo prætextu, quod ex libris veterum ea quæ in foro exiſtunt & agitantur hodie, non poſſe omnia definiri; verùm ex illorum hominum collectaneis petenda jactitent: non tribunalia tantùm tenent; verùm in ſcholis etiam quibuſdam ſtipendia inhiant: quid his quæſo futurum cenſes? Magna res hæc eſt, vir clariſſ. & in qua omnes nervos quicumque reip. bene volunt, contendere debeant. Quod utinam aliquando ſuſciperent triumviri illi, qui in hoc ordine familiam ducunt, præſtantisſimi Joach. Hopper. Cujacius, & B. Brissonius, viri clariſſ. ac doctiſſimi, quos ego viros ac præceptores meos honoris cauſſa hîc laudo. Illi enim vel ſoli, moribus juri ſcripto adcommodatis, veterumque Conſultorum exemplo & more explicatis; inrepticios eos poſſeſſione injuſta deicere, vetereſque ſicuti interdicto reſtituere poſſent. poſſent, inquam, illi efficere, ut non diſputationibus tantùm perſpiceretur, quò hæc elegantior doctrina, & antiquitatis, moriſque majorum cognitio valeat, ſed uſu & reapſe in pulvere ac ſole, in ipſis tribunalibus ſentiretur. Ceterùm alii illi qui certam finem hiſce artibus conſtitutam velint; habent quidem rationem ea ſententia: alioqui enim fiet, ut ab iis etiam, qui jus vix umquam, aut leviter certè guſtârint, & tamen quia

illis

illis exculti ſint artibus; magno errore, earum ope ex philoſophorum, hiſtoricorum, aut Ciceronis tantùm libris, quaſi non ſua Juri civili ſit ars, eaque difficillima; tractetur hæc ſcientia. verùm, quia difficile eſt modum rebus tam præclaris invenire aut ponere: judicio & ingenio cujuſque id relinquendum videtur. dummodò hoc meminerimus, aliam eſſe juris ſcientiam iis artibus ornatam; aliam eſſe ſapientiæ reliquarumque artium cognitionem juris civilis aliqua notitia tinctam.

In illo ego genere cùm me eſſe ſtudeam & ab ineunte ætate ita compararim: cuperemque, ut in rem præſentem veniamus, ea paullatim, quæ in his levioribus artibus (ut in quîs minus eſt periculi) didiceram, ſubinde cum aliis communicata: multis ſuadentibus, graviſſimum poëtam T. Lucretium præter ceteros mihi ſumpſi, in quo elaborarem, primumque induſtriæ ſpecimen doctis viris exhiberem.

Ecce autem & hoc erunt qui maximè ſint reprehenſuri; meque qui in poëta impio tantam poſuerim operam, imprimis accuſabunt. is eſt enim Lucretius (inquient) qui & animos eſſe mortales omnino docere nititur, atque ita omnem ſalutis noſtræ ac beatæ vitæ ſpem tollit: & Dei providentiam eſſe negat, in qua noſtræ & Chriſtianæ pietatis eſt prora ac puppis conſtituta. qui denique abſurdiſſimam illam Democriti & Epicuri de corpuſculis individuis, rationem ſuis verſibus expreſſit. Quæ accuſatio ut eſt graviſſima, ita me ſanè magnopere primùm commovit. Verùm re omni diligentiùs perſpecta, deprehendi eam etſi maximi momenti orationem, eò tamen valere non debere, ut præſtantiſſimi poëtæ opus ac labores intereant vel contemnantur. nam eadem ratione M. Tullii ſcripta complùria condemnes oporteret; ut in quibus eadem, quæ in hoc poëmate de providentia & animi natura, maximè verò de atomis illis ambigitur, ac ſæpe acerrimè propugnatur, immò neceſſe erit omnes fere antiquos ſcriptores rejiciamus; in quibus impia multa, crudelia, turpia, & flagitioſa non pauciora; falſa, ridicula, & inepta exſtent in promptu innumerabila: & ut verbo dicam, pænè omnium ætatum ſcriptores, poëtæ, hiſtorici, oratores, ac philoſophi abjiciendi ſint omnes; ſi eorum ſcripta ad Chriſti, ac Dei noſtri præcepta, noſtræque pietatis normam exigantur. Quamobrem Baſilii, Joachimi, aliorumque prudentium virorum ſequamur conſilia & cautiones, qui in his veluti ſcopulis curſum oſtenderunt tutum, eum, quem verè Chriſtianus tenere poſſit: ut quæ ſunt impia, quæ Dei minuunt majeſtatem, noſtramque ſalutem oppugnant; quæ denique bonis moribus obſunt, aut r. p. illa inquam deteſtemur ac refellamus, atque etiam in miſeris illis hominibus deploremus, aut prætereamus: inepta rideamus licet, ac refellamus. cetera amplectamur; quæ ad pietatem in Deum hortantur, quæque ad remp. rectè conſtituendam aut inſtaurandam, ad bonos mores conformandos, & ad linguam excolendam & expoliendam, illam animi interpretem, pertinebunt.

Jam in Tito noſtro quæ Chriſtianæ adverſantur religioni, maximi quidem illa ſunt ponderis, ſed tam ſunt perſpicuè falſa, ut nemini ea fraudi eſſe poſſint.

Chriſtiano, qualia modò commemoravimus. Unde & Arnobius acerrimus noſtræ fidei defenſor, à Titi lectione deterritus non fuit, ejuſque auditor Firmianus. Admirabilis autem & ridicula de minutis illis corpuſculis ſententia quid habet quæſo periculi, cùm nullo negotio refelli poſſit. immo utilitatem hanc ea res adfert ſummam, quod dum in falſa ea incidimus de rerum obſcùritate & natura decreta, accuratiùs etiam de vero ipſo cognoſcendo laboremus, ejuſque rationes meliùs percipiamus, perceptas memoriæ inſigamus firmiùs. Certè videant prudentes in r. p. viri, an non ſit utilius adoleſcentes, quo veras de natura, & Dei operibus perceptiones cognoſcant; audire falſa etiam aliorum dogmata, eaque à præceptoribus refelli: atque ita in graviſſ. ſimul ac ſuaviſſ. verſari rebus; quàm volutari aſſiduè in ſpurciſſimis illis poëtis, quorum ex veteribus ſuperſunt non pauci; ex recentioribus, prô pudor, ſuccreverunt plurimi. certè in hoc Poëta omnia gravitatis ſunt plena: nulla intemperantiæ nota, aut veſtigium, uti mox dicam. Neque Lucretium noſtrum eo ſolo nomine reſpuendum quis putet, quia ſummam ac divinam ingenii ſui vim, & orationis ſplendorem incredibilem ad impia illa & puerilia potiùs, quàm ad gravioris familiæ vera decreta exprimenda, contulerit. Id enim ſæculo illi adſcribendum certè eſt: quo tempore, ut ipſe iniquiſſimus huic ſectæ M. Tullius ſæpè teſtatur, Epicuri ratio omnibus erat notiſſima; omnes ferè præſtantiſſimi viri eam diſciplinam profitebantur: quam & mox Horatius, Virgilius, Propertius nobiliſſimi poëtæ ſunt amplexi.

Neque verò, quæ in hoc ſcriptore ſunt, omnia vel impia ſunt vel inepta; quin præclara in eo continentur multa, multa lectione & obſervatione digniſſima. Primùm enim, docet eos eſſe dignos, quibus r. p. regunda credatur, qui ingenio, ſapientia, ac modeſtia ceteros antecellunt. De ambitione autem coërcenda, de crudelitate, belliſque fugiendis civilibus, quæ peſtes tum rempublicam lacerabant, quàm graviter diſſerit! Philoſophiam verò ac ſapientium ſtudia incredibili orationis majeſtate extollit. Tum de animi tranquillitate, de contemnenda morte, pulcerrimis canit verſibus. Hinc & ſuperſtitiones vulgi quàm multis locis, de inferis illa figmenta quàm præclara ac propè divina oratione revincit! Eleganter etiam aſtrologorum vanitatem ridet, fraudeſque detegit. Ut nihil jam dicam, quanta cum ſeveritate avaritiam pellendam eſſe doceat, quæque ex divitiarum infinita cupiditate mala exiſtant. Rurſus de frugalitate victus, cultuſque moderatione, & *αὐταρκείᾳ* ſanctiſſimè præcipit. Quod autem ad reliquas animi cupiditates, corporis turpiſſ. voluptates refrenandas attinet; de iis profectò tam ſcribit copiosè & ſanctè, ut verum eſſe videatur id quod de Epicuro ſcribit Diogenes, falsò accuſari eum à quibuſdam, quòd voluptati nimium tribueret; meramque eorum eſſe calumniam, qui ea, quæ vir ille de animi tranquillitate intellexiſſet, ad corporis voluptates detorquerent. qua de re etiam initio libri ſecundi poëta noſter elegantiſſ. canit verſibus: & clariſſ. imperator Caſſius Epicureæ philoſophiæ ſtudioſus, ad Cicer. ii, inquit, qui à nobis φιλήδονοι vocantur, ſunt φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι, omneſque virtu-

tes

tes & colunt & retinent. οὐ γὰρ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν: ut ipſius Epicuri verbis ibidem commemorat Caſſius. Cicero ipſe huic hæreſi maxime inimicus, multis tamen locis bonos viros, Epicureos, nulloſque ex philoſophis minùs malitioſos eſſe ait.

Jam verò de rebus occultis & à natura abditis, in qua parte philoſophiæ maximè dediti erant Epicurei; etſi multimodis ab Academia & Stoa, perperamque, ſuæ gentis vitio diſſentiat: non pauca tamen adfert ac docet, rectè, veriſque aliorum ſententiis convenienter. Aliter autem ſentientes doctè ac modeſtè refellit: ut de rerum principiis, Anaxagoram, Heraclitum, Empedoclem, alios: Ariſtoxenum, Democritum & antiquiores de animi natura: Stoicos verò de mundo, cui illi vitam & abſurda neſcio quæ tribuebant. de ſermonis origine ipſum philoſophorum deum. in cujus amicos etiam copioſiſſ. ac firmiter certat de ſenſuum certitudine. multa ſanè præclarè de iis diſputat: plura, quæ ſummam adferant legentibus voluptatem. cujuſmodi ſunt ea quæ de ſpeculis canit, de remorum in aquis obliquitate, aliiſque generis ejuſdem. Graviter etiam ac ſolidè eorum qui monſtra illa ac portenta, Chimæras, Scyllas, Centauros, aliaque conſimilia introducunt, opiniones coarguit. De ſomnis item quædam non injucunda memoratu habet. Doctiſſ. verò diſputat de liberorum procreatione; ejus impedimentis tam naturalibus, quàm arte quæſitis: de ſcortorum conſuetudine. quæ tam egregiè, & plane, vereque deſcripſit poëta, ut ad eum doctiſſ. medicus, Q. Serenus, eâdem agens de re, lectorem deleget. De rebus autem ſublimibus etſi non nulla adferat falſa, aut potiùs ridicula; decretis tamen ſuæ doctrinæ conſentanea: quàm multa rurſum verè, de tonitru, de fulminis natura, vi, ac mobilitate, de maris magnitudine, de ventis, rebuſque id genus aliis profatur? Mira porrò ſuavitate mundi, ac terræ, cælique, & omnium animantium ortum canit. tum de ſermonis, imperiorum, legumque & omnium artium origine; multaque alia verſibus lepidiſſ. libro quincto prodidit. Denique de Ætnæ ignibus quàm copioſè! de avernis, de morborum cauſſis, de nobiliſſ. illa ac teterrima Athenienſium peſtilentia quàm egregio & admirabili carmine omnia, quaſi in tabella depicta, minoribus nobis expoſuit!

Venio nunc ad tertium ſapientiæ membrum, quod de veri eſt judicio, ac de ſermone. Etſi autem dialecticam ſeu potius dialecticorum laqueos contempſerit fugeritque Epicurus; tanta arte tamen & argumentorum firmitate ſuum hoc opus connexuit Titus, ipſe ut Cicero (quem ut idoneum teſtem minimeque ſuſpectum ſæpius laudo) dicat magna arte confectum eſſe. De genere dicendi autem & elegantiore Cari noſtri doctrina, illud Criſpi de Karthagine dictum meritiſſimò pronuntiare poſſim, ſilere de iis melius eſſe ſcilicet, quàm pauca dicere. ea eſt namque ſermonis puritas, ſcripti perſpicuitas, & apta rerum connexio; tam incredibilis orationis copia & ubertas; tanta denique verborum majeſtas ac ſplendor: ut multorum virorum præſtantium judicio nemo exſtiterit poſteà, qui hac in re paria cum eo fecerit; &, fremant omnes licet, dicam

quod

quod ſentio, ne Virgilius quidem ipſe, licet ſe totum ad ejus exemplar conformarit. id quod eo majorem etiam promeretur laudem; quòd res, de qua agitur, ſit mira ac tetrica, adeoque orationis nitorem vix admittat: & quòd eam princeps Latinè exprimere poëta ſit coactus. Quam multa verò præclara ad antiquitatis notitiam, moreſque majorum ac veterum ſcripta inluſtranda in hoc opere contineantur; nimis eſſet longum, hîc ſingillatim explicare. Eaque re de toto ferè hoc tertio genere ac membro, Collectanea fecimus; ut ex his orationis puritas & proprietas ſumma, eaque quæ ad antiquitatem pertinent, minutatim ac perſpicuè ſtudioſis innoteſcerent.

Ad has autem utilitates, quæ ex hoc politiſſimo ſcriptore capiuntur graviſſimæ, accedunt item aliæ non minores. Hîc enim videre licet, quanta elegantia & arte, Græca Epicuri, aliorumque philoſophorum ac poëtarum decreta ſententias poëta Lat. verbis expreſſa reddiderit: adeò ut vel hic liber exemplo nobis eſſe poſſit ad optimum interpretandi genus comparandum. Deinde ad Cicer. Plutarchi, Diogenis, Virgil. aliorum ſcripta commodiùs percipienda, nimium quantum utibile eſt hoc opus & oportunum. At poëtæ quem veriùs imitandum ſibi proponant, quàm quem ipſe poëtarum princeps Maro penitus rimatus, diligentiſſimè expreſſit. ut haud ſciam mirarine ſuperioris noſtræque ætatis ſtultitiam, an miſeriam deplorare debeam; cùm pleroſque repente exiſtere videam poëtas, qui Lucretium vix umquam legerint; Maronis lumina, quia ab aliis & à majoribus pleraque ſunt ſumpta, minimè intelligant. Poſſem præterea virorum hac ætate doctrina & auctoritate præſtantium de hoc ſcriptore proferre unica ſæpe elogia. verùm cur id mihi nunc faciundum ſit, non video; qui & vitæ, ut ait Titus, præmia in hoc opere indicaverim plurima: aliorum verò accuſationes tanti non ſint, ut jam facilè quem poſſint deducere. Veterum tamen teſtimonia infrà de more quædam adjunximus.

His igitur fretus rationibus, & amicorum complurium auctoritare & conſilio adductus; poëtam hunc non illuſtrare tantum, verùm ad te mittere, vir clariſſ. non ſum veritus: cui ſciam tam acri prædito judicio, tamque magnis artibus expolito, non poſſe Titum noſtrum non eſſe gratiſſimum; gravitate & eruditione præſtantem. Ejus verò tui de hoc poëta judicii certiſſ. nobis argumentum non ita nuper dediſti cùm ex admirabili illa bibliotheca, illo præſtantiſſimo omnium elegantiarum ac doctrinarum theſauro, quem impenſo pretio, infinitis laboribus, ſummoque judicio in r. p. Chriſtianæ utilitatem comparaſti; ex qua bibliotheca, veluti ex equo Troiano meri principes, ſic optimi quique ſcriptorum veterum cotidie prodeunt: cùm ergo exemplum Lucretii ad nos dediſti, non illud quidem calamo exaratum, ſed ita vetuſtum & idoneum, ut vicem optimi manuſcripti fuerit. ſiquidem in eo vidi omnium pænè mendorum origines: quæ magnam partem à Michaële Marullo (cujus immutationes in eo adſcriptæ erant omnes) primùm parta, mox admiſerunt Florentini: aliique, exceptis Pariſienſibus & Vicetinis, ad unum omnes librarii ſunt conſecuti. Itaque in locis difficilioribus, quandocunque nodus vindice dignus occurreret, hunc

ſicuti

ſicuti θεὸν ἀπὸ μηχανῆς, vel Cynoſuram aliquam reſpicere ſoleo, ejuſque ope veram ſcripturam ſæpe videor adſecutus. ut hoc nomine tibi etiam debeatur Titus. Verùm enimvero, Sambuce, multis partibus graviores aliæ ſunt cauſſæ, quæ me ut hos labores tibi adſcriberem impulerunt. Namque eum te eſſe cognovimus, qui & rectè facta juxtâ intelligere & judicare; atque tueri poſſis ac velis. Te ſciunt eſſe omnes illum, qui indefeſſo ſtudio honeſtas ac liberales artes ipſe plurimùm juves: ſtudioſos etiam beatos & quam maximè ornatos eſſe cupias. Quod cum aliis in multis, tum in Plantino noſtro uno omnium diligentiſſimo typographo abundè ſatis declaraſti; in dieſque magis ac magis confirmas. cujus ut omnium bonarum artium officinam malo quodam fato miſerè nuper divexatam ac vaſtatam, bonis adjutantibus viris reſtituas; eademque opera r. p. commoda adferas te digna: non deſinis cum eo ex incomparabili theſauro depromptos aureos libros communicare. Quæ tua egregia in hominem præclarè de bono publico meritum, mihique peramicum voluntas ſola adducere me debuerat, ut primitias haſce tibi conſecrarem. immo omnes doctos viros eôdem impellere debeat. neque enim ignorant illi quantas utilitates vitæ rebuſque humanis adferat artium liberalium & gravium diſciplinarum inſtauratio. Hæc autem qui citiùs & accuratiùs fieri poſſit, quàm ſi à mendis, quibus turpiter inquinati ſunt, editi jam libri, vindicentur; & plures alii veterum libri adhuc ſepulti, protinus ac ſedulò efferantur. Qua rè cùm te utraque plurimum valere cum ob ſingularem tuam eruditionem, tum propter inexhauſtum illum tuum, ſeu publicum jam potiùs theſaurum, perſpicuum ſit: Deum oro, tuum ut præclarum inſtitutum ad exitum felicem perducat; te verò ut in eo manere digneris: præſertim quia eum ſis nactus virum, quem dubium eſt, tune doctiùs reſtitutos, ac meliores, an ille accuratiùs & majore cum fide formis ſuis expresſos reddere publicè poſſit. Verùm de tua in eum, omneſque boni publici ſtudioſos voluntate nihil addubitans; unum hoc præterea à te privatim oro, vir humaniſſ. ut quando me multis etiam jam adfecto à te beneficiis in tuorum numerum admiſiſti; hanc meam in Titum operam, quam gratiſſimo tibi animo debitam offero, licet perexiguam, ſolita tua benevolentia tractare ac tuendam ſuſcipere velis: meque in iis habere ſemper quos tui eſſe noris ſtudioſiſſimos ſic enim fiet, ut ab graviſſ. ac laudatiſſ. viro laudatus, alacrior efficiar ad majora olim, Deo juvante, in jure civili, ubi cum ætate judicium accreverit majus, tractanda; tibique ac r. p. ſtudioſè exhibenda. Vale. anno ſalutis reſtitutæ CIↃ. IↃ. LXV.

PRÆFATIO OBERTI GIFANII,

CANDIDO ET ERUDITO

LECTORI.

Exiſtimo jam eſſe perſpicuum, candide & erudite Lector, noſque rebus vicisſe neceſſariis; ex hoc ſcriptore utilitates manare non minimas, voluptates honeſtiſſimas. ut meriti de r. p. videantur præclarè, qui ut commodius ille & majore cum fructu legatur, effecerunt. Primus autem M. Tullius hoc familiaris & amici ſui opus non ſatis ob immaturam mortem expolitum caſtigavit, teſte Euſebio. Poſtea quin & alii apud veteres fuerint, dubitari non debet. Longo deinde intervallo avorum memoria Michaël Marullus mirè hujus eloquentia poëtæ captus, naviter ejus operi reſtituendo, pænè à barbarie extincto, operam dare cœpit: multaque emendavit feliciter. Verùm cùm nimis ingenio ſuo indulgeret, plurima quæ corrigere voluit, depravavit. parum enim manuſcriptos codices ſequebatur: quæque ſuo (inquit P. Victorius) judicio probaſſet, ea recta judicans multis locis deceptus eſt. Ex hac deinde Marulli opera, mendæ innumerabiles Lucretii libros omnes pervaſerunt. quod ex clariſſimi Samcuci libro, quem ipſius Marulli manu adnotatum, magno pretio vir ille præſtantiſſ. paravit, me comperiſſe ſuprà ſum teſtatus: & Victorius, cujus verba ex caſtigat. in epiſt. Cicer. lib. xi. modo attuli, liquidò confirmat. Mox Johannes Baptiſta Pius idem tentavit, non multo ſanè felicius: additis etiam commentariis copioſis. Tandem Dionyſius Lambinus libros manu deſcriptos complures feliciſſimè nactus, adjutus etiam doctiſſ. virorum, in iis præcipuè Adriani Turnebi, & Joh. etiam Aurati opera, ipſe incredibili diligentia & eruditione præditus, à pluribus iiſque turpiſſimis mendis Lucretium liberavit. Sed quia tam fœdè eſſet contaminatus, uti adhuc præſtantiſſimus poëta nomine tantùm fuerit notus; illi recuſantibus medicinam adhibere eruditis viris, ut ſi deſperatus eſſet ac depoſitus: efficere ille quamvis doctus & diligens (quod pace viri doctiſſ. dictum velim) non potuit; ut purum ac merum haberemus Titum. Nos igitur etſi id quoque præſtare non potuimus, ſpero tamen id nos conſecutos, ut multis jam partibus melior & emendatior in hominum manibus eſſe poſſit optimus Romani ſermonis auctor. &, ſi vita Dei munere & conceſſu ſuppeditaverit, ſpem habeo fore, ut aliquando à nobis integer, aut certè integritati proximus edatur.

Porrò ut omnis diligentiæ noſtræ ſibi conſtet, tibique etiam perſpicua ſit ratio, amice Lector, eam paullo deinde copioſiùs explicare conſtitui. Et primùm quidem id, quorum liberalitate ac ſtudio hunc poëtam expolire cœperim. licet

licet de hoc antea quoque non nulla. Eorum autem in numero non infimum locum ſibi vindicat Joh. Goropius Becanus, medicus ac philoſophus eximius mihique amiciſſimus. hujus enim humanitate nactus ſum non paucas emendationes, variaſque in poëtam noſtrum lectiones, quas vir doctiſſ. Antonius Goldingamus, homo Anglus, ex libris calamo exaratis in patria ſua, ut opinor, ſtudioſè ac ſedulò collegerat, illique amiciſſimè donarat. Quamobrem duobus illis viris doctiſſimis cùm alii omnes, tum ego imprimis plurimum debere me fateor. Dionyſio autem Lambino & Adriano Turnebo duobus Franciæ ornamentis quantum debeatur præmii, quippe qui de hoc graviſſimo ſcriptore optimè ſint meriti, oratione mea equidem nequeam adſequi. Neque ſanè viri illi præſtantiſſimi à me id ut faciam expectant aut volunt. ſatis inclaruit eorum induſtria & eruditio incredibilis. Hoc tantum vereque teſtatum relinquere poſſum ac debeo, illorum maximè laboribus & ſolertia adjutum eſſe in his cujuſquemodi Emendationibus ac Notis comparandis. Ingratiſſimus verò ſim, niſi doctiſſ. Corn. Valerio de me optimè merito, ſua referrem accepta: qui ea quæ præſtanti eruditione vir P. Nannius olim ad exemplar Trajectinum manu deſcriptum contulerat, quæque ipſe obſervarat, diligenter nobiſcum facilimè communicavit. Reliqua pauca illa quidem & exigua, non tamen ut opinor, nulla, noſtræ ſunt induſtriæ. quam tametſi venditare non didicerim; hoc verecundè tamen mihi licet dicere, ſcripturas me veterum librorum pluſquam octo, & omnium ferè editorum ſeu prælo deſcriptorum perpendiſſe, omniumque perquiſiſſe emendationes: veteres etiam grammaticos diligenter evolvi, & ſi quando me explicare ſatis commodè neſcirem, viros eruditos conſulere non erubui. cetera lectoris judicio permittimus. Ceterùm caſtigationis rationem eamque breviſſimam, cur oræ libri adſcripſerim, & alia non nulla quæ ad poëtam ornandum & illuſtrandum viderentur idonea, adjecerim: ita accipe. Sciebam quidem hujus ſcriptoris ſententiam cum ob alia quædam, tum quòd Epicuri rationem à ſcholis & uſu communi abhorrentem perſequatur; non cuivis ſtatim obviam fore & promptam: ac propterea ſiquid in verbis mutandum judicaſſem, futuros qui ut locum totum explicaſſem, requirerent: Sed quia veterem tantummodò ſcripturam ex fide referre vellem, conjecturas rariſſimè, eſſentque viri doctiſſ. qui me, ut quam ingreſſus eram viam inſiſterem porrò, hortarentur: non putabam fore qui magnopere aut pertinaciter hoc inſtitutum noſtrum improbarent: præſertim ubi viderint ita me mea temperaſſe, ut quod copioſis ſcholiis multi, nos paucis Notis videamur conſecuti: quodque adeò niſi me vel doctiſſ. Goldingamus, qui jam paratos in Titum noſtrum habere dicitur commentarios; vel quis alius antevertat; ipſe edere annotationes in hunc poëtam conſtituerim, quibus difficiliora loca latius explicentur. Earum verò loco nunc Epitomen de rerum natura ipſius Epicuri adjeci, & ex M. Cicer. collegi pleraque omnia Epicureorum decreta eôdem ſpectantia. è quibus præter quòd ſententiam poëtæ faciliùs adſequetur, hoc etiam referet commodi lector, quòd & eruditionem poëtæ, & ſummum poëmatis artificium, orationis uber-

b 2 tatem,

tatem, ſplendorem, & elegantiam planè cognoſcet. idque ut facilius nulloque negotio videret; paginarum numeros epitomæ & Capitibus illis ex Cicer. congeſtis diligenter adſcripſimus. Potuiſſem ex Plutar. Cleomede, Diog. Ariſtot. ejusque interpretibus plura id genus addere. ſed in aliud tempus ea certo conſilio rejecimus. Ea autem quae ad orationis nitorem & eruditionem ac antiquitatis cognitionem pertinent, quia adoleſcentes fortaſſe non ita facile per ſe ipſi intellecturi videbantur, quæque ejus generis eſſent obſervatu digniora: hac re Adverſaria quædam adjunximus, in quibus ea quantum temporis ratio nobis permiſit, velut Indice omnia diligenter oſtendimus, utque bonas artes omnimodis juvarem, non paucæ apud alios quoque ſcriptores, data, ſæpe etiam arrepta occaſione, emendavimus & illuſtrare conati ſumus: maxime vero in Aur. Prudentio, cui cum viderem Carum valdè familiarem fuiſſe, facere non potui quin Chriſtiani poëtæ labes nonnullas veluti ſpongia quadam effingerem, nactus præſertim membranas quaſdam veteres cum aliorum, tum Corn. Gualteri viri perhumani & eruditi. quamvis enim multi eruditi homines in eo gravi poëta diligenter elaborarint: fieri tamen vix poteſt, ut uno tempore tam miſerè depravati ſcriptores in integrum reſtitui poſſint. In aliis ſiquid reſtituerim, id omne libris vet. tam meis quam qui apud Plantinum noſtrum ſunt depoſiti, attributum velim.

Scribendi porro rationem, quam orthographiam vocant, eam tenui, quam à doctis viris hodie probari, & cum antiquitate conſentire viderem. Et verò ut ſubtilius quædam attingamus, *Nihil* & *Nihilum* ſemper ſcripſimus, librorum veterum auctoritate permoti. quamquam haud ſcio an non ſæpe etiam *Nil* & *Nilum* ſcripſerint veteres. quod & verius puto. Enimverò qui contra libros vet. multis locis *Nihil* & *Nihilum* in *Nil* & *Nilum*, ratione, ut ipſi putant, verſuum ac numerorum commutant: næ illi in veterum ſcriptis verſantur, nec attendunt ſynæreſin veteres in metiendo duntaxat multis locis obſervaſſe: in ſcribendo rariſſimè. Hinc multæ in Plauto, Terent. aliisque antiquis mutationes malæ. & cum in Horatio libro 1. Sermonum 5. *Nilo* ſeu *Nihilo deterius jus eſſe*; olim, ſeu, ut perperam in v. c. meo erat, *Nullo*, eſſet: fecerunt; *Deterius nihilo*: cum tamen & hic opus ſit Synizezis, quod altera in, *nihilo*, ſillaba producatur: τȢ *hilum* enim prior eſt longa. idem de, *mihi*, judicium eſſe cupio. Hac etiam de re re in Conlectaneis ſeu Indice aliqua dixiſſe memini: Syncope. *Prohibeat. Vehemens.* Non placet item eorum ratio, qui litteram *s*, eam quæ exteri ſolet, in ſcriptura non exprimunt: nam & veteribus libris omnibus, & grammaticis adverſatur, nec ad rem facit quod è Ciceronis Oratore adferunt: ubi de pronuntiatione ac dimenſione potiùs, quam de ſcriptura eſt ſermo. His adeò adductus, *s*, exprimendum curavi, idemque in comicis ceteriſque poëtis faciundum puto. De Græcis verbis, iisque omnibus quæ Græca ſunt origine, ſed Romana prorſus jam facta, rectè exarandis, longè alia mihi, quàm quæ vulgo, eſt ſententia. Puto ea quæ in vet. codicibus uno conſenſu, licet Græca, Romano more ſunt exſcripta; itidem

dem à nobis ſcribi debere: ut ſua cuique relinquatur & vindicetur conſuetudo. ſic illud Perſii ſcribendum opinor, ex vet. libris: *Quis expedivit pſittaco ſuum chære?* id in hoc poëta diligenter ſervavi. idemque apud Plaut. Cic. alios omnes nihil vetat, cur non fiat. Quæ autem Romana jam ſunt vocabula, licet Græciæ originem debeant ſuam, non ideò tamen ſcripturam ſequi debent. Verbi cauſa; *ocius*, *hiems*, *ſtilus*, *ſilva*, *tus*, *Tuſcia*, *inclitus*, *duplus*, *clipeus*, *ligurrio*, *lacrima*, *ſcæna*, *Præneſte*, *Vlyxes*, *Agrigentum*, *Progne*, *Alcumena*, *mina*, *cygnus*, *poëſis*, *dioceſis*, *epiſtula*, *numiſma*, *tribulus*, *Brundiſium*, alia plurima. Conſuerunt enim Latini quædam ab aliis ſumpta nomina ita conformare & conſignare, ut originem ipſi agnoſci nolint: ſuaque prorſus eſſe ut exiſtimentur, ſtudent. *Silva*, nunc ſcribunt omnes, & *hiems*, *i*, Latino: quæ tamen à Græcis profecta omnes grammatici veteres teſtantur. Eadem ergo ratione, *lacrima*, *clupeus*, *inclitus &c.* ſcribenda exiſtimo, conſentientibus etiam libris vetuſtis omnibus: & interdum *inclutus*, *lacruma*, & prout in manu deſcriptis membranis exſtabit. Nam inter I & V litteras mira antiquis fuit variantia, mutuaque in alterius locum migratio. Hinc invenio *artibus*, pro *membris*, *clupeus*, *carnufex*, *contimax*, *duplio* à διπλὸς teſte Feſto, *diſſupare*, *dip.* & *dupondius*, *exilica cauſſa* pro *exulica* apud Pompejum, *inclutus*, *lacrima* & *lacruma*, uti in Tito nos antiquitati ſervientes, neſcio quàm rectè, ſemper ſcripſimus; *lubet*, *libet*, *prolub. prolibium*, *manupr.* & *manipretium*, *mancupium*, *monumentum*, *obſtipuit*, *perfacul* apud Sextum Pompejum, pro *perfacil*; *perfacile: pernucies* apud Donatum libello De barbariſmo. *pliſima* apud eundem pro *plurima*. *i* pro *u*. & *s* pro *r*, ut *daſi* pro *dari* & cet. niſi & illic *pluſima* quis malit, ut apud Varronem eſt: *quadripedes*, *redivia* & *reduu* ſeu *relivium* ac *reluu*. in eodem Sexto, *d* pro *l*. *Scripulum* & *Scrup*. *ſimpulum* quaſi *ſumpulum* apud Varronem libro quarto. *Sibina* & *Sibuna* apud Feſtum. *Subulo* quaſi *ſibilo*, *tibicen* apud eundem. *Stupa*, *Stipa*. *Thinnus* apud Horatium. Quid multa? Si ob originem mutare ſemper licebit ſcripturam, omnis lingua Latina turbabitur. Quare melius videtur conſuetudine hac Romanorum obſervata (quod hactenus non factum miror, indeque è Latino ſermone pænè Græcus exſtitit) vetera etiam monimenta & grammaticos imitari ac ſequi. In his verò, *ſumpſi*, *contemptus &c.* conſuetudinem omnium veterum & grammatici doctiſſ. Priſciani ſum ſecutus; non ignarus quid Victorinus, quid item ratio poſtulet; verùm uſum communem hic ſequendum putavi tam vetuſtum: præſertim cùm ſciam Victorinum ſæpe nimis accuratum eſſe, & præter æquum curioſum; ratio autem non raro concedat uſui, ut hac de re indicat ipſe Marcus Cicero in oratore. Scripſi etiam *tamquam*, *numquam*, *quemque &c.* veteres omnes libros & originis rationem ſecutus.

Accuſandi autem caſum tertii ordinis in multitudinis numero ſæpe in *is* ſcripſi, religioſè in hoc ſervata vet. codicum ſcriptura. nam & veteres, Priſcianus, noctium Atticarum ſcriptor, multique alii idem ut fieret, diligenter monuerunt. Priſcianus etiam acriter librarios reprehendit. quid nunc faceret, ubi contra libros omnes antiquos, *ei* plerique omnes ſcribillant? hunc profectò errorem etſi Afri, ut opinor, auctoritate nitatur, amplius ferendum non puto.

 De-

Denique interpunctionis rationem ſervavi eam, quæ & libris veteribus (nam his jam ferè utimur teſtibus ut maximè idoneis, cùm falſi plerumque fuerint editi, jam libri, & ementiti) confirmatur, & à doctis judicatur optima. Unum eſt in quo peccaſſe me ſcio, & fateor; quòd cùm antiquiores *e* litteram verbi *eſt*, proximam litteræ *m*, & interdum vocali alicui, exterere etiam in ſcriptura conſuerint: hoc modo: *fatendum-ſt*, *putandum-ſt.* *&c.* & *certa-ſt*, *neceſſe-ſt.* *&c.* ego tamen *e* ſemper expreſſerim. ſed hoc facilè emendare poterit lector eruditus: nam ubique ita cum *m* concurrat, id faciundum: ubi cum vocali aliqua, rariſſimà.

Habes conſilii factique noſtri rationem omnem; quo nihil aliud me ſecutum, ſemel te monitum velim lector, quàm ut ſtudioſis ac reip. prodeſſem: minimè verò ut vel gloriam captarem, aut cujuſquam exiſtimationem vel tantillum læderem. Nam quod in Notis quas verſibus appoſui breviſſimis, conciſius ſæpè: *malè*, *non tam rectè*, *peſſimè*, *præclarè*, εὐστοχώτατα, *egregiè* &c. ſcripſerim: quodque in Conlectaneis à viris doctiſſimis interdum diſſentiens nullam eorum mentionem confecerim: illud certè brevitatis ſtudio, hoc bonorum exemplo me obſervaſſe ſcias. Siquidem in Notis, ubi verbis pauciſſimis ſententiam meam conteſtari vellem, magis oportuna habere non potui. rem profectò ſpectavi, non homines. Ad alterum quod attinet, etſi doctiſſimis viris probetur; & ego etiam brevitatis cauſſa (cui præcipuè in hoc poëta ſtudui, licet in his prolegomenis ingratis ſim copioſior) id ſim ſecutus: nihilominus ſemel oratos nunc volo doctos quoſque viros, mirificè me cupere, proque omnibus his laboribus hoc flagitare, ut quod ſemper licuit, diſſentire me pace ipſorum bonaque cum venia patiantur. Quod ſi, uti ſpero, obtineam, & hic labor ſcholis bonoque communi utilis judicetur: præter ceteros Deo noſtro gratiæ agendæ erunt. cujus permiſſu ſi ætas ac judicium adoleverit, pluria & graviora olim præſtare conabimur: & brevi C. Cæſarem, atque Agellium (ſic enim noctium Atticarum auctorem appellandum docuimus) ab innumeris mendis reſtitutos. Vale.

DE TITO LUCRETIO

opera OB. GIFANII *reſtituto*

JO. GOROPII BECANI

medici ac philoſophi

EPIGRAMMA.

Si quid poſt cineres reliqui tibi Care putaſſes;
Vix euangeliis par tua bulga foret:

Quòd

Quòd poſt ſqualores fœdos tua pignera priſcum
Vindice Giſanio ſint modò nacta decus.
Qui tandem patrio cultu redimita nitere
Juſſit ab externo libera ſervitio:
Quo cogebantur non te, linguamque vetuſtam;
Sed quam juſſiſſet mango ſonare novam.
Plus igitur debes juveni de gente Sycambra,
Ob tibi jus proprium, vindiciasque datas;
Quàm Grajo, cujus mens nodis fœda podagræ:
Prô dolor eloquio quàm malè digna tuo.
Non Epicurus is eſt, te qui deduxit inani
Spe ſophiæ, cujus nulla elementa tenet:
Sed tibi qui vernum dat germanumque decorem,
Nunc ferat, ut meruit, nomen ab auxilio.

In eundem

HADRIANUS JUNIUS, medicus.

Suffectam memorant Graja pro Virgine cervam;
Delia, dum facilem ſe tibi Atrida parat.
Suppoſitum nobis partum Marulle dediſti,
Non agnoſcentem vindicis ora ſui.
Nimirum exemplo peccas impune pudendo:
Sicquè inceſtatur poſteritatis honos.
Dum tua germanis LucretI lexibus aptas
Somnia, lata reum te mihi culpa facit.
Quin, niſi relligio manes læſiſſe vetaret;
Dignus habereris lingere cercolipas.
Hinc docto fraus nata viro eſt, cenſoria cujus
Non potuit rectam virga tenere viam.
At facinus calidum, & præceps utriuſque, GIFANI,
Dum reparas; quæ te laurea digna manet?
Orphea agis, vitam auctori reddendo: Prometheus
Jam fueris, fingis dum meliore luto.
Macte animo, & veterum plagis inſiſte mederi:
Sidera non feries nobiliore via.

In

In T. Lucretium Ab Ob. Gifanio ΔΕΥΤΕΡΩΝ ΑΜΕΙΝΟΝΩΝ Restitutum, Guilelmi Canteri Carmen.

Tandem igitur vera eſt Peligni dictio vatis
De te Lucreti, qua modulatus erat,
Exitio terras donec lux redderet una,
Carmina non unquam deperitura tua.
Et iam cana tuos admorderat hora labores;
Qui rerum cauſſas explicuêre graves:
Atque in rejecto tentarat aranea docti
Furvum Lucreti nomine texere opus:
Cùm ſua ſub lucem Lambinus cœpta vocando,
Conatu magno, nec leviore fide,
Clarum te nitidumque dedit, qualem una perenni
Mens hominis poſſet laſſa labore dare.
Sed non una valet tantas abſolvere moles
Machina; nec tantæ rei ſatis unus erat.
Ergo, ceu Theſeus, Giſanius alterà dona
Divitis in vatem contulit ingenii:
Et ſtudio, curaque pari congeſta ſecunda
(Appello Nemeſim) nunc meliora dedit.
Sic igitur priſcum poſt longum nacte nitorem
Lucreti, vives orbis ad exitium.

ILLUSTRI VIRO
PAULO
PELISSONO
FONTANERIO,
S. P. D.
TANAQUILLUS FABER.

Rem novam VIR ILLUSTRIS, & quæ, ni fallor, varia hominum judicia experietur, feciſſe videbor, qui, cum tot præſtantibus viris Aula PRIN-

PRINCIPIS floreat, Te, ſub cujus nomine recens Lucretii editio appareat, idque aſperrimis Tuis temporibus, præter ceteros elegerim. Sed illi ipſi, ſpero, à quibus conſilium meum fortaſſe carpetur, rem certe non peſſimi exempli factam à me fuiſſe fatebuntur; quin &, ſi ſapient, ejuſmodi amicos ſibi optaverint, qui adverſis caſibus à cultu officii & obſervantia præſtantium virorum non deterreantur; nec ſtudium & ſedulitatem ſuam ex habitu rerum vel intendant, vel remittant. Quid porro, ſi non uni mihi injuriam facient, ſed & MAXIMO PRINCIPUM,

Quos Sol renaſcens littore Eo videt,
Et quos relabens Occiduis videt plagis?

quaſi ſcilicet debita Egregiæ Virtuti præmia perſolvi nolit; neque eos coli & amari patiatur, quibus IPSIUS judicium uſque adhuc tam benigne indulſit. At ego vix fieri poſſe arbitror, ut à Quo virtutum omnium, quæ quidem PRINCIPIS MAJESTATE dignæ ſint, nova in dies documenta producantur, Is ingratos probet, quo genere nullum in imperio tætrius eſt aut ſceleſtius. Quamobrem, Præſtantiſſime Peliſſone, quid alii ſentiant ſatis ſecurus, illuc pleno gradu contendam, quo me & Virtutis ſignificatio, & honeſti officii ratio vocabunt; Lucretiumque in Urbem mittam, meæ in Te venerationis gratitudiniſque, non apud Gallos tantum noſtros, ſed & apud exterarum gentium homines, interpretem ac teſtem futurum. Utinam modo cuſtodes vel fallere poſſit vel exorare. Sed Deus meliora etiam; Utinam igitur illi nec fallere neceſſe ſit, nec exorare; ſed tandem tandem, ubi ipſe in urbem advenerit, Tibi tum redditus ſis, & Muſis, quas antehac ſæpius vel tuis ipſius copiis, κατὰ τὰ Αρκεσιλάου παίγνια, vel per Illuſtres Viros, qui ſe Tuis conſiliis præbebant, tam comiter adjuviſti. O diem illum vere beatum atque amabilem!

Tum meæ (ſi quid loquar audiendum,)
Vocis accedet bona pars: &, ô Sol
Pulcher, ô laudande, canam, recepto
Dulcis amico.

Προσάνισχε καλὲ Ἥλιε, & Tu, VIR ILLUSTRIS, diu diuque Vale. Salmurii III. Kalend. Octobris, M. DC. LXII.

TANAQUILLI FABRI AD LECTOREM PRÆFATIO.

Cur novam hanc TITI LUCRETI editionem ſuſceperim, Lector, una cauſa fuit, neque eſt cur plures quæſieris: Videlicet amici quidam mihi per literas ſigni-

nifi-

nificaverant, gratiſſimum ſibi fore, ſi præſtantiſſimum Poetam, nec minorem Philoſophum, ita deſcribi curarem, ut & is legi commode, & circumferri non incommode poſſet. Cumque Conjecturas aut Emendationes bene multas ad oram codicis mei adſcriptas eſſe non neſcirent, eas una cum illo edendas cenſuerunt; Qua in re facere non potui, quin eis morem gerendum putarem, præſertim ea cupientibus; quæ jam parata & ſub manu eſſent, eoque etiam vehementius, quod mihi aliquid ſcribendum hoc tempore putavi, quod ad Virum Illuſtriſſimum mitteretur. Sed cum jam contextus ipſe Lucretii editus eſſet, & illæ, quas dixi, Emendationes ad finem libri VI. perductæ fuiſſent, meque demandatis partibus defunctum eſſe arbitrarer; ibi repente exorti alii ſunt, qui *perpetuas* à me [a] *Notulas* ſcribi oportere dicerent. Quod cum me ſedulo negarem facturum, illi contra inſtare ſedulo, tantoque urgere acrius, quod, ut ſibi videri dicebant, ea res eſſet horarum ſane paucularum. Parui igitur, (quid enim aliud facerem?) ſed prorſus invitus, cum totum id negotium ab ingenio meo plane alienum ſit. Dein neque otium erat, eas ut deſcribere poſſem, quod & familiares mei norunt; & Typographus, cujus opera uſus ſum, non ſine magna ſua moleſtia ſæpe expertus eſt. Tamen, Lector, ut ut hæc ſunt, aliqua mihi ſpes eſt fore ut in his notulis, quanquam, ut dixi, raptim ſcriptæ illæ fuere, nonnulla occurrant, quæ doctis & candidis hominibus placere poſſint. Nam brevitas quidem ipſa, haud magnopere verendum eſt ne illis obeſſe debeat, cum multa in hoc genere ſcriptorum ſint, quæ, ut hominum ingenia video, non ſatis tuto exponere poſſis. Ad hæc cum Lucretius à pueris nec legi poſſit, nec, ſi poſſit, debeat tamen, eo fit, ut paucula pluribus potiora ſint, cum præſertim tota Epicuri ratio ab Incomparabili viro, (P. Gaſſendum dico) perſpicue explicata fuerit, & libri in manibus hominum verſentur. De Emendationibus autem, ſeu Lucretianis illis, ſeu aliis etiam, quas Notulis aſpergere viſum eſt, hoc unum habeo quod te velim, lector, eſſe me ſcilicet hominem paucorum librorum, & eorum tantum, qui à meliori antiquitate propius abſint. Recentiores, præter egregie paucos, nec fere curo, nec, ſi curem, res mea ſiverit, eos ut mihi parare poſſim, &, ſi res ſinat, tempus certe non adeſt, eos ut legam. Quamobrem nihil aliud à me expectandum, quam quod ab eo expectari par eſt, cui libraria ſupellex tenuiſſima ſit. Lambinum modo & Giſanium ante oculos habui, quibus tamen, ut apparebit, nil debeo. Si quid autem inter ſcribendum mihi in mentem veniebat, quod neque apud hunc, neque apud illum reperirem, id meum eſſe, & pro meo edi poſſe, credidi. Nam Nardius quidem nuperrimus interpres, homo ſane apprime bonus eſt, ſed duntaxat bonus; ac niſi dono mihi à viro ſingularis humanitatis, & elegantis doctrinæ, clariſſimo abbate Motta-Vayerio miſſus eſſet, jampri-

a Emendationes haſce Notulaſque in hiſce Commentariis hac nova editione conjunctas, ſuiſque verſibus verbiſque cernis adſignatas; Faber enim diviſim ediderat.

pridem è muſeolo extruſus foret. At Pareus, Lambinum modo in compendium miſit, niſi quod, Gifanii ſectam ſecutus, Lambino fere plerumque iniquiſſimus eſt, & ea ſæpe damnat, quæ nunquam intellexit. Quamobrem qui & otio & libris abundabunt, ii aliena colligent; mihi enim, ut dixi, commodam Lucretii editionem dare conſilium fuit, non eam cui circumferendæ bajulo opus ſit: &, quæ mihi propria viſa ſunt, ea tantum communicata tecum volui. Atque utinam in his ipſis nihil reperiatur, quod, me inſciente, à quopiam dictum fuerit. Id ſi erit, quid me fiat? Nam illud veteris Magiſtri ſi exclamem, *Pereant qui ante nos noſtra dixerunt*, metuo ut ſatis humane videar facere; Dein magnas, opinor, nugas egero, quod ſane nolim. Sileam ne? magis etiam majores egero; nam, ut audio,

Ὄλωλα πάντη πάντως,
Καὶ παιπάλη γενοῦμαι:
Τυννȣτοί τι χρῆμα
Βερέθρῳ μ' ἐσπέλασεν,
Κ'ȣκ ἐςι σύγγνως' ὥδη·

qui auſus fuerim,

Hoi hei! poſt repetitam
Lethes ſorbitiunculam
Valle ſub Elyſia
Jam ſomno ebriolos
Manes ſollicitare,
Hoi hei!

Itaque, ut video, aliquid periculi eſt, ne, ut nuper, Sholaſtica aliqua barbatuli juvenis declamatiuncula, aut *lamentariis*, ſi ita fors tulerit, verſibus miſere diſtringar, ſi vel unum aliquod verbulum mihi fortaſſe exciderit, quod ab alio unquam dictum ſit. Et tamen, tamen, ſi vera dicenda ſunt, (*vos ô mihi, Manes, eſte boni*) virtute Deûm & noſtra ſatis beati ab illa copia ſumus, (de locis veterum ſcriptorum emendatis loquor) ut ne aliena ſuppilare neceſſe ſit.

Οὐδέποτε γὰρ ἐμοὶ νȣ̃ς ἐγένετ' ἐν Κλωπιδῶν,
Ἀλλ' αἰεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρων σοφίζομαι.

Quamobrem, fere confirmato animo, clare dico, Si cui lubeat mihi ante ædes convicium facere, me volente, me prodeunte, me plaudente faciet: Videor enim ſatis fortiter ferre poſſe, ſatis belle, ſatis venuſte; ſed ſcin' quomodo?

Ὡς σκαλαθυρματίοις καταπάσσειν βιβλία πάντα,
Καὶ μάλα πολλὰ γελᾷν, εἰ μὴ Χάρις, ἠδ' Ἀφροδίτη
Γραμματοδιδασκαλίδιῳ πάμπαν μισȣ̃σι σοφιςήν.

Nos enim *more inſtitutoque majorum* aliquanto lubentius ridemus, quam ringimur. Si ita valebis, ut quæ dico vera ſunt, Lector, diu profecto diuque valebis.

i 2 TAN.

TAN. FABRI IN LIB. III.

PRÆFATIO

AD

LECTOREM.

Hic vero [a] ille Lucretii liber eſt, qui præter ceteros, cum delectu & acri quodam judicio legi debeat. Cum enim in eo corpoream eſſe animi noſtri naturam demonſtrare conetur Poëta, periculum fortaſſe fuerit, ne quidam nimium creduli, ad illius ſe ſe rationes adjungant; alii autem, dum ejuſmodi doctrinam omnibus calculis damnandam exiſtimabunt, ultro ſe tam præclari libri lectione privatum eant. Id ne fiat, non abs re fuerit meminiſſe, multos e veteribus ita exiſtimare, Dæmonas in rerum corporearum numero habendos. Ex iis fuerunt non Porphyrius modò, in admirabili illa πραγματείᾳ περὶ ἀποχῆς, &c. ſed & Plotinus & Jamblichus; ut è Noſtris quoque Tertullianus, Baſilius, Auguſtinus, ut ne recentiores appellemus. Hanc itaque de Angelis ſententiam ſi Veteres illi impune ſecuti ſunt, nihil, ut opinor, eſſe debet, quamobrem Lucretii opinione de animis corporeis tantopere offendamur; Cum huc uſque nihil ſit, quod audire ſine offenſione non poſſis. Sed utinam ibi ſtetiſſet Lucretius: Nam alii quidem animorum noſtrorum, quos ejuſdem cum dæmonibus naturæ eſſe putaverunt, immortalitatem tutabantur; & ſuum illis aut jus, aut Dei beneficium, ſervabant; At hic noſter, ubi, corporeæ naturæ animos hominum eſſe oſtenderit, ibi ſtrenue & incunctanter colliget, Fieri nulla ratione poſſe, ut ne illos interitus & diſſipatio conſequantur; Quin & turpiter errare vulgus hominum aſſeret, qui religionibus attoniti, fracti & abjecti,

Æternas nigra pœnas in morte timendum

exiſtimant. Saxa itaque & ſcopulos vides, Lector, à quibus longe longeque refugiſſe debes. Quamobrem diligenter faciendum erit, ut deſerta tantiſper Epicuri ſecta, ad rationem Platonicorum te conferas, qui animos noſtros in immortalitatem aſſeruerunt. Sed tutius multo, ſi, omiſſis fluctuantis Philoſophiæ concertationibus, ad Eum rectà tranſeas, qui rerum omnium Parentem,

[a] Fuerat hæc *Fabri* Præfatio Notulis ſuis ad Lib. III. præfixa.

tem, VIVENTIUM DEUM, NON AUTEM MORTUORUM, ESSE demonſtravit. Alterum vero, mi Lector, quod ego ante oculos perpetuo habendum arbitror, hoc erit: Animi noſtri vel ſpirituales habeantur, vel corporei, ſi voles; illis certe Lucretii argumentis haud ſane magnopere moveri debemus, cum nobis, qui Chriſtiani ſumus, planiſſime & ἀναμφιβόλως perſuaſum ſit, fore etiam aliquando, ut hæc bruta corporis moles, quam nunc animus noſter circumfert, ubi diuturno annorum curriculo computruerit, dein ſparſa fuerit ac disjecta, denuo tamen coaleſcat, & ex aquis, aëre, terris collecta & conquiſita, ad interminabilem ſæculorum ſeriem perſeveret. Probet igitur Lucretius quamlubebit, corpoream eſſe animorum naturam, atque adeo illos interitui obnoxios eſſe; nil ille profecto dixerit, quod hominem vere Chriſtianum poſſit percellere; cum corporis noſtri reſurrectionem & immortalitatem præter univerſas Phyſiologiæ vulgaris, ac Chymiæ ipſius rationes (nam admirabilis illa *Operatio*, de qua & Quercetanus & alii, nil ad reſurrectionem corporum facit) futuram credamus, quæ res, ſi non majorem (quanquam majorem) parem certe in ſe ſe difficultatem habet. Ceterum, cùm hujus libri materia tot ac tantis diſputationibus, quarum, ut ſunt hominum comparata ingenia, finis eſſe alius quam mundi ipſius non poteſt, verſata, tractata, atque agitata fuerit, eo fiet ut pauciores in eum breviorеſque notas ſcripturus videar: idque adeo magis, quod poetæ noſtri argumenta plana ſunt & perſpicua: ſæpiuſque jam ad illa reſponſum à Doctis fuerit. Hoc tantum addam, Tertulliani Tractatum, qui *De Anima* inſcribitur, in primis facere ad hunc librum intelligendum: Eum ſi leges, præſtantiſſimum Viri Magni opus legeris. Sed tamen eſt aliud etiam tantillulum, quod te volebam: Si quid à me ex mente Lucretii, vel in hocce libro dictum fuerit, vel in aliis, facito quæſo ut memineris, *Actorem* eſſe me, non *Poetam*. Quidquid certe tale properanti exciderit, id ego omne pro indicto haberi volo: Neque enim ea vitæ noſtræ ratio eſt, ut, quem exitum Natura brutis animantibus eſſe voluit, eum nos libenter, ubi ſejunctus à corpore animus fuerit, expectemus. Vale.

CLAUSULA QUA TANAQ. FABER EMENDATIONES SUAS IN LIB. III. TERMINAT.

Hæc erant quæ in III. priores Lucretii libros notata habebam; ſi erit tibi ut placere poſſint, Doctiſſime atque Humaniſſime Menagi, tum & ipſa mihi placebunt, meque bellum atque elegantem hominem putabo. Salmur. VI. Kal. Maij. M. DC. LXII.

PAUCA HÆC QUÆ SEQUUNTUR NOTULIS SUIS IN LIB. V. TANAQ. FABER PRÆFIXERAT.

In his duobus libris qui ſuperſunt, Lector, eo brevior ero, quam etiam in ſuperioribus fui, quod eorum materia nihil habeat difficultatis, aut omnia ad τὸ Epicuri ἐνδέχεται convertantur, quod ſemel dictum eſto. Deinde cuilibet liberum eſt ea legere, quæ fuſe a Viro Maximo (*Gaſſendo*) in libris de Phyſiologia ſcripta ſunt.

IN LIB. VI. EA QUÆ SEQUUNTUR NOTULIS SUIS TANAQ. FABER PRÆMISIT, TALE VERO QUID IN LIBROS I. II. IV. NOTASVE &C. AD EOSDEM NON INVENITUR.

Hic liber, Lector, uti Lucretianorum omnium haud dubie pulcherrimus eſt, ornatiſſimus, accuratiſſimus, ſic multo jucundiſſimus eſt & ad intelligendum facillimus. Quamobrem is a nobis leviter tantum percurretur; qui frigidæ ac pæne puerilis oſtentationis eſſe ducamus, ea huc congerere velle, quæ de illius argumento à ſummis omnium ætatum viris prodita ſunt; ac præter ceteros ab illo, qui omnem iſtam doctrinam ita complexus eſt, ut qui poſt immortalia ipſius opera aliud quærat, is fruſtra conari videatur.

[a] V. ILL.

HIPPOLYTO JULIO MENARDERIO, *SACRI CUBICULI LECTORI* TAN. FABER.

Pro verſibus Latinis, quos mihi ab Urbe miſeras, emendationes & conjecturas aliquot in III. poſteriores Lucretii libros habebis, Elegantiſſime Me-

a Hæc velut Dedicatiunculam, aut ſimile quid, in extremo Emendationum ſuarum ad Lib. VI. ſive III. poſteriores *Tanaq. Faber* appinxerat.

Menarderi. Aliquid fortaſſe aliud velles, & ego non nollem; ſed res, ſed tempus, non ſinunt: quæ enim vobis beatulis licent, eadem miſellis non licent. Utinam modò quàm illa mihi carmina placuerunt, tam & tibi hoc genus ſcriptorum probaretur. ô rem bellam & amabilem! ſed modus votorum eſſe debet. Vale multum, Vir Doctiſſime, & nos ama. Salmur. VI. Id. Jun. M. DC. LXII.

Chriſtophoro Codrington

COLLEGII OMNIUM ANIMARUM

SOCIO,

THOMAS CREECH

EJUSDEM COLLEGII SOCIUS

S. P. D.

Quali otio jam utor, occupato, requiris, an inerti, & remiſſo; Inquirenti qui reſpondeat Libellum accipe, non multis quidem vigiliis, & acri ſtudiorum intentione, aliqua tamen diligentia elaboratum: Neque enim ad *Te* Elegantiſſimi ingenii Virum mitti aliquod debet, quod impolitum nimis foret & rude; Lepore, Vi, & Acumine omni deſtitutum. Quanquam quid diligenter factum videatur *Tibi*, Qui in Critica, & Philoſophia, quantùm per ætatem tuam Homini licet, in Poëtica ſupra Annos vales, niſi utaris ea moderatione Animi, qua tuas Dotes æſtimare, & illa benignitate, qua meas Nugas eſſe aliquid putare ſoles?

MULTI quidem [a] attribuunt *Lucretio* omnes virtutes quæ optimum Poëtam, & conſummatiſſimum Philoſophum ornare poſſunt; ſuæ opinioni plus ſatis indulgentes, ejuſque famæ forſan nimis benigni: Sed iſtam benevolentiam, qua non indiget, Vir erecti juſtique animi aſpernatur, contentus iis meritis, quæ Vetus Criticorum Gens, Integerrimi judices, agnoverunt, & ſuo confirmârunt judicio. Nam in illo [b] *Artem* Tullius, [c] *Sublime carmen* Ovidius, Quinti-

a Lambinus, Giſanius, Faber, Alii. b Epiſt. ad Fratrem, Lib. II. Ep. 11. *Lucretii Poemata non ſunt ita multis luminibus Ingenii, multæ tamen artis.* Alii legunt, *Sunt lita multis, &c.* c Am. Lib. I. El. 15.

tilianus[d] *Elegantiam in ſua materia*, Statius[e] *Arduum furorem* admiratur; Neque Quis tam acerbus Poëtæ Cenſor, adeoque ſui negligens, ut hæc neget, Doctorum invidiam ſua reprimit Conſcientia, Indoctorum maledicentiam tantorum judicum Reverentia: Et ſanè jure expectanda eſt *Elegantia* in Carmine ab ipſo Patre venuſtatum[f] *Cicerone* perpolito, *Sublimitas*, *Arduuſque furor* in[g] graviſſimo ſuæ ætatis (non rudis verò & indoctæ) Poëta: Et quod ad *Artem* ſpectat, ſeu Argumentorum inventionem, ſeu Materiæ diſpoſitionem, ſive ad unum finem, impium certè, ſed quem ſibi elegerat; attentionem conſideremus, nulla erit unquam perfectior Diſciplinæ formula.

Uni *Quintiliano* inter Veteres (Poëtæ fortaſſis alii judicabunt, ego verò ipſius *Quintiliani* Hominis in rebus Philoſophicis minimè exercitati vitio) videtur[h] Difficilis; At Plurimis è Recentioribus Difficilior: Nec injuria. Illa enim fuit indiligens Exſcriptorum inſcitia, ut nullus ferè Verſus (de Paginis quid dicam?) ſincerus aut emendatè ſcriptus: Neque Manus neque Mens ſuo officio fungebatur. Monſtroſæ ubique Voces, abſurdæ Sententiæ; & Barbari iſti Librorum conſervatores nobis tradiderunt Codices ea fide, qua Mare turbidum Navigia: Nam eructat illud fractas laceraſque Tabulas, è quibus forſan aliæ Naves compingi poſſunt, ſed minoris formæ & venuſtatis, niſi à peritiſſimo Artifice conjungantur.

Ideo primi *Lucretii* Editores non tam Codicum Scripturam exhibebant, quàm conjecturas ſuas, vanas plerumque, aliquando improbas; Id quod decuit, id quod ætati conveniebat, fecerunt, conabantur loqui, ſed in iſta Literarum infantia quid præter dimidiata verba, & incertam pronunciationem expectemus? Nondum ſatis nota erat Poëtæ dictio, ignota prorſus *Epicuri* Philoſophia. Iſte enim Poëtarum mos eſt, ut qui delectum verborum affectent, Veteres exquirant voces, & cum Antiquis ament loqui; Neque quidem diffitendum antiquis vocibus, & Veterum loquendi formulis (horridæ licet videantur & incultæ) vim & generoſam quandam pulchritudinem ineſſe. Novæ placent, namque delicatæ, ſed languidæ & inertes, iſta ætas quæ perpolit; emollit; neque aliam ob cauſam fluidas in *Ovidio* delicias, in *Virgilio* nervoſam Majeſtatem admiramur, quàm quòd Alter cum viris tantùm ſuæ ætatis loquebatur: Alter non ſuos quidem neglexit, ſed iis immiſcuit Majores. Non verò tenuis labor eſt, Voces, quibus *Ennius*, *Attius*, *Nævius*, &c. uſi ſunt, reconditas penituſque jacentes, invenire, explicare inventas; Evolvendi ſunt veteres Grammatici, Poëtarum interpretes, multo denique uſu, & pari attentione opus.

Quòd ſi plana fuiſſet & aperta Dictio, Materies tamen difficilis & impedita, nec cuilibet obvia eſt *Epicuri* ratio; Experti nôrunt Illius Philoſophiam poſtulare ſubactum & patiens ingenium, quod nullas reformidet difficultates, & ſit to-

d Inſt. Orat. Lib. X. Cap. 1. e Geneth. Lucani, Lib. II. Sylvarum. f Euſebius Olym. 171. g Cornelius Nepos vit. Attici. h Inſt. Orat. Lib. X. Cap. 1. Ubi tamen Barthius, ſed fruſtrà, legit *Diffuſilis*.

totius Naturæ capax: Neque vero tacendum, quòd Ille, qui nullam fœlicitatem ſine Otio eſſe, & ſola ſua Ratione & Sapientia beatitudinem acquiri poſſe decreverat, laborioſam inſtituit diſciplinam, & quæ ſui ſtudioſos nunquam patitur otioſos eſſe: Quippe à Senſibus, in quibus Hominum deſidia ut plurimùm ſubſiſtit, abducit; rapit per Inane inſenſile, & in omni explicatione, tot & tam minutis utitur inſtrumentis, ut illa colligere operoſum ſit, contemplari grave: Ut Colorum, Saporum, Odorumve variationem (hi ſunt vulgares Naturæ luſus) intelligas, perſpicienda eſt motuum figurarumque infinita varietas, connexus, viæ, intervalla. Nihil in hac diſciplina ſimplex, & quod uno quaſi intuitu comprehendi poſſit; Alii interim Philoſophi iis, quas ſenſibiles vocant, qualitatibus inſtructi, omnia Naturæ opera compendio tranſigunt, unoque Spiritu, tamquam Veſicam inflarent, inſtituunt Philoſophum. Hoc quod dico, Idem Ille demonſtravit, qui multa à *Democrito* ſumens tot voluminibus inchoavit potiùs quàm abſolvit Phyſicam, fundamenta jecit iſtius ſcientiæ, quam perficere totam Poſteritatis induſtriam exhauriret: Multa Ipſe aperuit; multa reliquit aliis explicanda, &, quod maximè dolemus, Illius olim fœliciter tranſacti labores ſunt iterum à Nobis retractandi: Nam è [i] trecentis voluminibus, ſi tres Epiſtolas exciperes, quid ſupereſt præter ſententiolas quaſdam ab *Academicis*, *Stoicis*, & *Pyrrhonicis*, injuſtis Hominibus illique Philoſopho inimiciſſimis conſervatas? Quas tamen non ut Illius decora, ſed ſuæ Virtutis indicia exhibent, ideoque laceræ apparent & fractæ, tanquam Trophea ſuis ictibus confoſſa. E Græcis diſcipulis multi ſcripſerunt multa, non erudite nimis, & conſideratè parum; E Latinis pauci, [k] *Amafanii*, [l] *Catiique* ſcripta perierunt, contemptu ſuæ ætatis, ſequentium neglectu; Totuſque *Epicurus*, quantus quantus olim fuit, in uno *Lucretio* (qui tres iſtas Epiſtolas à *Diogene Laertio* [m] deſcriptas, olim integras, hodiè vero mirum in modum depravatas, Latinè vertiſſe mihi viſus eſt) continetur: Tempus, ut Flumen, res quas recipit, diſſolvit, & rarò integræ deferuntur.

Parcamus igitur primis *Lucretii* Editoribus, neque Incuriæ imputemus vitia, quæ Inopiæ forſan veriùs attribuantur; Omittamus ſaltem, poſtquam *Lambini* ſagacitas & *Gaſſendi* incomparabilis viri eruditio effecit, ut poſſimus illorum induſtria facilius carere. Alter enim in Codicibus conferendis diligens, in conjectando acutus, & fœliciter audax, imbutus *Epicuri* doctrina, *Turnebi*, *Aurati*, Aliorum familiaritate uſus, multis curis multoque ſtudio adeò emendatum edidit *Lucretium*, ut nullus ferè Poëtarum integrior: Alter ita expreſſit *Epicurum*, ut non magis Imago faciem; niſi quòd, ut in Pictura plerumque fit, Hic ſit non parum elegantior; & qui Horum ſtudia aptè conjunxerit, *Ille* mihi videtur *Lucretii* optimus Interpres.

Id tandem conatus eſt [n] *Fayus*, ſiquis alius huic operi quàm maximè inidoneus;

i Diogenes Laertius, Lib. X. k Cicero Quæſt. Acad. Lib. I. l Cicero Epiſt. ad Caſſium. m Lib. X. n Editor Lucretii in uſum Delphini.

neus; atque ita perfecit, ut ſe *Lambini* & *Gaſſendi* ſcripta nunquam legiſſe abundè demonſtraverit. *Variorum Codicum auxilium*, & *Carmen omnino à mendis vendicatum* º jactat, cùm ſexcentis exemplis confirmare poſſum Iſtum uni Pareo, Homini furfuraceo, fidere: Barbara interpretatione inceſtavit Latiniſſimum Poëtam, eaſque notas adjecit, quæ Philoſophum faciunt ſæpe abſurdum, ſeipſum ſemper ridiculum. Sed iſte Bipes eſt ex illo hominum genere, qui poſt depravatam Religionem, & corruptos bonos Mores, in Literas humaniores involant, & maximè agunt, ut nec Pii, nec Boni, nec Literati poſſimus eſſe: Siquid aſperius dixerim, id non meis moribus, ſed illorum inſolentiæ, qui bonos authores violant aſcribas; nôſti lenitatem, at ſtulta eſt clementia duris verbis parcere, cùm iſti ſint meriti duriora: Ego quidem opus à *Fayo* inſtitutum, meliùs quàm Ipſe potuit (indulge mihi iſtam arrogantiam, nihil enim humilius dici poteſt) abſolvi: *Lambini*, *Giſanii*, *Voſſii*, *Salmaſii*, *Gronovii*, *Fabri*, Aliorum Obſervationes, Conjecturas, Interpretationes, Emendationes collegi, digeſſi; non tamen adeò probavi omnia, quæ magni illi viri dixerunt, ut nunquam meo animo obſecutus fuerim: Quod verò *Gaſſendus* utramque ferè paginam facit, id quidem contendo rectè inſtitutum, & negent iſti, qui mihi, aliiſque *Lucretii* lectoribus invident tam doctum, tam elegantem Interpretem.

Fugi tamen, quantùm potui, Grammaticorum contentiones, de Literis, Vocumque apicibus, ſi modò integra & expedita videbatur Sententia, non nimis ſolicitus: Non probabilis curioſitas, vexare voces, cùm varies licet & torqueas, idem tamen fatebuntur. Verebar etiam, ne illa Morum dulcedo, quæ *Tibi*, aliiſque optimis viris non fatua videbatur, aceſceret; Quippe Grammaticorum gens eſt clamoſa, immitis, acerba, irritabilis; neque eorum familiaritate cautus aliquis nimis uteretur. Perpetuum inter eos Odium, Contumeliæ, Convitia; Ut imperiti rudeſque Tragici, cùm humile aliquid & miſerabile dicant, vocem intendunt, & minantur magna: Neque hoc quidem convenit in viles tantùm & è trivio Grammaticos, ſed *Scaligeros*, *Salmaſios*, *Voſſios*, *Huetios*, quos in omni Literarum genere maximos veneramur, ſed experimur illiberales Grammaticos: Cùm ad Puerilia deſcendant, tanquam Pueri rixantur. Memini autem me Philoſophum interpretari, quod ſi perfecerim, novi *Te* Laudatorem non parcum, ſi exciderim propoſito, indulgentiſſimum Amicum experiar; Benignè monebis & corriges: An idem alii facturi ſunt, forſan non tanti eſt ut ſtudioſiùs inquiram.

Obsignaveram has Literas, neque longiori ſermone *Te* morari, & peccare in publica commoda decreveram, cùm veteres notæque Calumniæ irruperint, poſtulantes ut reſignarem, ſibique ſatisfacerem; Rejeci. Quid enim cramben tam fatuam reponam? Sed cùm inſtarent acrius, novoſque jactarent authores, admiſi tandem, & jam in ſcenam prodeunt.

Pri-

º Præf.

Prima humilis eſt, & [p] Grammatica, dicitque *Lucretium* Poëtam non eſſe; Nempe Nos hodiè meliùs intelligimus quinam ſunt iſto titulo digni, quàm [q] uterque Cicero, [r] Cornelius Nepos, [ſ] Ovidius, aliique verborum callentiſſimi ſcriptores: Illi Vatem dicunt, & quidni Ego illis credulus, donec meliores authores, quos ſequar, habeam? *Per ambages Deorumque miniſteria non præcipitatur liber ſpiritus:* Nec fuit neceſſe; Phyſicum enim non Heroicum contendo: Sit *Empedocli*, *Arato*, *Heſiodo*, *Virgilio* proximus, locum haud opto digniorem: Diis famulis non utitur, ſed nec vilia, fœda, & pudenda officia illis demandat, quod iſti Deorum Dearumque Domini non rarò faciunt: Quid autem dicam *Epicuri* Deos ridiculos fore, ſi cùm æterno ſint Otio donati turbarent omnia, & tumultuarentur? Sed *Incomptus* eſt & *Laxus*, non habet numeros, aut perſpicuam *Virgilii* brevitatem: Quaſi non iniquum & indignum eſſet in Opere imperfecto, & quod ultimam Authoris manum deſideravit, eas Veneres requirere, quæ in Poëmate maxime elaborato ſunt ſpectabiles.

Huic Calumniæ ita profligatæ ſuccedit alia elatior aſpectu, & voce truculentior; clamitans Veſanum eſſe, Immodeſtum, Impium, Voluptatis magiſtrum, omni denique ſpurcitie, quæ decet Porcum ex *Epicuri* grege inquinatum: Ego verò nunquam animum meum inducere potui ut credam, *Pomponii Attici*, caſtiſſimi Viri familiarem, Utriuſque *Ciceronis* delicias, & eximium ſuæ ætatis ornamentum tot vitiis (de Impietate aptior erit dicendi locus) fœdatum: Teſtes igitur quæro, ſed nullibi inveniam, Scripta evolvo, at in illis omnia longè diſſimilia: Multa adverſus Metum fortiter, Intemperantiam ſeverè, Libidinem caſtè diſputantur, quæ hortari ad Virtutes, ab Avaritia, Ambitione, Luxuria poſſint deterrere, plurima: Et qui ad illius præcepta Vitam Moreſque componit, Illum Privati habebunt integerrimum Amicum, Civem Reſpublica.

Sed cùm *Epicuri* ſectatores non tam ſua quàm Magiſtri infamia laborant, haud integra erit Poëtæ noſtri dignitas, niſi illius etiam Honos vindicetur: Nam malè moratus Scholæ Philoſophicæ Princeps, ut Fons lutulentus canalem ſuum, obducit quaſi limo, & conſpurcat Diſcipulos. Quid autem *Epicurum* laudarem apud *Te*, Qui Moribus Vitæque inſtituto es ab illo, quem Vulgus ſibi fingit, quàm maximè alienus? In Deum, Patriamque Pius, Amicis Fidus, Modeſtus, Temperans, Literarum ſtudioſiſſimus, in Notos benignus, Ignotis omnibus Benevolus, & omnibus viciſſim Charus, deſpicias oderiſque neceſſe eſt Impium, Infidum, Immodeſtum, Intemperantem, rudem Diſciplinarum Contemtorem, Univerſis Invidentem, & Univerſis pariter Inviſum. Attamen Hoc *Tibi* jucundum fore exiſtimo, Qui juſtus æquuſque rerum Arbiter ſuum Unicuique tribui, neque quenquam Innocentem calumniis opprimi & obtundi velis

Quod negaverit Deum effeciſſe Omnia, & Humana curare, Impium agnoſco,

p Hieronymus Magius, Miſcel. Lib. I: Cap. 17. q Epiſt. ad Fratrem, Lib. II. Ep. II. r Vit. Attici. ſ Triſtium, Lib. II.

co; & non ego is ſum qui excuſarem; Licet huic errori humanam imbecillitatem prætexere potuerim, cùm omnes Phyſici ante *Anaxagoram*, *Ariſtoteles*, nec *Stoicos* excipiam, quibus Fatum erat pro Providentia, ſint eodem Crimine impliciti: Æternam materiam, Dei Sororem ut vocant, objicerem *Platonicis*; & Mali Principium pariter æternum; Demonſtrarem quòd Ipſe *Epicurus* non minùs honorificè de Deo ſenſerit, quàm iſti qui videri volunt (*Socineos* intelligas) piiſſimi: Denique quod [t] Deum coluit nulla ſpe, nullo pretio inductus, ſed propter ejus Majeſtatem eximiam ſupremamque naturam: Sed iſtis omiſſis contemplare obſecro *Epicurum* tanquam in *Trivio* poſitum, *Stoici* cum ſuo Fato obſidebant hanc viam, à qua refugit Voluntas libera & Fatis avulſa; illam implebant Boni adverſas res deplorantes, Malique jactantes ſecundas, neque illac erat facilè tranſeundum, in Tertiam igitur fervido nimis & inconſiderato impetu proſiluit; Miſerere tantæ infœlicitatis, niſi malis oblіviſci.

Patria Deo proxima, Ejuſque ſaluti ſuum otium poſthabuit *Epicurus*, ſi quid [u] intervenerit, acceſſurus ad Rempublicam: Non impotenter appetebat imperium, neque fugit adminiſtrationem cùm invitaverit Occaſio, leni mitique Seceſſus placuit, & cùm Se abſtinuerit à Rebus civilibus, præparavit Principem: [x] Amicitias non oratione ſolùm, ſed multò magis vita, & factis & moribus comprobavit; [y] Familiares fame laborantes ſuſtinuit, partitus cum ipſis ad numerum fabas: [z] Et iſta commendatio Puerorum, memoria & charitas Amicitiæ, ſummorum officiorum in extremo ſpiritu [a] conſervatio indicat innatam eſſe Homini probitatem gratuitam, non invitatam Voluptatibus, nec præmiorum mercibus evocatam. Ita cum Amicis mori ſuſtinuit, Moriens eos ſuperſtites ſumma benevolentia amplexus eſt, & ſi maximum fidei indicium requiras, [b] non dubitabit pro Amico mori.

Qui Libidinem *Epicuro* objicit, demonſtret illius furta & [c] delicias; Qui Gulam, fercula; adeat Hortos, lautiſſimæ menſæ accumbat, & tandem plenus & ſatur inſtituat accuſationem. Sobrius vixit & frugi Senex, [d] lætus exigui horti plantaribus, [e] maza fructibuſque famem malignè extinxit, [f] Aqua & pane ſimplici contentus, quibus caſeum addidit, quando genio indulgere, & ſumptuoſiùs convivari libuit. Quæ his contraria à *Plutarcho* & *Cicerone* referuntur, plurima ſunt à *Stoicis* impudentiſſimè [g] efficta, & invidiosè recitata ab iſtis authoribus, qui oppugnabant opiniones in quas [h] populariùs dicere potuerunt: Neque *Epicurum* mihi videntur ſatis intellexiſſe, namque Ille, ut erat face-

t Seneca de Ben. Lib. IV. Cap. 19. u Vid. ratas Sententias apud Laertium. x Cicero. Lib. I. de Fin. y Plutarchus in vita Demetrii. z Cicero, Lib. II. de Fin. a Vid. Teſtamentum Epicuri apud Laertium. b Vid. ratas ſententias apud Laertium. c Diogenes Laertius, Lib. X. Nazianzeni Jamb. 18. d Juvenalis Sat. 13. & 14. e Porphyrius lib. I. de Abſt. Seneca Epiſt. 21. Plutarchus adv. Colotem. f Laertius, Lib. X. g Laertius, Lib. X. h Vid. Ciceronem, Lib. III. Tuſcul. Orat. in Piſonem. Lib. III. de Orat. & Plutarchum adv. Colotem, & A. Gellium, Lib. II. Cap. 8. & 9.

facetus, varia *Voluptatis* ſignificatione illuſit *Stoicos*, faſtoſos & irritabiles Viros, ut habeant iſti unde rixentur, & fiant magis ridiculi: Familiaribus autem vera rigidaque Virtus erat explicata [i] verbis, vita moribuſque declarata; & nulla unquam Schola vidit majores viros, & magis omni laudis genere inſignes.

De contemptu Diſciplinarum quid reſponderem, cùm utiles vix neglexerit, & Ego non ſum adeò delicatus, ut nullam admitterem Philoſophiam niſi operosè & phaleris ornatam? At feriò iſti accuſant, qui Invidum dicunt, Ingratum, [k] *Democriti*, & *Nauſiphanis*, [l] è quibus profecit, Cavillatorem: Grave hoc crimen, ſed & commune, & ſi vera foret [m] accuſatio, inquiſſimè id Vitium hodiè objiceretur *Epicuro*, qui amplas dedit pœnas omnium ætatum invidia & ingratitudine oppreſſus. Quis enim impotentiùs affligitur? Et ipſa Stoicorum Vulgique ruſticitas temperans videatur & humana, ſi conferatur cum illorum convitiis, qui qualem qualem in Phyſicis profectum uni *Epicuro* acceptum referre debent. En magnum & memorabile Exemplum! [n] *Sequitur Epicurus cum ſuo grege, Vir parùm eruditus, ſed ingenio non vulgari, ita tamen ſenſibus addictо, ut exinde ſupremam veritatis normam & indicem ſemper deſumendam eſſe putaverit. Gaudeat Ille ſuis ſenſibus omniſcientibus, ſuo Sole ſeſquipedali, ſua Terra non pendula, ſed radicata deorſum in infinitum, recurrente Sole qualibet nocte per Terrarum latera ad Carceres Orientales; Hæc ſi Philoſphum decent, qualia ſunt illa quæ decent vulgus & Idiotas? Suam illis ſcientiam, ſuas voluptates, utraſque ſenſibiles non invideo: Digni qui cum Corporibus vivant, pereantque Animi.*

De hujus Viri Philoſophia nihil habeo commemoratione dignum, Democriti & Leucippi dogmata corrupit potiùs quàm emendavit, Antiquo barbara & vetuſtiſſima ignoravit, novis inveniendis impar: Philoſophatur laxè, & per rationes fluctuantes, quæ non conſtringunt animum, neque ad aſſenſum impellunt, niſi ſua ſponte in partes indolemque Epicuri propendeat. Quoad Mundi ortum, quod proximè accedit ad argumentum noſtrum, ea in re ſe peſſimè expedivit Epicurus, nam præterquam quòd Atomorum illi motus quos introduxit, tam Deſcenſus quàm Declinationis, fictitii, cum his figmentis rem ſuam necdum conficere potuit. Cùm enim in formanda Tellure præteriiſſet membranam illam Leucippi (cujus meminimus) orbemque primigenium, levem & æquabilem, & ad hodiernam Terræ formam protinus aptare voluerit ſuam Coſmogoniam, planè excidit propoſito, atque fruſtra fuit; cùm neque Maris, neque montium, neque cavitatum Terræ, aut cæterarum, quas in ipſius forma conſpicimus, inæqualitatum cauſas reddere poterat aut veriſimiles, aut tolerabiles. Agnoſcis contumelias, vehementes & acerbas, à Viro probo, intelligente, cætera

cand do

i Inde Epicuræi apud Clem. Alex. Strom. 5. p. 575. dicunt καὶ παρ' αὐτοῖς ἀπόρρητα εἶναι, quem locum Gaſſendus, Tom. 5. p. 95. non rectè explicat. k Cicero Lib. I. de Fin. Lib. I. de nat. Deorum. l Sextus Empiricus, Lib. I. adver. Mathematicos. m Negat Laertius, Lib. X. Illuſtrius in Epicuro, & è Plutarchi Lib. II. adv. Colotem, & Lucretio refutari poteſt. n Archæologia Philoſ. p: 185.

candido, profuſas; ab illo denique qui non tantùm quicquid in Phyſicis præclarè dixit, ſed [o] Scommata iſta quibus tam frigidè, & illiberaliter illudit ſacræ Moſis hiſtoriæ, ab *Epicuro* accepiſſe videatur: Nempe cùm decreverit vaſtare hortum, ſalubres ſimul noxiaſque herbas evulſit, & tranſtulit in ſua. Hæc ſcio ægrè feres, accipe igitur tabulas, & utriuſque Philoſophi dogmata conferamus.

De *Chao* non tam ſimilia dicunt quàm eadem: Uterque agnoſcit indigeſtam particularum congeriem multiformium. Magnitudinis, Ponderiſque inæqualis, gravitate ſua deorſum tendentium; *Sed nullam cauſam Deſcenſus poſuit Epicurus:* Quaſi Ipſe aliquam protulerit; *Motum Declinationis ſine cauſa, quod eſt in Phyſicis turpiſſimum induxit*; Nec minùs turpe figere in Chao, indigeſta particularum congerie temerè diſcurrentium, Centrum aliquod, quò ſponte ſua bruta & iners Materia feratur. *Membranam Leucippi præteriit*, Grande hoc quidem facinus & inexcuſabile: Nempe ſimplices Atomos in Pingues & Macras non diviſit, non docuit Aqueas Pingueſque particulas Terreſtribus & Macris utcunque leviores celeriùs ſubſidere; Denique non Demonſtravit Corpus ſolidum & grave pingui liquori inſidens Aquæ multò leviori innatare poſſe: Hæc ſunt quæ in Philoſophiam commiſit *Epicurus*, cùm *Leucippi* membranam præteriit. Sed *neque Maris*, *neque Montium*, *neque cavitatum Terrræ*, *aut cæterarum*, *quas in ipſius forma conſpicimus*, *inæqualitatum cauſas reddere potuit*, *aut veriſimiles aut tolerabiles.* Nihil unquam magis iniquè dictum, cùm iſta omnia *Epicuri* Hypotheſis unicè explicet: Conveniunt Atomi læves, rotundæ, lubricæ, angulares, aſperæ, hamatæ, graves aliæ, aliæ leviores: Graves ſubſidunt, Leviores & lubricæ extruduntur: Ex iis Mare; quoniam verò aliæ aliis erant magis implicitæ, ideo omnes non æqualiter ſubſidebant, atque inde Cavitates, Cavernæ, & immanis iſte Alveus in quem Maris Aquæ ſponte defluebant. *Antiquo-barbara & vetuſtiſſima ignoravit:* At de iis *Epicurus* olim copioſè diſſeruit: De recentis Mundi Temperie, Cœlique clementia, de Primorum Hominum longævitate, de ortu Animalium ex oleaginea materia, & (quod maximum eſt *Theoriæ* ornamentum) de ſitu recto Telluris ad Solem; Hæc breviter, quæ tamen ſatis demonſtrant non ſolum *Epicurum* Magiſtros ſuos indignè cavillari; aliquando fuſiùs deducam, cùm *Tecum* de Rerum natura diſſerere licuerit.

Id verò fatale videtur Poëtæ noſtro, ut, qui ſcripſerit in incerto Reipublicæ ſtatu, ejus ſcripta in turbido explicentur, Ille *Memmium*

Quem Tu, Dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluiſti excellere rebus:

Ego omni Virtutum genere parem deſidero: *Te* enim Muſis dicatum rapuerunt Ca-

[o] Compara Diſputationem Velleii Epicuræi apud Ciceronem, Lib. I. de Nat. Deorum, cum Cap. 8. Lib. II. Archæologiæ Philoſophicæ.

Caſtra, ſacrilegè dicerem, niſi Eos poſtularet communis Salus, qui liberalibus diſciplinis inſtructi Artem opponant Dolis, Fraudeſque Virtute & Conſtantia eludant. Macte igitur Virtute tua, ſed Illi ne nimium confidas, ut nihil recuſabis ob formidinem, ita nihil appetas ob jactationem, ſimulque anxius agas, & intentus; Non enim Solus pugnas, —— Sed Armis Te pollicitum alia, ſi non meliora, trado, ea tamen conditione, ut victorias Principis victrici Stylo perſequaris. Vale.

PRID. KAL. *Sept.*
AN. 1694.

THOMÆ CREECH PRÆFATIO AD LECTOREM.

De *Tito Lucretio Caro* quæ ſcire debes, Lector, hæc ſunt: Romæ natus eſt, An. V. C. IↃCLIX. nobili gente *Lucretia*, ea Romani imperii ætate, quæ ingeniorum feraciſſima vidit [1] *Ciceronem*, *Senemque Craſſum*, *Catonem*, *Sulpitium*, *moxque Brutum*, *Calidium*, *Calvum*, *Cælium*, *& proximum Ciceroni Cæſarem*, *eorumque velut alumnos Corvinum*, *ac Pollionem Aſinium*, *æmulumque Thucydidis Saluſtium*, *auctoreſque carminum Varronem*, *& Lucretium*, *neque ullo in ſuſcepti operis ſui carmine minorem Catullum.* Hoc tempore Græcorum Diſciplinas tractare cœperunt Romani, *Epicuri* rationem *Lucretius* ſequitur, illiuſque Philoſophi doctrinam [2] Sex libris, elegantibus quidem & ornatis expoſuit. Vix abſoluto opere moritur, eo ipſo die quo natus eſt *Virgilius*, & Aliquis *Pythagoreus* credat *Lucretii* Animam in *Maronis* corpus tranſiſſe, ibique longo uſu & multo ſtudio exercitatam, Poëtam perfectiſſimum evaſiſſe: An ſibi ipſi manus attulerit, incertum, interiit Anno Ætatis ſuæ XLIIII, & miſerrimam, quam olim ludibrio habuerat, nimis citò expertus eſt immortalitatem.

[3] OMNIUM Poëtarum Latinorum qui hodiè extant, & qui ad noſtram ætatem pervenerunt, elegantiſſimus & puriſſimus, idemque graviſſimus *Lucretius* eſt; eum cùm Librarii ſcriptores, nondum inventa arte Typographica, mendis innumerabilibus, maculiſque fœdiſſimis contaminâſſent, atque obruiſſent; ad illa à Librariis illata vulnera acceſſerunt multò graviora, ab Homi-

[1] Velleius Paterculus, Lib. II. [2] Vid. Sextum Lucretii librum, & Lib. II. Triſt. Ovidii. [3] Vid. Lambini Epiſt. ad Lectorem.

minibus doctis quidem illis, ſed plus nimio ſuo ingenio indulgentibus (ut ſumus noſtri fere plus æquo amantes) impoſita atque inflicta; quibus hic, alioqui politiſſimus atque elegantiſſimus Scriptor, ita laceratus, confoſſus, depravatus, corruptus eſt, ut vix quiſquam eum legere, vix attingere, vix adſpicere auderet. Iſta de primis, *Veronenſi*, *Pariſienſi*, &c. *Lucretii* editionibus *Lambinus :* [4] Ipſe verò multis Codicibus uſus, *Lucretium* omni ex parte maculoſum, deformem, atque ulceroſum magna ex parte à maculis & ulceribus vindicavit, & commentariis brevibus, non tamen inutilibus illuſtravit.

Hunc ſequitur Gifanius non æquis paſſibus; Grammaticum potiùs dixeris, quàm Philoſophum; & in illo non diligentiam ſed judicium deſideres, [5] multos evolvit libros, promiſit multa, ſed nihil effecit Promiſſor iſte tanto hiatu dignum: Et ſi edidiſſet [6] Annotationes, proculdubiò haberemus quæ magis diſplicerent: Illum excipit *Pareus*, qui noluit Chartæ perituræ parcere. *Nardius* [7] ſexagenarius Interpres de ponte dejiciendus. In *Tanaquillo Fabro* excellens eruditio, judicium, acumen admirabile. A [8] *Gronovio* multa expectare potuimus, ab [9] *Iſaaci Voſſii* obſervationibus omnia. De *Fayi* editione ſatis dixi, & de hac noſtra, Lector ipſe judicabis.

Quod *Interpretationem* attinet, alieno magis quàm meo animo obſequutus ſum; Hæc enim ratio, quamvis ſuam utilitatem habeat, difficilis, & non adeo probabilis videtur: De iſta dici poſſunt illa *Ciceronis*, in primo libro de Oratore.

In quotidianis autem cogitationibus equidem mihi adoleſcentulus proponere ſolebam: illam exercitationem maximè, quâ Carbonem noſtrum illum inimicum ſolitum eſſe uti ſciebam, ut aut verſibus propoſitis quàm maximè gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria poſſem comprehendere, eam rem ipſam, quam legiſſem, verbis aliis quàm maximè poſſem lectis pronuntiarem. Sed poſt animadverti, hoc eſſe in hoc vitii quòd ea verba, quæ maximè cujuſque rei propria, quæque eſſent ornatiſſima atque optima, occupâſſet, aut Ennius, ſi ad ejus verſus me exercerem, aut Gracchus, ſi ejus orationem mihi fortè propoſuiſſem, ita ſi iiſdem verbis uterer, nihil prodeſſe, ſi aliis, etiam obeſſe, cùm minùs idoneis uti conſueſcerem.

[4] Lambini Epiſt. ad Lectorem. [5] Vid. Ep. Giſanii ad Lectorem. [6] Giſanii Epiſt. ad Lect. [7] Vid. Epiſt. Nardii ad Baldium libro Sexto Lucretii præfixam. [8] Vid. Salmaſii Epiſt. [9] Vid. Voſſium ad Catullum, pag. 249.

EDITIONIS LONDINENSIS,

In 4to, quæ ſumptibus & typis Jacobi Tonſon CIↃIↃCCXII. *prodiit*,

Contextui præmittitur hæc

BIBLIOPOLÆ ADMONITIO AD LECTOREM.

Cum ante aliquot annos edita fuerint, *Horatii*, *Virgilii*, *Terentii*, *Catulli*, *Tibulli*, *Propertii* opera in *quarto*, chartâ nitidâ & charactere largiori, quæ adeo probata fuerunt, ut ſingulorum haud ampliùs quadragena exemplaria venum reſtent; Viſum eſt *Lucretii* atque *Ovidii* opera, chartâ & charactere ſimili atque priora illa, quatuor voluminibus edere: Quæ quidem quatuor volumina, folia numero plura, quam Auctores illi omnes antedicti, complectentur.

Ad calcem hujus Voluminis adjectæ ſunt [a] Lectiones variæ, quotquot colligere potuerimus, in unum congeſtæ; ut ex variantibus plurimis, ſuo ipſius Lector acumine & judicio veriores ſeligat.

Ovidium in lucem emittendum ſuſcepit D. *Burmannus*, Profeſſor Ultrajecti. cui ad manum ſunt plurimi MSS, & Emendationes Affinis ſui *Heinſii*, qui *Ovidium* ante ediderat.

Pars prioris Voluminis, jampridem impreſſa, apud hujus Editorem inſpicienda proſtat totumque intra Anni unius ſpatium, erit impreſſum.

J. T.

VARIIS LECTIONIBUS PRÆFIGUNTUR HÆC.

BIBLIOPOLA LECTORI CANDIDO S. P. D.

Neque mei, neque hujus loci eſt, de *Lucretii* vita & laudibus, vel Hiſtoricum, vel declamatorem agere: *Giſanium* adeant, qui Authoris *Ævum*, *gen-*

a Ipſas haſce *Varias Lectiones*, egregie locupletatas, ubique ſuis Poëtæ Libris atque Verſibus ſubjecimus, conſulentes Lectoris commoditati majori.

gentem, & *familiam* ſolliciti quæritant; *Gaſſendum*, & *Creechium* conſulant, quibus in intimos Epicuri receſſus penetrare, genuinumque Poëtæ ſenſum rimari, & refellere curæ eſt. Id mihi ſolum negotii fuit, legitimum Latinitatis principem Tibi nitidum offerre, Epicureumque curata bene cute comeſſaturis Philoſophis propinare. Textum ideo *Creechii* utpote *Lambino* & *Fabro* quam maximè conſentientem, Tibi feliciter, duobus, tribuſve ad plurimum, locis exceptis, præbeo. Et, cum ipſe minus in re Critica profecerim, parumque ingenio & ſagacitate potuerim, ſubſidio tamen mihi diligentiam abunde comparavi, ut Tu in iſtâ Arte progreſſus utiles poſſis facere; amplamque meſſem Tuis falcibus demetendam induſtrius propoſui. Hîc enim habes, quod ſubtilitatem & acumen ingenii Tui exerceat & acuat; ut ex variantibus veras tandem poſſis lectiones eruere; & dum ſedulò aliorum judicia in unum collata penſitas, melius confirmes Tuum. Hic enim uno intuitu, quicquid integerrimæ Latinitatis cuſtodes acerrimi ſanxerunt, ſine notarum alienarum farragine, apparet fixum & ſtabilitum: Hic etiam, quicquid nugatores inaniſſimi ſomniarunt, fortaſſe cum nauſeâ, percipies; non tamen ſine uſu, certiſſimè ſine morâ & tædio, modico admodum temporis & pecuniæ diſpendio, recognoſces. Exinde etiam facilius eluceſcet, ut ipſius *Lucretii* verbis utar,

Quanto *cycnorum melior canor, ille gruum quam*
Clamor, in ætheriis diſperſus nubibus Auſtri.

Et nullus dubito, quin mecum ſentias, & Jove æquo judices, ſimul ac *Lambinum*, *Gifanium*, *Fabrum*, & *Creechium*, cum *Nardio*, & *Faijo*, cæteriſque ejuſdem farinæ, infeliciſſimis editoribus contuleris. Eorum tamen numero excerpas velim *Bononienſem Pium*, melius de *Lucretii* lectoribus ſtudioſis meritum; utpote qui variis MStis codicibus venerandæ & eruderatæ, ut ipſe loquitur, vetuſtatis adjutus piaculum duxit, vel minimas eorum diſcrepantias prætermittere, omnes accuratiſſimè notis ſuis vix aliter ferendis interciens; Quas cum conjecturis ejus integras tibi in manus trado: & ſiquid inde beneficii acceptum rettuleris, gratias Dno. Dri. *Pellet*, Medico eruditiſſimo, qui editionem *Bononienſem* raram admodum conferendam benigniſſimè communicavit, ut habeas, impenſè rogo. Eodem etiam nomine celebranda eſt inſignis humanitas Rdi. in Chriſto Patris *Johannis Mori Epiſcopi* Elienſis; Qui Editionem Gifanii impreſſam Antverpiæ A. D. 1565. cum notis marginalibus & emendationibus *Jacobi Suſii*, & *Theodori Munckeri:* aliamque apud *Gryphium* A. D. 1540. cum duabus collationibus *Nicolai Heinſii*, utroſque olim libros *Petri Francii* Profeſſoris Amſtelodamenſis, ex inſtructiſſima ſua Bibliotheca ſuppeditavit. Cui omnino adjugendus eſt Rdus Vir *Robertus Cannon* S. T. P. Eccleſiæ Elienſis Canonicus, pari ſtudio de re litteraria promovenda ſollicitus; Qui fragmentum Gottorpianum, & tres Mſtos codices Iſaaci Voſſii ipſaſque ejuſdem Voſſii emendationes quas imprimendas ſe deſignaſſe ſæpius in notis ſuis ad Catullum declarat Voſſius, amiciſſime commodavit; omneſque juris publici fieri perliberaliter voluit. His igitur Viris optimis gratias quam maximas, uti tanto

to devinctum beneficio decet, agas: meque Tuis commodis ſemper inſerviturum bonoque rei litterariæ publico magnificè jam conſulentem, &, modo cæptis aſpirent eruditi, ſemper conſulturum foveas, & extimules. Vale.

DIONYSII LAMBINI PROLEGOMENA

DE C. MEMMIO GEMELLO,

Cui Poëma ſuum obtulit Lucretius, de Orthographiæ Suæ ratione &c.

Admonitus à typographo, paginam unam, atque alteram vacuam fore, niſi quid, quo expleretur, ei ſuppeditarem: hæc ſubitò de Memmiis ſcripſi. Memmiam gentem plebejam fuiſſe declarant tribunatus plebis à Memmiis geſti. Verumtamen, ſi nobilitas antiquitate penditur, nobiliſſima eſt. A Meneſtheo enim Trojano oriundam eſſe traditum eſt, idque teſtatur Virgil. lib. v. 117. hoc verſu,

Mox Italus Mneſtheus, genus à quo nomine Memmi.

Itaque non immeritò Lucr. hunc C. Memmium Gemellum, ad quem ſuos libros miſit, *claram Memmii propaginem* dixit. De quo potiſſimum, ceteris Memmiis prætermiſſis, ne nimis longi ſimus, hæc pauca dicamus. Hic igitur ille eſt C. Memmius Gemellus, ad quem ſcriptæ ſunt epiſtolæ aliquot à M. Tullio, Lib. XIII. epiſt. ad famil. Patris exſulantem, cùm Athenas tamen, & Mitylenas interdum itaret. is tribunus pl. M. Lucullum accuſavit, & quo minus L. Lucullus ejus frater, triumpharet, diu obſtitit. L. Piſone, & A. Gabinio coſſ. præturam geſſit, ut ex M. Tullii lib. I. epiſtol. ad Q. Fr. epiſtola II. in extr. intelligere licet. Poſt præturam Bithynia provincia ei obtigit: quò proficiſcentem ſecutus eſt C. Valerius Catullus, ut Catullus ipſe quodam loco teſtatur. Petiit poſteà conſulatum cum M. Æmilio Scauro, M. Valerio Meſſalla, Cn. Domitio Ahenobarbo, Cæſaris opibus & ſuffragio fretus, ut ex epiſtola XVI. XVII. XVIII. lib. IIII. epiſtolarum ad Atticum, & epiſt. VIII. lib. III. ad Q. Fratrem, cognoſcere licet: ſed repulſam tulit, & ambitus reus factus eſt, ut idem ſcribit epiſtola II. lib. III. ad Q. Fr. & epiſtolis ſuprà commemoratis libri IIII. ad Attic. &, quamvis patronum Ciceronem nactus, nihilominus tamen damnatus fuit, & Patras exſulatum abiit. Ciceronem autem cauſam ejus defendiſſe, patronumque ejus fuiſſe, ſatis hoc declarat, quòd ille eum *clientem ſuum* appellat libri XIII. epiſtolarum ad Famil. epiſtola XIX. ex eademque epiſtola perſpicuum eſt, eum in exſulio mortem obiiſſe, neque umquam reſtitutum eſſe: quamvis eum reſtituere Curio cogitarit, ut ſcribit idem M. Tullius epiſtola I lib. VI. ad Atticum. Epicureum, & poëtam fuiſſe conſtat, ut non ſit mirum, T. Lucretium Carum, poëtam noſtrum, ipſum quoque Epicureum, ejus familiarem fuiſſe, eique ſuos de natura rerum libros dicaviſſe. Hæc habui, quæ raptim de hoc C. Memmio Gemello ſcriberem.

De orthographia ſatis multa diximus in epiſtola ad lectorem, in commentar. Horatianis: quæ hic iterare, erat actum agere. Nos in ſententia manentes, eandem ſcribendi rationem hic quoque ſecuti ſumus, tùm in his, *promſi*, *promtum*, *comſi*, *comtum*, *conſumſi*, *conſumtum*: *demtum*, *emtum*, & ſimilibus, eoſque omneis, qui illa ſcribunt cum *p.* & eos item, qui ſcribunt *dampnare*. *temptare*, *antempna*, & *ſollempnis*, & ſimilia, quamvis ita reperiantur ſcripta in nonnullis libr. manuſcr. errare exiſtimamus, atque adeò ſcimus. Hoc in Lucretio mutavimus, quòd, *quoius*, & *quoi*, & ſimil. pro *cujus*, & *cui*, &c. & *volgus*, *volnus*, *voltus*, *volturius*, & ſimil. pro, *vulgus*, *vulnus*, *vultus*, *vulturius*, &c. ſcripſimus, quia ſciamus, veteres, qui ea ætate vixerunt, & ſuperiores, ita ſcripſiſſe: numquamque duo *uu*. conjunctim in ſcribendo poſuiſſe. Eandem ſcribendi rationem etiam in Plauto noſtro ſervaturi ſumus.

Omnia ferè ad diſciplinam Democriti & Epicuri pertinentia, & vel à Platone, vel à Diogene Laërtio, vel â Plutarcho, vel à Cleomede, vel à M. Tullio Cicerone, vel ab aliis tractata, quæ ad Lucretium explicandum, declarandum, atque illuſtrandum lucem aliquam afferre poſſunt, ea ſuis quæque locis in commentationibus noſtris locavimus. Idem de peſtilentiæ deſcriptione, quæ eſt apud Thucydidem lib. II. faciendum curavimus. Quod in prima jam editione, & omnium primi, feceramus. ſed in hac uberius, ac plenius. † Itaque eadem illa ſuis locis diſpoſita ac diſtributa, in unum colligere, & ſub unum quaſi adſpectum ponere, ſupervacaneum eſſe putavimus.

† Quod videlicet in Edit. ſuis fecerat Gifan. Quare nos quoque, ut inutilia & bis repetenda omiſimus.

OBERTI GIFANII PROLEGOMENA

DE GENTE MEMMIA.

De hac gente, quia pauca veterum ſcriptis eaque hic illic ſparſa ſuperſint, nemoque hoc erudito ſæculo ſcripſerit, quod equidem ſciam, difficile eſt & arduum multa eaque certa comparare & conſtituere: Utile tamen eſt videre gentium ac familiarum ortus & interitus, quarum rerum cognitio hiſtorias legentibus omnino eſt neceſſaria. Itaque cùm Ciceronem, Livium, Salluſtium, Virgilium, & maximè poëtam noſtrum legentibus futura ſit utilis & jucunda hæc deſcriptio: difficultate & obſcuritate non deterriti, gentem hanc Memmiorum exponere conabimur. Et ut ab ultima origine eam repetamus, ſcribit Virgilius antiquiſſimam eſſe, & à Trojanis oriundam: inquit enim doctiſſ. poëta l. v. 117.

Mox Italus Mneſtheus, genus à quo nomine Memmi.

Verùm in r. p. primùm belli Hiſtrici tempore, quod à Claudio Pulcro cos. anno v. c. D. LXXIII. confectum fuit, ejus mentionem invenio. Livius enim libro XXXXI. C. Claudio Pulcro, Ti. Sempronio cos. anno poſt trium clariſſ. ducum Philopœmenis, Scipionis, & Hannibalis mortem, ſeptimo; ſex annis ante graviſſimum ac nobiliſſ. illud cum Perſeo Macedoniæ rege bellum: eo igitur tempore, ſcribit Livius C. Memmium prætorem creatum eſſe, eique eveniſſe provinciam Sardiniam. Unde intelligas, alios etiam magiſtratus eum, puta quæſturam & ædilitatem, geſſiſſe: quòd ſanctè gradus illi tum ſervarentur, & biennio ante legem annalem tuliſſet L. Villius, teſte Livio lib. XXXX. Fuit autem plebeia gens Memmia. id ex eo perſpicuum erit, quòd tribuni plebei, uti mox adnotabimus, ſubinde fuerint Memmii, quem magiſtratum legibus, opinor, ſacratis patricios capere nefas erat. Cic. pro domo ſua. Nobiliſſima tamen ea fuit, maximèque doctrinarum ſtudiis floruit: & haud ſcio, an non à Cæſare Octaviano lege Sænia inter patricios adſcripta ſit. Porrò C. ille Memmius, de quo jam meminimus, quarto deinde anno, quod eſt cos. C. Popillio Lænate, & P. Aëlio Ligure, ea tempeſtate, cùm jam parabatur bellum Perſicum, iterum Prætor factus Siciliam, ut Livius ait li. 42. ſortitus eſt. Admonendus eſt lector apud Livium lib. 41. ubi C. Memmium primùm rogatum Prætorem commemorat; mendosè ſcriptum eſſe, *C. Mummium*, quod alibi etiam accidiſſe indicabimus. Hujus duo, ni fallor, erant filii, C. & L. Memmii: quorum facundia multorum ſcriptis celebrata eſt. *Tum etiam*, inquit Cicero in Bruto, *C. L. Memmii fuerunt oratores mediocres, accuſatores acres atque acerbi. itaque in judicium capitis multos vocaverunt; pro reis non ſæpe dixerunt.* Salluſtius autem de C. Memmio; *Sed quoniam*, ait, *ea tempeſtate Roma Memmii facundia clara, pollenſque fuit, decere exiſtimavi unam ex tam multis orationem ejus perſcribere. ac potiſſimùm eam dicam, quam in concione poſt reditum Beſtiæ hujuſcemodi verbis diſſeruit.* De Lucio etiam Siſenna commeminit lib. IV. his verbis: *L. Memmium ſocerum C. Scribonii tribuni pl. quem Marcellini conſiliarium fuiſſe callebant, & tunc Curionis oratorem.* Hi autem bello Iugurthino, & Sullanis temporibus maximè fuerunt in honore ac pretio. Cajus multis auctus honoribus, cùm ad conſulatum petendum acceſſiſſet; facileque eum, quia & vitæ, ut Oroſius ait, integritate, ſanctitate morum, & eloquentiæ laude eſſet clariſſimus, videretur conſecuturus, à Saturnino trib. pl. (qui illum ſuis actionibus maximè adverſarium metueret) in ipſis comitiis, in campo Martio fuſte comminutus, nefariè trucidatus eſt, C. Mario VI, L. Valerio Flacco cos. anno ante memorabile illud Romanorum cum Cimbris ac Teutonis prœlium. Cic in Catil. 4. Livius epit. 69. Appianus lib. I. ἐμφυλ. In libello de viris illuſtribus Ro. cap. de Appuleio Saturnino, ubi idem ſcelus commemoratur, perperam

ram editur *Mummius.* Accuſavit Cajus L. Calpurnium Beſtiam, Cicerone teſte, credo, repetundarum: namque Beſtia in Numidiam conſul cum exercitu miſſus; & ab Jugurtha pecunia corruptus fuit, & avariſſimè ſocios expilavit, quod egregiè narrat Criſpus. Tulit hic tribunus pl. legem de Jugurtha Romam evocando, Naſica & Beſtia coſ. Ad cauſſam, inquit, Salluſt. dicendam. Neque verò dubito, quin idem, ut erat moribus ſanctiſſimis, legem tulerit Memmiam, eam qua cautum fuit, ne qui reip. cauſſa abeſſent, rei fierent: tum, ut calumniatoribus & corruptis pecunia accuſatoribus, convictis, K. littera, ut Kalumniæ nota in frontem imprimeretur. Cic. pro Sex. Roſcio. Valerius lib. 3. Papinianus lc. in l. quæſitum Dig. de teſtib. ubi non rectè meo judicio ſcriptum *Rammios Brundiſii invenio.* eſt & *Remnius* grammaticus. *Rammii* nuſquam. De Lucio Caji fratre, nihil præterea comperi. Fuit ſubinde & alius ex eadem gente M. Memmius, quem puto ſuperiorum fuiſſe fratrem aut certè patruelem. Eum habuit quæſtorem Cn. Pompeius in bello contra Sertorium in Hiſpania geſto. nam & adfinitate illi, ducta in uxorem Pompeiji ſorore, junctus erat. qui in quadam contra Sertorium pugna in agro Saguntino tandem fortiſſimè occubuit. Cic. pro Balbo. Plutarch. Sertorio. Oroſius lib. 5. cap. 23.

Venimus jam ad C. illum Memmium, cujus potiſſimùm nomine omnis hæc à nobis ſuſcepta eſt commentatio, ut cui ſuos de rerum natura libros conſcripſerit poëta noſter, uti temporum ratio, hæcque tota Memmiæ gentis deductio evincunt. Hic igitur ſuperioris Lucii, ut Cicero teſtatur, Filius, magnam adoleſcens operam in bonis artibus poſuit, adeò ut doctiſſimus evaſerit; viroſque etiam eruditos ſingulari amore ſit complexus ac juverit. Athenas profectus iiſdem cùm Lucretio præceptoribus uſus videtur. Romam deinde reverſus, cùm aliquantum temporis ſe r. p. probaſſet, à majoribus & eloquentia ac doctrina, viriſque eruditis & Pompeiji familiaritate adjutus, ad honores provectus eſt. Prætor autem creatus Bithyniam obtinuit: in qua profectione comitem habuit poëtam Catullum; fortaſſe & noſtrum ſuumque Titum, & Curtium Niciam grammaticum nobilem, quem familiariter apud ſe ſemper habuit, inquit Suetonius. Reverſus ex provincia, quia non rectè eam adminiſtrarat, ut indicat etiam Catullus; aut certè provincialibus quibuſdam injuriam intulerat: accuſatus fuit à C. Cæſare. id colligo ex Agellio, qui è Cæſaris oratione pro Bithynis in Memmium hæc adfert verba: *Vel pro hoſpitio regis Nicomedis, vel pro horum neceſſitate hoc munus, Memmi, refugere non potui.* Sed hic etiam pervolgatum eſt, *Mummi.* Tum verò acerbè Cæſarem accepit Memmius, & in eum oravit acerrimè, ut ex Suetonio in Cæſ. percepi. Credibile eſt ei Memmium objeciſſe de proſtituta olim apud Nicomedem Bithyniæ regem pudicitia. Cujus exitum judicii licet nullum invenerim; certè tamen credo abſolutum fuiſſe Memmium. Interjectis enim paucis admodum annis tribunus plebi Gabinium accuſavit repetundarum, L. Domitio & Ap. Claudio coſ. & eodem anno C. Rabirium Poſtumum, quem defendit Cic. cujus exſtat oratio. Conſulatum etiam tum petit noſter Memmius cum Domitio, Meſſalla, Scauro, aliis: omnes ſumma contentione & libidine, adeò ut nemo in proximum annum conſul creari potuerit; & interregna, ut ait, Cic. in eo anno fuerint compluria. Redierat jam in gratiam cum Cæſare Memmius, in eoque ut idem Cic. magnam ſpem poſuerat; & ab eo licet in Galliam abſente, in ea re non nihil, inquit Suetonius, erat adjutus. verum fruſtra. Nam cùm quatuor illi candidati multique alii ob turpiſſimas pactiones & dona accuſati eſſent; altero tandem anno Cn. Pompeio coſ. anno IↃ. CCI. Memmius lege Pompeia de ambitu cum Hypſeo & aliis quibuſdam, etiam Cic. defenſore condemnatus, in Græciam exulatum abiit: quam rem attingit Cic. li. 2. ep. 3. ad Quinctum, & copioſè narrat Appianus lib. 2. ἐμφυλ. Athenis aliquandiu fuit, ubi ad ſtudia philoſophica, in quibus à puero ſemper deditus fuerat, ſe retulit. Cic. lib. 5. ep. 11. ad Att. Epicuri autem rationem eum ſecutum eſſe & noſter poëta, & Cic. planè confirmat, eaque re videtur neſcio quid in Epicuri honorem ædificare voluiſſe, ut in Academiæ. Cicero. lib. 13. ep. Cic. ad Memmium. Poſtea abjecta ædificatione, Mitylenas; mox Patras (quod eſt oppidum Achaiæ prope à Corintho) conceſſit. Hìc civis tandem factus, Lyſonis civis Patrenſis honeſtiſſimi viri ac Cic. amici filium adoptavit: ſibique hæredem ſcripſit: neque ita multo poſt ibidem, ut opinor, deceſſit. Hæc è Cic. colligo. cujus verba ad Ser. Sulpicium Achaiæ procoſ. ſeptem poſt condemnatum Memmium annis, ut aliis etiam ſint in promptu, adſcripſi: *Cum Lyſone Patrenſi*, inquit Cic. *eſt mihi quidem hoſpitium vetus*, &c. *Sed eo vehementiùs à te contendimus, ut Lyſonem in fidem, neceſſitudinemque tuam recipias. cujus dubia fortuna, timidius tecum agebamus; verentes, nequid accideret ejuſmodi, ut ne tu quidem mederi poſſes. Explorata verò ejus incolumitate, omnia à te ſtudia ſumma cura peto; quæ ne ſingula enumerem, totam tibi domum commendo: in his adoleſcentem filium ejus, quem C. Memmius Gemellus cliens meus, cùm in calamitate exilii ſui, Patrenſis civis factus eſſet, Patrenſium legibus adoptavit: ut ejus ipſius hereditatis jus, cauſ-*

ſamque tueare. Ex his M. Tullii verbis tam de morte Memmii, quàm de loco domicilii multiſque aliis rebus certi quid facillimè intelligi poteſt. Ne quis tamen addubitet, apponam alterum Cic. locum, quo ſuperiora pleraque omnia mirifice confirmantur. In lib. ergo de claris oratoribus ad Brutum, quem eodem illo anno, nempe Cæſare & Lepido cos. conſcripſit; & in quo oratores jam mortuos colligit, de C. hoc Memmio ita ait: *C. Memmius L. F. perfectus litteris ſed Græcis, faſtidioſus ſanè Latinarum, argutus orator, verbiſque dulcis, ſed fugiens non modò dicendi, verùm etiam cogitandi laborem; tantum ſibi de facultate detraxit, quantum imminuit induſtriæ.* Optimatium verò enim fuisſe ſtudioſum ab ineunte ætate teſtatur idem Cic. in Rabiriana. Unum hoc in eo reprehenſione dignum (nam de ambitu injuria damnatum dicit Cic.) ex Catullo, Cic. & Tranquillo invenio, quòd in res Venereas fuerit pronior: ſed hoc ea ætate qua vixit, crimini vix datum fuit. tam inquinata erant omnia. Scripta ejus commemorantur ab Agellio, Chariſio, & Priſciano. Poëmata in noctibus Att. dicuntur duriora. Ex oratione quadam hæc adducit Priſcian. lib. 8. *Quàm ſtultè confictа, quàm ſunt apertè ementita.* Apud Soſipatrum malè etiam uti puto, *Mummius* extat. Verùm de Memmiis ſatis, quando jam perſpicuum eſt, quis ille & quantus vir fuerit, cui ſuum opus inſcripſit Lucret. qua maximè re, à nobis inſtituta fuerat oratio. Longum eſſet de Memmiis Quirinis & Regulis, ſuperiorum, ut puto, poſteris, qui ad conſulatum etiam r. p. jam oppreſſa pervenerunt, dicere. de quibus Suetonius, Tacitus, faſti conſul. Capitol. nummi & inſcriptiones antiquæ. De Cerialibus etiam Memmiorum ſacris, ac Floralibus, quorum apud Ang. Politianum & P. Victorium, & in monimentis antiquis nonnulla eſt mentio, quia res obſcura eſt, & inſtituto noſtro parum utilis, prætermittimus: hoc unum addidiſſe contenti, me in hac gente illuſtranda & evolvenda valde adjutum eſſe à clariſſ. ac doctiſſimo Ic. Guidone Laurino: qui ut eſt in omni antiquitate peritiſſimus, omneſque ſtudioſos, cum fratre clariſſ. M. Laurino incredibili ſtudio proſequitur, ac fovet: omnia ferè quæ de hoc genere in Adverſaria ſua retulerat, nobiſcum humaniſſimè communicavit.

T. LUCRETII CARI

Patria, genus, vitæ ſtudium, ingenium, mortis genus & tempus, librorum ab eo ſcriptorum numerus, conſilium poëtæ, argumentum & inſcriptio operis, *D. Lambino* auctore.

Cum de T. Lucretio Caro nihil fere litteris mandatum ſit à veteribus, aut certe pauca admodum, eaque incerta: atque idcirco, qui ejus vitam conſcribere anteà conati ſunt, ii mihi artem quandam divinandi factitaſſe viderentur: non putaveram olim, mihi quidquam in ea re ſtudii, temporisve ponendum, quæ vani cujuſdam arioli potius, quàm diligentis explicatoris operam deſideraret. Ne nunc quidem calamum ad aliquid ea de re ſcribendum in manum ſumſiſſem, niſi amici aliquot mei, quorum auctoritas multùm apud me valere debet, quibuſque diutius obſiſtere neque potui, neque debui, me de mea priſtina ſententia demoviſſent, mihique perſuaſiſſent, ut, quæ alii ſuo more expoſuiſſent, ea ego retractarem meo, cùm præſertim iidem fontes, unde illi hauſerunt, mihi quoque, atque adeò omnibus hominibus paterent. Qui utinam eſſent non ſolùm uberiores ac pleniores, verùm etiam liquidiores ac ſinceriores, ut certiora de noſtro Tito, atque exploratiora ex iis petere liceret. Sed quid agas? Quæ nobis ſuppetunt, qualiacumque ſint, iis libenter & jucundè fruendum: quae deſunt, iis aequo animo carendum. Diſſimulare equidem non poſſum, me hoc negotium gravatè ſuſcepiſſe, quod tam multi viri ante me confectum ac tranſactum reddiderunt, P. Crinitus, Baptiſta Pius, Lilius Gyraldus, aliique nonnulli. Sed cùm hanc cauſam amicis meis opponerem: reſpondebant, eos non ſatis eleganter, & propemodum inquinatè hanc rem confeciſſe: atque à me petebant, ut paullo nitidius, ac politius eam perſequerer: cùm dicerent, non tam referre quid diceretur, quàm quo modo diceretur. Poſtremò, cùm preces quoque adhibuiſſent, meque per amicitiam noſtram obſecraſſent, ut ſibi etiam, atque etiam petentibus, hoc darem: ad extremum victus ceſſi, levius me peccaturum eſſe exiſtimans, ſi actum agerem,

rem, quam ſi amicis aliquid à me, praeſertim neque turpe, neque iniquum petentibus, denegarem.

Haec igitur nobis quaerenda, &, quo ad ejus fieri poteſt, exponenda ſunt, T. Lucretii patria, genus, vitae ſtudium, ingenium, mortis genus, librorum ab eo ſcriptorum numerus, conſilium ſcriptoris, argumentum & inſcriptio operis. De patria igitur, conſtat inter omneis, idque vel ex ipſius poëtae teſtimonio intelligere licet, eum Romanum eſſe. Sic enim ille in procemio lib. I: 39. Venerem implorans, eamque rogans, ut exorato Marte, cujus eſt amica, bellum per maria ac terras omneis componat pacemque conciliet: *Hunc, tu diva,* (inquit) *tuo recubantem corpore ſancto, Circumfuſa ſuper ſuaveis ex ore loquelas Funde, petens placidam Romanis incluta pacem. Nam neque nos agere hoc, patriai tempore iniquo, Poſſumus æquo animo: neque Memmi clara propago Talibus in rebus communi deeſſe ſaluti*, & eodem libro infrà: 831. *nec noſtra dicere lingua Concedit nobis patrii ſermonis egeſtas.* & lib. III. 259. *rationem reddere aventem Abſtrahit invitum patrii ſermonis egeſtas.* Itaque quod de T. Pomponio Attico ſcripſit Cornelius Nepos, munus illud Fortunae fuiſſe, quòd in ea potiſſimùm urbe natus eſt, in qua domicilium orbis terrarum eſſet imperii, ut eandem patriam haberet, & dominam, &c. hoc idem de noſtro Tito dicere licet, eandem urbem, ejus patriam fuiſſe, & gentium dominam, ſiquidem Roma, patria ejus eſt, ut eſt.

Atque haec quidem de patria: De genere autem, gentis Lucretiae fuiſſe T. Lucretium, nomen ipſum declarat. Porrò autem gens Lucretia quàm clara atquè antiqua fuerit, argumento ſunt Lucretii Tricipitini, Triones, Ofellae, Veſpillones, Galli. Quòd verò ad cognomen attinet, tametſi rarius in faſtis, & ceteris monumentis compareat, Romanum eſſe tamen & ex elegiis nonnullis P. Ovidii, & epigrammatis M. Valerii Martialis intelligere licet. Sed credibile eſt, hujus familiae Lucretios, equeſtri ordine contentos, populi honores non magnopere expetiſſe: quod nemo mirabitur, qui legerit, C. Maecenatem Vipſanium, cùm & Caeſari Auguſto, & M. Agrippae cariſſimus, atque adeò intimus eſſet, ideoque ampliſſimos honores capere, atque ad ſenatorium ordinem pervenire poſſet: anguſto clavo tamen contentum fuiſſe. Licet etiam dicere, Lucretium noſtrum è Veſpillonum, aut Ofellarum familia fuiſſe, duoque cognomina habuiſſe, cùm ad commune totius familiae cognomen aut Veſpillonis, aut Ofellae, cognomen Cari acceſſiſſet vel propter ingenii magnitudinem, & praeſtantiam, vel propter morum ſuavitatem, & comitatem, vel propter aliquid tale. Quod ut facilius credam, facit vel Q. Lucretius Veſpillo, juriſperitus, quem commemorat M. Tullius in Bruto, vel Q. Lucretius Ofella, quem idem ibidem ſcribit aptiorem fuiſſe contionibus, quàm judiciis: de quo fortaſſe & Velleius Paterculus lib. 2. verba facit: vel potius alter Lucretium Veſpillo, cujus M. Tullius mentionem facit lib. 8. epiſtolarum ad Atticum, epiſtola V. & C. Caeſar lib I. &. III. de bello civili: ut credibile ſit, Lucretium noſtrum, horum alicujus fratrem germanum, aut patruelem fuiſſe. Neque me movet, quòd Caeſar. lib. I. de bello civili, Lucretium illum ſenatorem appellat. fieri enim poterat, ut ex eadem familia alius eſſet equeſtris, aut etiam plebeij ordinis, alius ſenatorii. Quod ſi cui mirum videatur, conſideret, M. Tullium Ciceronem, & Q. Tullium, ejus fratrem, equeſtri loco eſſe natos. Finge igitur, ex his duobus fratribus alterum ſe ad honores petendos, & rempub. gerendam contuliſſe: alterum luce populari carere, ſuum negotium agere, & intra pelliculam ſe continere voluiſſe, (quod tamen ſecus factum eſt) ſed finge ita eveniſſe. Proculdubio is, qui aedilitatem majorem, praeturam, conſulatum adeptus eſſet, ut Marcus, ſenatorii ordinis factus eſſet: ille alter, qui nullum magiſtratum geſſiſſet, in equeſtri ordine manſiſſet. Hoc idem de noſtro Tito dicere licet, eum equeſtri ordine contentum fuisſe, cùm ejus propinqui, quòd ſe ad rempub. adminiſtrandam, & ad magiſtratus gerendos contulerant, ſenatores facti eſſent. Quo poſito, & conceſſo, licebit eum referre in familiam aut Veſpillonum, aut Ofellarum, ut praeter praenomen T. & nomen Lucretii, & cognomen Cari, vel ſic appelletur, T. Lucretius, Veſpillo, Carus, vel ſic, T. Lucretius, Ofella, Carus. De duobus cognomentis autem, dubitari non debet. Nullum enim dubitandi relinquunt locum P. Cornelius Lentulus, Sura: P. Cornelius Lentulus, Spinther: Q. Fabius Maximus, Verrucoſus: L. Cornelius Sylla, Felix: L. Calpurnius Piſo, Frugi, alii, quos longum ſit enumerare. Haec ſunt, quae de T. Lucretii noſtri genere comperta habemus. Euſebius Pamphili F. eum natum eſſe tradidit Olympiade C. LXXI. hoc eſt, Cn. Domitio Ahenobarbo, & C. Caſſio Longino COSS. anno ab V. C. IƆCLVII. Alii, Olympiade C. LXXII. hoc eſt L. Licinio Craſſo, & Q. Mucio Scaevula COSS. anno ab V. C. IƆCLVIII. Ex quo apparet, eum M. Tullio Cicerone annis XII. aut XI. natu minorem fuiſſe, ſiquidem M. Tullius natus eſt Q. Servilio Caepione, C. Atilio Serrano COSS. & ita T. Lucretium Carum, C. Julium Caeſarem, Q. Tullium Ciceronem, C. Valerium Catullum, T.

Pom-

Pomponium Atticum, & horum æqualeis, non longè admodum inter ſe ætatibus deſtitiſſe. Idque conſentaneum eſt cum iis, quæ ſcribit Velleius Paterculus lib. 2. his verbis. *Jam pæne ſupervacaneum videri poteſt, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat, diremptos gradibus ætatis floruiſſe hoc tempore Ciceronem, Hortenſium, ſenemque Craſſum, Catonem, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Calvum, Cælium, & proximum Ciceroni Cæſarem, eorumque velut alumnos Corvinum, ac Pollionem Aſinium, æmulumque Thucydidis Salluſtium, auctoreſque carminum Varronem, ac Lucretium, neque ullo in ſuſcepti operis ſui carmine minorem Catullum?* Neque ab his diſcrepant ea, quæ ſcripſit Cornelius Nepos in vita T. Pomponii Attici. his verbis. *Idem* (Atticus) *L. Julium Calidium, quem poſt Lucretii, Catullique mortem, multo elegantiſſimum poëtam, noſtram tuliſse ætatem verè videor, poſſe contendere, neque minus virum bonum, optimiſque artibus eruditum, poſt proſcriptionem equitum, propter magnas ejus Africanas poſſeſſiones, in proſcriptorum numerum à P. Volumnio, præfecto Fabrûm Antonii, abſentem relatum, expedivit.*

Cùm his congruunt & M. Tullii verba in epiſtola quadam ad Q. Fratrem, lib. 2. quibus Quincti de Lucretii poëmate judicium comprobat: quæ verba mox ſuo loco referemus. Quòd ad ſtudium attinet, credibile eſt, poëtam noſtrum, cùm ad poëticam, & philoſophiam natus eſſet, ingenioque ſuo indulgens, & naturam ſuam ducem ſecutus, philoſophiam Epicuream approbaſſet: ut ſolutiore animo, & commodius philoſophari poſſet, ſeſe Athenas contuliſſe, ibique Zenonem illum, Epicureorum coryphaeum, ut eum M. Tullius lib. 1. de natura deorum appellat, audiviſſe, atque hoc pacto totam Epicuri diſciplinam accuratè cognoviſſe, ac perdidiciſſe. Cùm eſſet igitur Lucretius ad poëticam factus natura, ingeniique acumine excelleret: contemtis popularibus honoribus, qui non ſolùm equeſtri ordini, verùm etiam plebeio patebant: (certè majoribus ejus, & propinquis patuerant) ſive quòd à populari levitate abhorreret natura, ſive quòd vitam ſuam ei diſciplinae, quàm ſequeretur, quamque amplexus eſſet conſentaneam eſſe vellet: (ſapientem enim ad remp. acceſſurum negabat Epicurus) conſtituit ſe intra fortunam ſuam continere, perpetuoque equeſtrem dignitatem retinere, neque longius progredi, idque multorum bonorum, & clarorum virorum exemplo. Quamvis autem eſſent hi numero complures, unus Pomponius tamen, multorum inſtar ei eſſe poterat: qui, cùm ei honores ampliſſimos in ſua civitate conſequi liceret, ita privatus, quàm diu manſit in vita, vixit tamen, ut viris totius civitatis Romanæ ampliſſimis, & ornatiſſimis, & nobiliſſimis cariſſimus fuerit.

Quantus autem poëta ſit Lucretius, quàm acuto, & acri ingenio: quanta ſit carminis ab eo ſcripti gravitas, ac majeſtas, quantus ornatus, quàm pulchri, & præclari verſus, quanta ſermonis elegantia, munditіes, integritas, atque, ut ita dicam, ſanitas, cùm omnes eruditi, qui hodie vivunt, intelligunt: tum qui patrum noſtrorum ætate floruerunt, eo maximè declararunt, quod hunc poëtam in primis amabant, ac lectitabant. Sed ultima illa, & maxime veneranda, utpote nondum peregrinis ſordibus oblita, antiquitas, non obſcurè id ſignificavit. Atque, (ut ab hoc potiſſimùm initium ſumam) quàm bene exiſtimarit de hoc poëmate Q. Tullius Cicero, Marci frater, homo ſubtiliſſimi ac politiſſimi judicii, declarat Marci ad eum epiſtola libro II. epiſtolarum ad Q. Fr. per quam ſic ei reſcribit. *Lucretii poëmata, ut ſcribis, ita ſunt: multis ingenii luminibus tincta: multæ tamen etiam artis.* Quæ poteſt laus ulla poëmatis eſſe major? Homerum laudant omnes veteres, ut ingenioſum, & omnia perficientem natura potius, quàm arte. contrà laudatur Virgilius, quòd in eo plus ſit artis, & induſtriæ: naturæ & ingenii minus. At Lucretius noſter utroque valet, atque excellit, arte, inquam, & natura, ut quidem Q. Tullius Cicero, cui Marcus aſſentitur, indicat. Quid eſt, quòd aliorum judicia, aut teſtimonia requiramus? Hi duo multorum nobis teſtium inſtar eſſe poſſunt. Verùm tamen alii quoque teſtes citabuntur. Ac ſecundo ſanè loco citetur Cornelius Nepos: cujùs verba ex vita T. Pomponii Attici, paullo antè protulimus, ea, quibus ſignificat, Lucretium in elegantiſſimis ſuæ ætatis poëtis eſſe numerandum. Tertius producatur Ovidius: cujus hi ſunt verſus.

Carmina divini tum ſunt peritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit una dies.

Ejuſdem ſunt & hi.

Explicat ut cauſas rapidi Lucretius ignis,
Caſurumque triplex vaticinatur opus:
Sic ſua laſcivo cantata eſt ſæpe Catullo,
Fæmina, cui falſum Leſbia nomen erat.

Citetur quartus Vitruvius: cujus hæc verba ſunt lib. IX. cap. III. *Cùm verò neque moribus, neque*

in-

nſtitutis, ſcriptorum præſtantibus tribuantur honores: ipſæ tamen per ſe mentes aëris altiora proſpicientes, memoriarum gradibus ad cælum elatæ, ævo immortali non modò ſententias, ſed etiam figuras eorum poſteris cogunt eſſe notas. Itaque qui hiſtoriarum jucunditatibus inſtructas habent menteis, non poſſunt non in ſuis pectoribus dedicatum habere, ſicuti deorum, ſic & Ennii poëtæ ſimulacrum. Accii autem carminib. qui ſtudioſè delectantur, non modò verborum virtutes, ſed etiam figuram ejus videntur ſecum habere præſentem. Item plures poſt noſtram memoriam naſcentes cum Lucretio videbuntur velut coràm de rerum natura diſputare: de arte verò rhetorica cum Cicerone: multi poſterorùm cum Varrone conferent ſermonem de lingua Latina. Itaque ſatis interdum mirari non poſſum, quæ tanta fuerit in Quintiliano judicii perverſitas, ut primùm cum Macro Lucretium, hoc eſt cum muſca elefantum, compararit, cùm ſint inter ſe maximè diſpares, ac diſſimiles: (Macrum autem eum ſignifico, quem Quintilianus noverat. nam is, qui hodie eſt in manibus, non eſt Macer germanus, ſed alius quidam Pſeudomacer in antiqui, & veri Macri locum ſubditus) deinde ſcripſerit, *utrumque eſſe quidem legendum, ſed non ut phraſin, id eſt corpus eloquentiæ faciant:* poſtremò ſubjunxerit, *elegantem eſſe utrumque in ſua materia: ſed alterum, humilem, alterum difficilem.* Nam primùm Lucretius non fuit cum Macro comparandus, ut dixi, propterea quòd nihil habent inter ſe ſimile. Deinde quòd negat, Lucretii lectionem oratori prodeſſe poſſe ad corpus eloquentiæ conſtituendum: nihil umquam Quintilianus minus verè locutus eſt. Nam, ſive verba ſimplicia, ac propria, & elocutionem ipſam ſpectes: paucis admodum verbis exceptis, quæ poëta aut ſuo jure finxit, aut ab Ennio & aliis ficta, uſurpavit, poteſt orator ex ſermonis genere, quo Lucretius eſt uſus, orationem ſuam efficere primùm puriorem, atque elegantiorem: deinde uberiorem, ac nitidiorem: ſive te ad rerum tractandarum rationem convertas, habet, unde facere poſſit orationem elatiorem, grandiorem, excelſiorem. Quemadmodum enim M. Tullius, Periclem illum, qui fulgurare, tonare, permiſcere Græciam dicebatur, eò ceteris oratoribus præſtitiſſe dicit, quòd Anaxagoræ phyſici auditor fuiſſet: & Demoſthenem illum, quem Longinus ſcribit ignis inſtar, eorum, quos afficere velit, animos incendere, atque inflammare, tanto majorem evaſiſſe, quòd Platonem in Academia de rebus à ſenſu populari remotis diſputantem audiviſſet: ita arbitror, eum oratorem, qui ſtudioſè Lucretium legat, multo majores in dicendo ſonitus editurum, multoque vehementius animos auditorum quaſi percuſſurum, & quocumque velit, impulſurum. Neque tamen hoc ita accipi velim, quaſi hoc ſentiam, diſputationem de atomis, & de earum concurſione fortuita, & de earum motu triplici, & ſimilibus reb. ad eloquentiæ incrementum, ac pondus acquirendum oratori profuturam: ſed hoc ſentio, hoc dico, detracta certorum librorum materia, ejus tractandæ rationem, ac figuras, oratori magnos & uberes fructus allaturas, magnoque adjumento ad eloquentiam omnibus ſuis partib. abſolutam, comparandam futuras: & oratorem ab hujus poëmatis lectione profectum, orationem confecturum longè grandiorem, magis ſonoram, magis arduam, & excelſam, magis denique, ut ita dicam, exſtructam, atque exaggeratam. Iam, quòd idem ait, *Lucretium eſſe difficilem:* quid diceret, ſi his temporibus natus eſſet, quibus à certis hominibus (quorum nominibus parco) ita depravatus eſt, ut vix ejus priſtina ſpecies agnoſcatur, cùm & ætati Lucretii pæne vicinus, & Lucretii exemplaria integra, & emendata, aut certè quàm minimè corrupta & mendoſa habens, hæc ſcripſit tamen? Atqui nihil eſt in Lucretio magnopere difficile homini tolerabiliter erudito, & in diſciplina Epicuri non omnino hoſpiti. quin pleraque in eo ſunt, quæ non debet ignorare homo honeſto loco natus, & liberaliter educatus, & bonis artibus eruditus, nedum is, qui eſt orator aliquando futurus, & apud pontifices, apud imperatores, apud reges, apud populos opulentos, ac potenteis magnis de rebus verba facturus. Tali igitur ingenio præditus, atque ornatus, talibuſque adjumentis partim à natura, partim à ſtudio & doctrina inſtructus Lucretius, ſeſe ad ſcribendum de natura rerum contulit, ſcribendi quidem genus, & figuras, & grandiloquentiam Empedoclis ſecutus: materiam verò, & res, ab Epicuro, cujus diſciplinam, & decreta adamarat, mutuatus. Atque Empedocli quidem præclaram gratiam retulit, egregiis, & honorificentiſſimis verſibus in eum ſcriptis, libro 1:717.

Quorum Arcagantinus cum primis Empedocles eſt:
Inſula quem Triquetris terrarum geſſit in oris, &c.

ſequitur deinde,

Quæ cùm magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio, viſendaque fertur,
Rebus optima bonis, multa munita virum vi:
Nil tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe,

Nec ſanctum magis, & mirum, carumque videtur.
Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, & exponunt præclara reperta:
Ut vix humana videatur ſtirpe creatus.

Epicurum verò, magiſtrum, & ducem ſuum, divinis propè laudibus ornavit, idque tribus locis: uno, poſt procemium lib. I: 63.

Humana ante oculos fœdè cùm vita jaceret, &c.
Primùm Grajus homo mortaleis tendere contrà
Eſt oculos auſus, primuſque obſiſtere contrà:
Quem nec fama deûm, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compreſſit cælum, ſed eo magis acrem
Virtutem inritât animi, confringere ut arta
Naturæ primus portarum clauſtra cupiret.
Ergo vivida vis animi pervicit, & extra
Proceſſit longè flammantia mœnia mundi:
Atque omne immenſum peragravit mente, animoque,
Unde refert nobis victor, quid poſſit oriri, &c.

Altero loco, in procemio lib. III. his verſib.

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuiſti, inluſtrans commoda vitæ,
Te ſequor, ò Grajæ gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis, &c.

ſequitur mox,

Tu pater, & rerum inventor, tu patria nobis
Suppeditas præcepta, &c.

tertio, in procemio lib. VI. una, eademque opera & Athenas, ubi fuit inſtitutus, & diſciplinæ inventorem laudans, his verſibus.

Primæ frugiferos fœtus mortalibus ægris
Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ:
Et recreaverunt vitam, legeſque rogarunt:
Et primæ dederunt ſolatia dulcia vitæ,
Cùm genuere virum tali cum corde repertum,
Omnia veridico qui quondam ex ore profudit:
Cujus & exſtincti, propter divina reperta
Divolgata, vetus jam ad cælum gloria fertur.

Quòd autem à quibuſdam proditum memoriæ eſt, Lucretii carmen, quaſi ab auctore inchoatum, rudeque atque impolitum relictum, à M. Tullio eſſe emendatum, perfectum, ac perpolitum: id ego neque refellere, ſi velim, poſſim, quia Euſebii, qui hujus opinionis auctor eſt, auctoritas, ab eo, qui gravioris alicujus auctoritate careat, elevari, aut infirmari non poteſt: neque ſi poſſim, velim, quia hoc ipſum nobis argumento magno debet eſſe, hoc poëma, præclarum M. Tullio eſſe viſum, quòd id dignum eſſe judicarit, in quo emendando operam ſuam collocaret. Ceterùm hoc videor ex ipſius Lucretii verſibus, atque ex ipſa operis ſumma, confirmare poſſe, nihil eſſe in hoc poëmate foris profectum, nihil alienum, nihil adventitium: ſed omnia eſſe domeſtica, domi nata, & vernacula: ita totum opus ſimplex eſt, & unum, & ab omni parte ſui ſimile, quamvis partes ſint inter ſe diſſimiles ac diſpares Qemadmodum enim Phidiæ Minervam, quamvis ex partibus diſſimilibus conſtaret, (ut & corpus humanum ex membris diſſimilibus conſtare neceſſe eſt:) tamen cùm eam adſpiceres, non diceres à pluribus artificibus eſſe fabricatam, ſed ab uno Phidia perfectam, atque abſolutam: ſic, cùm hoc divinum Lucretii poëma uno quaſi oculorum obtutu contemplor, videor mihi non plurium ſcriptorum calamos, ſed unius Lucretii manum notare atque obſervare: uſque adeò nullum prorſus in eo alienæ operæ veſtigium comparet. Præterea licet ex multis hujus poëmatis locis hanc facere de Lucretii animo conjecturam, ita eum fuiſſe animatum, ita magnificè & glorioſè de ſe exiſtimaſſe, ita denique ſui ingenii viribus eſſe confiſum, ut videri nollet opis alienæ indigere. Declarant id, quod dico, verſus hi bis ab eo poſiti, ut I. 925. & IV. I.

Avia Pieridum peragro loca, nullius antè
Trita ſolo: juvat integros accedere fonteis,

At-

Atque haurire: juvatque novos decerpere flores,
Inſignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Muſæ, &c.

& hi, libro. IIII. poſiti, in procemio. vſ. 11. & 1. 935.

Nam veluti pueris abſinthia, &c.
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur
Triſtior eſſe, quibus non eſt tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac: volui tibi ſuaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere noſtram,
Et quaſi muſæo dulci contingere melle.

& hi libro eodem, 480.

Nunc age, quàm celeri motu ſimulacra ferantur, &c.
Suavidicis potius, quàm multis verſibus, edam:
Parvus ut eſt cycni melior canor, ille gruum quàm
Clamor, in ætheriis diſperſus nubibus auſtri.

quos verſus iterat eodem libro, vſ. 906. eo loco, quo loco de ſomno diſſerere parat. & hi, quos lib. VI: 81. poſuit,

Multa tamen reſtant, & ſunt ornanda politis
Verſibus: & ratio ſuperûm, cælique tenenda, &c.

Quo mortis genere exſtinctus ſit Lucretius, difficile dictu eſt: neque multo facilius eſt dicere, quoto ſuæ ætatis anno è vita deceſſerit. Plerique mortuum eſſe ferunt; anno ætatis XLIII. Cn. Pompeio Magno III. Q. Cæcilio Metello Pio Coſſ. anno ab V. C. D CLI. eodem die, quo die P. Virgilium Maronem natum eſſe nonnulli ſcriptum reliquerunt. Nolunt autem eum, aut ſua ſponte mortem obiiſſe, aut alicujus morbi vi, ut fit, conſumtum eſſe, ſed, ut ejus obitum τραγικώτερον faciant, ſcribunt, eum ſibi ipſum manus attuliſſe: alii tædio vitæ, quòd patriam ſuam ambitione, avaritia, luxuria, diſcordia, & ſimilibus civitatum, quæ diu floruerunt, & jam ſeneſcunt, morbis æſtuare, atque afflictari videret: alii ægritudine animi, quòd Memmii ſui, qui in exſulium pulſus erat, triſtem caſum æquo animo ferre non poſſet: alii furore percitum, in quem Lucilia ſive uxor, ſive amica, amatorio poculo porrecto, eum imprudens adegerat, cùm ab eo amari, non ei necem inferre, aut bonam mentem adimere, vellet. Quoniam autem de numero librorum à noſtro poëta ſcriptorum, nonnulli dubitarunt, & leviſſimis argumentis adducti, plureis, quàm ſex, ab eo ſcriptos eſſe exiſtimarunt, videtur hic error minuendus, atque hæc dubitatio tollenda. Omnino igitur ſex libros dumtaxat de natura rerum ſcripſit T. Lucretius Carus. Cujus rei cùm ſint mihi illa quoque argumenta non imbecilla, primùm quòd Grammatici veteres, aliique ſcriptores, Feſtus, Nonius, Diomedes, Priſcianus, Probus, Cariſius, Donatus, Servius, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, nullum Lucretii librum ultra ſextum commemorant, nulloque ex ejus libro, præterquàm ex I. II. III. IV. V. VI. teſtimonium proferunt: deinde quòd his ſex libris ſolis tota Epicuri ratio, ſententia, ac doctrina, quæ quidem ad naturæ explicationem pertineat, continetur, neque quidquam amplius, quod quis de ea dicere queat, reliquum eſt: & tamen multa de continentia, & parſimonia in victu, de honoribus contemnendis, de luxuria, & mollitie aſpernanda, & de ceteris rebus ad philoſophiam moralem pertinentibus accedunt: tum ipſius auctoris teſtimonium, argumenti omnium firmiſſimi vim, & locum obtinere debet. Sic igitur Lucretius lib. VI. in procemio, ad extr. vſ. 91.

Tu mihi ſupremæ præſcripta ad candida calcis
Currenti, ſpatium præmonſtra, callida Muſa.

Quid enim aliud ſignificat, quàm librum ſextum ſuæ totius de natura rerum diſputationis, operiſque à ſe ſuſcepti eſſe faſtigium, & veluti extremam ſui laboris metam, ad quam cùm pervenerit, ſe, ut ludorum Circenſium victores, qui ſpatium feliciter decurrunt, coronam ſumma cum laude & gloria conſecuturum? Quod ſi quis neget, eum librum, qui vulgò primus & inſcribitur & appellatur, eſſe primum, quaſi multi alii libri à Lucretio ei præpoſiti fuerint, verſu illo, qui apud M. Terentium Varronem, lib. 4. de lingua Latina, legitur, auctorique Lucretio adſcribitur, commotus,

Ætheris, & terræ genitabile quærere tempus:

primùm, ipſius libri argumentum ſatis declarat, Lucretium non aliunde, quàm ab hoc libro initium

m 2 du-

duxiſſe. In primo libro enim diſputat poëta de principiis, ſeu primordiis rerum. At nonne præpoſterum & perverſum ordinem ſecutus eſſet, ſi in prioribus quidem libris, de aliis quibuſdam rebus, ordine poſterioribus, diſſeruiſſet: in hoc libro verò, qui illis poſtpoſitus eſſet, de principiis rerum, quæ ſunt ordine priora, diſputaret? Deinde proœmium ipſum clamat, hunc eſſe primum librum. Præterea commendatio auctoris & ducis, quem ſequitur, ſive proparaſceve ad diſputationem de principiis rerum, cum laude Epicuri conjuncta, quæ eſt vſ. 63.

Humana ante oculos fœdè cùm vita jaceret, &c.

hujus rei fidem facit. Præterea ii verſus, quibus lectori, rei ſuſceptæ difficultatem, & poëtæ animi magnitudinem, ac paene dicam, audaciam tacitè miranti, occurrit, vſ. 137.

Nec me animi fallit, Grajorum obſcura reperta,
Difficile inluſtrare Latinis verſibus eſſe, &c.

vincunt, hunc eſſe primum librum. Serò enim hoc faceret, ſi alii libri antecederent. Praeterea hic locus ex eodem libro me adjuvat. vſ. 147.

Hunc igitur terrorem animi, tenebraſque, neceſſe eſt,
Non radii ſolis, neque lucida tela diei,
Diſcutiant: ſed naturæ ſpecies, ratioque,
Principium hinc cujus nobis exordia ſumet,
Nullam rem è nihilo fieri divinitus umquam.

Poſtremò verſus poſiti lib. VI. 936. eo loco, quo loco docere incipit, quo pacto fiat, ut magnes ferrum trahat: nullum dubitationi locum relinquunt. Sunt autem hi verſus.

Nunc omnes repetam, quàm raro corpore ſint res,
Commemorare: quod in primo jam carmine claret.

In primo carmine, hoc eſt, *in primo libro*. At *in primo libro*, in eo, inquam, libro, qui vulgò liber primus & inſcribitur, & numeratur, poſteaquàm aliquot verſibus oſtendit, eſſe corpora quaedam ſolidiſſima, & ſimpliciſſima, quae primordia rerum dicuntur, docet continuò, eſſe inane, & res genitas corpore raro conſtare: vſ. 330.

Nec tamen undique corporea ſtipata tenentur
Omnia natura, namque eſt in rebus inane, &c.

& 347.

Præterea, quamvis ſolidæ res eſſe putentur:
Hinc tamen eſſe licet raro cum corpore cernas:
In ſaxis, ac ſpeluncis permanat aquarum
Liquidus humor, & uberibus flent omnia guttis, &c.

Quòd autem ad verſum illum attinet, qui apud Varronem Lucretio adſcribitur: locus eſt apud Varronem corruptus, & vel *Lucilii*, vel alicujus alius ſcriptoris nobis ignoti nomen, pro *Lucretii* nomine reponendum eſt. Nam primùm veriſimile non eſt, M. Terentium Varronem à Lucretio, longè minore natu, teſtimonium ſumſiſſe, ut neque à quoquam alio inferioribus aetatis ſcriptore. Quin, ſi Euſebio credimus, qui Lucretium noſtrum ſcribit anno poſt M. Terentium Varronem XXIV. poſt M. Tullium Ciceronem, XI. natum eſſe: fortaſſe hic poëta nondum ullam de natura rerum litteram fecerat, cùm Varro ſuos de lingua Latina libros abſolutos ad M. Tullium miſit: aut certè ii libri nondum ad manus hominum pervenerant, neque in lucem editi fuerant. Nequis autem dicat, audax facinus eſſe, librorum omnium, qui ſic habent, conſenſum repudiare, auctoritatemque aſpernari: oſtendam ſimile erratum in nomine *Lucretii* apud eundem ſcriptorem lib. V.I. inhaeſiſſe. Sic enim vulgò legitur, *Apud Lucretium,*

Atque aliquos ibi ab rebus clepſere foro.

Nam ſine dubio legendum, *apud Lucilium,*

Atque aliquos ibus ab rebus clepſere, foroque.

quod vidit & Joſephus Scaliger. Sic ſaepe apud Feſtum & Nonium, & Macrobium, & alios, in hoc nomine à librariis peccatum eſt. Sic apud Feſtum legitur vulgo in, *Ouſentina tribus. Lucretius. Priverno Ouſentina venit, &c.* legendum, *Lucilius,*

Priverno Ouſentina, (ſeu, Vſentina) venit fluvioque Ouſente.

Apud Nonium contrà, in adverbiis, *longinquè*, & *longiter*, ita legitur vulgò. *Lucilius lib. 3.*

Non, ut opinor, id à lectio jam longiter rati.

legendum enim eſt, *Lucretius lib. 3.*

Non, ut opinor, id à leto jam longiter errat.

quod

quod in commentariis libri 3: 676. ſuo loco jam pridem indicavimus. Sic & apud Macrobium lib. 6. Saturn. cap. 1. *Lucretii* nomen, pro *Lucilii* a librariis ſcriptum, & impreſſum eſt. ſic enim vulgò legitur. *Lucretius.*

Major erat natu: non omnia poſſumus omnes.

legendum enim, *Lucilius. Major erat natu,* &c. Multo plura mihi colligere licet: ſed ad reliqua propero. Conſilium poëtae eſt, animi tranquillitatem, & ἀταραξίαν illam, quam crebrò habebat in ore Epicurus, hominibus afferre. Quoniam autem duae res in primis homines ſollicitant, & conturbant, ut ille putabat, religio, hoc eſt, timor deorum inanis, vitaeque beatae inimicus, atque infeſtus: tum mortis metus: his duobus animorum quaſi peſtibus, & crucibus, conatur eos liberare, oſtendendo, primùm nullam eſſe deorum providentiam: deinde nullum ſenſum poſt vitam remanere, animoſque eſſe mortaleis. In quibus vehementer quidem errat Epicurus, & nos Chriſtiani valde ab eo diſſentimus: ſed noſtri poëtae, qui eum ducem ſequitur, conſilium aperimus. Quoniam igitur neutrum horum facile expedire poterat Lucretius, niſi natura rerum perſpecta, & cognita, omnem operam ſuam in explicanda ratione naturae ponit. Itaque docet, mundum ſine conſilio deorum, atomorum concurſu fortuito, eſſe factum, & mundos eſſe innumerabileis, eodem modo creatos, eoſque omneis eſſe interituros. Ac totum quidem librum tertium in diſputatione de anima conſumſit: ceteros verò in diverſis, ac variis quæſtionibus, quas lector ex indice earum rerum, quae in ſingulis libris tractantur, facilè per ſe cognoſcet. Atque haec ita ſe habere, ut dico, licet ex eo intelligere, quòd primo libro ſtatim poſt proœmium, primùm per quandam corporis fictionem (σωματοποιΐαν nominant Græci:) & per quandam ὑποτύπωσιν, religionis imaginem horribilem deſcribit, eamque facit è cœlo cum tali adſpectu mortalibus imminentem: vitam hominum autem tali ſpecie perterritam fœdè jacentem: deinde Epicurum, hominem natione Graecum, adverſus tam terribilem perſonam, oculos contendentem, eique obſiſtentem, ſubjicit deinceps, vſ. 76.

Unde refert nobis victor, quid poſſit oriri,
Quid nequeat: finita poteſtas denique quoique
Quanam ſit ratione, & quàm alte terminus hærens.

ſequitur mox, vſ. 147.

Hunc igitur terrorem animi, tenebraſque, neceſſe eſt
Non radii ſolis, neque lucida tela diei
Diſcutiant: ſed naturæ ſpecies, ratioque.

En tibi: naturæ ſpecies ratioque neceſſe eſt hunc terrorem diſcutiat, inquit: per naturæ ſpeciem, & rationem, nihil aliud ſignificans, quàm naturæ explicationem, ſive diſputationem de natura rerum, quam phyſicam, ſeu phyſiologiam appellant. Eodem pertinent illa, quæ poſuit lib. 3: 14. in proœmio.

Nam ſimul ac ratio tua cœpit vociferari,
Naturam rerum divûm ſine mente coörtam:
Diffugiunt animi terrores, mœnia mundi
Diſcedunt, totum video per inane geri res:
Apparet divûm numen, ſedeſque quietæ, &c.

ſequitur paucis pòſt verſibus, vſ. 25.

At contrà nuſquam apparent Acheruſia templa,
Nec tellus obſtat, quin omnia diſpiciantur,
Sub pedibus quæcumque infrà per inane geruntur, &c.

Conſentanea ſunt his & illa ex eodem lib. in extr. ubi deſcribit hominum inconſtantiam, & morbum animi, dum errantes, & incerti, aſſiduè quærunt, ubi conquieſcant, & locum identidem commutant, quaſi onus, quo urgentur, deponere queant: ſed fruſtra: quia morbi cauſam non tenent, inquit. Sic enim Lucretius concludit. vſ. 1081.

Hoc ſe quiſque modo fugit. at, quot ſcilicet, ut fit,
Effugere haud potis eſt, ingratis hæret, & angit,
Propterea, morbi quia cauſam non tenet æger.
Quam bene ſi videat, jam rebus quiſque relictis,
Naturam primùm ſtudeat cognoſcere rerum,
Temporis æterni quoniam, non unius horæ,
Ambigitur ſtatus, &c.

Deinde (redeo nunc ad primum librum) oſtendit ignorationem naturæ animæ, efficere, ut homi-

nes nati eſſe videantur in miſeriam ſempiternam, 105.

Quippe etenim quàm multa tibi, &c.

ſequitur mox, 108.

-- nam ſi certam finem eſſe viderent
Ærumnarum homines aliqua ratione valerent
Relligionibus atque minis obſiſtere vatum.
Nunc ratio nulla eſt reſtandi, nulla facultas,
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.
Ignoratur enim, quæ ſit natura animaï,
Nata ſit, an contrà naſcentibus inſinuetur:
Et ſimul intereat nobiſcum morte diremta,
An tenebras Orci viſat, vaſtaſque lacunas, &c.

Idem lib. 3. prœm. vſ. 31.

Et quoniam docui. &c.
Haſce ſecundum res animi natura videtur,
Atque animæ, claranda meis jam verſibus eſſe:
Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus,
Funditus humanam qui vitam turbat ab imo,
Omnia ſuffundens mortis nigrore: neque ullam
Eſſe voluptatem liquidam, puramque relinquit.

Quantùm autem exiſtimarit Epicurus naturae explicationem, ſive rerum naturalium cognitionem prodeſſe ad animos tranquillandos, omnique aegritudine, & metu liberandos, oſtendit & M. Tullius lib. 1. de finib. his verbis. *In phyſicis autem, quòd plurimùm proſunt, plurimam operam poſuit Epicurus. Omnium enim rerum natura cognita, levamur ſuperſtitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum: è qua ipſa horribiles exſiſtunt ſæpe formidines: denique etiam morati erimus, cùm didicerimus, quæ natura deſideret. tum verò, ſi ſtabilem ſcientiam rerum tenebimus: ſervata illa, quæ quaſi delapſa de cælo eſt ad cognitionem omnium, regula, ad quam omnia judicia rerum dirigentur: numquam ullius oratione victi ſententia deſiſtemus. Niſi autem rerum natura perſpecta erit, nullo modo poterimus ſenſuum judicia defendere. Qidquid porrò animo cernimus, id omne oritur à ſenſibus. qui ſi omnes veri erunt, ut Epicuri ratio docet: tum denique poterit aliquid cognoſci, & percipi, quos qui tollunt, & nihil poſſe percipi dicunt: ii, remotis ſenſibus, idipſum quidem expedire poſſunt, quod differunt. Præterea ſublata cognitione, & ſcientia, tollitur omnis ratio & vitæ degendæ & rerum gerendarum. Sic è phyſicis & fortitudo ſumitur contra mortis timorem, & conſtantia contra metum religionis, & ſedatio animi, omnium rerum occultarum ignoratione ſublata, & moderatio, natura cupiditatum, generibuſque earum explicatis; &, ut modò docui, cognitionis regula, & judicio ab eadem illa conſtituto, veri à falſo diſtinctio traditur.* Argumentum & inſcriptio operis, ex iis, quæ ſuprà diximus, ſatis patent. Explicatur hoc praeclaro poëmate natura rerum, & inſcriptio librorum, hæc eſt, *T. Lucretii de natura rerum libri* VI. omnium & librorum veterum auctoritate, & virorum conſenſu, comprobata: ad quæ duo accedit ipſius ſcriptoris vox, & veluti teſtimonium. Sic enim lib. 1: 25. poëta noſter:

Te ſociam ſtudeo ſcribendis verſibus eſſe,
Quos ego de rerum natura pangere conor.

& lib. IIII. 23.

Si tibi forte animum tali ratione tenere
Verſibus in noſtris poſſem, dum perſpicis omnem
Naturam rerum, ac præſentis utilitatem.

& lib. V. prœm. de Epicuro loquens, vſ. 50.

Hæc igitur qui cuncta ſubegerit, ex animoque
Expulerit dictis, non armis: nonne decebit
Hunc hominem numero divûm dignarier eſſe?
Cùm bene præſertim multa, ac divinitus, ipſis
Immortalibus de divis dare dicta ſuërit,
Atque omnem rerum naturam pandere dictis?

Hæc habuimus, quæ de T. Lucretii Cari patria, genere, vitæ ſtudio, ingenio, mortis genere, librorum ab eo ſcriptorum numero, conſilio poëtæ, argumento operis, & inſcriptione librorum, ſcriberemus. Nunc Lucretium naturam rerum graviſſimis, atque ornatiſſimis explicantem verſibus audiamus.

VITA

VITA T. LUCRETII,

Per Obertum Gifanium.

Etſi ab aliis quibuſdam viris ſanè doctiſſ. de vita Lucretiii ſit perſcriptum: ea tamen re mihi ſilendum prorſus non putavi, qui cupio omni ratione ſtudioſis aduleſcentibus patefacere, qualis & quantus ſit ac fuerit poëta, quod certè hac vitæ deſcriptione perſpici poterit. ex qua, præter alia quædam non contemnenda, videbunt omnes qua ætate, quàm erudito, inquam, ſæculo vixerit, quàm egregiè ſit inſtitutus; quibus uſus ſit amicis: quanto denique ſua etiam ætate in pretio fuerit. Quæ omnia ſtatim lectoribus judicio præditis etiam exiguo, indicant & teſtantur poëtæ cujuſvis doctrinam & elegantiam. Verbi gratia, Titus noſter eo vixit tempore, quo magis nunquam poſt homines natos floruerunt artes & doctrinæ liberales. Præcepta earum percepit in duobus muſarum domiciliis, Roma & Athenis. Viros in r. p. clariſſimos & doctiſſ. habuit amicos. Maximus ea tempeſtate, quo ut dixi tempore ad ſummum venerant Romani, ut ait Horatius, in his artibus, poëta eſt habitus. Quid quæſo hinc aliud colliget aequus lector & judex, quàm id quod probatum nos à aduleſcentulis cupimus, praeſtantiſſimum & elegantiſſimum hunc eſſe poëtam? Alia etiam eſt ratio cur haec ſuſceperim: quod illi alii vel falſo, vel perturbatè, neque Ro. more ea tractarint. quod equidem non laedendi doctiſſ. viros, ſed mei excuſandi cauſſa dictum eſſe velim.

T. Lucretius Carus Romanus, ut ipſe idoneus eſt teſtis; natus eſt L. Licinio Craſſo & Q. Mucio Scaevula cos. anno v. c. IↃLVIII. eo inquam anno quo nobiliſſima lex Licinia & Mucia de civibus regundis eſt lata, quo tempore ſpecimen illud innocentiae Rutilius Ic. praeſtantiſſimus à publicanis in exilium actus eſt, annis poſt natum M. Ciceronem XII. De parentibus autem totaque ejus familia nihil uſquam exſtat, etſi Lucretiorum nomen in Romanis monimentis percelebre ſit ac vetuſtum. Nam in hac gente invenio Tricipitinos, Cinnas, Viſpillones, & Ofellas. De Caris nihil, quod equidem ſciam, reperitur. cognomen tamen eſt Romanum: cujus & Ovidius multique alii meminerunt. Scio hac tempeſtate in r. p. fuiſſe Q. Lucretium: verùm an frater fuerit, aut quo inter ſe propinquitatis gradu, ignoro. Ceterùm hoc pervolgatum, & ut ita dicam tralaticium eſt, ut praeſtantiorum ortus poëtarum fere ignoretur, & in hoc credo eos divinitatem adfectaſſe. Aduleſcentulus autem quin à parentibus, ſeu propinquis, conſiderata ejus ad bonas artes nata paenè divina indole, Athenas more patrio ſit miſſus, Athenas non ita pridem à P. Sulla crudeliter vaſtatas, non dubito. poſtulat hoc Romanorum conſuetudo, ac doctrinae ratio: nam ad Hortos ille ſtatim ſe contuliſſe videtur: ut & Virgilius aliquot annis poſteà, qui ita de ſe ipſe canit in Ceiri vſ. 1.

Etſi me vario jactatum laudis amore,
Irritaque expertum fallacis præmia vulgi,
Cecropius ſuaves exſpirans Hortulus auras
Florentis viridi ſophiæ complectitur umbra, &c.

Sic enim verſus illi ſcribi debent & intelligi.

Eôdem aſpiravit doctiſſ. Propertius. 3: 20: 25.

Illic (inquit) *vel ſtudiis animum emendare Platonis*
Incipiam, aut hortis docte Epicure tuis.

Praeerant Hortis eo tempore Zeno acriculus ille ſenex, & Phaedrus, homo, ut Cicero ait, humaniſſimus, itaque his videtur uſus præceptoribus Titus: quos etiam Atticus paulo licet hoc poëta grandior, audivit. Memmius item, Velleius, Pætus, Caſſius, multique alii praeſtantes in r. p. R. viri eadem aetate his operam dediſſe videntur. quibus omnibus aut magnam certè partem familiaris fuit & carus Lucretius, ob admirabiles animi dotes; maximè verò ob aureum illud orationis flumen: & quod omnium poëtarum ſuae aetatis eſſet graviſſimus, & judicio Cornel. Nepotis ac M. Ciceronis, praeſtantiſſimus. Florebant eo tempore poëtae praeſtantes non pauci: M. Varro, M. & Q. Cicerones, P. Varro Atacinus, M. Furius Bibaculus, C. Calvus, Cinna, Catull. L. Calidus, aliique nonnulli. Verùm haud facilè reperias, qui ad tantam orationis majeſtatem lepôre incredibili contractam adſurrexerit. Maximus ſine dubio futurus, ſi ad aetatem maturiorem cum mentis integritate per-

pervenire potuiſſet. nunc & vigente aetate periit; & juvenili, in mentis errorem incidit. Nam, ut ex Euſebio colligi poteſt, juveni praebitum fuit philtrum, ab uxore Lucilia, ut quidam exiſtimant, nullo auctore. Hinc mente loco ſuiſque ſedibus permota, parum abfuit quin omnes illi divini in hoc poëta igniculi fuerint extincti. Sed cùm morbus ille animi indutias haberet; non paſſus eſt poëta eos funditus interire. quin obſervatis intervallis, philoſophiam in qua adoleſcens magnam ſemper operam poſuerat, pharmaci loco adhibuit: eamque ut Latino etiam ore ſonaret, efficere inſtituit, initio ſumpto à rerum natura. in qua tractatione maximè elaborabant omnes Epicuri familiares. Tandem confecto fere eo opere, invaleſcente jam paullatim aegritudine, credo etiam ob Memmii ſui, de quo mox, ac totius reip. calamitatem ac perturbationem: cùm videret adeſſe tempus, quo veterum quoque ſapientium, ſuaeque familiae conſenſu vitae nuntium remittere liceret; εὔλογον eam ἐξαγωγὴν non praetermiſit, namque manu ſibi adlata, è vita tamquam è theatro exiit. quod etiam Atticus haud multò poſt, ſed ἀποκαρτερήσει fecit. & ipſe Lucret. faciundum ſuaſerat quo loco inanis gloriae cupidos & ambitioſos exagitat, qui etiam in ſummis miſeriis vivere ament. ait enim, lib. 3. vſu. 41.

Extorres îdem patria longeque fugati
Conſpectu ex hominum, fœdati crimine turpi
Omnibus ærumnis adfecti denique vivunt:
Et quocunque tamen miſeri venere, parentant.

Deceſſit igitur anno, ut opinor, urbis DCCI. Cn. Pompeio Magno III. cos. quo tempore maxime in r. p. erant turbae; Clodius à Milone occiſus; Memmius multique aliique de ambitione damnati, Roma in exilium profecti. Caeſar Galliam lacerabat annos natus XXXXIV. Euſebius uno ante anno mortuum ſcribit, ſi modò ratio conſtet. Donatus aut quiſquis eſt vitae Virgil. auctor, tribus ante annis: Cn. Pompeio Magno II. M. Licinio Craſſo II. cos. Ego quia farragini illi multa falſa adſuta eſſe, & Euſeb. mendoſum eſſe ſciam, id ſum ſecutus, quod vero magis viſum fuit conſentaneum. Certè perperam in Euſebio mortuus dicitur Catullus anno V. C. DCXCVI. Lentulo & Nepote cos. cùm Catullus ſecundi conſulatus Pompei mentionem ipſe faciat; quem conſtat Cneium geſſiſſe anno poſt Lentulum & Metellum ſecundo. Catulli verſus ſunt iſti ad poëtam C. Helvium Cinnam:

Conſule Pompeio primùm, duo, Cinna, ſedebant
Mœchilli: facto conſule nunc iterum;
Manſerunt duo. &c.

Mœchillos, ut opinor, intelligit Mamurram & Caeſarem, quos alio loco idem *gemellos* vocat. ſic ergo locus legendus mihi videtur & explicandus, τὸ *ſedebant*, ſenatorium eſt. *Mœchilli* dixit, ut alibi *ſcortillum*, *ſolatiolum*, *integellus*, multa alia ὑποκοριστικά. Alibi quoque Britannias Caeſarem invaſiſſe indicat, quod hoc eodem anno Pompeio & Craſſo cos. demum Caeſarem feciſſe, ipſe teſtatur lib. IV. de bello Gallico. His adductus rationibus, Euſebii rationem non ſum ſecutus. Paucis ante mortem annis vidit Lucretius Catilinae & Clodii furioſas adminiſtrationes; quibus r. p. R. ita fuit affecta, ut non multo pòſt tota conciderit. De eo tempore ita ipſe conqueritur lib. I. vſu 38.

Hunc (Martem) *tu diva* (Venus) *tuo recubantem corpore ſancto*
Circumfuſa ſuper; ſuavis ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis incluta pacem.
Nam neque nos agere hoc patriaï tempore iniquo
Poſſumus æquo animo; nec Memmii clara propago
Talibus in rebus communi deeſſe ſaluti.

Ambitionem etiam ſuae aetatis graviſſimis verſibus libro tertio & quincto reprehendit. Quàm ſanctis denique fuerit moribus poëta, teſtis eſt locupletiſſimus opus graviſſimum, multiſque praeclaris ad bonos mores conformandos adhortationibus illuminatum. De quo jam ſupereſt ut agamus. nam tametſi commentarios ſcribentibus ea tractatio, ut Graeci & Latini interpretes antiqui ajunt, ſua ſit ac neceſſaria: quia tamen inſtituto noſtro ac voluntati: qui hunc egregium poëtam omnibus modis illuſtratum, ac ſtudioſis probatum cupimus, imprimis eſt idonea: ſpero hanc induſtriam noſtram viris doctis non improbatum iri. Qua in re primùm quidem & potiſſimum de numero librorum, & quantum ipſe poëta ſcripſerit, explicandum eſt. Video enim jampridem à reſtitutis bonis artibus, multos in ea eſſe opinione, ut putent Titum noſtrum plures libros quàm qui ſunt in manibus, ſcripſiſſe. nempe ex Varrone, inquiunt, perſpicuum eſt libros XXI. reliquiſſe Lucretium, operiſque principium non illud eſſe, quod vulgo putant; verùm longe aliud ex Varrone repetitum. Quàm

vel-

vellem vera eſſet hæc opinio: nam ea ſpem faceret fore, ut ſimilia poëtæ noſtri aureaque ſcripta habere aliquando liceret. Verùm error eſt inveteratus & graviſſimus. quem priùs, amice lector, quàm refellam, meam hanc in re ſententiam conſtituere cupio: qui aſſero, non alia plurave poëtam ſcriptis prodidiſſe, quæ quidem ad operis hujus contextum pertineant; quàm ea quæ circumferuntur. Et primum quidem ex grammaticis veteribus omnibus nemo eſt qui ex libro VII, VIII. &c. ullum proferat verſum. cùm ex ſexto, quincto, prioribus aliis adducant ſæpenumerò. nam quod quidam apud Priſcianum, poëtæ hujus librum ſeptimum laudari volunt, eos, ut leviſſimè dicam, fugit ratio. nihil uſquam tale extat. Deinde ſeipſe vindicare poteſt Lucretius. nam de primo quidem libro ita canit. lib. 6: vſ. 904.

Nunc omnes repetam, quàm raro corpore ſint res,
Commemorare: quod in primo quoque carmine claret.

De ultimo verò præclaris verſibus lib. 6. vſ. 91. perſpicuè ita profatur:

Tu mihi ſupremæ præſcripta ad candida calcis
Currenti ſpatium præmonſtra callida muſa,
Calliope, requies hominum divûmque voluptas:
Te duce ut inſigni capiam cum laude coronam.

De principio autem ut certiſſimus ſit lector, apponam Priſciani grammatici diligentis ac pervetuſti verba. ille enim ubi primi ordinis caſum patrium in multitudinis numero, *arum* & conciſè *um* habere dixiſſet; hæc verbi gratia tandem addit: *amphorûm* pro *amphorarum*, *Æneadûm* pro *Æneadarum*. *Lucretius in primo verſu: Æneadûm genetrix, hominum divumque voluptas.* Accedit ipſa operis rerumque tractatio ita inter ſe connexa & apta, ut ſi verſus aliquot eximas, non elegantiam tantùm, ſed ſententiam ipſam depravaturus ſis. Docet primo, de rerum principiis; de meteoris ac rebus ſublimibus, extremo opere. an omnes qui naturæ cognitionem memoriæ prodiderunt, hanc rationem non ſunt ſecuti? ipſe inquam Epicurus eam perſecutus eſt: uti apparet ex ejus de rerum obſcuritate compendio, quod hic adiciendum curavimus. ex quo præter cetera id etiam cognoſcere licet, in hoc opere nihil deſiderari eorum quæ ad rerum naturalium explicationem pertinent. Vincit hoc de initio quod diximus, ipſa etiam invocatio; quam in primo opere omnes collocandam cenſent.

His ita firmiter adfirmatis, videamus nunc de alia opinione. Varronem illi laudant auctorem: cujus hæc adferunt verba è libro de lingua Latina IV: Loca ſecundum antiquam diviſionem prima duo, cælum & terra &c. à qua bibartita diviſione Lucretius ſuorum unius & viginti librorum initium fecit hoc: *Ætheris & terræ genitabile quærere tempus.* Brevi ut præcidam, librum Varronis mendo contaminatum hîc eſſe contendo. nam ſi vera ſunt ea quæ attuli: neque hoc noſtro reperiatur in veterum monimentis alius qui quidem ſcripſerit Lucretius, cui non ſtatim de mendo ſuſpectus erit locus ille Marci? maximè qui meminerit Carum, ea cùm ſcriberet Terentius, Cæſare, ni fallor, dictatore, aut paullo ante; vix in hominum fuiſſe manibus; quippe qui quarto ante Cæſaris dictaturam anno deceſſerit; poſtque auctoris demùm exceſſum à Cicer. opus ipſum à M. Tull. Lucretii perfamiliari expoliri cœperit. & ut fuerit, non eam tamen conſecutus auctoritatem videatur qui à Varr. adduceretur. licet Varronem in quibuſlibet etiam recentioribus laudandis facilem eſſe ſciam, & Lucr. magnæ exiſtimationis ac nominis ea tempeſtate poëtam fuiſſe conſtet. Quid ergo? pro Lucretio, *Lucilium* olim ſcriptum fuiſſe exiſtimo; adductus cum iis omnibus, quas protuli, rationibus, tum quòd aliis quoque in locis ſimilia menda inveſtigarim. Sæpe *Lucilius*, *Lucretius* & *Lucullus*, ut *Cœlius* ac *Cecilius* alius in alterius locum vitioſè ſubjecti ſunt. adferam verbi gratia quæ deprehendi aliquot. Salluſt. lib. 5. hiſtor. *At Lucilius audito Marium Regem proconſulem per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere.* adducit Priſc. lib. XVIII. lego: *At Lucullus audito Marcium Regem pro coſ.* &c. agit de Lucullo bellum adverſus Mithridatem adminiſtrante. Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 15. *M. Varro in lib. de agricultura refert: M. Cat. qui poſt Uticæ periit, cùm heres teſtamento Lucilii eſſet relictus.* lego *teſtamento Luculli*, &c. fallitur ibi Macrob. tamen. nam Cato non heres, ſed tutor erat relictus Luculli filio, ut avunculus, teſte Plutarcho. Apud eundem ſymmictographum lib. 6. cap. 3. *Lucretius in* 5.

Major erat natu, non omnia poſſumus omnes.

Apud Nonium Marcell. *Puelli* & *Peſtilitas*, pro Lucretio editur perperam, *Lucilius*, & in verbo *Callet.* *Siſenna hiſt. lib.* IV. *Lucilium Memmium*, cùm ſit leg. *Lucium Memmium.* in verbo *Utres* leg. *Livius Andronicus*; vulg. *Lucilius Andronicus.* In Sex. Pompeio quoque *Tama* lege *Lucilius*, vulg. *Lucretius.* Apud Probum etiam in Catholicis nominum, *Vappones Lucret.* malè eſt editum pro *Lucilio.*

ut & in Servio ad lib. 12. Æneid. Immò in ipſo Varr. lib. 6. ubi pervolgatum eſt, *apud Lucret. Atque aliquos ibi ab rebus clepſere foro*: certiſſimè ſcribi debet, *Lucilium*. Plura facilè quilibet inveniet. quorum omnium origo mendorum ex his notis *Luc.* & *L.* manaſſe videtur. Riſit autem curioſos credo aſtrologos Lucilius, qui cæli terræque natalem anxiè nimis anquirerent: aut ſimile quid licet in re perobſcura comminiſci. Verùm enimverò ut plures libros non admittendos docui: ita facilè crediderim verſus aliquot fortaſſe deſiderari: nam cùm in omnibus ferè antiquis ſcriptoribus, tum in hoc poëta præcipuè quidam nimia certè libertate adjecerunt, ademerunt, mutarunt plurima, ſicuti multis id locis nos patefecimus. Adducit etiam Servius hoc ex Lucretio fragmentum: *ſuperi ſpoliatus luminis aër*: quod etſi Lucret. eſſe videatur, â libris noſtris tamen abeſt, neque dum etiam ſcio, ubi reponi debeat. Sed hîc fide & judicio opus eſt accurato, ne poëtæ tribuamus non ſua. qua in re, ut dixi, multimodis hîc peccatum fuit.

Operis verò indicem vulgarem, *De rerum natura*, retinui: præter enim quod in vet. c. ille reperiatur, etiam Fl. Soſipater libro grammat. 2. *Lucretius*, inquit, *de rebus naturalibus libro III.* & poëta eum ipſe confirmat lib. 5. vſ. 336.

Denique natura hæc rerum, ratioque reperta eſt
Nuper, & hanc primus cumprimis ipſe repertus
Nunc ego ſum, in patrias qui poſſim vertere voces.

Verè hoc de ſe prædicat poëta: nam princeps ille de rerum natura Latinè ſcripſit. Quem poſtea conſecuti ſunt alii multi: C. Amafinius, Catius, M. Cic. Varro, Egnatius, cujus lib. 1. de rerum natura ab Aur. Macrob. adducitur. idem ſe quoque præſtiturum ſperabat P. Virg. ait enim ad juvenem doctiſ. Meſſallam Bruti familiarem: cùm Athenis agens Cirin ſuam conſcriberet:

Etſi me vario jactatum &c.
Si me jam ſumma ſapientia pangeret arce &c.
Non ego te talem venerarer munere tali;
Non equidem &c. &c. mox:
Tali te vellem juvenum doctiſſime ritu &c.
Naturæ rerum magnis intexere chartis.

Alibi etiam id ſuaviſſimis pollicetur verſibus:

Me verò primùm dulces ante omnia Muſæ,
Quarum ſacra fero ingenti percuſſus amore &c.

Empedocles autem multis ſæculis antè idem argumentum Græcè tractaverat: quem Lucretius magnopere eſt admiratus, eumque hoc elogio ornavit unico, lib. 1. vſ. 730.

Nihil tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe,
Nec ſanctum magis, & mirum, carumque videtur.
Carmina quinetiam divini pectoris ejus
Vociferantur, & exponunt præclara reperta;
Ut vix humana videatur ſtirpe creatus.

Hunc igitur ſtudioſè poëta noſter imitatus eſt. nam quæ Empedocli tribuit Ariſtoteles, ὅτι καὶ ὁμηρικὸς καὶ δεινὸς περὶ τὴν φράσιν γέγονε, μεταφορικός τε ὢν, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς περὶ ποιητικὴν ἐπιτεύγμασι χρώμενος: quæ haud ſcio an in ullo alio poëta Latino invenias: ea in Lucretio omnia mirè elucent. Nam orationis ſplendor, & ut ita dicam, grandiloquentia ceteros anteit: tum tralationibus innumerabilibus, iiſque præclaris totum opus quibuſdam veluti inſignibus diſtinxit. Multæ eum vocat artis M. Tull. optimus exiſtimator. Atque utinam tantum nobis fuiſſet otii, ut non ea tantùm quæ ab Homero, ſed ab aliis, maximè Ennio ſuo: (nam hunc è Latinis ſcriptoribus mirè coluit, & exprimere ſtuduit) & rurſum quæ à Tito Virgilius ſumpſiſſent; poſſemus indicare. Sic enim clariſſimum fieret, quod ſæpe ſoleo dicere, Avum eſſe Q. Ennium: patrem T. Lucretium; Virgil. Maronem filium: hi enim ex Epicis poëticis Lat. trium-viri ſunt præſtantiſſimi. Verum ea omnia alteræ editioni adjungentur. In hoc etiam Empedoclem ſuum imitatus eſt, quòd ut ille ſuis deliciis Pauſaniæ τὰ περὶ φύσεως προσφώνησεν: item & Lucretius Memmio ſuo. de quo quia promiſimus, jam tempus eſt, ut explicemus. ſi hoc potius addidero, non probari nobis recentiorum judicia, qui Lucretium, Lucanum, ſimiles rerum gravium ſcriptores in poëtarum numero non habent: nam & veterum in hac re ſententiam iis poſſum opponere, ac de Lucretio noſtro quidem Ciceronis ac Nepotis, auctorum minimè vulgarium; qui eum non poëtam duntaxat, ſed præſtantiſſimum etiam poëtam laudant: & hoc addere, ſi ea eſt hujus artis condicio & ingenium, ut niſi qui fabulas, amores, & id genus alia nugatoria tractet, aut vera rebus obſcuris falſiſque involvat; in poëtarum ordine conſiſtere non poſſit: eam artem

artem inſuper habendam potiùs & abiciendam ſuaſerim, qua præter ſpurca, nugatoria, & figmenta ſuavibus leporibus adſperſa, nihil ferè adulescentibus præbeatur.

PAUCA TIBI È MULTIS
VETERUM ET RECENTIORUM
DE LUCRETIO CARO
TESTIMONIA,

Collegimus, iiſque Notulas OBERTI GIFANII *&* TANAQUILLI FABRI *paſſim addidimus.*

M. T. CICERO
AD QUINTUM FRATREM
Lib. II. Epiſt. X.

Lucretii Poëmata, ut ſcribis, [a] non ita ſunt multis luminibus ingenii, multæ tamen artis.

Lucretii poëmata, ut ſcribis, [b] lita ſunt multis luminibus ingenii, multæ tamen artis.

M.

a *Ad eum locum Ciceronis ita Doctiſſ. Victorius:* „ Quod ſi cui mirum videtur judicatum „ eſſe quandoque Lucretium elegantiſſimum & ornatiſſimum Poëtam, non ſatis multis „ ingenii luminibus ſua poëmata ſcripſiſſe; is judicium Quincti reprehendat. nam ſuſpi- „ cari poſſumus, cùm quo modo poteſt, eum tueatur, & ornet M. Cicero; non valde „ (etſi videatur illud confirmare) fratris judicio de hac re ſtetiſſe: noluiſſe tamen ira- „ cundo homini adverſari: qui fortaſſe, quod ipſe quoque verſus ſcribebat, invidia „ motus verum non videbat: potuit tamen ſic judicare, quod Lucretius poëma ſuum „ non contexuit, ut ingenium ejus eluceſcat, ſed rationem ab Epicuro traditam ſumma „ induſtria & artificio explicarit„ GIFAN.

b *Sic omnino legendum, non,* ita ſunt, *&c. quod nec Victorius, neque alii bene multi viderunt, cum tamen iis certiſſimum ſit, qui rem diligentius conſideraverint, in his verbis mendum eſſe:* Illius hominis poëmata ita ſunt multis luminibus ingenii, multæ tamen artis. *Ibi enim contra ſententiam peccatum eſt, & in ejuſmodi oratione eſſe aliquid videtur βαρβαρισμῷ affine: quod vitium à Cicerone perquam eſt alienum. Sic autem legerat R. Stephanus, in illo ſuo L. Latinæ Theſauro; Et, qui patrum noſtrorum memoria Ciceronis opera in formam Dictionarii ſecuerunt, non aliter legerant. Sed quòd paulo audacior & neſcio quomodo ποιητικωτέρα illa metaphoræ audacia videri*

M. VITRUVIUS

DE ARCHITECTURA LIB. IX. CAP. III.

Vivebat ſub Julio & Auguſto Cæſaribus.

Itaque qui litterarum jucunditatibus inſtructas habent mentes, non poſſunt non in ſuis pectoribus dedicatum habere, ſicuti deorum, ſic & Ennii poëtæ ſimulacrum. Attii autem carminibus qui ſtudioſe delectantur, non modò virtutes, ſed etiam figuram ejus videntur ſecum habere præſentem. Item plures poſt noſtram memoriam naſcentes, cum [c] Lucretio videbuntur velut coram de rerum Natura diſputare: de arte vero Rhetorica cum Cicerone, &c.

CORNELIUS NEPOS IN VITA ATTICI. Cap. XII.

Idem L. Julium Calidum, quem poſt Lucretii Catullique mortem, multo elegantiſſimum Poëtam noſtram tuliſſe ætatem vere videor poſſe contendere; in proſcriptorum numerum relatum expedivit.

VIRGILIUS LIB. II. GEORG. vl. 491.

[d] *Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſſas:*
Atque metus omnes, & inexorabile Fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari.

PU-

deri poteſt, quâ utitur Quintus, qui Tragicâ deſævit & ampullatur in arte, *addit Marcus,* ut ſcribis. *Itaque, ſi judicio Q. Ciceronis ſtandum eſt, ingenio mire ad poëticam facto præditus erat Lucretius; ſententia autem Marci, artis quoque ratio & diſciplina* ingenio *adduntur, quod jam* multis luminibus fulgebat. FABER.

c *Hinc cuivis facile conſtare poteſt, neminem ad Auguſti uſque tempora in Urbe floruiſſe, qui* περὶ τὰ φυσικὰ *Lucretii præſtantiam adæquaſſet; Sed nec poſtea ullus fuit.* FAB.

d *Hos verſus ego vel de Lucretio, vel de Epicuro, feciſſe Poëtam exiſtimo.* vide Lucretii verſus de Epicuro lib. I, 93. GIFAN.

Jam

PUBLIUS OVIDIUS

LIB. II. TRISTIUM.

Explicat ut cauſſas rapidi Lucretius ignis,

Cauſſarumque (alii legunt *Caſurumque*) *triplex vaticinatur opus*, Ibidem.

Carmina SUBLIMIS *tunc ſunt peritura Lucretii,* [e]
Exitio terras cum dabit una dies.

P. STATIUS PAPINIANUS

II. SYLVARUM.

Florebat ſub Domitiano Cæſare:

Cedet Muſa rudis ferocis Ennii,
Et DOCTI [f] FUROR ARDUUS LUCRETI.

Q. SERENUS LIB. DE MEDICINA. pag. 20. Ed. Ceuchen.

Irrita conjugii ſterilis ſi munera languent,
Nec ſubolis ſpes eſt, multos jam vana per annos;
Femineo fiat vitio res, necne ſilebo:
Hoc poterit Magni Quartus monſtrare LucretI.

M.

e *Jam antè, ſententia utriuſque Ciceronis, & ingenio valebat & arte Lucretius: At nunc Ovidius, non malus poëta, niſi κολοκύνθας λημῶμδν*, SUBLIMITATEM, *granditatem, & decantatum illud, ac tantopere prædicatum* ΥΨΟΣ *ei adjudicat. Itaque, ut ſuſpicor, belle hodie & feſtive procedet Lucretius.* FABER.

f Furor *iſte* arduus, *ſi quæris, natus ex illo Ovidii verſu eſt,*
Carmina SUBLIMIS, *&c.*
Itaque habet Lucretius alium judicem P. Ovidio Naſoni ὁμόψηφον. Locus autem quem legis, is petitus eſt ex genethliaco *Lucani, cujus Manes, opinor, placare volebat tam magnifica tamque illuſtri comparatione; Neque fortaſſe etiam nolebat Pollæ ipſius uxori gratificari, quæ tunc in Urbe & ab amicis, & ab opibus poterat plurimum.* FABER.

M. FABIUS QUINTILIANUS

Institut. Oratoriarum

Lib. I. Cap. IV.

Sub Domitiano floruit.

Tum nec citra muſicen Grammatice poteſt eſſe perfecta, cum ei de metris rhythmiſque dicendum ſit; Nec, ſi rationem ſiderum ignoret, poëtas intelligat: qui (ut alia mittam) toties ortu occaſuque ſignorum in declarandis temporibus utuntur: Nec ignara philoſophiæ, cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos ex intima quæſtionum naturalium ſubtilitate repetitos, tum vel propter Empedoclem in Græcis, Varronem ac Lucretium in Latinis, qui præcepta ſapientiæ verſibus tradiderunt.

Idem Lib. X. Cap. I.

Nam Macer & Lucretius legendi quidem, ſed non ut phraſin, id eſt, corpus eloquentiæ faciant: elegantes in ſua quiſque materia, ſed alter humilis, alter g difficilis.

A. GEL-

g *Vel* difficilis *intricatum & impeditum ſignificabit; (at nihil tale de Lucretio dici poteſt, qui ſua* facilitate *lectoribus arridet; quin & ipſe Quintilianus id aliter intelligi debere oſtendit: nam* difficilis *cum* eleganti, *non ſatis belle congruit;) vel certe* argumentum difficile & operoſum, neque vulgo obvium, *notabit; Id quod accipio & lubens; (tertium enim aliquid, uti ſpero, afferetur nihil) Sed adeone tandem* difficilis *erit Lucretius, quia res phyſicas tractavit? Taliſne videbitur erudito viro; aut ulli homini, qui vel ſaltem tres illas nunquam ſatis laudatas Epicuri* ad Pythoclem, ad Menœceum, ad Herodotum, Epiſtolas *legerit? Ut lubet, inquies; Quintiliano certe* difficilis *eſt: Fateor, neque ſane invitus credo. Scilicet qui μελετὰς ῥητορικὰς ſcribunt, id eſt* fumos & inania captant, *ii fere plerumque libros abſtruſioris argumenti non ita lubenter legere ſolent. Sed [inquies, quid ſi de* LICIN. MACRO *non de* LUCRETIO, *dictum id fuerit? Non poteſt, mi Lector. Nam prior ille* ALTER *Macer eſt: ſecundus, Lucretius Dein Macri argumento* humilitas *convenit, quippe qui de* botanica *ſcripſiſſet; at* LUCRETIO *noſtro* SUBLIMITAS, *niſi male, niſi fatue judicavit Ovidius, tributa eſt.* FABER. *Hoc Quintiliani judicium magnam partem uno conſenſu damnatur a Veteribus & Recentioribus.* GIFAN.

Ita-

A. GELLIUS

LIB. I. CAP. XXI.

LUCRETII, poëtæ [h] INGENIO ET FACUNDIA PRÆCELLENTIS. *& mox.* Non verba autem ſola, ſed verſus prope totos, & LOCOS QUOQUE LUCRETII PLURIMOS ſectatum eſſe VIRGILIUM videmus.

JULIUS CÆSAR SCALIGER

IN HISTOR. ANIMAL. ARISTOTEL.

Capite X.

[i] LUCRETIUS DIVINUS VIR ATQUE INCOMPARABILIS POETA.

LU-

h *Itaque* ingenii *&* facundiæ *palmam auferebat Lucretius ad illa uſque tempora, id eſt ſub Adriano & Antoninis, teſte quidem Agellio: ſed enim poſt Adrianum Principem quid in imperio Romano niſi mera barbaries? quis ſenſus germanitatis, puritatiſque Latinæ?* FABER.

i *Et tamen qui ita pronuntiat, ille ipſe eſt, qui olim* ARAS VIRGILIO POSUIT *in libris de Poëtica, tantam vim habet* ΠΑΝΔΑΜΑΤΩΡ ΑΛΑΘΕΙΑ. *Sed eſt præterea aliud, quod eo impenſius mirabere. Audi, ſi te amas, (res enim auribus eſt, & tuis cachinnis digna.* DOMINUS HIERONYMUS MAGIUS *Miſcellaneorum Lib.* I. *c.* XVII. *longe, longe, aliter ſenſit:* Non eſt *inquit*, cur Lucretium, Poëtam appellemus. *Hic vero, ſicubi aliàs, exclamare lubet uſque ex penitiſſimis faucibus, ut & ſaxa audiant,*

Felicia vero
Sæcula! quæ tanti Magium genuere parentes!

Ne dubita, Lector, piaculum enim fecerit, qui aliter ſenſerit. Videlicet Cathedrarius ſcriptor, ſupra ceteros mortales ſapiebat: In genere poëtico quid præſtans, quid eximium, quid ſingulare eſſet; contrâ, quid humile, quid tritum, quid vulgare: id vero luce meridiana videbat clarius. Quidni enim? Ne comparandi quidem ad illum fuere ambo Cicerones, Ovidius, Statius: &, ſi ad recentiores veniendum, nimius nugator fuit SCALIGER, *qui* INCOMPARABILEM POETAM, *qui* DIVINUM, *vocavit. At* VICTORIUS, *qui* ELEGANTISSIMUM ET ORNATISSIMUM POETAM, *qui* CANDIDISSIMUM ET FACUNDISSIMUM ROMANÆ LINGUÆ SCRIPTOREM *eſſe cenſuit, is vero inter deliros comicos ſenes referri debet: Hieronymus enim Magius, quantus quantus eſt, nil niſi ſapientia eſt,* Cerebrum Jovi' pæne ſupremi. *Rides, inquis, & εἰρωνεύεις. Haud equidem diffitebor: quid enim aliud faciam vis, ubi cum hujuſcemodi capitibus mihi rem eſſe video? ſed, ſpero, parata mihi abs te venia eſt; quam ſi dabis, Dii faxint ut tu quoque diu diuque ridere poſſis.* FABER.

TESTIMONIA

VIRORUM DOCTORUM

DE PRÆCIPUIS QUIBUSDAM LUCRETII INTERPRETIBUS.

Victorius, Caſtigat. in Cic. Epiſt. pag. 126.

Fuit MARULLUS admirabilis ingenii vir, & elegantiſſimus Poëta, Lucretiique ita inprimis ſtudioſus, & admirator, ut ferè numquam è manibus dimitteret. Magnam præterea operam in eo, cum fœdiſſimis mendis ſcateret, purgando collocavit, multaque feliciter reſtituit. Quandoque tamen cum nimis ingenio ſuo indulgeret, nonnulla, quæ corrigere voluit, depravavit. Parum enim manuſcriptos Codices, cùm tàm corruptos paſſim inveniret, ſequebatur; quæque ſuo judicio probaſſet, ea recta judicans, multis locis deceptus eſt. Quæ longius percurri, ægrè ferens, tàm bonum Poëtam LUCRETIUM tot vulneribus conciſum jacere; cumque ab omnibus colatur & ametur, nullum tamen ei tàm miſerè temporum injuriâ manco & detrunco opem ferre, remediumve ullum adhibere.

Aubertus Miræus, Canonicus Antverp in vitis Illuſtrium Belgii ſcriptorum. pag. 199.

LUCAS FRUTERIUS veteres Poëtas, quos in delitiis habuit, atque in his LUCRETIUM potiſſimum, Notis illuſtravit, quibus non parum adjuti ſunt, qui poſt Lambinum eum auctorem edolarunt.

Gaſpar Scioppius, in Commentar. de arte Critica.

HUBERTUS GIFANIUS, eodem tempore, quo Scaliger & Lipſius, primum ſe nobis in publico oſtenderunt, LUCRETIUM edidit cum Indice, quem vocat, ſive Conlectaneis veterum elegantiarum: de quibus vetus illud pronunciare poſſum, melius eſſe tacere, quàm pauca dicere. Non poſſum tamen, quin mei ſimilis ſim, hoc eſt, inſuperhabitis, quæ inter me, & virum illum magnum natæ, & notæ jam pæně in vulgus ſunt, ſimultatibus, ingenuè profitear, me illo libro primùm ad hoc ſtudii genus perductum, & quicquid in literis hiſce video, quantulum illud cumque eſt, illi potiſſimùm Indici acceptum ferre, ac proinde velut teſtem minimè ſuſpectum juventuti lectionem ejus diligentiùs commendare poſſe.

Andreas Schottus, Obſervat. Poët. lib. II. cap. 58. *pag.* 114.

Animadverto, eruditos duos viros, magnâ contentione, atque utinam ſine convitio, T. LUCRETIUM emendandum, parentum memoriâ, ſuſcepiſſe: LAMBINUM, inquam, & GIFANIUM; qui nihil propemodum intactum reliquerunt; aliqua tamen ulcera non attigerunt. *Gaſpar*

Gaſpar Barthius, Adverſar. lib. LI. cap. 17. pag. 2419.

Index Lucretianus, doctum opus, & multæ bonæ frugis, Oberti Gifanii. Lambini loquacia, tamen erudita etiam Commentaria.

Idem Barthius, Adverſar. lib. L. cap. 9. pag. 2355.

Lucretium ampliter enarravit Lambinus: Indice elegantiarum fertiliſſimo illuſtravit Obertus Gifanius, cujus tamen caſtigationes nimium mihi ad caſcum reducendum videntur audaces. Meminiſſe enim debemus, cujus manibus olim caſtigatus ad nos venerit Poëta. Ita Gifanium magis ad expoſitionem Lucretii, legam: eam ipſe ad formam Lambinianam aggreſſurum ſine effectu promiſit. Novâ omninò hujus ſcriptoris editione opus, quam aliquis doctus de duobus iſtis concinnet. Atqui huic auctori Lucretio, ſermonis gratiâ, adeo utile ſit adſuefieri, ut poſt Plautum vix ulli æquè arbitrer. Puritas enim nativi ſermonis, & propriè Latini, in eo inæſtimabilis, ſine fuco plane & fallaciis.

Hadr. Junius Hiſtor. Bat. p. 134.

Bura Oberti Gifanii patria eſt, qui famam Laboris æmulam laudemque cum doctiſſimo Lambino participare in reſtituendo Lucretii poëmate ſtudioſè fategit.

EXPLICATIO NOTARUM,

Quæ in Variantium Lectionum harum indigitatione occurrunt, deſumtarum ex plus quam XXV. Cod. Impreſſ. & MSS. quorum uberior ſit deſcriptio in Præfatione noſtra atque Londinenſi.

A. Significat *Gifanii* Editionem impreſſam Antverpiæ. 1565.
A. marg alias lectiones margini *Gifanii* additas.
a. — aliam *Gifanii* impreſſam L. Bat. 1595.
B — *Parei*, Francfordiæ. 1631.
Bm. lectiones Mſti codicis *Bodleiani*, margini codicis qui fuit *Thomæ Creech*. aſcriptas.
C. — apud *Gryphium*. L —— 1540.
c. lectiones ejuſdem marginales.
Cr. conjecturas *Th. Creechii* notis ſuis inſertas

D. Edit. *Fayi* in us. Delph. Pariſiis 1680.
E. — *Nardii*. Florentiæ 1647.
F. — *Fabri* emendationes vel Edit.
G. — *Gottorpianum Fragm.* 800. vel 900 annorum, deſinens in parte Lib II.
H. 1. 2. Collationes *Heinſianas*; quæ non niſi ad primum, & ſextum librum pertinent.
I. — Baronis *de Coutures*. Paris. 1692.
K. — Notas MStas Dni. *Jacobi Suſii*.
L. *Lambini*. Par. 1570. & Francfordiæ. 1583.
M. *Marulli* lectiones, margini Giſanii additas.
N. *Baſilien* Edit. apud *Henr. Petrum* 1531.
O. Varias Lectiones Margini ejus appoſitas.
P. — *Pii* Bononiæ. 1511. *P. in Not.* Varias ejuſdem lectiones, quas ex MSS. in Notis ſuis adducit.
Q. Edit. *Veronenſem* antiquiſſimam 1486.
Q1. 2. 3. vel R. S. T. Varias Lectiones ex Vetuſt. Codd. oræ ejuſdem *Veronenſis* additas & adſcriptas.
V. Lectiones Voſſianas, quas margini libri ſui imprimendi adſcripſerat Iſaacus Voſſius, & ſæpius Num. 1. 2 3. notaverat.
X. Accuratam atque novam *Bodlejani* MS. collationem.
Y. Varias Lictiones ex pulcherrimo MS. atque vetuſtiſſimo Bibl. *Lugd. Bat.* quondam *Voſſiano*.
Z. Varias Lectiones ex ejuſdem Bibliothecæ *Lugd. Bat.* MS. longe vetuſtiſſimo, item olim *Voſſiano*.

CAPITA RERUM QUAS

LUCRETIUS TRACTAT, EX VETERIBUS LIBRIS COLLECTA, ET HIC VELUT INDICE ADNOTATA.

LIBRI I. CAPITA.

Procœmium vſ. 1
Τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον. &c. 54
Laus inventoris. 62
De anima. 112
Nihil de nihilo gigni. 151
Nihil ad nihilum interire. 215
Corpora quæ non videantur. 270
De vento. 272
De odore, calore, frigore, & voce. 298
Veſtes uveſcere & areſcere. 305
De anulo in digito, & ceteris. 312
De Inani. 330
De piſcibus in aqua. 375
Corpora & Inane eſſe naturam rerum. 420
Tertiam naturam nullam eſſe rerum. 430
De rerum eventis. 433
De tempore. 459
De ſolido, & rerum principia eſſe ſolida. 487
De molli natura, ut aqua. 567
De Minimo. 692
Contra Heraclitum. 635
Contra Empedoclem. 714
Contra Anaxagoram. 829
De fine corporum ſolidorum, & Infinitum eſſe. 951
Εἰς τὸ μέσον φορᾶ. 1051

LIBRI II.

Procœmium vſ. 1

De

De motu principiorum. 61
Quæ in Solis radiis apparent. 124
De celeritate motus. 141
In Stoicos & Academicos. 167
Nihil ſurſum ferri corpuſculorum, ſed preſſa à radicibus exſurgere corpora. 184 & ſeqq.
De declinatione motus. 216 & ſeqq.
Fatum non eſſe. 251
De figuris atomorum. 333
De abſinthio. 400
De ferræ ſtridore. 410
De adamante, ferro, ſilice, ære. 447
De ſudore ſalſo. 664
De aqua marina. 470
Figuras eſſe multas & finitas. 477
Corpora eſſe infinita. 521
Res omnes conſtare ex principiis mixtis. 581
In terra ſemina eſſe. 589
De matre magna. 598
Τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον. &c. 645
Non neceſſario, alba ex albis principiis fieri. 729
Colores principiis non eſſe. 754
De colore columbarum. 800
De cauda pavonis. 805
De inſenſibili ſenſibile gigni. 864
Prima corpora expertia ſenſus eſſe. 166 & ſeqq.
Paradoxon dicturus, mundos eſſe innumerabiles, utitur protherapeuſi. 1021
Omno infinitum eſſe in omnes partes. 1046

LIBRI III.

Procœmium. vſ. 1.
Homines mortem maximè timere. 37
De animi & animæ natura ſenſuque. 94
Animum & animam conjuncta eſſe. 137
Animum eſſe σῶμα λεπτομερές. 178
De mobilitate animi. 183
Tertiam animam eſſe mentem. 235
Quartam ſine nomine eſſe animam. 242
Conjunctio animi & animarum. 259
De varietate animi. 290
De ſenſu corporis & animi. 351
Contra Democritum, de animo & anima: corpus non ſentire per ſe ſine animi motu. 371
Animum nativum & mortalem eſſe. 418
Animam & corpus ſimul naſci & creſcere, & ſimul interire. 446 & ſeqq.
Natali animam non eſſe privatam. 712
Anthypophora. 723
Quæ poſſint eſſe æterna. 808
Anthypophora. 868
Proſopopœia naturæ ad philobios & μισοθανάτους 945
Quæ ad inferos ducant, ea vitæ vitia eſſe. 992

LIBRI IIII.

Procœmium. vſ. 1.
De ſimulacris, ſeu imaginibus. 33
Simulacra quàm ſint minuta. 108
Quemadmodum gignantur ſimulacra. 143
De celeri ſimulacrorum motu. 176
De viſu. 230
Ultra ſpeculum cur videatur imago. 269
Cur dextra quæ ſunt in ſpeculis videantur læva; & contrà. 292
Ex tenebris, quæ ſunt in luce videri. 337
De quibuſdam viſus captionibus. 351
De turribus. 353
De umbra hominum, & aliorum mobilium. 364
Senſus eſſe certos ac veros, eorumque fallacias naſci ab animi opinatu. 380
De navi, ſtellis, montibus, & aliis quibuſdam 389
De remorum obliquitate in aquis. 439
In Academicos, qui ajunt nihil ſciri poſſe. 470
Hactenus de viſu, nunc de aliis ſenſibus. 523
De Auditu. 525
Corpoream eſſe vocem. 527
De vocis imaginibus, & echo. 569
Qua viſus tranet, vocem non tranare. 596
De ſapore. 616
Quare alia aliis contraria ſint. 634
De odore. 674
De animi motu, nihilque ſine motu imaginum cogitari poſſe. 723
Quare quod libuerit, ſtatim cogitemus. 780
Prius oculos, linguam, aures, reliqua membra eſſe nata, quàm eorum uſum. 821
De cauſſa famis & ſitis. 856
De motu membrorum, hoc eſt, de ambulando. 875
De ſomno quemadmodum fiat. 905
Cur anima partim foras eici, partim in altum ſubici, partim per membra diſpergi poſſit. 927
De ſomniis. 960
De rebus Venereis, & ſeminis profuſione ſpontanea, 1024
Præclara admonitio de amore. 1057
De ſimilitudine parentum. 1207
De ratione ſterilitatis & fecunditatis ac conceptionis. 1251
De modis utendi rebus Veneris. 1258

LIBRI V.

Plus hominibus profuiſſe qui ſapientiam invenerit, quàm Cererem, Liberum, Herculem. vſ. 1.
Argumenta libri. 65
Protherapeuſis de mundi interitu. 98
Senſu divino non eſſe prædita, mare, terram, cœlum &cet. 127
Cœlum non eſſe ſedem ac domicilium deorum. 147
Mundum non eſſe à diis hominum cauſſa creatum. 157
Alia argumenta, quibus docet non eſſe creatum mundum hominum cauſſa à diis. 196
Diviſio & zonæ terræ, 201
Partes mundi interire, ergo & mundum. 236
Cujus pars nativa ſit, totum nativum eſſe. 241
De terra. 252
De aqua. 262
De aëre ſive anima. 274
De igni & ſole. 282
De lampade & lucerna. 295
De ædificiis quemadmodum intereant. 307
Alia argumenta de origine & interitu mundi. 325
Quæ res tandem poſſint eſſe æternæ. 352
Origo mundi & omnium rerum ex atomis. 417
Terræ ortus. 450
De Solis & Lunæ ortu. 472
De mari, aëre, & æthere. 499
De motu ſiderum. 510
Quomodò terra in medio quieſcat. 535
De ſolis magnitudine. 565
De calore Solis. 593
De Solis curſu & flexu. 613
Democriti de Sole ſententia. 621
De Lunæ curſu. 628
De diei & noctis cauſſis. 649
De Ida. 662
De die longo & nocte brevi. 679
De Lunæ vario lumine. 703
Argumentum ab anni temporibus. 736
De Solis & Lunæ defectione. 750
Elegans anacephalæoſis. 770
Redit ad mundi initium. & Quæ prima ſint nata. 778
De herbis. 781
De animantibus. 789
De monſtris. 835
De Centauris. 876
De Scylla. 890
De Chimæra. 903
De primis hominibus. 923
De origine ſermonis, 1027
In Platonem. 1040
Ignis unde in terras delatus ſit. 1090
De regum, magiſtratuum, legumque origine, 1107
Unde nata ſit religio. 1160
Quemadmodum electrum, aurum, argentum, ferrum, & plumbum, ſint reperta. 1240
De bellorum origine, modo, & progreſſu. 1295
Textilis veſtis poſt ferrum reperta. 1349
Origo ſationis, & inſitionis. 1360
De origine muſicæ. 1378
Primos homines rebus exiguis contentos vixiſſe. 1389
De cupiditatis humanae & opum origine. 1429
De bello & rebus geſtis. 1434
De origine poëmatum., navium, picturarum, & aliarum omnium artium. 1443

LIBRI VI.

Procemium de Athenarum & Epicuri laudibus. vſ. 1.
Argumentum libri. 81
De tonitru. 95
De fulgure. 159
Nubibus ſemina ignita ineſſe. 203
De fulminis natura, ejuſque ſubtilitate. 218
De vi & violentia fulminis. 238
Fulmina de craſſioribus nubibus gigni. 245
Quemadmodum fulmen exiſtat. 278
De mobilitate fulminis. 322
Cur Auctumno & Vere magis fulmina & tonitrua fiant. 356
In eos qui Jovi tribuunt cauſſam fulminis; & in Aruſpices. 378
De preſtere. 422
De nubibus. 450
De imbribus ac pluviis. 494
De arcu. 523
De nive, grandine, ventis, &c. 526
De terrae motu, variae cauſſae. 534
Quare mare majus non fiat. 607
De Ætna. 639
De Nilo. 712
De avernis, ac peſtilentibus, gravibuſque in locis quibuſdam, odoribus. 738
Cur aqua in puteis aeſtate ſit frigida. 840
De fonte ad Ammonis. 848
In aqua tedam ardere. 881
De fonte dulci in mari. 890
De lapide magnete. 906
Protherapeuſis. 917
Multas res eſſe raro corpore. 936

De

De variis rerum foraminibus, & viis ac meatibus. 981
Ratio cur magnes ferrum trahat. 998
De origine morborum & peſtilentiae. 1188
Deſcriptio peſtilentiae Athenienſium, tempore belli Peloponeſii. 1136

OBERTI GIFANII AD LECTOREM ADMONITIO.

Potuiſſem, amice Lector, Capita facere multo plura, & fortaſſe etiam meliora. Verùm antiquitati hoc præſtandum putavi: ut quæ in vet. eſſent libris, conſervarem. etſi forſan admodum vetuſta non ſint. Admonendus etiam eſt Lector, Notas quibus brevitatis cauſſa in margine & in Conlectaneis uſi ſumus, ita accipiendas eſſe: q. v. quidam veteres libri. q. v. c. quidam vetus codex. q. c. quidam codex. q. l. quidam libri. o. l. omnes libri. f. fortaſſe. q. quidam. Marul. Marullus. Lamb. Lambinus. vulg. vulgati libri. leg. lege, lego, legendum. Vale.

Ad

T. LUCRETII CARI
MANES,
&

Editorem ejus clariſſimum

SIGEBERTUM HAVERCAMPUM.

Qui ſapiat vates, numeroſus Horatius inquit,
Scribendi rectè novit habetque modum.
Tanto major eat patulum tua fama per orbem,
Lucreti! quanto plus aliiſque, ſapis.
Semina prima doces Mundi, Soliſque labores,
Non quia naturæ ſordidus auctor eras.
Seu canis errantes, ſeu fixas ordine ſtellas,
Utque regit vaſtas Ennoſigæus aquas:
Viſcera ſeu terræ ſcrutaris, ſulphur & aurum:
Utque vomit piceos Æthna tremenda globos.
Seu canis ut ſylvæ cæperunt ſurgere primum,
Et fætus præcox, arboreæque comæ.
Naturæ ſcripſit quis convenientius olim?
Mollius ad Sophiam quiſve recluſit iter?

Ma-

Magnum, Care, tibi nomen, quo carior alter
Non fuit Ovidio, principibuſque viris.
Et tua victuris celebrata eſt gloria chartis,
Dum radiis luſtrat Phæbus utrumque polum.
Tentavit maculas, quas forte incuria fudit
Scribarum, doctâ tollere quiſque manu.
Cultior haud unquam dias in luminis auras
Prodieras, quam te lux hodierna videt.
Lambinumque Fabrumque, viros ſuper æthera notos,
Et plures alios hic liber unus habet.
Cui pia thura dabo, gratam teſtantia mentem,
Si lætor vultu quod meliore nitet:
Quam, Sigeberte, tibi, Batavæ tutela Minervæ,
Illuſtris Clarii Duxque Comeſque chori!
Multorum inſigni ſcriptorum fronde coronâ
Creſcit Apollineum plus tibi pluſque decus.
Inclyta dum fruitur longum Te Leida Magiſtro,
Poſteritas cantet Nomen in Orbe Tuum!

F. G. WESTHOVIUS.

ARGUMENTUM.

I*n ipſo operis Principio Venerem invocat, II. Deinde à v. v. 45. ad v. 159. libros ſuos de* Rerum natura *dedicat* Memmio: *Epicurum, cujus rationes ſequitur laudat; ab illius doctrina Impietatis invidiam amolitur, & hujus & ſequentium librorum argumenta breviter proponit. III. Tum rem ipſam aggreditur, docetque à v. 160. ad v. 265.* ex Nihilo nihil fieri, & in Nihilum nihil reverti poſſe. *IV. à v. 265. ad v. 329. Minuta eſſe quædam Corpora, quæ licet ſub ſenſum non cadunt, mente tamen poſſunt concipi, & è quibus Res omnes componuntur. V. His corpuſculis à v. 330. ad 430. ſubjungit Vacuum ſeu Inane ſpatium: & VI. à v. 430. ad. v. 483. Probat Nihil eſſe præter Corpus & Inane, Reliqua autem quæ videntur eſſe ut Pondus, Calor, Paupertas, Bellum &c. eſſe tantum Conjuncta vel Eventa, Proprietates ſeu Accidentia Corporis & Inanis VII. Docet à v. 483. ad v. 528. Prima corpuſcula eſſe perfectè ſolida, ideoque à v. 528. ad v. 635. Inſecabilia eſſe, Minima (neque enim Corpus in infinitum dividi poteſt) & æterna. VIII. Deinde, à v. 635. ad v. 712. Refutat* Heraclitum, *qui Ignem, Alioſque qui Aërem, Aquam, aut terram Rerum omnium principium eſſe ſtatuerunt. IX. Tum à v. 712. ad v. 829. contra* Empedoclem *demonſtrat Res non componi è quatuor Elementis; X. Demum à v. 829. ad v. 919.* Anaxagoram *refellit. XI. Poſtremo à v. 919. ad v. 1050. Docet Univerſum eſſe ex omni parte Infinitum, Corpuſcula eſſe numero infinita, & Inane nullis terminis comprehendi poſſe: XII. Et à v. 1050. ad v. 1110. Deridet illos qui exiſtimant eſſe aliquod Centrum in Univerſo, quo Gravia omnia deorſum tendant, dum Levia ſponte ſua ſurſum ferantur.*



Frans van Mieris inv. et delin II. *J. Wandelaar fecit*

T. LUCRETII CARI
DE
RERUM NATURA
LIBER PRIMUS.

AENEADUM Genetrix, hominum divômque voluptas,
Alma Venus, coeli ſubter labentia ſigna
Quae mare navigerum, quae terras frugiferenteis
Concelebras; per Te quoniam genus omne animantum

Con-

INTERPRETATIO.

Benigna Venus, Mater Romanorum qui ab Ænea ducunt genus, deliciæ Hominum & Deorum; Quæ Mare navigerum & frugiferas terras volubilibus Cæli ſtellis ſubſtratas reples

VARIÆ LECTIONES.

1. *Genetrix.* genitrix C. N. X. 4. *concelebras.* conceperas I. *concelebras, per te* concelebrâ parte X.

NOTÆ.

A *Eneadûm*] pro *Æneadarum* dicitur eloquendi more peruſitato: ut *Dardanidûm* pro *Dardanidarum*. Priſcianus citat hoc carmen. *Æneadas* expone Romanos. Vergil. 8:648.

Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant,

Ovid.

Horreat Æneadas & primus, & ultimus orbis.

PIUS. *Æneadarum*, id eſt Romanorum, qui ab *Ænea* prognati ſunt. profert hunc primum verſum Priſc. lib. 7. LAMB.

1. *Genetrix*] Quærunt nonnulli non incurioſe quænam ſit cauſa cur profeſſus ſectam Epicuræam Lucretius Deos invocet: cum deos eſſe nullos, & inane cœlum affirment Epicuræi: vel ſaltem curare quicquam negent? non eſt igitur Venus tanquam Dea invocanda, quæ invocationem mortaleſque preces non curet. Quam argutiolam ità rejicimus, ſi tenemus Venerem non tanquam cæleſte numen Lucretium invocare: ſed tanquam prolubium & invitamentum naturæ: quod ſe animantibus inſerens, prolectat ad fœtificationem: quam Empedoclis amicitiam complures eſſe con-

ten-

NOTÆ.

tenderunt. *Genitricis* itidem cognomento colebatur Venus a Romanis: quod (ut diximus) ab Ænea Veneris filio genus ducebant. Sed & Julia gens, condente, & dicante J. Cæſare, templum erexit Veneri Genitrici, quod & Plinius Tranquilluſque notificant. Uſus eſt in hoc lib. poeta miro ordine. Nam de natura acturus expugnat illorum ſententiam, qui tradunt res e nihilo gigni & in nihilum cadere: & hoc confirmat multis argumentis, quæ ſunt inferius a nobis excutienda. Notandum eſt tamen longam eſſe in iis verſibus evagationem & zeugma ab inferiori, recurrendumque eſſe ad id carmen.

Te ſociam ſtudeo ſcribendis verſibus eſſe.

Hoc ordine. Venus, genitrix Æneadum, quæ mare, quæ terras concelebras: te ſtudeo præviam eſſe, & ducem carminibus meis, quæ conor de rerum natura pangere: & hoc eſt in cauſa, cur optem te mei operis aſſeclam: quoniam tu rerum naturam regis & propagas, & per te genus omne animantum concipitur. Inſuper te invoco peculiariter, quod carmina receſſum ſcribentis & otia quærunt: unde colligi poteſt, non tam invocationem hanc eſſe, quam inſinuationem: cum ait ſe de Venere, hoc eſt natura rerum eſſe ſcripturum. Tu Venus procelloſos ventos expellis: nubes amoliris: Tu cœlum flatu Zephyrio reficis: tu mari pacem: tu fluviis quietem: tu mentibus incutis lenimen amatorium. Nec hoc incurioſè prætereundum; ordine præpoſtero prius invocare poëtam, ſi modo invocat, quam proponere. Et hoc facit non alia ratione, quam quod Empedoclis opus non tantum ſequitur, quantum ordinem poëtarum Græcorum, qui prius invocant quam proponant: quorum fons Homerus, Odyſſeam auſpicaturus, ſic exorſus eſt:

Dic mihi Muſa virum, captæ poſt tempora Trojæ:
Qui mores hominum multorum vidit & urbes.

Et ut in re manifeſtaria non diutius immorer, Rhodii Apollonii principium operis ſubtexam:

Ἀρχόμενος σέο Φοῖβε παλαιγενέων κλέα φωτῶν
Μνήσομαι,

hoc eſt, *incipiens a te, Phœbe, antiquorum gloriam virorum memorabo.* Subdit interpres. ἔθος γὰρ ἀπὸ θεῶν προοιμιάζεσθαι. id ſignificat: *mos eſt a Diis proœmiari.* Sed tamen ita invocant Græci: ut in ipſa invocatione propoſitionem comprehendant: quod & apud omnes evidens: planius tamen & apertius in Oppiano: qui ſic exorſus eſt hiſtoriam piſcium.

Ἔθνεά τοι πόντοιο πολυσπερέας τε φάλαγγας
Παντοίων νεπόδων πλωτὸν γένος ἀμφιτρίτης
Ἐξερέω, γαίης ὕπατον κράτος Ἀντωνῖνε.

Latine ſic. *Agmina ponti diſperſa, phalangeſque natantum, Squammigerum Amphitrites genus exequor, O Antonine, cujus auguſtæ fortitudini terra ſubeſt.* Pius. Ita v. q. in aliis *Genitrix.* Giph. Æneæ matrem eſſe Venerem his verſibus teſtatur Homerus Ιλ. ε. 247.

Αἰνείας δ' υἱὸς μεγαλήτορος Ἀγχίσαο
Εὔχεται ἐκγεγάμεν· μήτηρ δέ οἱ ἐστ' Ἀφροδίτη.

id eſt,

Æneas gloriatur & prædicat ſe ab Anchiſa eſſe natum:
Mater autem ejus eſt Venus.

Et Sophoc. in Laocoönte:

Νῦν δ' ἐν πύλαισιν Αἰνείας ὁ τῆς θεοῦ;

id eſt,

Nunc autem in portis eſt Æneas deæ filius.

& Virg. lib. 1. Æneid. 329.

Sic Venus: at Veneris contrà ſic filius orſus.

idem lib. 7: 555.

Talia connubia, & taleis celebrent Hymenæos
Egregium Veneris genus, & rex ipſe Latinus.

& T. Livius lib. 1. Annal. *Æneam, filium Anchiſæ & Veneris,* &c. Quemadmodum autem à Romanis Mars, eò quod Romuli pater haberetur, *Romani generis auctor* dicebatur: ita Venus *Romanorum genetrix* appellabatur, propterea quòd Æneæ mater exiſtimabatur. Idcirco Romulus cùm annum deſcriberet, eumque ex decem menſibus conſtitueret, primum à Marte patre, *Martium*, ſecundum à Venere, tanquam matre, aut certè progenetrice, *Aprilem* nominavit; Atque ob eandem cauſam Romani in ſacris *Martem Patrem, Venerem Genetricem* appellabant, ut ſcribit Macrob. lib. 1. cap. 12. Saturn. Eodemque loco *Aprilem* dictum eſſe tradit, quaſi *Aphrilem,* ἀπὸ τῆς Ἀφροδίτης. Quin Arnobius teſtis eſt lib. 4. Adverſus Genteis, *Venerem non ſolùm Æneadûm matrem, ſed etiam Romanæ dominationis eſſe auctorem, litteris Romanis eſſe proditum.* *Genetrix* autem excudendum curavi, non *genitrix*, tum quia ita ſcriptum reperi in duobus libris manuſcriptis, tum quòd ſciam ita locutos eſſe veteres, tametſi *genitor* dicerent, non *genetor*, quemadmodum *meretricem* dicimus, non *meritricem*, à *merito.* Lamb. Huc reſpiciebat Ovidius in II. Triſtium. 1. 261

Sumpſerit Æneadum Genetrix ubi prima, requires,
Æneadum genetrix unde ſit alma Venus,

Æneadæ autem Romani ſunt; neque hic ad familiam Cæſarum reſpicit. In marmoribus & nummis, VENERI GENETRICI & GENETOR apud Ennium pag. 38

NOTÆ.

O pater, ô Genetor, ô ſanguen Diis oriundum. Faber.

Carmen de *Rerum Natura* ſcripturus *Lucretius*, Venerem invocat, lepidam ſanè, venuſtamque Deam, *Æneæ*, à quo originem ducebant Romani, matrem; amicam inſuper *Marti* (ſic fabulæ) & aliquando nimis immodeſtè facilem: at cujus illecebris tota rerum Natura regitur, & cujus virtute, quicquid Animale eſt, generatur; & quæ ſola venuſtatem & leporem largiri poſſit. Hanc igitur tanquam aptiſſimam ſibi de *Rerum Natura* ſcripturo patronam eligit, ab ea petit leporem ſuis verſibus, pacemque Romanis (turbata enim Repub. nec ipſe, nec *Memmius*, cui hoc Carmen ſcribit, ſtudiis Philoſophicis vacare potuit) quam illa à ſuo *Marte* facile impetraret. Et hac invocatione *Phyſici* Poëtæ, & Epicurei etiam Philoſophi (quicquid alii ſentiant) partes probè & decorè agit; Irridet enim dum invocat, & ut rarò magis bellam, ſic nunquam magis probroſam *Veneris* & *Martis* imaginem inveniemus. Nimis autem argutè pii videntur iſti, qui Poëtam *Providentiæ* iniquiſſimum, vi quadam, ſeu potius luſu Numinis coactum eſſe volunt opem & auxilium à famoſiſſima Dea implorare. Nec minùs otioſi, qui Venerem Hortos curâſſe obſervant, ideòque aptiſſimam fuiſſe *Epicureis*, Hortorum incolis, Patronam; aut myſteria neſcio quæ ſub *Venere*, *Marte*, *Cœlo*, &c. latere ſentiunt: Iſtæ nugæ ſublimi & faſtoſo *Lucretii* ingenio improbè conveniunt; myſteria Veterum non minùs quàm Religionem contemſerunt Epicurei: *Cic. de Nat. Deor. l.* 1. *ſect.* 59. Sed iſtam ſapientiam *Nardio*, ejuſque ſimilibus relinquamus. Abeant etiam Grammatici cum ſua *Venere Genetrice*, niſi exiſtimare velint Lucretium tam Divinum eſſe, ut Venerem olim à *Julio Cæſare* iſto titulo conſecrandam fore conjectaret. Poëta erat *Lucretius*, ideoque non neglexit leges ſuæ Artis; *Epicureus*, ideoque patriæ ſuperſtitioni ſubdolè obſequitur; qui plura quærit, inveniat, & inventis gaudeat. Creech. Virg. Æn. 1, 619. *Quis te nate Dea* &c. Rutil. Itin. verſ. 67.

Auctorem generis Venerem Martemque fatemur,
Æneadum matrem, Romulidumque patrem.

ubi male in contextu Almelovenianæ editionis legitur *Matremque*, vitio typothetarum. Ante Fabrum Carrio locum Ovidii huc retulerat, atque ut nunc legitur, emendârat, Emend. 1, 8. & 11, 17. oſtenderatque huc pertinere locum Arnobii l. 4. *Nonne veſtris cautum eſt literis, arſiſſe in Anchiſæ nuptias ipſam illam Venerem Æneadum & Romanæ dominationis auctorem?* qui Carrio ibidem primo loco oſtendit, ſecus ac nonnulli opinabantur, non olim aliud principium Lucretii fuiſſe. In exordio enim operis libere pro voluntate ſua principium, ut in fine epilogum, captabant Veteres, unde non tantum Salluſtius exordiis nihil ad hiſtoriam pertinentibus uſus eſt, ſed in Horatio quoque idem, ex nota quæ apud Porphyrium legitur, obſervare eſt. ubi etiam Carus noſter illuſtratur. Ille itaque ad Horat. Epiſt. 1, 20. ubi Poëta ita librum ſuum alloquitur:

Vertumnum Janumque liber ſpectare videris.

hæc notat: *Mirum eſt hanc locutionem inter epiſtolas poni, cum neque ad abſentem, neque ad præſentem hominem ſcripta ſit, niſi quia receptum eſt, & principia & fines in omnibus libris nullius legis formula contineri. Unde ſic Lucretius incipit primum Epicureæ ſectæ librum. Sic Virg. quartum Georg.* Havercamp.

1. *Divômque voluptas*] Nam poëtae etiam Deos faciunt rebus Veneris delectari: quod eſt indignum eorum majeſtate: *ſed illi humana ad Deos transferunt, divina mallem ad nos*, inquit M. Tul. Lamb.

2. *Alma Venus*] Quæ alit omnia, quæ ſtimulo ſuo cuncta generat & propagat. ab *alendo* dicitur *alma:* quod epitheton eſt terræ. *Alma* dicitur ſancta. Calphurnius in Bucol. ludicro 1: 43.

Et redit ad terram tandem ſqualore ſituque
Alma Themis poſito.

Peculiare hoc Veneris epitheton apud Lucretium. Alma, ſancta ſive pulchra vel alens ab *alendo:* author Pompejus. *Almities, habitus almarum rerum.* Pius. Feſtus: *Alma, ſancta, ſive pulchra, ſive alens, ab alendo ſcilicet.* Hoc principium ſecundi verſus, & principium item primi, mutuatus eſt in illo diſticho Auſonius:

Orta ſalo, ſuſcepta ſolo, patre edita cœlo,
Æneadûm genetrix, hîc habito alma Venus. Lamb.

Ridiculum fortaſſe videatur, Deos ab homine Epicureo invocatos fuiſſe: Sed hîc poëtæ partes agit Lucretius, non philoſophi. Ceterum locum hunc ex Ennio adumbratum arbitror. is pag. 42.

Te nunc ſancta precor Venus, & genetrix patris noſtrei,
Ut me de coilo viſas cognata parumper. Fab.

Sancta, pulchra, Feſto. Aliis, *læta, fœcunda, grata:* Ego *benigna* mallem: Vox enim iſta exprimit alias omnes virtutes Veneris, quas non minùs quàm fœcunditatem intuetur Lucretius. Creech. Ita Auſonio. i. e. fœcunda, ab alendo rationem nominis reddit poëta, quoniam per illam g. o. a. concipitur. Plauto *alma nutrix.* Lucret. 1, 47. *tellus*

Concipitur, viſitque exortum lumina ſolis:
Te, Dea, te fugiunt venti, te nubila coeli,

Ad-

INTERPRETATIO.

& exornas; tua enim virtute omne genus Animalium generatur, & natum videt Diei lucem; Te, O Dea, advenientem, & primo vere viſentem

VARIÆ LECTIONES.

5. *Lumina.* Lumine. G. Y. Z. numina. Q.

NOTÆ.

lus alma. Columella 3, 21. Virg. *parturit almus ager.* adde Hor. 4. carm. 5. & Lucret. 5: 230. HAVERCAMP.

2. *Cœli ſubter lab. ſig. &c.*] Ordo eſt: quæ concelebras terras ſubter ſigna cœli labentia, id eſt quæ moventur unà cum cœlo. Unde *æthera ſigniferum* appellat lib. 5: 460.

Partibus erumpens primis ſe ſuſtulit æther
Signifer. LAMB.

Unam eſſe vocem contendit *Barthius* (& Serv. vid. Turn. Adv. 19: 15.) acutè: quaſi ſtellas, æquè ac Mare & Terras variis Animalibus Venus concelebraſſet. Vid. l. 4. v. 413. CREECH. H. e. qua patet orbis. PREIGER.

3. *Quæ mare -- quæ terras, &c.*] Egregiè hoc illuſtratur veteri Epigrammate, quod exſtat in Anthol. Lib. 4. cap. 12. in Cupidinem, nudum, inermemque, ſed altera manu Delphinum, altera florem tenentem, utpote qui in Mare pariter, ac Terras imperium obtineat.

Γυμνὸς ἔρως ἐπὶ τοῦτο γελᾷ, καὶ μείλιχός ἐστιν
Οὐ γὰρ ἔχει τόξον καὶ πυρόεντα βέλη.
Οὐδὲ μάτην παλάμαις κατέχει Δελφῖνα καὶ ἄνθος,
Τῇ μὲν γὰρ γαῖαν, τῇδε θάλατταν ἔχει.

Vid. Spanh. de Præſt. & uſu Numiſm. pag. 199. ed. in quarto. ubi id genus imagines plures in Veteribus Nummis exluberi docet. PREIG.

4. *Concelebras*] Auges tuo dulci initu: ut ita multiplicata celebria ſint & populoſa. Vel concelebras, frequentas: penetras enim in viſcera maris & in terras: afflatuque tuo ſeminali mare terramque non minus auges quam lætificas. *Celebrare* ſignificat frequentare, nec ſolum id. Invenimus enim *celebre* pro veloci. Actius in Ægiſtho:

Celebri greſſu gręſſum accelebraſſe docet.

Celebre famigerabile, inſigne, notumque oſtendit. *Celebreſcat* priſci dixerunt pro celebris fiat. Exponit tamen Marcellus hic *concelebras*, pro commoves, hoc eſt incitas & invitas. PIUS. Hunc & ſuperiorem verſum profert Nonius Marcellus: interpretaturque *concelebras*, commoves. ego *concelebras* malim interpretari, celebreis & cultas reddis, vel colis, & frequentas. ſic lib. 2: 344.

Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum
Concelebrant.

Mecum facit ea ratio, quæ ſequitur: per te quoniam genus omne animantum &c. id eſt, quoniam tua opera, & tuo beneficio omne animantium genus oritur. LAMB. *Reples variâ animantum fœturâ*, Celebres efficis, id eſt, frequentas. Ita fere alicubi apud Comicum *plateam tibia concelebrare*; Et apud Ovidium III. Faſtorum, *celebrare ſe mero*, quod obſervandum homini Latinitatis ſtudioſo. Sententia poëtæ eſt, Quæ frequentas & fœturâ reples omnia *quæ ſub cœlo ſunt.* Neque enim mihi interpretatio Dionyſii placet. *Celebris* autem & *deſertus* oppoſita. Scriptor ad Herennium lib. 2. *locus quæritur, celebris an deſertus.* FAB. *Commoves* Nonio. *Colis* & *frequentas* Lambino. Sic *Ovid.* 4. Metam. v. 45. clariùs vero, *reples & exornas varia Animantium fœtura. Celebris* autem apud Antiquiores idem quod *frequens*, via bona *celebriſque* Cat. de re ruſtica lib. 1. Locus quæritur *celebris* an deſertus? Scriptor ad Herennium lib. 2. vid. l. 2. v. 345. & l. 5. v. 1380. CREECH.

4. *Per te quoniam genus, &c.*] Sic Ovid. 4. Faſt.

Quid genus omne creat volucrum, niſi blanda voluptas?

& Catull. epithal. in Manl. & Juliam verſ. 61.

Nulla quit ſine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe dicier, &c. LAMB.

Hyperbatum uſque ad verſ. 4. pag. 11. *Quæ quoniam.* FAB.

4. *Genus omne animantum*] Juxta alterius Sene-

cæ

Adventumque tuum; tibi ſuaveis daedala tellus
Submittit flores, tibi rident aequora ponti,

Pla-

INTERPRETATIO.

Terras, venti & tempeſtates fugiunt, Tibi varia, & in rebus producendis Artifex terra, ſuaves producit flores;

VARIÆ LECTIONES.

7. *Adventumque tuum.* adventuque tuo C. E. B. m. adventumque tuum *Turnebus* V. adventuque tuo. O. X. Y. Z. *dædala.* dædula X.

NOTÆ.

cæ in Hippolyto verſiculos hoſce a verſ. 467.

Excedat agedum rebus humanis Venus:
Quæ ſupplet ac reſtituit humanum genus;
Orbis jacebit ſquallido turpis ſitu.
Vacuum ſine ullis claſſibus ſtabit mare.
Aleſque cælo deërit & ſylvis fera. Pius.

5. *Viſitque exort. lum. ſol.*] Exoritur, prodit in lucem, hac lucis uſura frui incipit. ſæpe hæc duo nomina ſic à Lucretio conjunguntur, ut infrà eod. libr. 987.

Nec foret omnino cœlum, neque lumina ſolis.

libr. 2. 107.

——— *hæc aëra rarum*
Sufficiunt nobis, & ſplendida lumina ſolis.

ibid. 740.

Nam cùm cæcigeni, ſolis qui lumina numquam
Aſpexêre, &c.

& lib. 5: 463.

Matutina rubent radiati lumina ſolis.

Uſurpavit & Virgilius lib. 6. Æneid. 255.

Ecce autem primi ſub lumina ſolis, & ortus.

idem lib. 8: 68.

Surgit & ætherii ſpectans orientia ſolis
Lumina, &c.

Hom. Ὀδ. λ. 92. φάος ἠελίοιο, id eſt *lumen ſolis*. & item ſæpe. Lamb. *Lumine:* MSS. fruſtra. Creech. MSS. Gott. Lug. Bat. 1. 2. *lumine.* ſed alia lectio in 2. ſuperſcribitur

6. *Te, dea, te*] διακοπὴ, ut apud Virgil. Georg. 4: 358.

Duc, age, duc ad nos.

ibidem, 444.

Scis Proteu, ſcis ipſe. Lamb.

6. *Te fugiunt venti, &c.*] Quia tu tuo adventu cœlum, terras, & maria ſerenas. Lamb.

6. *Venti -- nubila cœli*] *Venti*, inania, vana, falſa. *Nubila cœli.* Ignorantiæ, triſtitiæque. Claud. de Nupt. Honor. verſ. 184. Lucretium imitatus:

Adventu Veneris pulſata recedunt Nubila. Preig.

7. *Adventumque tuum*] Sic reſtitui ex auctoritate quinque librorum manuſcriptorum: quibuſcum conſentiunt nonnulli typis excuſi. repetendum autem eſt ἀπὸ κοινοῦ verbum *fugiunt*, quod antecedit. Jam verò per adventum Veneris, menſis Aprilis initium ſignificat. Lamb. *Adventuque* Nar. & B. *ad ventumque* Turnebus. Curioſè nimis: hîc enim *Te adventumque tuum*, ut *Te tuumque initum*, vſ. 12. & 13. vide Ovid. Faſt. l. 4. Creech. Bis idem videtur dicere: *Te, adventumque tuum.* Quid ſi admittamus? *Ad ventumque*, cujus & nos admonent Iſ. Voſſii Notulæ, atque ita diſtinguamus:

Te, Dea, te fugiunt venti, te nubila cœli,
Ad ventumque tuum tibi ſuaveis dædala tellus
Submittit flores, &c.

Nam *Ad ventum tuum tibi* tantundem erit, ac ſi dixiſſet: *Advenienti tibi*, quum & *ventus* pro *adventu* apud Plautum occurrat, vide Curc. 2. 4: 37. Ciſt. 1. 1: 16. Sed neſcio qua majeſtaſte *Adventum* Veneris una voce hoc loco potius dixiſſe videtur τὴν τῆς Θεᾶς ἐπιφάνειαν, nam & propriè ita appellabant veteres Deorum Dearumque apparitiones: inde & apud Claudian. lib. 1. de Raptu Proſerp. vſ. 9.

— *Adventum teſtata Dea* ——

& iſtiuſmodi paronomaſiæ, qualis hic vocibus *Venti* & *Adventum* ineſt, mirum quantum Caro noſtro arriſerunt. Sic verſ. 99. *Caſta inceſte.* 312. *Annis annulus.* 3: 780. *Innumero numero* 5: 1333. *Domi domitos. &c.* Preig.

7. *Dædala tellus*] Feſtus: *Dædalam à varietate*

rerum

Placatumque nitet diffuſo lumine coelum.
Nam ſimul ac ſpecies patefacta eſt verna diei,

Et

INTERPRETATIO.

latum mare fit tranquillum, & Tibi quaſi ſubridet; pacatumque Cœlum ſplendeſcit radiis nitidioribus, & latiùs ubique ſparſis.

VARIÆ LECTIONES.

9. *Diffuſo.* difuſo. G. 2. ſed in eo ſuperſcriptum *diffuſo. lumine* O. numine. c. not. *Pii.*

NOTÆ.

rerum artificiorumque dictam eſſe apud Lucretium terram, apud Ennium Minervam, apud Virgilium Circen, facile eſt intelligere, cum Græcè δαιδάλλειν ſignificet variare. Hactenus Feſtus. Idem Lucretius hoc eodem lib. verſ. 229.

——— *Aut redductum dædala Tellus*
Unde alit?

idem libr. 4: 551.

Mobilis articulat verborum dædala lingua.

idem libro 5: 235.

——— *naturaque dædala rerum.*

ibid. 1450.

Carmina, picturas, & dædala ſigna polire.

Virgil. lib. 4: 179. Georg.

Et munire favos, & dædala fingere tecta.

Homer. Ιλ. σ. 482.

— — Αὐτὰρ ἐν αὐτῷ
Ποίει δαίδαλα πολλὰ ἰδυίῃσι πραπίδεσσιν.

id eſt, *in eo autem multa variè figurata efficiebat mente ſagaci, & perita.* ibid. Πάντοσε δαιδάλλων, id eſt, *omni ratione, ſeu in omnem partem figurans, & varians.* Quòd ſi quis malit hoc nomen a *Dædalo*, præſtantiſſimo fabro ductum eſſe, non pugnabo. Lamb. Δαίδαλος *varius.* ita tellus variis diſtincta coloribus & omnigeno frugum proventu *dædala* dicitur. Fab. Calpurnius in Eclog. 2: 19.

— — *illis etiam certantibus auſa eſt*
Dædala nectareas apis interviſere flores.

Macrob. 6: 4. in hujus loci imitationem notat dixiſſe Ilium in Theutrante, *Dædala Circe.* Hav.

8. *Tellus*] Nota diſtributionem *Terra, mare, cœlum.* Juvenal. Sat. 2: 25.

Quis Terræ cœlum non miſceat, & mare cœlo.

& Terentii illud Adelph. 5: 3: 4.

O cœlum, ô Terra, ô maria Neptuni. Preig.

8. *Submittit*] Subminiſtrat, & ſuppeditat: vel ſurſum mittit, effert, profert. idem in eodem lib. 193.

Lætificos nequeat Tellus ſubmittere flores.

Lamb. Gifanii verba ſunt [*ſubmittere, efferre, producere, procreare; quod certe annotatione fuit dignum*] Ita quidem eſt, ut ſcribit; ſed addi & his aliquid poterat; *ſubmittere* eſſe *de ſub mittere* (ut dicebant *de ſub altari*, poſtante, inante, exante. Carr.) ita Virgil. 12: 287.

— — *& corpora ſaltu*
Subjiciunt in equos.

id eſt, tollunt in equos. Idem ita Æn. 1: 428.

Manibus ſubvolvere ſaxa,

de ſub, atque adeo in altum. Ita apud Plautum emendavi, *de ſub ara erepere*, ubi legitur *ſub ara* Ita tenella arbor *ſub ingenti matris ſe ſubjicit umbra.* id eſt ſe ſe attollit. Ita alius ſcriptor dixit, *ſubjecto in mentum gladio.* ubi *ſubjecto* nil aliud eſt quam *erecto.* apud Virgil. *ſubrigit aures*, eſt ἀνορθοῖ. & apud Varronem *pedes ſubrecti*, in altum ſublati. Ita Lucil. apud Feſtum *ſubjicit haſtas*, in altum tollit. ita denique *ſubjectare vallis triticum*, aut quid tale apud Varr. in lib. de R. R. ſed τούτων ἅλις. Fab. *Effert, producit, procreat*, ſummittere enim eſt *de ſub mittere*, ſic apud Lucr. l. 6: 70.

— *Saxaque ſubjectare*

i. e. in altum extrudere: vid. etiam lib. 1. verſ. 194. l. 2. verſ. 673. l. 6. v. 818. Sic l. 1. v. 1032. *Submiſſa Gens Animantum.* Quo in loco pro ingenio moreque ſuo turpiter errat Interpres *Fayus.* Creech. In omnibus hiſce, aliiſque *ſubmittit* &c. Eſt manifeſta tranſlatio ab iſto vexillorum, faſcium, aliorumve inſignium ſubmittendorum ritu, qui venerantium erat, aut obedientiam profitentium; quum interim alludat elegantiſſimus

Poëta

Et reſerata viget genitalis aura Favonî;
Aëriae primùm volucres te, Diva, tuumque

Signi-

INTERPRETATIO.

Nam ſimul ac pulcherrimum Ver ſeſe aperit, & lenis Favonii flatus, qui maximè facit ad generationem rerum, laxatus ſpirat,

VARIÆ LECTIONES.

11. *Genitalis.* genitabilis. L. & plerique. *Favoni.* Fovoni. X.

NOTÆ.

Poëta ad ſolemnes illas florum ſparſiones, quarum ſpecimen in Cybeles ſacris exhiberi ſolitum ipſe deſcribit Lib. 2: verſ. 626. his verbis:

Aere atque argento ſternunt iter omne viarum
Largifica ſtipe ditantes ninguntque roſarum
Floribus, &c. Preig.

Rident] Sua æquabilitate, & tranquillitate hilaritatem quandam præ ſe ferunt. Tralatio eſt à rebus animatis, & ratione præditis, quæ riſu hilaritatem ſignificant: vel idcirco res inanimæ *ridere* dicuntur eæ, quæ ſunt ornatæ, magnificæ, bellæ, placidæ, tranquillæ, quòd, quemadmodum qui *rident*, *riſu* & hilaritate diffunduntur, ita & res aſpectu pulchræ, & nitentes, & politæ, hilaritate diffundunt ſpectatorem. Horat. ode 11. lib. 4.

Ridet argento domus.

Hom. Ἰλ. τ. 362.

Αἴγλη δ' οὐρανὸν ἷκε, γελάσσε δὲ πᾶσα περὶ
χθών.

id eſt,

Fulgor autem in cœlum venit: terra autem tota
circum riſit.

Virgilius Pollione, Ecl. 4: 20.

Miſtaque ridenti colocaſia fundet acantho.

Lucret. lib. 2: 32.

Præſertim cùm tempeſtas arridet, & anni
Tempora conſpergunt viridanteis floribus herbas.

& libr. 4: 1118.

Unguenta & pulchra in pedibus Sicyonia rident.

& lib. 5: 1394.

Præſertim ſi tempeſtas ridebat, & anni
Tempora pingebant viridanteis, &c. Lamb.

8. *Rident*] Amat hoc verbum Lucretius, ſic infra 2: 559.

Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.

Æquora ponti] Tranquillitas, atque æquabilitas maris: mare nullis ventis concitatum, & idcirco æquabile & tranquillum. Lamb.

9. *Placatumque*] *Pacatumque* Iuntæ. Gryph. Nard. Giph. Minus rectè. Creech. Et ita cœlum ſerenum minimeque turbulentum, tranquillum. tralatio eſt. *Placatum* autem habent libri manuſcripti, & nonnulli typis excuſi: alii, *Pacatumque.* confirmat hanc ſcripturam quam ſecutus ſum, illud Ciceronis oratione ad Quirites poſt red. *Tamen ſi mihi tranquilla & placata omnia fuiſſent, incredibili quadam, & pæne divina, qua nunc veſtro beneficio fruor, lætitiæ voluptate caruiſſem.* Præterea *placatum* opponitur irato: *pacatum*, bellum inferenti, aut facienti. Quemadmodum igitur mare turbulentum, *iratum* dicitur à poëtis, Horat. ode 2. epod. 6.

Nec horret iratum mare:

Ita hîc à Lucretio tranquillum, *placatum.* Lamb.

Diffuſo Numine] Immiſſo & inſinuato geniali & genitivo, hoc eſt omnia generante mulcenteqûe ſpiritu venerio. Sunt qui legunt *lumine*, hoc eſt radiis & luce tui ſyderis coruſco vibratu omnia ſerenantis. Veneris enim ſydus eſt Lucifer æmulum Solis & Lunæ. Quidam tamen Junoni adſcripſerunt. Pius. *Lumine*] Diſpulſis, & diſcuſſis à ſole tenebris. Idem Lucr. libr. 3: 21.

Semperque innubilus æther
Integit, & largè diffuſo lumine ridet. Lamb.

10. *Nam ſimul ac ſpecies, &c.*] Id eſt, nam ſtatim ut ver advenit. Lamb.

Patefacta] *Calefacta* B. Creech.

Species p. e. v. d.] Nitor & formoſitas temporis, quæ peculiariter verno tepore pulchrior eſt & gratior; cum ſoles melius nitent. Species multa

Significant initum perculſae corda tua vi:
Inde ferae pecudes perſultant pabula laeta,

Et

INTERPRETATIO.

Aeriæ primum aves tuo numine percitæ, intimiſque medullis æſtuantes, Te, ô Dea, adveniſſe ſignificant;

VARIÆ LECTIONES.

initum. initium A. B. I. Z. initum. m. Not. *Pii*; unde aliqui male *nuncium* pro Zephyro. natum X. *perculſæ.* percuſſæ A. R. S. T. *læta* læti. X.

NOTÆ.

multa ſignificat, ut pulchritudinem: unde id dici ſolet. *Species Priami digna eſt imperio. Specioſus* inde pro pulchro capitur. Verba Porphyrii ſunt hæc in codicibus promulgatis, quos bibliopolæ corruperunt τὸ δὲ εἶδος λέγεται μὲν καὶ ἐπὶ τῆς ἑκάστου μορφῆς, καθ' ὃ εἴρεται, πρῶτον εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Significant hæc poſtrema verba. *Species formam ſignificat, ut dici ſolet, primum: ſpecies digna eſt imperio.* lego non πρῶτον: ſed πριάμου ex codice priſco caſtigatiſſimo: qui fuit Lionorii cujuſdam Flaminis Bononienſis, quem non ſine admiratione legimus ego & Ladiſlaus Minius, Hiſpanus, auditorum meorum acutiſſimus: quem neſcio quem muſculum inſcite deluxâſſe non æque ferendum, qui græcas latinaſque literas imperitis denticulis arrodit ex furum culo carcinoma faciens, & ex pernionibus podagras. Adjuvat quod pulcherrimum Homerus Priamum inducit. Nec te moveat ſi a tragico pede deſiiit hic verſiculus. Hoc enim a Porphyrio addi potuit: ut exemplo ſuo ſerviret. quod videmus Boëthium in Elenchis feciſſe, carmina Martialis advocantem, qui longo poſt tempore ab Ariſtotele floruit. Dicet ille refractarius & pertinax, ita recognoſcitur a græcis: cui non ſtatim annuo, nihil tamen ad me. Ita Boethius vertit, nec unquam aliter alibi lectum eſt apud ſobrios latinos: nec ſtatim concedo hoc prolatum eſſe ab Euripide: ſed a Porphyrio exemplificante. Brixiæ emendatiſſimum codicem legi apud Joannem Taberium græce & latine doctiſſimum, in quo *Priami* non *primum* ſcriptum notavi. *Diei* pro temporis poſuit etiam Vergilius. Æn. 11: 425.

Multa dies variuſque labor mutabilis ævi
Rettulit in melius.

Succinit Tibullus. lib. 1. Eleg. 4: 17.

Longa dies molli ſaxa peredit aqua. Pius.

10. *Species*] Infra 1: 321.

Invida præcluſit ſpeciem natura videndi.

10. *Verna*] Ver enim Veneri ſacrum. Ovid. alii. Fab.

11. *Et reſerata viget*] Idem dicit: & ſimulatque Favonius veris prodromus, apertus, ac patefactus vigere cœpit, qui antea quaſi obſeratus & clauſus videbatur, &c. *Obſerare*, eſt ſera claudere. Catull. ad Ipſith. 33: 5.

Nequis luminis obſeret tabellam,

cujus contrarium eſt *reſerare*. Ennius p. 9.

Nos auſi reſerare.

M. Tull. Offic. 2. *Quamobrem nec ita claudenda res eſt familiaris, ut eam benignitas aperire non poſſit: nec ita reſeranda, ut pateat omnibus.* Lamb.

11. *Genitabilis.*] Genitivi, generantis fœcundo flatu cuncta. paternus caſus eſt *genitabilis*. Vernum tempus Zephyro flante incipit quando herbarum creatio: ſic illum Græcis appellantibus quod vitam ferat. *ζωὴ vita, φόρος ferens.* Latini *Favonium* dictitant a *fovendo*, quod herbis, & rebus cæteris favet, & ſpiritu ſuo leniſſimo creat & recreat. Catullus:

--- --- *Quos propter fluminis undas*
Aura parit flores tepidi fœcunda Favoni.

De vento Favonio hæc Plinius libro naturalis hiſtoriæ decimo ſexto. *Hic eſt genitalis ſpiritus mundi a fovendo dictus. Flat ab occaſu æquinoctiali ver inchoans. Cathlitionem ruſtici vocant: geſtiente natura ſemina accipere, eaque animam inferente omnibus ſatis.* In priſcis Plinii codicibus non *cathlitionem*, verbum agreſte, & abſurdum legitur, ſed *catulitionem*, quod mirum quam bellè quadret. *Catulire* fœminæ dicuntur cum marem nimis appetunt, a prærabida canum libidine etymo detorto. Æque terra *catulit*, cum geſtit parere genitabili Zephyro prolectante. Eritque ruſticus uſus non in verbo, ſed in ſignificatione verbi metaphorica: terram *catulire* urbani non dicerent. ſicut ruſtici noſtri cortices arborum vere ſuccoſo ſe re-

Et rapidos tranant amneis; ita capta lepore,
Illecebriſque tuis omnis natura animantum

Te

INTERPRETATIO.

tum ferocientes etiam quadrupedes pinguia paſcua ludibundæ pererrant, & rapidos amnes trajiciunt;

VARIÆ LECTIONES.

15. *Et rapidos* &c. Hic verſus ſequenti poſtponitur. V. *amneis.* aranis. Q. *capta.* quodque. H. 2. N. P. 16. Illecebriſque &c. Deeſt A. B. D. V. 1. 2. O. P. X.

NOTÆ.

reſolventes a ligno, *ſubare* dicunt, cum prægnantes fœtifico alimento ſunt, metaphora a ſuum libidine tracta. PIUS. Ita vet. ſcripti manu & formis. (MSS. etiam B. L. & Bodl.) Marull. *genitabilis.* GIPH. Sic habent omnes libri typis excuſi præter Venetos antiquos, & Vicetinos. Manuſcripti autem, cum quibus impreſſi ii, quos dixi, conſentiunt, *genitalis:* qua voce ſæpius idem Lucretius utitur, ut hoc eodem libro verſ. 52.

Quæ nos materiem, & genitalia corpora rebus, &c.

& lib. 2: 5. 48.

Corpora jactari unius genitalia rei.

ibid. in extremo verſ. 1103.

Multaque poſt mundi tempus genitale, diemque.

& lib. 4: 1227.

Nec divina ſatum genitalem numina cuiquam
Abſterrent.

& lib. 5176.

---- *genitalis origo.*

Et item Virgil. lib. 2. Georg. 324.

---- *genitalia ſemina poſcunt.*

& lib. 3. 136.

---- ---- ---- ---- *obtuſior uſus*
Sit genitali arvo.

Arnobius libro 3. Adverſ. Gent. *Quid ergo dicemus? Deos procreare? Deos naſci? & idcirco his additas genitalium membrorum parteis, ut ſufficere prolem poſſent, & ut nova quaque ſuboriente fœtura, quicquid prior ætas abſtuliſſet, rediviva ſubſtitutio ſubrogaret? genitale* autem eſt, quod ad gignendum valet, quodve gignendi vim habet. Credibile eſt porrò idem valere *genitabile*, & *genitale:* quemadmodum *penetrale* & *penetrabile*, utrumque pro eadem re eſt in uſu, ut *exitiale*, & *exitiabile: innumerale*, & *innumerabile: naturalis* & *naturabilis.* M. Tull. in Lælio: *ita pulcherrima illa, & maximè naturabili carent amicitia.* ita enim legitur in vet. codic. Plaut. Moſtell. 5: 2: 40.

Non potuit venire orator magis ad me impetrabilis.

Idem Epid. 4: 2: 36.

Si invenio, exitiabilem ego illi faciam hunc, ut
fiat, diem.

Exiſtimant tamen quidam docti viri hoc loco legendum *genitalis*, non ob id ſolùm, quòd ita habeant aliquot libri manuſcripti, verùm etiam quòd vox *genitabilis* non videatur Latinis uſitata. Quod autem ad verſum attinet, ajunt choreum eſſe pro dactylo, ſeu ſpondeo: quam licentiam ſibi interdum permittunt poëtæ. Ego hac de re judicium meum non interponam. viderint doctiores. Sed vox *genitabilis* tamen reperitur apud Varron. libro 4 de Lingua Latina: ubi tanquam teſtem producit Lucretii verſum, ſi modò locus mendo vacat, his verbis: *A qua bipartita diviſione Lucretius ſuorum unius & viginti librorum initium fecit hoc:*

Ætheris & terræ genitabile quærere tempus.

& apud Tull. in Arato:

Sollers natura, & rerum genitabilis ordo LAMB.

al. *genitalis*, ſed non eſt tanti. hoc ſemel meminiſſe operæ pretium fuerit, hujus formæ nomina utriuſque ſignificationis eſſe, activæ, dico, & paſſivæ. ita *placabilis* qui placat & placatur, *penetrabilis* qui penetrat, & penetratur. Quod minime mirum videri debet, cum à verbo neutro *manare* procuderit *manabile* Lucretius, & a *volare volatile* Virgilius; ſed huic quidem aures aſſuevêre. ita cura *vigilabilis* apud Varronem, quæ inſomniam affert; & *ſpongia deletilis*, quæ delet, apud eundem, ut & *alibile*, quod alit. & *diſſociabilis* apud Horat. & *flebile cæpe*, quod lacrymas ciet. Lucil. Apud Plautum denique in Epidico, *dies impetrabilis.* FAB. Aliis *genitalis*, G. Gif. MS. Sed non tanti eſt: hoc ſemel monuiſſe operæ pretium fuerit, hujus formæ nomina utriuſque ſignificationis eſſe, activæ dico,

Te ſequitur cupidè, quò quamque inducere pergis:

De-

INTERPRETATIO.

tanta aviditate Genus omne animalium tuis deliciis, eaque voluptate quam ſubminiſtras captum;

VARIÆ LECTIONES.

17. *Quo quamque.* quocunque. B. in Not. *Pii.* H. 1. X. *pergis.* tergis Y. 2. ſed ibi *p.* ſuperſcribitur.

NOTÆ.

co, & paſſivæ, ita *placabilis* qui placat, & placatur; *penetrabilis* qui penetrat, & penetratur. Creich. Citatur a Turnebo Adverſ. 9: 26. verſus, ut Lucretii,

Ætheris & Terræ genitabile quærere tempus.

qui quidem nuſquam nunc in Lucretio comparet. Habet quid ſimilitudinis hic noſter, & magis adhuc appropinquat 2: 1104.

Multaque poſt mundi tempus genitale.

verum ipſi numeri nuſquam. Turnebus ex Varrone hauſit, cujus verba ſunt lib. 4. de L. L. *A qua bipartita diviſione Lucretius ſuorum unius & viginti librorum initium fecit hoc:*

Ætheris & terræ &c.

Unde ſubiit animum cogitatio, pro Varrone afferri poſſe morem illum Veterum, qui libros ſuos nonnunquam cum curis ſecundis prælegere atque edere ſolebant, de quo videri poſſunt Notæ in Tertulliani Apolog. p. 292. 313. 409. Pro varietate itaque materiæ in plures initio libros diſtinguere opus ſuum Poëta potuit, poſtea contrahere numerum, atque ipſum exordium Poëtica invocatione exornare. Neminem autem offendat *genitalis* (quod repoſuimus) poſtremam habere hic longam, alias paſſim brevem, quum exemplum, noſtro ſimile, exſtet apud Broukhuſ. ad Tibull. 1: 7: 72. atque ipſe citet Giphanius in Conlectan. inf. p. 267. unde patet ſyllabam *is* etiam ſine cæſura aliquando a veteribus productam fuiſſe. Hav.

12. *Aëriæ primum*] Nota hic *primum.* verſ. 14. *inde.* verſ. 18. *denique.* Preig.

13. *Initum*] *Inire*, ſignificat ſalire & ſubagitare. *initus* coitus. Ovidius Faſt. 4: 94.

Perque ſuos initus concipit omne genus.

Inii ponitur interdum pro concubui: interdum pro inveni: ut *iniit rationem:* interdum pro introii: ut Plautus in Fragm.

Iniit te nunquam febris?

Cæterum in priſcis exemplaribus legitur *nutum* non *initum:* ac ſi pro perſuaſione & voluntate nutus acciperetur: ut dicantur animalia ſentire *nutum Veneris*, hoc eſt percipere Venerem id annuere, ut in amorem & copulam ruant. Reperitur etiam *renutus* pro negatione, & renuere renutareque pro negare. Pius. Id eſt, ingreſſum, introitum, initium: à verbo *ineo*, quod valet ingredior: ut *inire magiſtratum*, *inire viam*, & *ineunte ætate*, *ineunte vere.* ſed non diſſimulabo in Gabrielis Faërni, & Scipionis Tettii, & Bertiniano & Memmiano codice ſcriptum eſſe *initium.* qua ſcriptura tamen rejecta, *initum* retinui, ut habet Vaticanus, & omnes typis excuſi. ſic Ovid. de Venere, Faſt. 4: 93.

Juraque dat cælo, & terræ, & natalibus undis:
Perque ſuos initus continet omne genus.

Idem Lucr. lib. 2: 269.

Ut videas initum motus à corde creari.

Idem hoc eod. lib. 383.

Unde initum primum capiat res quæque creandi

& lib. 3: 272.

---- ---- *Et mobilis illa*
Vis, initum motus ab ſe quæ dividit ollis. Lamb.

Alii *Initium*, quod doctis placebit magis. eſt autem in modulo vocis συνίζησις, res trita apud Græcos, Latinos, & quos non? Fab.

Nutum B. alii *initium:* eligat Lector quod magis placet, penes eundem etiam ſit, utrum *percuſſæ*, an *perculſæ* legi debeat. Creich. MS. L. B. 2. *initium.* Ed. 1. Giph. Par. Cout. MS. Bod. *nutum*, unde in N. MSS. Suſii male exſculpi cernas *nuncium* pro zephyro, ut ſcribit Ed. Angl. noviſſimus. *Perculſæ* habent mox MSS. 1. 2. L. B. Gott. ed. Gryph. Nard. Giph. Pii in Marg. Hav.

13. *Percuſſæ*] Ita v. l. vulg. *initum perculſæ.* vide Ind. Gif.

13. *Perculſæ corda*] Helleniſmus, ut inf. eod. lib. verſ. 262.

---- ---- *menteis perculſa novellas:*

&

Denique per maria, ac monteis, fluvioſque rapaceis,

Frun-

INTERPRETATIO.

Tibi obedire geſtit, & Te ſequi quocunque ducis.

NOTÆ.

& Virg. lib. 6: 595.

--- --- lacerum crudeliter ora,
Ora, manuſque ambas:

& ſexcentis aliis aliorum ſcriptorum locis. Sic autem habent omnes libri impreſſi, & plerique libri veteres. neque video, quamobrem hanc ſcripturam rejicere debeamus. *percellere* enim plus eſt, quàm *percutere*, ut pluribus verbis docui comment. Horatianis. nempe valet pervertere, proſternere, dejicere, καταβάλλειν, (ſic enim interpretatum reperi in lexico Latino-Græco manuſcripto) ut apud Virg. 5: 374.

Perculit, & fulva moribundum extendit arena.

Percutere verò, eſt ferire, & icere, & permovere: per tranſlationem ad animum etiam pertinet, & animum permovere, atque adeò labefactare ſignificat. Licet tamen hîc legere, *percuſſæ*, me probante, aut certè non repugnante. Sic Ter. And. 1: 1. 98. *Percuſſit illico animum.* Lamb. Ego, quum *perculſæ* a MSS. Lugd. Bat. Gottorp. Bodl. præter multas editiones confirmari videam, recipere non dubitavi; eſt enim in illo verbo frequens Lucretius, & Ennium, ut ſæpe, ſequitur. Is autem pag. 148.

---- Perculſi pectora Pœni. Hav.

14. *Feræ Pecudes*] Bruta animalia quæ facie humana carent dicuntur *pecudes*, & *pecora*. Virg. Georgicon libro. 4: 327.

---- Et pecudum cuſtodia ſolers.

Lucret. lib. 2: 243.

Præterea genus humanum rauca̧que natantes
Squammigeræ pecudes.

Marcellus. *Pecus non ſolum quadrupes animal, verum omnia animalia pecudes dicuntur.* Phocas: *primo Æneidos libro Maro ignavum pecus appellat. Pecuina* ſimpliciter Apulejus de Aſino aureo libro 11. vocat animalia bruta: cujus hæc verba ſunt in fidelibus exemplaribus. *Nec tantum pecuina, & ferina: verum inanima etiam divino ejus luminis numiniſque nutu vegetari. Inanima* Lucius appellat ea, quæ animam non habent. M. Tullius libro Officiorum. 3. & in Hortenſio: *Nam cum omnis ſolertia admiranda eſt: tum ea quæ efficit: ut inanima quæ ſunt, vivere, & ſpirare videantur.* Hac loquendi figura Gellius animalia *inora* vocat, quæ os non ſortita ſunt. Pompejus. *Inori minoris.* Tu ſcribe *minores ore*, hoc eſt ore privati, ut *capite minor* dicitur: vel *inores*, ut per verbum notius & magis grammaticum dictionem priſcam explicet. Agmina pecorum *pecuaria* dicimus. Eſt & quartæ inflexionis *pecus*. Plautus in Rudente. 4: 2: 5.

Men' vides referre uvidum rete cum ſquammoſo pecu.

Pecua Solinus dicit: unde *pecuinus* venit, non a *pecude*, ſed a *pecore*. Pius. Cur *feræ*, omiſſis manſuetis, an quia *feras* omnes ſimpliciter beſtias dixit, oppoſitione ad homines facta? quemadmodum alibi *Mutas pecudes* non piſces ſolum ut 2: 1581. ſed & cætera animalia dixit. 5: 1058. 1087. an, quia amore omnes efferantur manſuetæ pariter ac feræ? Preig.

14. *Perſultant pabula*] pedibus proterunt, faſtidientes etiam alimonias præ una voluptate. Pulſu ungulæ frequenti terram percutere ſignum eſt alacritatis. Maro 9: 629.

Jam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.

ſignificat id quoque Venerem appetere. Claudius in Annalibus.

Equæ hinnibundæ inter ſe terram ſpargentes calcibus.

Quidam codices habent *perſulcant*. Pius. Saltu percurſant, & prætereunt, & ita negligunt, ſcilicet rebus Venereis intentæ. Lamb.

14. *Pabula læta*] Pinguia. quod hominis proprium ait Servius ad inanimata transfertur. *lætamen* inde fimus appellatur quia lætas ſegetes facit. Maro, Georg. 1: 1.

Quid faciat lætas ſegetes:

pro commodis, & pulchris dixit. Pius.

15. *Tranant amneis*] Transfretant, transmigrant, tranſnatant. Sic Virg. Georg. 1: 103. de equabus.

Illas ducit amor trans Gargara, tranſque ſonantem
Aſcanium, ſuperant amnes, & flumina tranant.

A nando *natabula* Lucius appellat in Floridis loca accommoda natationibus. Pius.

Frundiferaſque domos avium, campoſque virenteis,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,

Efficis,

INTERPRETATIO.

Summatim. Tu blandum amorem excitans in pectoribus omnium Animalium, quæ in Mari, Montibus, Fluviis rapacibus, Sylvis, vel Campis virentibus vivunt,

VARIÆ LECTIONES.

19. *Frundiferaſque.* frundiferoſque G.

NOTÆ.

15. *Capta lepore*] Baſ. Pius, & V. L. Heinſianæ *quodque lepore.* Alias res agit Heinſius ad Claudian. Epithal. Honorii verſ. 292. quum citat.

Ignotoſque tranant amnes. ----

quod nec metrum patitur, nec ſenſus. Preig.

16. *Inlecebriſque tuis, &c.*] Verſum *Inlecebriſque.* induxi. quia & à v. l. abeſt, & neceſſ. non eſt. Gif. Hic verſus abeſt à quatuor cod. manuſcriptis (etiam Gott. Bodl. & Ed. Pii, & Bas. imo præcedens etiam ab utroque L. B. præter omnes fere impreſſos) neque eum Naugerius, neque Pontanus habuerunt: deſideratur denique in codicib. Vicetin. & Pariſienſib. Marullus unus, vir doctus, ex auctoritate veteris cujuſdam codicis, (quemadmodum mihi religioſè aſſeveravit Donatus Janottus) nobis eum reſtituit. Amicus quidam meus ingenio & doctrina præſtantiſſimus, putat eſſe ab ipſo Marullo factum, ac pro Lucretiano ſuppoſitum, cùm putaret illè aliquid deëſſe, neque deſit quicquam. Sic enim hunc locum hoc verſu deleto explicat: ita capta lepôre quæque pecus

Te ſequitur cupidè, quò quamque inducere pergis.

ego aliud, quod dicam, nihil habeo, niſi quòd mihi videtur verſus Lucretio digniſſimus. jam hæ duæ voces in extremo verſu, *natura animantum*, ſæpe ab eodem item uſurpatæ ſunt: ut infrà hoc libro: 194.

Nec porrò ſecreta cibo natura animantum
Propagare genus poſſit, &c.

ibid. in extremo, 1037.

Nam veluti privata citò natura animantum
Diffluit, &c. Lamb.

Hunc verſum, quem non agnoſcit B. neque plurimi alii MSS. & impreſſi Codices, è vetere Codice inſeruit *Marullus:* & quidni pro genuino reciperemus? eſt enim *Lucretio* digniſſimus, & ſi deleatur iſte, turbata ſubitò eſſent omnia, & obſcura. Creich. Poteſt hic verſus abeſſe, niſi forte cuiquam durum nimis videatur, quod tam ſimpliciter: *lepore capta quæque pecus* dicatur ſequi Venerem, nec expreſſe pateat, quo lepore? Preig.

17. *Quamque*] q. v. *cumque.* (ut Flor. & Bodl.) Gif. Duo libri manuſcripti, & novem impreſſi, habent *quocumque:* utraque ſcriptura probabilis eſt. Lamb. *Quocunque*, B. & alii. Creich. Videtur huc oculos quodammodo habuiſſe Lactantius, ſcribens 2: 5. *Cæterum ſi Dii eſſent, huc atque illuc paſſim ſine ulla neceſſitate ferrentur, ſic animantes in terra; quorum quia liberæ ſunt voluntates, huc atque illuc vagantur ut libuit; & quo quamque mens duxerit, eo fertur.* Hav.

17. *Pergis*] MS. L. B. 2. *tergis*, ut & 1. ſed ibi recta ſuperſcribitur lectio.

18. *Fluvioſque rapaceis.*] Sic Virgil. Georg. 3: 142.

---- *fluvioſque innare rapaceis.* Lamb.

18. *Monteis fluvioſque*] Valles omiſit quia fluviorum fortaſſe conſpectui jam involvuntur, unde & in lingua Hebræorum Naſal *vallem* pariter & *torrentem* notat. Preig.

19. *Frundiferaſque*] Sic v. l. q. Gif.

19. *Frundiferaſque domos avium*] Nidos *frundiferas* autem excudendum curavi, libros manuſcriptos, & veterum auctoritatem ſecutus. Lamb. Citat Servius ad Virg. Georg. 2: 372. ubi docet ſic legendum Maronis verſum

Præcipue frondis tenera i. l.

quia antiqui *frondis* dixerunt in nom. ſing. pro quo nunc *frons*; cui tamen lectioni adverſatur Nonius: *Frons pro fronde. Virg. Georg. lib. 2.*

---- *frons tenera imprudenſque laboris.*

Malui autem per *u.* quam per *o.* efferre Ennianam auctoritatem ſecutus, apud quem pag. 328. *populea fruns*, & pag. 77. *Rureſcant frundes.* & pag. 69.

Arbuſtum fremitu ſylvaï frunduſaï. Hav.

19. *Fron-*

Efficis, ut cupidè generatim ſaecla propagent.
Quae quoniam rerum Naturam ſola gubernas,

Nec

INTERPRETATIO.

facis ut ſingula ſecundum diverſas ſuas ſpecies genus ſuum propagent, & inſtaurent: Quoniam igitur Tu ſola es quæ rerum Naturam regis,

NOTÆ.

19. *Frundiferaſque*] ſic inf. 257.

Frondiferaſque novis avibus canere undique ſylvas.

domos avium autem dixit; quemadmodum Virg. II. Georg. 209.

Antiquaſque domos avium.

& Stat. II. Achill. 16.

Jamque timens qua fronde domum ſuſpendat inanem. Preig.

20. *Incutiens blandum per pectora amorem*] Ut *incutere* metum, bellum, ictum: ſic & amorem dicunt poëtæ, eſt enim amoris plaga gravis. quòd autem huic participio addidit ἐπίθετον *blandum*, ſignificavit, in amore dolorem ineſſe cum voluptate conjunctum. notum eſt, Amorem, ſeu Cupidinem, γλυκύπικρον à Platone dici. quod attribuit & Veneri Catullus carm. 69: 18. ad Manlium:

---- *non eſt dea neſcia noſtri*
Quæ dulcem curis miſcet amaritiem.

ſed idem tamen etiam ipſi Cupidini, carm. de Pelei & Thet. nupt. 65: 95.

Sancte puer, curis hominum qui gaudia miſces.

Uſus eſt Lucretius eodem genere loquendi eod. libr. inf. 922.

Et ſimul incuſſit ſuavem mi in pectore amorem.

Lamb. Obſervandum in re blanda, ſuavi, jucunda, uſurpari τὸ *incutere.* tamen & ita Horat. in Ep. I: 14: 26.

---- *fornix tibi & uncta popina*
Incutiunt urbis deſiderium ----

Ita & in I. Lucret. 923.

Et ſimul incuſſit ſuavem mi in pectus amorem. Fab.

20. *Incutiens, &c.*] Inf. hoc libro verſ. 921.

Percuſſit thyrſo laudis ſpes magna meum cor,
Et ſimul incuſſit ſuavem mi in pectus amorem. Pr.

21. *Efficis, ut cupide*] Sunt enim in ſingulis animantibus innatæ miræ conjunctionis & procreationis libidines. Quidam docti legendum putant *cupidæ*, ut cohæreat cum voce *pecudes.* Lamb.

21. *Generatim*] Per genera quæque animalia fœtus propagant. Leo leones, equus equos, & ſic in cæteris ſimilibus. Hæc adverbia ſic exeuntia referuntur in nomina quibus componuntur: & hanc præpoſitionem per: ut *generatim* per ſingula genera, *municipatim* per municipia, *vicatim* per vicos, *oſtiatim* per oſtia, *tributim* per tribus, *populatim* per populos: *ruſticatim* tamen ruſtice ſignificat, *urbanatim* urbane. Pomponius. *At ego ruſticatim tangam, urbanatim neſcio. tuatim*, tuo more. *Artuatim*, ut illa priora, per artus: *generatim* per genera. Aliter tamen utitur Varro libro. 5. de Lingua Latina. Quandoque ſunt ſimpliciter adverbia: ut *moderatim* idem eſt quod moderate. *canatim* more canis: *ſuatim* more ſuis: *boatim* more bovis: ut ſi dicas *canatim rabiem exercet*, *ſuatim ſpurcatur & volutatur*, *& boatim incedit*, aut *aſpicit*, aut *comedit. Coxim* ſignificat in coxis. Laberius:

Quantum eſt hominum qui coxim cacant.

Agminatim, *turmatim*, denſè, inſtar turmæ, aut agminis: *velitatim* ultro citroque more velitum. *Zonatim* per zonas. *Cunctim* per cunctos: quo adverbio Sidonius & Apulejus utuntur. *Efflictim* Plauto ardenter. *Exquiſitim* exquiſite: & multa id genus, quæ libens omitto. Dictione *generatim* utitur M. Tullius libro. II. de Oratore: pro qua recentiores minus nitide generaliter dicunt. Idem Cicero in Verrem actione quarta: *Ergo ab univerſa provincia generatimque a ſingulis ejus partibus non ſolum diligitur, ſed etiam ornatur.* Idem infra in ſeptima. *Quid ſigillatim potius quam generatim, atque univerſe loquar?* Pius. κατὰ τὸ ἴδιον ἑκάστου γένος, ſecundum genera. Lamb. Vocabulum Lucretio amatum. *Generatim-ſæcla.* q. d. *ſæculum* hoc eſt, *genus quæque ſuum. Generatim-ſæcla.* ut apud Ter. *ſemper-lenitas.* Preig.

21. *Sæcla propagent*] ſua genera amplificent & multiplicent, in hoc eodem verbo producit primam ſyllabam infrà eodem libr.

Propagare genus poſſit, vitamque tueri.

Et ſane Lucretius præpoſitionem *pro*, in pleriſque com-

Nec ſine Te quicquam dias in luminis oras
Exoritur, neque fit laetum, neque amabile quicquam;

INTERPRETATIO.

nec ſine Te res ulla naſcitur: aut floret, grataque fit & amore digna;

VARIÆ LECTIONES.

24. *fit.* ſit F. *neque.* nec. Z.

NOTÆ.

compoſitis nunc producere, nunc corripere ſolet. Lamb.

Sæcla] Vox Lucretiana, qua & alii, ut Manilius in 2. uſi ſunt; utitur quoque Lucanus in fine lib. 6: 816.

Quas jubeat vitare plagas, quæ ſæcula mundi.

ſic legit Vetus liber non *ſidera.* Græci poëtæ φῦλα vocant. Horat. *genus. piſcium genus.* od. 2. lib. 1. Id autem ſignificat quod vulgus vocat ſpecies animalium: vulgus, inquam, nam certe non ita veteres Latini; quod oſtendit Muretus. De ea voce ſic ſcribit Adrianus Turnebus lib. 26. cap. 13. Sæcla ferarum *cum apud Lucretium legerem, ſubiit quærere unde ſumpta eſſet iſta Sæculi ſignificatio in veteri ſcriptore tam nova tamque inſolita, nec aliis auctoribus Latinis uſurpata. Igitur Lucretium exiſtimavi non tam notionem hominibus Latinis receptam ſequutum eſſe in hac uſurpatione, quam vocabuli originem & natales, ad quos redegit ſignificationem vimque vocabuli. Nam Sæculum ab ἡλικία deduci videtur: cum aſpiratio millies in ſibilum deſciſcat, ut notum eſt: λ. autem & κ. tranſponantur invicem ſedibus mutatis. cum autem ἡλικία Græcis ſæpenumero ætatem ſignificet, tamen etiam genus declarat, ut in Lucretio Sæclum, ut cum Græci dicunt, ζόρκα eſſe ἡλικίαν ἐλάφυ ἢ δορκὸς,* id eſt, *hinnulum eſſe genus & ſobolem cervi. aut ſi cui hoc nimis repetitum videtur, ut cum quis dixit, Væ ætati tuæ, pro væ tibi: ſic licet exiſtimare* Sæcula bucera *eadem ratione dici & pro bubus poni. quod & verius puto. Ejuſdem illud & novæ ſignificationis eſt.* Fallitur: legendum enim ζὸρξ, ἡ θήλεια ἐλάφυ ἢ δορκάς. unde & δόρκων pro leone. nam ζὸρξ & δὸρξ eadem. Id autem notaverat Heſychius quaſi rem non vulgarem; ut & reipſa talis eſt. Fab.

22. *Quæ quoniam rerum*] Quia ab illo loco, *per te quoniam genus omne animantum, &c.* longum eſt hyperbatum, multaque interjecta ſunt, iterat copulationem illam, *Quoniam,* hoc modo: *Quoniam igitur ſola rerum naturam gubernas, &c. Te ſociam cupio, &c.* Lamb.

23. *Dias*] Vitales, aërias, cœleſtes. Δῖος Græcis *generoſus*: unde Homero Δῖος ἀχιλλεύς. *Dia Camilla* Virgilio. & Perſio Sat. 1: 44.

--- --- Quærunt
Romulidæ ſaturi quid dia poëmata narrent:

pro nobilibus, & generoſis, & abſolutiſſimis. *Diales lares* vocantur vitales, hoc eſt vitæ præſtites, vel quos ſub dio colimus. *Sub dio* dicebantur, & *ſub divo*, ſub cœlo, ſub aëre, in aperto. *Subdiales* dicuntur ambulationes, quæ ſub dio fiunt, quas græci vocant hypethras, & paradromidas, Quibus utimur ſub operto, iidem vocant *hypoſtega.* Pompeji verba ſubjunxi. *Dium antiqui ex Græco appellabant a deo ortum, & diurnum ſub cœlo lumen. ζεὺς dios. unde adhuc ſub dio fieri dicimus, quod non fit ſub tecto: & interdiu: quod contrarium eſt nocti.* Pius. Aërias, ſeu ætherias ſeu diurnas. *Dium* (inquit Feſtus) *quod ſub cœlo eſt: ex quo ſub dio fieri dicimus, quod ſub cœlo fit, & non ſub tecto.* interdum *dium* idem valet quod divinum. Virg. 11. Æn. 657.

---- dia Camilla.

Hor. ſat. 2. lib. 1.

---- macte
Virtute eſto, inquit ſententia dia Catonis

Idem Lucr. lib. 2: 172.

Ipſaque deducit dux vitæ dia voluptas. Lamb.

23. *In luminis oras*] Interpretare regiones aërias. *Ora* proprie loquendo regio littoralis appellatur. Sed factum eſt demum latius verbi ſignificatum: ut perperam loquantur illi, qui *oras* funes appellant, quibus religatur navis, quos græci *prymneſia* dictitant: Ovidius & cæteri peculiariter *retinacula.* Propertius libro elegiacôn ſecundo:

Te ſociam ſtudeo ſcribundis verſibus eſſe,
Quos ego de RERUM NATURA pangere conor

Mem-

INTERPRETATIO.

obſecro ut Tu mihi opem feras cogitanti ſcribere Carmina De RERUM NATURA

VARIÆ LECTIONES.

25. *Sociam.* ſotiam X. *ſtudeo.* ſtudio. Q. X.

NOTÆ.

Nam melius duo defendunt retinacula navem.

De *prymneſio* ſic Pompejus. *Prymneſius palus, ad quem funis nauticus religatur, quem alii tonſulam dicunt.* *Oræ* pro regionibus capiuntur, & partibus, a Varrone libro IV. de lingua Latina. *Oræ dicuntur quæcunque extremitates.* Quod ſi apud Livium comperis *decedentes a littore incidiſſe oras*, ſcito mendoſum eſſe codicem, & *lora* ſcribendum. quem fœdum Sipontini lapſum demonſtrat alibi codex Livianus, in quo paſſim *lora* non *oras* ſcribitur: quæ coria in faſtigio funium vel pro funibus tanquam firmiora & humori magis invicta annectebantur. Qui ſi inter cætera exempla ſui lapſus fucos affert, ut Quintiliani teſtimonium libro primo ita ſcribentis. *Solventibuſque oram bene precemur*; Reſpondeamus, maculoſum eſſe exemplar, & auctoritate Sipontini, quæ inter grammatiſtas & literatores non parva eſt, convulſum circumferri. Eſt enim in Quintiliano recognoſcendum *ora* caſu ſexto non *oram*: ut *ora ſolvere* ſit ab ora, hoc eſt a littore recedere. Proclivis error fuit & facile admiſſus, putantibus ſemidoctis *ſolvere ora* grammatice non dici: perſuaſis a Sipontino *oram* ſignificare retinacula. *Ora* proprie dicitur auctore Plinio quæ græcis *ægialos*. Vel figurate dicimus *oram ſolvere*: ut ſolvere vitam, hoc eſt a vita diſcedere. Priſcianus, cum omnes oræ ſignificationes poneret, non dixit oram ſignificare retinacula. Male feriatus eſſem ſi Ringium Bergomatem muſarum grunnienti roſtro delitias ſubruentem confutare acrius experirer: quando eſt gloria præterire aſellos. PIUS. In lucem: in regiones luminis. uſitatum genus Lucretio, inf. eodem lib. verſ. 178.

Dum tempeſtates adſunt, & vivida tellus
Tuto res teneras effert in luminis oras.

& 2 577.

Quem pueri tollunt viſentes luminis oras.

ibidem: 617.

---- *indignos eſſe putandos,*
Vivam progeniem qui in oras luminis edant.

lib. 5: 226.

---- *cum primum in luminis oras*
Nixibus ex alvo matris natura profudit.

& ſæpe alibi. idque imitatus eſt Virgilius Georgic. 2: 47.

Sponte ſua quæ ſe tollunt in luminis oras:

& lib. 7. Æneid. 660.

--- *ſub luminis edidit oras.*

Sed videtur uterque ab Ennio ſumſiſſe. ſic enim ille pag. 51.

At ſi ſe, ſum quæ dederat in luminis oras.

ſum autem apud Ennium, valet eum, ſeu ipſum. Idem pag. 38.

O Romule Romule dic, ô
Qualem te patriæ cuſtodem dii genuerunt?
Tu produxiſti nos intra luminis oras.

Arnobius Lucretii verborum amator, lib. 2. adverſ. gent. *Antequam Tages Thuſcus oras contingeret luminis. &c.* LAMB.

24. *Neque fit lætum, &c.*] Sic Callimachus:

Τίς δὲ χάρις, τί δὲ τερπνὸν ἄνευ χρυσῆς Ἀφροδίτης?
Τεθναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλει.

id eſt,

Quid lepidum, quid jucundum ſine Cypride pulchra?
Vita vale, hæc curæ mi eſſe ubi deſierint.

Tale ferè eſt illud Menandri, quod refert Plutarchus libro, πῶς δεῖ τ ποιημ. ἀκȣ́ειν. Ἅπανθ᾽ ὅσα ζῇ, καὶ τ ἥλιον βλέπει τ κοινὸν ἡμῖν, δȣ̃λα ταῦτ᾽ ἐσθ᾽ ἡδονῆς. id eſt, *Omnia, quæ vivunt, & ſolem nobis communem intuentur, hæc voluptati ſerviunt.* ex quo Græci ἀκύθηρον, & ἀναφρόδιτον appellant, quod

La-

Memmiadae noſtro: quem tu, Dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluiſti excellere rebus.

Quo

INTERPRETATIO.

amiciſſimo meo Memmio dedicanda; Illi inquam Memmio, quem Tu, Dea, omnibus tuis donis ornatum cunctis hominibus ſuperiorem eſſe voluiſti.

VARIÆ LECTIONES.

28. *ornatum.* ora latum. G. 1. K. prælatum. V. ex *Wallio.* altatum *Salmaſius. voluiſti.* noluiſti. Q.

NOTÆ.

Latini *invenuſtum*, id eſt illepidum, atque inornatum. M. Tull. epiſtolarum lib. 7. ad Volumn. *Sed quoniam tanta fæx eſt in urbe, ut nihil ſit tam ἀκύθηρον, quod non alicui venuſtum videatur, pugna, ſi me amas, &c.* quo loco legitur in libris vulgatis ἄκυρον, mendoſe. Lamb.

24. *Neque amabile*] Nam à Venere *Venuſtus*; Monet Interpres locum Ciceronis VII. Ep. in ea quæ prior eſt ad Volumnium, corruptum eſſe, ac pro ἄκυρον legendum eſſe ἀκύθηρον. at ego ſcio qui probare poſſint legendum eſſe potius ἄγροικον. nam ἀκύθηρος haud facile, opinor, reperiatur; dein Cicero plus uno loco *agreſtem*, ſeu *ruſticum* (id eſt ἄγροικον) oppoſuit τῷ *venuſtus, lepidus.* Si quid mutandum ſit, poſſet & legi ἀκύκλιον, id eſt, ἀπαίδευτον, ex Heſychio. origo vocis notiſſima eſt. ſed ea loci hujus non ſunt; & raptim ſcribimus. Fab.

25. *Te ſociam ſtudeo, &c.*] Quæritur à doctiſſimis viris, quid ſit, quamobrem, cùm Lucretius Epicuri rationem & ſententiam hoc poëmate exprimere inſtituat: Epicurus autem dicat, deos neque bene meritis capi, neque gratia flecti, neque iraſci, neque res mortalium curare, hoc loco tamen Venerem Lucretius imploret, eam ſibi in ſuo poëmate ſcribendo ſociam adjungere cupiat: precetur denique, ut illa interea dum ipſe rerum naturam explicat, terras & maria tranquillet, bella componat, & pacem conſtituat. Exſtat hac de re eruditiſſima P. Victorii Florentini ad Joan. Caſam Florentinum epiſtola: in qua huic quæſtioni ita putat reſponderi poſſe, ſi dicamus, Epicurum, tametſi voluerit, Deos nihil neque habere negotii, neque aliis exhibere, εὐχὰς tamen, id eſt preces non ſuſtuliſſe, & vota mortalium de ſuis rebus à diis immortalibus audiri putaviſſe, aut certè Deos immortaleis propter eorum præſtantem & excellentem naturam, ab hominibus venerandos & colendos eſſe cenſuiſſe. Utitur autem ſcriptoris locupletis Plutarchi teſtimonio; cujus hæc verba ſunt in libro adverſus Coloton Epicureum: πῶς οὖν ἀπολείπουσι φύσιν, καὶ ψυχὴν, καὶ ζῶον; ὡς ὅρκον, ὡς εὐχὴν, ὡς θυσίαν, ὡς προσκύνησιν, ῥήματι καὶ λόγῳ, καὶ τῷ φάναι, καὶ προσποιεῖσθαι, καὶ ὀνομάζειν, ἃ ταῖς ἀρχαῖς καὶ τοῖς δόγμασιν ἀναιροῦσιν. id eſt, *quomodo igitur naturam, & animum, & animal relinquunt? ut jusjurandum, ut preces, ut ſacrificium, ut venerationem & adorationem, verbo, & ajentes, & ſimulantes, & nominantes ea, quæ principiis & decretis evertunt.* Eodem pertinet id, quod ſcribit M. Tull. lib. 1. de Nat. Deor. *Si nihil aliud quæreremus, niſi ut Deos piè coleremus, & ut ſuperſtitione liberaremur, ſatis erat dictum. nam & præſtans Deorum natura hominum pietate coleretur, cum & æterna eſſet, & beatiſſima. habet enim venerationem juſtam quicquid excellit, &c.* ibid. *His terroribus ab Epicuro ſoluti, & in libertatem vindicati, nec metuimus eos, quos intelligimus nec ſibi fingere ullam moleſtiam, nec alteri quærere: & piè, ſanctèque colimus naturam excellentem, atque præſtantem.* Ego ut P. Victorio aſſentior, ita hoc etiam dici poſſe puto, Lucretium in prooemio ſui poëmatis non ut philoſophum, ſed ut merum poëtam, à Deo *opem & pacem* petere: & tamen in eo, quod à Venere potiſſimum auxilium petat, non longe ab Epicuri ſententia diſcedere, qui ſummum bonum in *voluptate*, atque in *non dolendo* conſtituat, ut omittam quod homo Romanus neque indecorè, neque ineptè Venerem Romanorum matrem imploravit. Lamb. Non tam ſibi quam verſibus ſuis ſociam Venerem optat. nempe inquit; ut

---- obſcura de re tam lucida pangam
Carmina, Muſæo contingens cuncta lepore. Preig.

26. *Pan-*

Quo magis aeternum da dictis, Diva, leporem:
Effice ut interea fera moenera militiaï

Per

INTERPRETATIO.

Et quoniam tanto viro ſcribam; ideo ardentius peto maximam æternamque meis verſibus venuſtatem largiri digneris; Effice etiam obſecro ut bella omnia

VARIÆ LECTIONES.

30. *moenera*. monera X. *munera* N. P.

NOTÆ.

26. *Pangere*] Tranſlatum. nam propriè agricolæ plantas *pangere*, id eſt infigere, dicuntur. M. Tullius ad Tiron. *An pangis aliquid Sophocleum?* ſic idem Lucret. lib. 4. in procemio. verſ. 8.

Deinde quod obſcura de re tam lucida pango
Carmina. Lamb.

26. *Conor*] Conari hoc loco *cogitare* eſt, *ſibi aliquid proponere, decernere*, &c. προαιρεῖσθαι. ita in hocce lib. vſ. 936. *cum dare conantur.* ut & in VI. *namque ipſa de re jam dicere conor.* Sic Varro in præfatione lib. I. *quo brevius de ea re conor tribus libris exponere.* Non aliter Terentii ille locus accipiendus: *Conabar tibi obviam, Dave.* id eſt, de te conveniundo cogitabam. neque porro alia ratione accipiendum eſt quod alibi dixit: *iſthuccine conari queam?* Ibi certe *conari, velle* eſt, vel *cogitare.* Ita Plautus alicubi, *Neque conari id facere audebatis prius.* Quid quod Græci utuntur verbo πειρᾶσθαι in eadem notione? rarum eſſe fateor; neque tamen dubium eſt. ſic enim Menander dixit in utili illa ſententia, & nemini unquam ſatis audita.

—— μὴ πᾶσι πειρῶ πιστεύειν ἀεί.

Ubi illud μὴ πειρῶ ſignificat *noli*; ad verbum autem ſignificat, *ne coneris.* Livius item in I. ſic uſurpavit hanc vocem ut Plautus, Terentius & Lucretius: *Aucta civitate magnitudine urbis, formatis omnibus domi ad belli & ad pacis uſus, ne ſemper opes armis acquirerentur, conſilio augere imperium conatus eſt.* id eſt *ſibi propoſuit.* Atque adeo locum quemdam Ciceronis ex Epiſt. 4. lib. v. emendandum puto. En tibi illius verba: *Nunc mihi Quintus frater meus, mitiſſimam tuam orationem, quam in ſenatu habuiſſes, perſcripſit; qua inductus, ad te ſcribere ſum coactus.* Ibi nemo, qui ſaltem admonitus fuerit, dubitabit quin legendum ſit, *conatus*, non *coactus*; quam vocem & ſententia, & τὸ *inductus* ſatis reſpuunt. Fab.

27. *Memmiadæ*] Memmio Gemello: qui prætor fuit in Bithynia, & poſtea exſulavit Athenis, ut perſpicere licet ex M. Tullii ad eum epiſtolis libr. 13. *Memmiadæ* autem pro *Memmio*, ut *Scipiadæ*, apud Horat. ſatyr. 1. lib. 2.

Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Læli.

& apud Virgil. libr. 6: 843. Æneid.

—— duo fulmina belli
Scipiadæ.

& idem Lucret. 1: 44.

Quod ſupereſt, vacuas aureis mihi Memmiadâ,
& te, &c.

Ubi tamen vulgo legitur, *mihi Memmius & te.* ut ſit rectus pro vocandi caſu. Lamb. Cajus Memmius Gemellus dicebatur; ille ipſe, de quo Catullus, qui ei ſubiratus erat, ſcripſit, *O Memmi bene me*, &c. quæ quia turpicula ſunt, huc non transferentur. De illo ſæpe apud Ciceronem. Fab. Memmius Gemellus, quocum Athenas olim profectus erat Lucretius, & quo familiariter utebatur, de illo autem plurima videat Lector in diſſertatione *Giſanii* de gente Memmia. Creech.

28. *Ornatum.*] *Ora latum* in vet. Gronovii Cod. conjecit Salmaſius *altatum* pro *exaltato* & *excelſo*, ut *vivatum* idem dixit Lucretius l. 3. verſ. 410. 557. 680. at vox *altata*, licet Apollinari Sidonio aliiſque ſequioris ætatis nota fuit, vix tamen forſan erat Lucretiani ævi. Creech. MS. *Omnibus ora latum.* Unde Wallius, & cum eo Voſſius fecit *Omnibus prælatum.* Quod non videtur rejiciendum. q. d. quem relictis rebus (nota formula) voluiſti excellere; ſeu curaſti, ut excelleret. Preig.

29. *Dictis*] alibi: *doctis dictis.* Preig.

29. *Leporem*] tu leporis dea, æternum & divinum meis verſibus leporem aſperge. nam ſine te eſſent illepidi, atque invenuſti. Lamb.

30. *Effice*] al. *& face.* melius; ita enim vincu-

C lum

Per maria ac terras omneis ſopita quieſcant.
Nam Tu ſola potes tranquilla pace juvare
Mortaleis, quoniam belli fera moenera Mavors

Ar-

INTERPRETATIO.

per Maria & Terras ſopita quieſcant, Tu enim ſola potes placida pace Homines beare;

VARIÆ LECTIONES.

31. *ſopita.* ſoſpita Y.

NOTÆ.

lum erit in hoc verſu cum ſuperioribus. Fab.

30. *Mœnera.*] Officia, expeditiones. Bene rogat Venerem ut bellum ſedet. Sunt enim amor & Venus duo numina pacis amica ita canente Propertio 3: 3: 23.

Pacis amor deus eſt: pacem veneramur amantes.

Perit amor audito claſſico, qui corda otioſorum occupat: quales caſtra nolunt: ſed *tubas & lituos procul* ut ait Manlius. Pius. Ita v. l. Gif. *Mœnera*, *Munera*, *mœnia*, munia. *pœna*, punio. *Pœnus*, Punicus. *coirantes*, curantes. Ennius plus ſemel. De converſione *&* *oe* in *u* dixit eruditus Interpres Columnæ Duillianæ. adde & ſuperioribus οινος unus, ut in illo ſaxo legitur de quo in vita Peyreskii mentio fit; cujus exemplar à Sirmondo Viro Doctiſſ. editum eſt & notis illuſtratum. Fab. *Mœnera Militiaï* belli ſeu militiæ munera, ſic *mœnire* pro *munire*, *mœtuus* pro *mutuus*, *cœra* pro *cura*, &c. Creech.

30. *Militiaï*] militiæ: diæreſis. Jam diphthongus *æ* olim ſcribebatur per *ai*, ne cui mirum ſit, ex *æ* fieri κατὰ διαίρεσιν *aï*, ut *viaï*, *naturaï*, *materiaï*, *Iphianaſſaï*, *Geryonaï*, & ſimilia innumerabilia apud Lucretium, & item apud M. Tullium in Arato:

Vos quoque ſigna videtis aquaï dulcis alumnæ.

& ſæpe aliàs: etiam apud Virgilium, ut 3. Æn. 354.

Aulaï in medio libabant pocula Bacchi.

denique apud omneis veteres. Lamb.

32. *Nam tu ſola*] ætiologia. Lamb.

32. *Nam tu ſola potes, &c.*] Hujus loci lepore captus Papinius Theb. lib. 111: 295. Lucretium, ſed non æquis paſſibus, ut fit, ſequitur; ubi bellator ille furens, occurrentem ſibi Venerem, multaque cum eo de bello Thebano, quod inſtabat, expoſtulantem, de curru deſiliens amplectitur, dictiſque ita mulcet amicis:

O mihi bellorum requies, & ſacra voluptas,
Unaque pax animo, ſoli cui tanta poteſtas
Divorum, hominumque, meis occurrere telis
Impune, &c. Preig.

33. *Quoniam*] αἰτιολογία αἰτιολογίας. quia (inquit) Mars belli moderator, & dominus eſt, qui tibi, ut amans, ſervit. Lamb.

33. *Mavors*] *Mars* ſeu *Mavors*, *quia magna vertat*, appellatus. Marc. Tullius libro ſecundo de natura Deorum. Lamb.

34. *Armipotens*] Virgil. libro nono Æn. 717.

Hic Mars armipotens animum, vireiſque Latinis
Addidit. Lamb.

34. *In gremium*] Ovidius Venerem ita in ſinu Adonidis collocat Metam. 10: 558.

Inque ſinu juvenis poſita cervice reclivis
Sic ait, ac mediis interſerit oſcula verbis. Hav.

34. *Sæpe*] hoc apte concludit inde quod *æterno Amore* devinctus ſit Veneri. Preig.

35. *Refficit*] Inſtaurat, & amplexu, otio, ſuavitateque venerea reparat & renovat ad bella robuſtius capeſſenda juxta Ovidianam ſententiam:

Quod caret alterna requie durabile non eſt.
Hæc reparat vires: feſſaque membra novat.

Ex conſuetudine priſca duas conſonantes copulat pro libitu ad intendendam producendamque ſyllabam. Nam cum *reficit* unico *f.* ſcribatur, alterum addit ut ſyllabam fulciat. Prima brevi alibi *reficit* ponit. Sic inf. 264.

Quando aliud ex alio reficit.

vel ita diſtingue, ut cum *reficere* ponitur pro renovare, prima correpta donetur: cum ad animum mulcendum & recreandum, produci poſſe ſyllabam & intendi conſtet: ut per adjectionem conſonantis fiat in verbo diſcrimen. Sed hoc nec probo, nec reprobo. Priſci tamen codices habent

re-

Armipotens regit, in gremium qui ſaepe tuum ſe
Rejicit, aeterno devinctus volnere amoris;
Atque ita ſuſpiciens tereti cervice repoſtâ

Paſcit

INTERPRETATIO.

Mars enim Armipotens bella regit, pro libitu accendit & extinguit; Ille autem ſæpe blando furore ſeſe rejicit in tuum ſinum devictus æterno vulnere amoris; atque ſupinus jacens reflexâ tereti cervice, & ſuſpiciens,

VARIÆ LECTIONES.

34 *regit, in gremium.* regium in gremium. G. Y. 2.
35 *Rejicit.* reficit. A. B. H. I. B. O. X. Y. reficit. not. *Pii.*
devinctus. devictus. C. E. G. N. X. Y. Z. utramque lectionem agnoſcit *Pius.*
36 *ſuſpiciens.* ſuſpirans. C. O. P. utramque lectionem agnoſcit *Pius.* ſuſcipiens. G. V.

NOTÆ.

rejicit: quo verbo ſignificatur Martis impatientia ad Venerem: in cujus ſinu non ſe molliter componit: ſed raptim rejicit: & hoc probo: quoniam *in gremium* ſequitur. Non enim dicere poſſumus *reficio me in gremium*, ſed *in gremio:* quod in *reficio* verbo nullus eſt motus. Eſt pes proceleumaticus *rejicit* quatuor brevibus conſtans. *Rejicit* Lutatius legit citans hoc carmen in tertio Thebaidos. Pius. *Reficit.* Ita v. l. q. & vetuſtiſſ. vulg: quidam: *Refficit.* vulg. *Rejicit.* & in q. *devictus.* Gif. *Rejicit.* Sic habent ferè omnes libri vulgati. quidam ſcripti tamen *Refficit.* quam ſcripturam ſi quis probabit, legendum erit,

—— *in gremio qui ſæpe tuo ſe*
Refficit:

id eſt, recreat: quæ ſcriptura quibuſdam doctis placet. neque deſunt, qui nihilominus *in gremium* retinent, ut ſit illis ſimile, in poteſtatem prædonum fuiſſe, in mentem fuiſſe, &c. quæ notat Gel. lib. 1. cap. 7. Lamb. *Rejicit.* Gifan. *reficit.* male, neque enim dicimus *reficere ſe in gremium.* Fab. *Rejicit. reficit*, B. & Gif. quaſi *recreat*, minus eleganter. Creech. Barthius tamen (hunc enim litera B. denotat) ad Statium 3. Theb. 263. *rejicit* legit, ſed mox male *repoſtam.* Hav.

35. *Devictus.*] Poſſeſſus, expugnatus. Si *devinctus* ſcribis, interpretare deligatus & diſtentus. Pius. *Devinctus.* Sic habent tres libri manuſcripti, quibus Romæ uſus ſum, & item alii, Bertin. & Memm. ſic Furius Bibaculus:

Ille gravi ſubitò devinctus volnere habenas
Miſit equi:

& Virgil. lib. 8. Æn. 304.

Tum pater æterno fatur devinctus amore.

Notum eſt autem ex Homeri Ὀδυσ. βιβ. θ. Venerem Martis amicam eſſe, eamque cum illo in adulterio deprehenſam fuiſſe, cùm eos ambos tenuiſſimis & ſubtiliſſimis vinculis irretitos, atque implicatos Vulcanus Diis ſpectandos præbuiſſet. quæ fabula ſignificat primarum qualitatum, calidi frigidi, ſicci humidi, temperationem. Mars enim ſiccus eſt & calidus: Venus humida & frigida. Lamb.

35. *Devinctus volnere*] Metaphora paulo durior. tamen dicebant *præpeditus dolore*, & κολληθεὶς ἀνίαις. Callimachus. Fab. *Devinctus*] Lambino aſſentior. Lib. v. tamen verſ. 1320. videndum, an non potius legendum: *volnere victos.* Nam & apud Virg. Æn. x: 842. & xii: 640. ita legitur. Preig.

35. *Volnere amoris*] Virgil. lib. 4. Æn. 67.

--- *tacitum vivit ſub pectore vulnus.*

Theocrit. Κύκλωπι, Idyll. 11: 15.

--- --- ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος
Κύπριδος ἐκ μεγάλας.

Id eſt, *infeſtiſſimum ſub corde vulnus, ſeu ulcus habens à Venere acceptum. volnere* autem & *volnus*, & *volgus*, & *volt*, & ſimilia, per *o* excudenda curavi, quia ſciam ita veteres eſſe locutos. Lamb.

36. *Suſpiciens.*] Admirans tuam divam & formoſſimam ſpeciem. Quidam legunt *ſuſpirans* hoc ſenſu. Ita tuis facibus vulneratus & peruſtus Mars ſuſpiria ex vulnere trahens cogitur tibi copulari, te deſiderare, te tenere, tibi etiam ingratis famulari. Pius. *Suſpiciens* ſurſum aſpiciens. Sic autem

Paſcit amore avidos inhians in te, Dea, viſus:
Eque tuo pendet reſupini ſpiritus ore.
Hunc tu, Diva, tuo recubantem corpore ſancto

Cir-

INTERPRETATIO.

paſcit amore avidos oculos in Te, Dea, inhians; ipſaque Anima totuſque reſupini ſenſus quaſi affigitur tuo Ori, & ab illo pendet. Hunc Tu, O formoſiſſima Dea, corpore tuo ſancto recubantem inclinato capite

VARIÆ LECTIONES.

38. *pendet.* pendent R.
39. *Hunc tu.* nunc te B. m X.

NOTÆ.

tem habent libri aliquot vulgati, & tres manuſcripti: duo item ſcripti, & quidam vulgati, *ſuſpirans*, quam ſcripturam equidem non damno. Lamb. Alii *ſuſpirans.* Sed placet *ſuſpiciens.* Vox enim iſta bellæ huic imagini optime convenit: nullam verò tabulam, uti ſentit *Faber* (inf. vſ. 38.) reſpexit Lucretius, quid enim tabula opus, ubi vividum eſt, quod res optime pingeret, ingenium? Amo etiam verecundiam, & utinam in *Fabro* inveniri poſſit, non paulo modeſtior eſt Poëta, quam Interpres; nulla enim *vera res* hic agitur, nulla *μεγάλα μυςήρια.* Illa interpretatio quam appoſui non minùs fida eſt, quàm modeſta: MSS. *ſuſpiciens.* Creech. *Suſpiciens* MS. *Suſcipiens* non malo. certe longe prævalet τοῦ *ſuſpirans*, quod Ed. Gryph. habet. Preig.

36. *Tereti*] Oblonga, ſed carnulenta. *Rotundum* & *teres* differunt. quod *teres* eſt compactile in longitudinem. *Rotundum* eſt ſphæricum & orbiculare. Cylindrus *teres* appellari poteſt non *rotundus.* *Rotundus* follis pugilatorius non *teres.* Maro Ecl. 8: 16.

Incumbens tereti Damon ſic cœpit olivæ.

Teretes digitos & exiguum pedem Naſo laudat in puella. Hic eſt ordo codicis. Atque ita ſuſpirans Mars & inhians paſcit viſus avidos amore, repoſta tereti cervice in te, O dea, Venus. Pius. *Teres* appellant Latini longum cum rotunditate, & lævore: id fortaſſe quod Græci *ῥαδινόν.* Hor. ode 4. lib. 2.

Brachia, & vultum, tereteiſque ſuras
Integer laudo,

&c. Virgil. Æn. 8: 633.

---- *illam tereti cervice reflexam.* Lamb.

36. *Tereti cervice repoſta*] Ovid. x. Metam. 558.

Inque ſinu juvenis poſita cervice renidens,
Sic ait, & mediis interſerit oſcula verbis.

Preig.

36. *Repoſta*] repoſita. ſic alibi *poſta*, *compoſta*, *diſpoſta*; & Virgil. lib. 1. Æn. 30.

---- *manet alta mente repoſtum:*

& Georg. 3: 527.

---- *non illis epulæ nocuere repoſtæ.* Lamb.

37. *Paſcit amore avidos*] id eſt delectat *amore avidos oculos.* idem Lucret. lib. 2: 419.

Neve bonos rerum ſimili conſtare colores
Semine conſtituas, oculos qui paſcere poſſunt.

Plautus Pœnulo 5: 4: 1.

Fuit hodie operæ pretium ejus, qui amabilitati animum addiceret,
Oculis epulas dare, delubrum qui hodie ornatum eo viſere venit.

& Terent. in Phorm. 1: 2: 35.

---- *reſtabat aliud nihil, niſi oculos paſcere.*

& Virg. Æn. 1: 612.

Sic ait: atque animum pictura paſcit inani.

Etiam Ariſtotel. quodam loco ſcribit, *jucundiſſimum eſſe amanti, rei quæ amatur, aſpectum.* Lamb.

37. *In te.*] In ſinum tuum. amatorius mos & delitioſus in ſinu dominæ cubare: ibique dulces & perſuaves ſomnos aucupari. Pindarus obiit dormiens in gremio amati pueri. Pius.

37. *Paſcit*

Circumfuſa ſuper, ſuaveis ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis, Incluta, pacem.
Nam neque Nos agere hoc patriaï tempore iniquo

Poſ-

INTERPRETATIO.

deſuper amplectere, blandiſſima profer verba, & pete placidam pacem Romanis. Neque enim ipſe æquo pacatoque animo deſtinatum opus exequi poſſum

VARIÆ LECTIONES.

40. *loquelas.* loquellas G. Y. Z.

NOTÆ.

37. *Paſcit viſus*] Extrema fere linea amantis hoc eſſe Terentius non ineleganter docet, apud quem nihil *niſi oculos paſcere ſibi relictum* eſſe graviter adoleſcens quidam queritur. Eadem autem extenuatio hoc loco Veneris potentiam haud parum exaggerat. q. d. ſi Mavors Armipotens ille præclare ſecum actum putat, ſi, quod leve profecto & extremæ lineæ ac ſortis eſt, oculos tuo adſpectu paſcere ipſi liceat; Quæ tandem tua iſta poteſtas, tuum illud Regnum *eſt*, quod *in Mare* pariter *ac terras frugiferenteis* obtines? Preig.

37. *Inhians.*] Imminens cum deſiderio rei ipſi amatæ. Nimia voti cupidinei expreſſio. *Inhiare* ſignificat ita cupide appetere ut hiatum oris emittas. Vergilius libro Georg. 2: 463.

Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes.

Inhiant interpretatur Servius *habere deſiderant*: & dicimus *inhio illam rem* & *illi rei.* Apulejus libro tertio Aſini Aurei. *His inhians & ſpe ſalutis alacer lætus propius acceſſi.* Statius.

Fraternos inhiantem obitus,

Plautus Stic. 4: 2. 25.

Tuam hæreditatem inhiant, quaſi eſuriens lupus.

Idem in Aulularia. 2: 2: 89.

Credo illum audiſſe me habere theſaurum domi: id inhiat. Pius.

37. *Inhians in te*] Tranſlatio eſt ab animantibus, & avide, atque ore aperto cibum appetentibus. Virg. lib. Æn. 7: 813.

---- & proſpectat euntem
Attonitis inhians animis.

Plaut. Aulular. 2: 2: 89.

Credo illum audiſſe me habere theſaurum domi. id inhiat. Lamb.

37. *Viſus*] Oculos videndi cupidiſſimos, quorum eſt in amore dulciſſimum pabulum vel auctore Propertio. 2: 12: 11.

Quid juvat in cæco Venerem corrumpere motu?
Si neſcis, oculi ſunt in amore duces. Pius.

38. *Eque tuo pendet reſupini*] Ita preſſe, ita coherenter, & ut dicitur columbatim, labra labris junxit & impreſſit Mavors, ut ſpiritus omnis illius pendeat ex ore tuo: in quod omnem ſpiritum inſinuavit. Sic & Plato.

Savia dans Agathoni, animam in ſua labra tenebam.
Ægra etenim properans tanquam abitura fuit.

Conjungere labra laſciviter Plautus *conferruminare* dixit: antiqui graphice *collabellare.* In Aſinaria Plautus lepide 3: 3: 105.

Fac me proſerpentem beſtiam ut duplicem habeam linguam. Pius.

38. *Spiritus.*] Anima, Anhelatio. Tibullus. 1: 9: 37.

Et dare anhelatim ſpumantibus humida linguis
Oſcula.

Reſupini, id eſt reſupinati, reclinati in gremium venerium. In alia ſignificantia *reſupinare* eſt ab incœpto pervertere, confundere, inquietare: in præceps dare etiam hoc verbum ſignificare oſtendit Satyricus.

Aulam reſupinat amici.

Propertius lib. 4: 8: 51.

Nec mora cum totas reſupinat Cynthia valvas.

Livius libro quarto: *Aſſurgentem ibi regem umbone reſupinat.* Pius. Vel ſignificat os ori, & labra labris affixa, quale eſt illud Tibulli 1: 9: 37.

Et dare anhelanti ſpumantibus humida labris:
Oſcula;

& Lucret. lib. 4: 1186.

Quæ complexa viri corpus cum corpore jungit,
Et tenet adſuctis humectans oſcula labris.

vel certè Martis amantis ſpiritum ex Veneris ami-

cæ

Poſſumus æquo animo: neque Memmî clara propago
Talibus in rebus communi deeſſe ſaluti.
Quod ſupereſt, vacuas aureis mihi Memmiada, & te
Semo-

INTERPRETATIO.

dum Patria bellis agitatur, neque illuſtris Memmii filius tali rerum ſtatu Reipublicæ ſalutem negligere, & vacare Muſis. Quod reliquum eſt, vel quod ad Te, O Memmi, attinet, vacuas aures,

VARIÆ LECTIONES.

43. *nos.* eos X. *patriaï.* patria Y. ſed ſuperſcript. aï. Z. in marg. patriaï in. *neque.* nec. X. Y. Z. *Memmi* memini X.

44. *Deeſſe.* id eſſe Z. Poſt hunc verſum inſeruntur. 57. verſus & quinque ſequentes. H. 1. B. m. quos tamen H. 2. non recipit.

45. *Memmiada, & te.* Memmius & te. A. B. C. E. I. O. P. deeſt V. & 1. 2. 3. Y. Z.

NOTÆ.

cæ aſpectu pendêre, atque aptum eſſe. cui ſententiæ conſentanea eſſet lectio,

Atque ita ſuſpirans tereti cervice repoſta. LAMB.

38. *Eque tuo pendet reſupini ſpiritus ore*] Inclinat animus ut credam Lucretium reſpexiſſe tabulam aliquam, in qua Mars gremio Veneris molliter inſidens exhiberetur. Qui autem in gremio amiculæ per ludum & jocum ſedent, eos averſos eſſe neceſſe eſt, neque deſiderato aſpectu frui poſſe; quare addit poëta *cervice repoſta*, & *reſupini*, &, *ſuſpiciens*; qua voce oſtenditur, Martem, amore & admiratione defixum paſcere avidos oculos inhiantem in Venerem cervice reflexa. Et hæc quidem, ut opinor, in tabula; ſed quæ mox ſequuntur, *Hunc tu, Diva, tuo*, &c. &, *circumfuſa ſuper*, non amplius ad tabulam pertinent; Vera res agitur; & μεγάλα μυστήρια τελεῖται. Ex his, uti ſpero, lucis aliquid huic loco accedet. FAB.

39. *Hunc tu diva, &c.*] hunc tu Diva recubantem tuo corpore complexa. LAMB.

40. *Loquelas*] Appoſite *loquelas* appellat ſuavia ac mellita verba. Vocis ipſius id ſonus videtur ſonare. & lib. v. verſ. 231. illa

---- *Nutricis blanda atque infracta loquela*

quas illecebras habeat ex imitatione Minuciana patet, qua tenellis pueris quam elegantiſſime attribuuntur *dimidiata verba, ipſo loquelæ fragmine dulciora.* Notus hinc *Lallus* deus, & *Lallare* verbum inde formatum apud Perſium. PREIG.

41. *Incluta*] Sic habent libri ſcripti. *inclutus* autem (inquit Feſtus) *clarus, nobilis.* jam y & u idem ſonant. LAMB. Non ſæpe apud Latinos Scriptores reperias deos *inclytos* vocari; ſed ita fere ſemper vocat Homerus: κλυτὸς ἐννοσιγαῖος; ita de Vulcano, &c. ſic quoque Ennius (p. 53.) apud Nonium.

Olim de cœlo lævum dedit incluta ſignum. FAB.

41. *Placidam pacem*] Virg. 1. Æn. 253.

---- *Placida compoſtus pace.* PREIG.

42. *Agere hoc*] naturam rerum explicare: hoc ipſum, quod ſuſcepimus, attentè, & ſumma cura agere: in hoc ſtudium incumbere. de hoc loquendi genere nos plura diximus in commentar. Horatianis. ſic lib. 4: 966.

Nos agere hoc autem, & naturam quærere rerum. LAMB.

42. *Agere hoc*] *Scribere*, de ratione philoſophica cogitare. Notum quid ſit *Hoc age*; eo reſpicere Lucretium credibile eſt. FAB.

42. *Hoc patriaï &c.*] Ita inf. 4: 966.

Nos agere hoc autem. ---- GIF.

42. *Tempore iniquo*] tempore adverſo. *tempore iniquo, æquo animo*, antitheſis. LAMB.

42. *Tempore iniquo*] Tunc enim & Clodius & Catilina Rempublicam vexabant. FAB.

42. *Tempore iniquo Æquo animo*] παρονομασία Caro amata. vid. ad verſ. 7. PREIG.

44. *Talibus in rebus*] in rebus turbulentis: tempore belli. LAMB.

45. *Quod ſupereſt*] Attentionem ſibi comparat. *Quod ſupereſt* autem, id eſt, quod reliquum eſt. Atque ita ſæpe loquitur, ut lib. 2: 39.

Quod ſupereſt, animo quoque nil prodeſſe putandum.

&

Semotum à curis adhibe veram ad rationem,
Ne mea dona tibi ſtudio diſpoſta fideli,
Intellecta prius quam ſint, contempta relinquas.

Nam

INTERPRETATIO.

animumque à curis remotum mihi accommoda tradenti veram certamque Philoſophiam, nec contempta relinquas mea dona quæ Tibi fideli ſtudio præparavi, priuſquam mente tua perceperis, & accuratè intellexeris:

VARIÆ LECTIONIS.

47. *Ne mea.* nec mea. D. *Creech.*

NOTÆ.

& lib. 6: 998.

Quod ſupereſt, facilè hinc ratio reddetur, & omnis
Cauſa patefiet, &c. LAMB.

45. *Vacuas*] otioſas, atque attentas. LAMB.

45. *Memmius*] ita o. l. Male *Lambin. Memmiada.* rectus pro vocandi caſu. GIF.

45. *Memmiada, & te*] ô Memmi. ſic autem reſtitui conjectura ductus, cùm hic locus in codice Bertiniano totus in litura demerſus eſſet. ſic ſuprà dixit, *Memmiadæ noſtro.* Quòd autem quidam Thraſones *Memmius & te*, lectionem vulgatam, tuentur; ut ſit vocandi caſus recto ſimilis, non me movent. nam ut hoc non ignoro, ita ſcio illos eſſe barbaros, impudenteis, & ſycophantas. LAMB.

45. *Memmiada*] Giſan. *Memmius.* quaſi jam antea non appellarit Memmiadam; ſed ſolenne facit Giſan. ut venena colligat. FAB.

45. *Memmiada.*] *Memmius*, Gif. fruſtra. His verò 12 v. *Memmio* ſuo, quem attentum ſibi & aliis curis vacuum optat, futuræ diſputationis argumentum aperit, docetque ſe diſputaturum de Cœli & Deorum natura, & de primis rerum principiis, è quibus res omnes fiunt, & in quæ iterum reſolvuntur; quod enim ad *Deos* attinet, illi beato otio fruuntur ab omni cura & negotio ſemoti. Poſteriores autem hos ſex verſus verſui 44 ſubjungit B. non verò agnoſcunt quidam vet. Cod. & ſanè abeſſe poſſunt, infra autem loco magis apto legentur. Tamen & hic non abs re locum habeant per *occupationem*, ut vocant Magiſtri, quaſi dicat Lucretius: ex primis corporibus omnia fiunt, nam *Dii* quidem, contra quam ſenſit Philoſophorum vulgus, *Naturam rerum* nec fecere, nec curant. CREECH.

46. *Semotum a curis*] Sic verſ. 55.

Semota a noſtris rebus ſejunctaque longe.

& verſ. 464.

Semotum ab rerum motu ----

Horat.

Semotique prius tarda neceſſitas Lethi &c. PREIG.

46. *Veram ad rationem*] Ita Epicurus de ſuis opinionibus ſentiebat. Notum & ille Celſi ἀληθὴς λόγος, de quo Origenes. FAB.

47. *Tibi diſpoſta*] tibi diſpoſita, & in ordinem digeſta. LAMB.

49. *Ratione.*] Ita v. l. & Seneca Ep. 69. vulg. *regione.* male. GIF.

49. *De ſumma cæli ratione, Deûmque*] Sic habent quatuor libri manuſcripti, & Aldini utrique, & Vicetini, & Florentini: alii, *regione:* ego *ratione* magis probo. ſæpe enim ita loquitur, ut paulo infra verſ. 127.

Quapropter bene cùm ſuperis de rebus habenda
Nobis eſt ratio, &c.

& lib. 2: 169.

Hoc tamen ex ipſis cæli rationibus auſim
Confirmare tibi, &c.

M. Tull. lib. 3. de finib. *Nec verò poteſt quiſquam de bonis & malis verè judicare, niſi omni cognita ratione naturæ, & vitæ, etiam Deorum, &c.* LAMB.

49. *De cœli ratione*] De natura cœli ac deorum, vel de doctrina quæ περὶ τῶν οὐρανίων haberi poteſt, de meteorologia, *&c.* Non temere alibi reperias in hac ratione. FAB.

49. *Ratione*] Alii *Regione Deûmque*, ſupplet Nardius, domicilio. Utrumque imperitè, non enim de Cœli ac Deorum regione, ſed naturâ Poëta diſputat. CREECH.

50. *Rerum primordia*] rerum principia. LAMB.

50.

Nam tibi de ſumma Coeli ratione, Deûmque,
Diſſerere incipiam, & rerum primordia pandam;
Unde omneis Natura creët res, auctet, alatque:
Quove eadem rurſum Natura perempta reſolvat:

Quae

INTERPRETATIO.

Carminibus enim meis diſputabo de tota natura Coeli & Deorum, principia rerum demonſtrabo, ex quibus Natura res cunctas producit, auget, nutritque & in quae Natura reſolvit eaſdem res cum interierint.

VARIAE LECTIONES.

49. *ratione.* regione. c. *Pio* etiam ex vetuſt. exempl. in textum recipiente, qui utramque lect. agnoſcit.
50. *auctet.* auctat. X.
52. *Quove eadem rurſum.* Quoque eadem rurſus. K. *Reſolvat.* reſolvit. P.

NOTAE.

50. *Pandam*] aperiam. Virg. lib. 3. Æneid. 179

Anchiſen facio certum, remque ordine pando.

Lamb.

51. *Unde*] ex quibus rebus, ſeu principiis. Lamb.

51. *Unde*] Ex quibus primordiis, ſeu principiis. Poſt *pandam* vel minima diſtinctio ſatis fuerit. Fab.

52. *Quove*] vel in quas res. Lamb.

52. *Quove*] Quemadmodum illud *unde*, quod ſupra obſervabam, non interrogat, ita nec iſtud *Quove* interrogare poteſt. Non bene itaque Interpretes, qui exiſtimant iſtud *Quo* ſignificare *in quas res.* Neque enim res plane reſolvuntur in res concretas per degenerationem, ſed in principia. Dices Lucretium ipſum ita tamen exiſtimaſſe, qui ſcilicet ſic infra ſcripſerit verſ. 763.

Denique quatuor ex rebus ſi cuncta creantur,
Atque in eas rurſum res omnia diſſolvuntur;

Fatebor, ſed ibi ex falſa ſuppoſitione in eos agit, qui ignem, aquam, terram, aëra, principia eſſe dicebant. Itaque iſtud *Quo* ſignificabit *in quae principia*; atque adeo, ne quis dubitet, addit poëta verſu proxime ſequenti,

Quae nos materiam & genitalia corpora rebus
Reddunda in ratione vocare & ſemina rerum
Appellare ſuêmus, & haec eadem uſurpare
Corpora prima, quod ex illis ſint omnia primis.

Et merito. Niſi enim res ad principia redirent, ut ex iis novi aliquid effloreſceret, jamdudum omnia deſiiſſent. Fab.

52. *Quove eadem rurſum.*] In Senec. *Quoque eadem rurſus.* Gif.

52. *Eadem*] Mutat genus: *eadem* enim, id eſt; *eaſdem res peremtas natura reſolvat:* vel hoc modo; *quove eadem natura reſolvat res peremtas:* nam utrovis modo *peremta* eſt accuſandi caſus. Lamb.

52. *Eadem perempta*] Eas ipſas res peremtas. Mutavit autem orationem, ut alibi. cum enim *genus humanum* ſcripſiſſet, mox addit *eos*, intelligens non genus humanum, ſed homines; quod fieri licet, ubi nomina ſunt συμπλεκτικὰ, non aliter. Fab. Eas ipſas res peremptas: mutavit autem orationem, ut alibi, cum enim *genus humanum* ſcripſiſſet, mox addit *eos.* Hoc etiam Lucretio familiare. Alii, *eadem perempta* nempe *Natura*, ſupple *ſeipſam*, reſolvat: imperité. Creech.

52. *Perempta reſolvat*] Vocem *perempta* ſequentibus connecto. hoc modo: Natura reſolvit *perempta ea quae nos materiam vocare ſolemus &c.* ſic non mutat genus aut orationem. Preig.

53. *Genitalia*] vim gignendi habentia, ad gignendum valentia. hac voce utitur ſexcentis locis. Lamb.

53. *Genitalia rebus*] Notanda Latinitas, *rebus* pro *rerum.* Sed alibi tale quid reperies, ut & apud Plautum plus ſemel. Fab.

55. *Suemus.*] *Conſuemus* pro *conſuevimus.* Dividunt ſubinde vocales poëtae: & quae coire deberent ſeparantur. Horatius Sermonum Primo.

Cum mihi non tantum fureſque feraeque ſuëtae.

Idem apud Ovidium, Papiniumque obſervatur.

Aurarum & ſylvae metu

apud Horatium triſſyllabum eſt. Pius.

55. *Uſurpare.*] Vocare. Fab.

55. *Uſurpare*] Notandum omnino hoc verbum

in

Quae nos Materiem, & Genitalia Corpora rebus
Reddunda in ratione vocare, & Semina rerum
Adpellare ſuëmus, & haec eadem uſurpare
Corpora Prima, quod ex illis ſunt omnia primis.
Omnis enim per ſe Divôm natura neceſſe eſt
Immortali aevo ſumma cum pace fruatur,
Semota ab noſtris rebus, ſejunctaque longe;
Nam privata dolore omni, privata periclis,

Ipſa

INTERPRETATIO.

Quæ quidem dum Philoſophemur, & naturam rerum explicemus, ſolemus nominare Materiem, Corpora Rebus genitalia, rerum ſemina, *aliquando etiam eadem vocare* prima Corpora, *quoniam ex illis primis (ſimplicia enim ſunt, nec ex aliis compoſita) res cunctæ componuntur. Quod enim ad Deos ſpectat, neceſſe eſt ut omnes Dii, eo quod Dii ſint, æternam agant vitam maximo in otio, ut nullam noſtrî curam habeant, ut ſint expertes doloris, à periculis etiam tuti;*

VARIÆ LECTIONES.

55. *Uſurpare.* ſuperſcrib. in Y. *pro uſu dicere.*
57. *Omnis enim* &c. abſunt hi verſus in multis; vide Notas.

NOTÆ.

in ſignificatione cognata cum verbis *vocare* & *appellare.* Preig.

56. *Quòd ex illis ſunt omnia primis.*] quoniam res omnes naturales ex illis primis corporibus concretæ & conflatæ ſunt. Lamb.

57. *Omnis enim &c.*] Hi ſex verſus a v. q. abſunt. iterantur inf. lib. 2. Gif.

57. *Omnis enim*] Occupatio eſt, non temere dixi (inquit Lucretius) ex corporibus primis omnia conſtare, & omnia in eadem reſolvi, naturamque omnia ex illis creare, & in eadem perimere. Nam ſi quis putet, Deorum opera & conſilio res naturaleis creatas eſſe, vehementer errat. Impia ſententia. Iterantur hi ſex verſus lib. 2. abſuntque ab hoc loco, in exemplis Venetis recentiorib. & Florentinis, & codicibus nonnullis manuſcriptis. Lamb.

57. *Omnis enim per ſe*] Hi ſex verſus, ut docti monuere, à quibuſdam veterum librorum abſunt. Et ſane abeſſe poſſunt; infra autem loco magis apto legentur. tamen & hic non abs re locum habeant, per *occupationem*, ut vocant magiſtri; quaſi dicat Lucretius, *Ex primis corporibus omnia fiunt; nam Dii quidem, contra quam vulgus Philoſophorum ſentit, rerum naturam nec fecere, nec curant.* Fab.

57. *Omnis enim per ſe &c.*] Quod hi ſex verſus, qui lib. 11. verſ. 645. loco magis apto occurrunt, hic etiam collocentur, id procul dubio ex eo factum, quod non nemo eos huc tranſtulerit, ut oſtenderet Lucretium ſibi adverſari, qui cum deos mortalia non curare affirmet, Venerem tamen invocet. Is. Voss. Confer. Not. ad 2: 645. At *Veneris nomine* in illo Prooemio *abuti maluit*, ut cum ipſo loquar lib. 11: vſ. 55. Quam Venuſtatis, Elegantiæ, Leporis, Jucunditatis, Suavitatisve *proprium* aliquod *proferre vocamen.* Vide quæ de Inſtituti ſui ratione canit inf. verſ. 942. & ſeqq. Sic & *callidam Muſam Calliopen* invocabit, *præſcripta ad candida calcis.*, lib. 6. vſ. 91. & ſeqq. Preig.

60. *Privata dolore*] doloris expers. Lamb.

60. *Pivata dolore*] Nequis ſibi ingenioſus videatur, atque adeo reprehendat τὸ *privari dolore*; quaſi verbum illud ſit eorum quæ neceſſariam anaphoram habeant ad quid χρηστὸν καὶ ἡδὺ, quo careas, meminerit τὸ *privari* & *carere* eſſe ſynonyma; & tam ad mala referri quam ad bona & commoda. Itaque dicebant *carere febri*, *privari injuria*, *privari dolore.* quæ omnia apud Ciceronem occurrunt. Fab.

 61.

Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.
Humana ante oculos foedè quom vita jaceret
In

INTERPRETATIO.

propriis ſuis dotibus ad fœlicitatem ſatis inſtructi, ut hominum cultu non indigeant, nec delectentur pietate eorum, aut impiis iraſcantur. Cum humana vita miſerabilem indignumque in modum jaceret

VARIÆ LECTIONES.

61. *Suis.* ſui. P.
62. *Promeritis.* pro meritis. C. utramque agnoſcit *Pius.*

NOTÆ.

61. *Ipſa ſuis pollens opibus &c.*] αὐτάρκης, ſe ipſa contenta. Lamb.

62. *Nec bene promeritis, &c.*] *nec capitur* bene meritis, *nec ira* commovetur. *promeritis* una vox eſt, non duæ, à verbo *promereor.* Plutarchus comment. ὅτι οὐδὲ ζῆν ἐστὶν ἡδέως, &c. verba ipſa Epicuri profert ad hunc locum pertinentia: Ἐν νόσοις δειναῖς, καὶ πόνοις ὑπερβάλλουσιν ἐλπίζεις τι χρηστὸν παρὰ Θεῶν; τετύφωσαι. τὸ γὰρ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε ὀργαῖς, οὔτε χάρισι συνέχεται. id eſt, *In morbis gravibus, & laboribus immoderatis ſperas aliquid boni à Diis? inſanus es. nam quod beatum & immortale eſt neque ira commovetur, neque gratia flectitur.* ſic M. Tullius lib. 1. de nat. Deorum, *Quod æternum beatumque ſit, id nec habere ipſum negotii quicquam, nec exhibere alteri. Itaque neque ira, neque gratia teneri; quòd, quæ talia eſſent, imbecilla eſſent omnia. Capiturque.* corrumpitur, vel flectitur, vel, ut Nonius Marcellus interpretatur, *propitiatur.* at *tangitur*, commovetur, afficitur, ut idem Nonius. ſic Virgil. Æneid. 9: 138.

---- nec ſolos tangit Atridas
Iſte dolor.

& lib. 12: 933.

---- miſeri te ſi qua parentis
Tangere cura poteſt.

Jam hoc totum *nec tangitur ira*, valet, nec iraſcitur. porrò autem hoc etiam erat unum ex Epicuri decretis, Deos neque iraſci cuiquam, neque eſſe propitios. quod cùm alibi declarat M. Tull. tùm in oratione in L. Piſonem, ubi Piſonem ipſum ſic facit loquentem: *Quid eſt, Cæſar, quòd te ſupplicationes tantopere delectent? in quibus homines errore ducuntur; quas Dii negligunt: qui (ut noſter ille divinus dixit Epicurus) neque propitii cuiquam eſſe ſolent, neque irati.* Idem epiſt ad Trebat. libro 7. *Quomodo autem tibi placebit Jovem lapidem jurare, cùm ſcias Jovem iratum eſſe nemini poſſe?* Arnobius lib. 1. adverſus genteis: *Ita non animadvertitis, non videtis, affectus quàm turpeis, quàm indecoras numinibus attribuatis inſanias? Quid eſt enim aliud iraſci, quàm inſanire, quàm furere, quàm in ultionis libidinem ferri, & in alterius doloris crucem efferati pectoris alienatione bacchari? &c. quæ longum ſit referre: quibus declaratur iratorum affectus in corporibus expreſſus.* Idem paullo pòſt: *Ceterùm Dii veri, & qui habere, qui ferre hujus nominis auctoritatem condigni ſunt, neque iraſcuntur, neque indignantur, &c.* Lamb.

62. *Nec tangitur ira.*] Execratur hæc Lucretiana carmina Lactantius libro de Ira: utpote quæ templa, quæ religionem & cultum deorum tollant. Huic Epicuri ſententiæ reclamat & Cicero. *Deus*, inquiens, *ſi talis eſt, ut nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat.* Pius.

62. *Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira*] Contra hunc locum fuſe egit Lactantius, & alii. quamquam nil opus fuit. Interpretanda tantum Epicuri mens fuerat. Fab. *Tangi ira* explicant quidem iraſci, ſed quid, ſi *bene promeritis* opponatur? ut ira hominum in Deos ſtultitia illa ſit non diſſimilis Caligulæ, qui non *ſine jurgiis* exilium etiam *Jovi* comminabatur apud Suetonium cap. 23. vel morientis Pompeji indignationi apud Lucan. 8. 665.

At Magni dum terga ſonant, & pectora ferro,
Permanſiſſe decus ſacræ venerabile formæ,
Iratamque Diis faciem.

Tali ira non tangitur Deus, inquit, id eſt commovetur, prout exſtat apud Tertullianum, crebrum Latinitatis Lucretianæ obſervatorem, in Apolog. Cap. 40. p. 351. *Invidia cœlum tundimus, Deum tangimus.* Haver.

63.

In terris oppreſſa gravi ſub Relligione,
Quae caput à coeli regionibus oſtendebat,
Horribili ſuper adſpectu mortalibus inſtans;

Pri-

INTERPRETATIO.

in terris, oppreſſa ſub gravi Religione, quæ è Cœlis Caput ſuum proferens, & deſuper inſtans mortalibus horrenda ſpecie terrebat Homines;

VARIÆ LECTIONES.

65. *Cœli regionibus.* relligionibus. X

NOTÆ.

63. *Humana ante oculos*] Significat, Epicurum animos hominum religione, id eſt, inani Deorum timore, & ſuperſtitione liberaſſe. Nam Epicurus quidem, ut teſtantur Diog. Laërtius & M. Tullius, ſcripſit librum de pietate erga Deos: & ſuprà diximus, Epicurum, quamvis negaret, Deos curam habere rerum humanarum: neque preces tamen, neque venerationem, & cultum Deorum, tanquam præſtantium naturarum, ſuſtuliſſe. quæ ſunt profectò valde inter ſe pugnantia, ut oſtendit M. Tullius lib. 1. de Natur. Deorum, his verbis: *Atqui ſcripſit librum de pietate erga Deos Epicurus, ita ut Coruncanium, aut Scævulam, pontifices maximos, te audire dicas; non eum, qui ſuſtulerit omnem funditus religionem; nec manibus, ut Xerxes, ſed rationibus, Deorum immortalium templa & aras everterit. Quid eſt enim cur Deos ab hominibus colendos dicas, cum Dii non modo homines non colant, ſed omnino nihil curent, nihil agant? At eſt eorum eximia quædam, præſtanſque natura, ut ea debeat ipſa per ſe ad ſe colendam allicere ſapientem. An quidquam eximium poteſt eſſe in ea natura, quæ ſua voluptate lætans, nihil nec actura ſit umquam, neque agat, neque egerit? Quæ porro pietas ei debetur, à quo nihil acceperis? aut quid omnino, cujus nullum meritum ſit, ei deberi poteſt?* Lamb. Qui Ingenium cum *Cicerone* in Lucretio deſiderant, hanc imaginem contemplentur, & ſi pulchriorem monſtrare poſſint, id mihi facient quod eſt gratiſſimum. Ut miſere enim ſordideque jacent humiles iſti *Religione* oppreſſi Homines, & quam horrendo ore *Dominus ille Metus* deſuper minatur! Crederes viſum præſentem Dæmonem flagella intentare. His poſitis, *Epicuri* (Athenienſis, & Neoclis filii) laudes aggreditur, qui primus his omnibus terroribus ſe intrepidum oppoſuit, & acri vi mentis extra hujus Mundi limites in *Omne* infinitum delatus, totius Naturæ poteſtatem penitus perſpexit, docuitque Homines res fieri ſine cura & opera *Deorum*, ideoque omnem religionem funditus ſuſtulit, ut docet *Cicero* lib. 1. de Nat. Deor. *Quid eſt enim cur ab hominibus colendos dicas, cum Dii non modo Homines non colant, ſed omnino nihil curent, nihil agant?* Otio autem ſuo abutuntur, ut Gaſſendus, Faber, aliique, qui Epicuri librum περὶ ὁσιότητος, ejus Sectæ pietatem erga Deos, & Religionem pro *ſuperſtitione* tantum, metuque Deorum inani à Lucretio hoc loco poſitam eſſe crepant; quaſi poëta non omnem de *Providentia* opinionem ſuſtulit, aut ille eſſet ſuperſtitioſus qui Deum aliquid agere, aut humana curare exiſtimaret. Creech.

63. *Ante oculos*] παρέλκον. Diſtinguendum autem puto in hunc modum:

Humana ante oculos fœde cum vita jaceret
In terris, oppreſſa gravi ſub Relligione,
Quæ caput, &c.

Jacere verbum elegans, noſtro familiare. ſic lib. 5: 1272 & 1274.

Nunc jacet æs, aurum in ſummum ſuccedit honorem. Preig.

63. *Jaceret.*] Tanquam contempta, vilis, & abjecta. Juxta Ovidium. *Pauper ubique jacet.* Exponit Nonius *ſorderet: non læta eſſet.* Pius. Humilis, mæſta, & proſtrata eſſet: vel, ut Nonius interpretatur, qui hunc verſum profert, ſorderet. Lamb.

64. *Gravi ſub relligione.*] gravem religionem dixit, tanquam onus. Lamb. Exitiali, moleſta, importuna, &c. utpote quæ præſentiſſimum divini cultus venenum ſit. Fab.

64. *Relligione.*] Superſtitione: hæc enim propria ſignificantia eſt vocabuli hujus: etſi noſtri Theologi ſuperſtitionem vocent metum quendam deorum, qui peculiaris eſt aniculis: unde ſortita nomen *ſuperſtitio* a *ſuperſtitibus* ſcilicet, hoc eſt vetulis & ſenibus, qui diu ſuperfuerunt. In hanc ſignificationem locutus eſt inferius poëta. verſ. 84.

Rel-

Primum Graïus homo mortaleis tollere contra
Eſt oculos auſus, primuſque obſiſtere contra:
Quem nec fama Deûm, nec fulmina, nec minitanti
Mur-

INTERPRETATIO.

primus omnium Epicurus *mortales oculos contra illam tendere auſus eſt, primuſque illius Tyrannidi reſiſtere: Quem* Epicurum *nec de Diis fabulæ, nec fulmina, nec Cœlum reſonans minaci*

VARIÆ LECTIONES.

67. *Grajus.* gnaruſ. C. N. 2. X. utramque agnoſcit *Pius. Mortaleis.* immortales. C. N. utramque habet *Pius. Tollere.* tendere. A. marg. L. ex *Nonio.*
68. *Obſiſtere.* abſiſtere. C. O. Q. X. utrumque *Pius.*
69. *Nec.* neque P. Y. Z. *minitanti.* imitanti. X.

NOTÆ.

Relligio peperit ſceleroſa atque impia facta. Proverbium vetus eſt. *Religentem eſſe oportet: religioſum nefas:* quod retulit Nigidius ſic: *Hoc inclinamentum ſemper hujuſmodi verborum, ut vinoſus, mulieroſus, religioſus, nummoſus, ſignificat copiam quandam immodicam rei, ſuper qua dicitur.* Quocirca religioſus is appellabatur, qui nimia & ſuperſtitioſa religione ſe alligaverat: eaque res vitio aſſignabatur: unde *religioſi dies* dicuntur triſti omine infames impeditique, in quibus res divinas facere, & rem quampiam novam exordiri temperandum eſt, quos multitudo nefaſtos appellant. Itaque M. Cicero libro epiſtolarum ad Atticum nono. *Majores* inquit *noſtri funeſtiorem diem eſſe voluerunt Allienſis pugnæ, quam urbis captæ: quaſi hoc malum ex illo: itaque alter religioſus etiam nunc dies: alter in vulgus ignotus.* Idem tamen *religioſa* delubra majeſtatis venerationiſque plena vocat. *Religioſi* dies ominoſi. Unde Terentius in Heaut. 2. 1: 16.

Nam nihil eſſe mihi religio eſt dicere.

Sabinus *religioſum* eſſe contendit, quod propter ſanctitatem aliquam remotum, ac ſepoſitum a nobis eſt. Verbum a *relinquendo* dictum: ut *cerimonia* a *carendo.* Pius. Qui nequitiæ ſuæ auctorem quærunt, *inſanientis dum ſapientiæ conſulti aberrant,* hoc Lucretii loco contra ſententiam Scriptoris abuti ſolent. Exiſtimant enim religionem hoc loco poſitam pro Deorum cultu ſeu pietate in Deos; ut infra, loco illo decantatiſſimo, verſ. 48.

Tantum relligio potuit ſuadere malorum;

Sed utrobique falluntur. Religio enim ſuperſtitio eſt: Epicurus certe Deos propter præſtantiam naturæ ſuæ colendos non negabat; quod & Cicero, non ſemper homini æquus, oſtenderit; nec non Laërtius, ut & Lucretius infra, qui librum Epicuri περὶ τῆς ὁσιότητος ſatis innuit. Poëta autem ſi extra omnem ἀμφιβολίαν loqui voluiſſet, ſcribere potuerat *Relligiones*, non *relligionem.* quod alibi fecit, ut & Varro in admirandis iſtis verſibus:

Non fit theſauris, non auro pectu' ſolutum,
Non animis demunt curas ac relligiones
Perſarum montes, non divitis atria Craſſi.

In quorum verſuum poſtremo novi qui velint legi *horrea Craſſi.* Et ita fere Cicero ad Atticum I. Ep. IV. *quod ſi aſſequor, ſupero Craſſum divitiis, atque omnium vicos & prata contemno.* Fab.

65. *Quæ caput à cœli*] σωματοποίησις. Nam corpus quoddam affingit religioni, & facit eam caput è cælo proferentem ad terrendos mortaleis. Lamb.

65. *A cœli regionibus*] ἀπὸ τοῦ θυρεῶδος τοῦ οὐρανοῦ. Fab.

65. *Oſtendebat*] Virg. 2. Æn. 68. de Sinone, ubi æque ut noſter in ſono etiam producit verbum, quod ibi ſignificat aliquem factum attonitum ſimiliter cum horrore aliquid facere.

Conſtitit, atque oculis Phrygia agmina circumſpexit. Hav.

66. *Horribili ſuper adſpectu*] Citat Serv. ad Virg. Æn. 8. 187. ubi binam rationem affert, cur religio nimis anxia & ſuperflua dicatur *ſuperſtitio.* ſed melius Cicero II. de Nat. Deor. a *ſuperſtes* deducit: *Non enim Philoſophi ſolum, verum etiam majores noſtri ſuperſtitionem a religione ſeparaverunt. Nam qui totos dies precabantur & immolabant, ut ſui

Murmure compreſſit Coelum, ſed eo magis acrem
Virtutem inritât animi, confringere ut arcta
Naturae primus portarum clauſtra cupiret.

Ergo

INTERPRETATIO.

murmure repreſſit; ſed hæc terriculamenta animoſam illius mentem magis incendebant, & fecerunt, ut primus Ille cuperet perrumpere portas, validaque Naturæ munimenta:

VARIÆ LECTIONES.

71. *Virtutem inritat animi.* irritat animi virtutem G. N. X. Y. Z. irritat virtutem animi. C. P. Q.

72. *Cupiret.* cuperet. G. X. Y. ſed correctum in Z.

NOTÆ.

ſui liberi ſibi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati: quod nomen poſtea latius patuit. ſed cum Servius definiat *ſuperfluum* & *inanem timorem*, Voſſ. de Anal. 1: 22. judicat eſſe a *ſuperſtare*, i. e. ſuperfluum, nimium eſſe. Hic vero apud Lucret. Poëticam fictionem agnoſco eleganter adcommodatis verbis expreſſam. Hav.

67. *Grajus homo*] Epicurus, Athenienſis, Gargettius, Neoclis filius. Lamb. Epicurus Athenienſis, ex oppido ſeu populo ut vocabant, Gargetto; unde paſſim Gargettius. Fab.

67. *Tollere.*] Nonius legit, *Tendere.* Gif. *Tendere*] Sic Non. Marcellus legit, non, ut habent libri omnes & vulg. & manuſcripti, *tollere:* quem hac ſecunda editione ſecutus ſum, rejecta altera ſcriptura, ut ſuppoſita. *tendere oculos* autem dixit, pro contendere. *contendere* porro *oculos* ita dictum, ut *contendere vocem*, *vireis*, *curſum*, & ſimilia. lib. 5: 630.

Tanto poſſe minus cum ſignis tendere curſum.

Eſt autem longè plus *oculos contendere*, quàm *tollere.* Illud enim ſignificat contenta acie aliquid intueri, & aciem oculorum in rem quæ cernitur, defigere. ſic Afran.

Contendit oculos: derepente abit cælo.

Horat. 1 epiſt. 1: 28.

Non poſſis oculos quantum contendere Lynceus.

Lucret. infrà hoc eod. libro: 325.

Nulla poteſt oculorum acies contenta tueri.

Idem lib. 4: 801.

---- *niſi ſe contendit acutè.* Lamb.

67. *Mortaleis tollere contra.*] Non male *tendere*, ſed id, includitur in *obſiſtere*, debebatque prius oculos *tollere*, quod ſcilicet ipſum nemo adhuc auſus fuerat, quamque locutionem pluribus adſtruit Bentlejus ad Horat. Od. 1: 3: 18. Vetus poëta apud Galenum, ex obſerv. Scaligeri ad Cirin. Virgilii

Ἀνταυγεῖν πρὸς ὄλυμπον ἀταρβήτοισι προσώποις.

ipſe Virg. ibid.

Altius ad magni ſubtendit ſidera mundi. Hav.

67. *Tollere.*] *Tendere* ex Nonio in textum receperat in ſecunda tertiaque editione ſua Lambinus. Et forſan ita ſcripſiſſe Lucretium, nonnihil indicii eſt, quod & apud Virg. plus ſemel hæc verſus clauſula occurrat. vid. 9: 377. & 795. item v. 21. ſed contra omnes libros tendere non eſt noſtrum. Preig.

69. *Fama Deum*] Qui curioſos puniunt. Nam Dii lege Saturni videri nolunt. Pius.

69. *Fulmina*] vid. Horatii Odem illam: 1: 34.

Parcus Deorum cultor & infrequens. Preig.

69. *Minitanti murmure.*] Terrorem incutiente ſuo ſtrepitu minis conſimillimo. a murmure per diminutionem fit murmurillum. Sed agedum cum detur occaſio Plautinum illum locum retractemus ex Rudente. Sic in Plauti codicibus vulgatis legitur in Rud. 5: 3: 48

Nolo ego murmur ullum neque ſuſurrum fieri.

Tu lege ex Nonio *Murmurillum*, pro parvo murmure. Pius.

71. *Virtutem inritât animi*] *inritât* pro *irritavit* poſitum: ut apud Virgil. lib. 9: 9.

Septra Palatini, ſedemque petit Euandri.

Notat Priſcianus, *fumât*, *cupît*, *audit*, & ſimilia, habere ultimam ſyllabam circumflexam, ſi patiantur ſyncopam. ſic iterum Lucret. lib. 6: 586.

---- ---- *quas exitus hic animaï*
Diſturbât urbeis.

Itaque poſtrema ſyllaba longa eſt, quem (inquit) neque fama Deorum, neque fulmina, neque cælum minaci murmure compreſſit, ſed eo magis irritavit, atque excitavit ejus animi virtutem, ut

 omni-

Ergo vivida vis animi pervicit, & extra
Proceſſit longe flammantia moenia Mundi;
Atque Omne immenſum peragravit mente animoque:

Un-

INTERPRETATIO.

Acris ideo illius Animi virtus perrupit, & provecta eſt longè ultra flammantes Cœli ambitus, Idemque ille Epicurus Omne, *τὸ πᾶν, infinitum mente ſua perluſtravit,*

VARIÆ LECTIONES.

75. *Omne.* omnem G. Q. Y. ſed corr. Z. *mente.* menteque. G.

NOTÆ.

omnibus difficultatibus ſublatis, ac remotis, ad explicationem naturæ, cognitionemque rerum involutarum atque obſcurarum, aditum viamque ſibi muniret. Lamb.

71. *Virtutem*] Mirum ni Lucretius ſcripſerit: *acris Virtus inritât* &c. Preig.

71. *Inritât*] Contractio eſt pro *inritavit*; quare & poſtrema producta eſt: nam in tertia olim perſona contractionem admittebat prima verborum inflexio. ita Terent. Phorm. 5: 7: 50.

Ex qua filiam
Suſcepit & eam clam educât - - -

Id eſt educavit. Ita alibi Lucret. *diſturbât urbes*, diſturbavit; id quod & metrum & ratio ſuadent, ibi enim de re olim facta agitur. Virg. quoque, Æn. 3: 2.

--- ceciditque ſuperbum
Ilium & omnis humo fumât Neptunia Troia.

Quod ignoraſſe ſe veteres magiſtri, ut & Probus & Chariſius, ſatis oſtendunt, dum in eo verſu ſolœciſmum eſſe contra tempus exiſtimavere. Sic quoque Ennius p. 112.

Tum timido manât ex toto corpore ſudor.

Giſanius Terentii locum in Indice ſuo, eumque ſolitarium, produxit, ut id probaret quod modo oſtendi; ſed in quo plane puer eſt, & Lambini convicio dignus, ſi animadvertiſſet Lambinus. Addo exemplis ſuperius allatis hanc quoque obſervationem; Solitos olim contractiones admittere in prima numeri plurativi. Terent· Andr. 3: 3: 11.

--- --- omnem rem modò ſeni
Quo pacto haberet enarrâmus ordine.

Id eſt enarravimus; addit enim *modò.* Sic denique Plautus in Sticho, 5: 3: 5.

--- --- ibi feſtinâmus omnes,
Lectis ſternundis ſtuduimus ———

Ubi *feſtinâmus* poſitum planiſſime eſt pro *feſtinavimus*; nam ſequitur mox *ſtuduimus.* Neque vero *feſtinâmus* pro *feſtinavimus* magis mirum videri debeat, quam *ſuêmus* pro *ſuevimus*, & alia id genus: ſed illis aurium conſuetudo favit.· Fab.

71. *Confringere ut arcta, &c.*] Allegoria eſt ducta à re militari, & expugnationibus urbium. libri veteres omnes habent *arta.* Lamb. Voſſius in Obſerv. ad Catull. pag. 170. *confrangere.* cujusmodi plura a viris doctis invitis libris antiquis e Lucretio ſublata eſſe queritur. Preig.

72. *Cupiret.*] Ita o. l. Priſc. lib. 10. & Nonius. Gif. id eſt cuperet. notant Nonius, & Priſcianus: atque hoc verbo in hac inflexione ſæpe utitur Lucret. Lamb. pro *cuperet*, ut alia paſſim; quod ſcilicet & tertia & quarta olim non ita à ſe invicem ſejunctæ erant & ſecretæ, quin utrique eſſent multa communia. Fab. Multi deſcriptores, non attendentes ad metri legem, voluerunt *cuperet*, quomodo in Gottorp. atque Lugd. Bat. utroque (in altero tamen correcta lectione) Bodl. atque Edit. Veron. Dixerunt autem *cupere* & *cupire*, ut *parere* & *parire.* Ennius apud Varronem & alios, ut & in Fragm. pag. 182.

Ova parire ſolet genus pennis condecoratum. Hav.

73. *Vivida*] acris, potens, animoſa. idem infra, verſ. 180.

--- --- & vivida tellus
Tutò res teneras effert in luminis oras.

Virg. 5: 754. Æneid.

Exigui numero, ſed bello vivida virtus.

idem lib. 10: 609.

——— *non vivida bello*
Dextra viris, animuſque ferox.

Vivatus

Unde refert nobis victor quid poſſit oriri,
Quid nequeat; finita poteſtas denique quoique
Quanam ſit ratione, atque alte terminus haerens.

Qua-

INTERPRETATIO.

& ibi natura rerum penitus perſpecta, votique ſui compos, nos docet quid fieri poſſit, quid non poſſit; & unde fit quòd, quodcunque eſt, finitam habeat poteſtatem, limitemque potentiæ in ipſa ejus rei natura poſitum;

VARIÆ LECTIONIS.

78 *Quanam.* quantum. C. E. G. N. P. Q. X. *Atque.* utque. A. B. I. *Alte.* aliter. G. *hærens.* hereat. A. B. herous. Q. hæres Q. a. herens Q. b.

NOTÆ.

Vivatus & vividus (inquit Feſtus) *à magna vi dicuntur.* LAMB.

73. *Et extra proc.*] *& longè proceſſit* extra *mœnia mundi*, &c. LAMB.

74. *Flammantia*] *flammantia* propter ſidera, & igneis æthereos. LAMB.

74. *Flammantia mœnia mundi*] Propter ſtellas & ignes æthereos, unde *ſtellantis regia cœli.* Virg. Æn. 7: 210. Manil. autem *ſtellantia cœli tecta* & in V: 120.

--- --- *mœnia mundi.* FAB.

75. *Atque omne immenſum, &c.*] Aliud eſſe putat Epicurus id, quod appellat *omne*, id eſt τὸ πᾶν, aliud *mundum.* Nam *mundus* eſt finitus: *omne* autem, eſt infinitum. *mundus omni* continetur, immò verò (ſi diis placet) *mundi* innumerabiles, ejus ſententia, quotidie & fiunt in *omni*, & intereunt: at *omne* & hunc *mundum*; ceteroſque omneis continet, & numquam neque natum, neque interiturum eſt. LAMB.

75. *Omne immenſum*] OMNE, ut alibi paſſim, τὸ πᾶν, rerum univerſitas, quidquid eſt in rerum natura; Non autem hic mundus, qui τοῦ παντὸς reſpectu fere nihil eſt; quod immenſa fere cœli noſtri ſpatia & ſiderum inexplicabilis altitudo facile ſuadent; Sed id infra docebit Lucretius. FAB.

75. *Omne.*] τὸ πᾶν. *Omnia* maluit dicere Cicero, lib. de Univ. verum ipſe etiam hanc vocem aliquando uſurpavit. lib. 2. de Divinat. Epicurus τῶν ὅλων φύσιν, & apud Plutarchum τῶν ὄντων φύσιν dixit. Idemque valent apud Lucretium, *Natura rerum: Summa rerum. Summa omnis. Summa tota. Summæ totius ſumma*, &c. Hoc *Omne* apud Epicureos eſt Infinitum & ſempiternum, Incrementi ſimul & Decrementi incapax, dum *Mundus*, finitus ſit, aliquando natus, & interitui obnoxius. CREECH.

75. *Mente animoque*] Id eſt, *mente animi*, ut *poculis & auro* Virg. pro *poculis aureis. molemque & montes.* Id. pro *molem montium.* mens autem animi quid ſit in III. oſtendet. FAB.

76. *Unde refert*] Profert hunc verſum Nonius, & interpretatur *refert*, *oſtendit.* ego *referre* hoc loco ſic accipiendum puto, ut apud Virg. Æneid. 4: 95.

Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis.

pro reportare, ut ſit tranſlatio à re militari. LAMB.

76. *Quid poſſit oriri, &c.*] Iterantur hi duo verſus & hoc libro infrà, & lib. 5. *victor* Epicurus (inquit Lucretius) *refert* nobis ex ea veritatis inveſtigatione, atque explicatione naturæ, *quid poſſit naſci, quid non poſſit:* qua ratione *ſuus cuique rei finis* ſit conſtitutus, *& terminus* immotus, ſtabilis, æternus, altiſſimeque defixus, ac depactus. Legendum autem *quanam ſit ratione*, ut duobus aliis locis legitur. LAMB.

78. *Utque alte terminus hereat.*] Ita v. l. & inf. vſ. 590. & lib. v. vſ. 91. Virg. lib. 4. Æn. 614.

Et ſi fata Jovis poſcunt, ſic terminus heret. GIF.

78. *Atque altè terminus hærens*] Hunc locum Virgilius eſt imitatus, ſeu potiùs mutuatus lib. 4. Æn. 614.

Et ſi fata Jovis poſcunt, hic terminus hæret.

Horatius *ſtabilem rerum terminum* appellat carmine ſæculari. Thraſo ille, quem jam ſuprà deſcripſi, ridiculè legendum hîc cenſet, *utque altè terminus hæreat*, & repugnantibus libris omnibus & reclamante lege carminis. LAMB.

78. *Hæreat*] συνίζησις, ut paſſim apud Virgil. Horat.

Quare Relligio pedibus ſubjecta viciſſim
Obteritur, nos exaequat victoria Coelo.
Illud in his rebus vereor, ne forte rearis

Impia

INTERPRETATIO.

& hinc eſt quòd jam Religio (ut nos olim illi) noſtris pedibus ſubjecta conculcatur, & Victoria illius Epicuri *ingenio parta nos adæquat Cœlo. Sed me reprimo, vereor enim, ne forte credas*

VARIÆ LECTIONES.

80. *Obteritur.* opteritur. G. Y. Z. opperitur Q. a. exteritur. A. marg.

NOTÆ.

Horat. *&c.* alii tamen *hærens.* Si autem *finita cuique*, &c. inde fiet ut miraculis, quæ à Deorum providentia, nulla fides; nil illi præter naturæ fœdera moliri queant, &c. huc ſcilicet tendit Lucretius; neque enim phyſiologiæ ullam rationem habuiſſet Epicurus, niſi quod ex rerum naturalium contemplatione effectum iri credebat, ut animi hominum ſuperſtitionis terriculamentis ſeſe exolverent. Fab.

78. *Atque*] *Utque* Gif. & C. *Hæreat. Hærens* D. P. C. N. *quanam. quantum* B. Creech. Virgil. Æn. 10: 850. ubi in Lauſi morte Mezentius dicit:

--- --- *Nunc alte vulnus adactum.* Hav.

79. *Pedibus ſubjecta*] Virg. lib. Georg. 2: 490.

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omneis, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acheruntis averni.

Lamb.

79. *Viciſſim*] Quæ antea *è cæli regionibus caput oſtendebat*, & homines ſub ſe, tanquam gravi onere oppreſſos tenebat. Lamb.

79. *Viciſſim*] εἰς ἀντιμοιβὴν, ἐνάλλαξ, ut quæ olim homines abjeciſſet, ea tandem abjecta jaceret. Fab.

80. *Obteritur*] Cod. Memm. habet, *Exteritur.* ceteri cum vulgatis congruunt. Lamb.

80. *Obteritur*] exteritur. Gif. Phœdr. 1: 30: 10.

Et proculcatas obteret duro pede. Hav.

80. *Victoria*] Epicuri, qui cognitis rerum cauſis inanem Deorum metum ſuſtulit, pietatem duntaxat ſecuram, & Deorum majeſtati conſentaneam reliquit: vel qui omnes religiones funditus evertit, & ita terroribus animos hominum liberavit. Sed dicamus, Epicurum cùm in pleriſque aliis rebus, tum in hac impium fuiſſe: atque idcirco nullo modo audiendum. Lamb. Victoria Epicuri videlicet, qui (ut verbis Manilii lib. 1. vſ. 67. utar)

--- --- *Cepit profundam*
Naturam rerum Cauſis, viditque quod uſquam eſt.
Nubila cur tanto quaterentur pulſa fragore, &c.
--- *Solvitque Animis miracula rerum*
Eripuitque Jovi Fulmen, vireſque Tonanti.

81. *Illud in his rebus*] Occupatio eſt. Illud (inquit) in his rebus timeo, ne te putes introire diſciplinam impiam. *Impia elementa* impias inſtitutiones, ac præceptiones: aut impiam diſciplinam: vel timeo, ne dicas, te ad impiæ rationis initia introire. Lamb.

81. *Illud.*] His 22. v. Huic tam impiæ doctrinæ, quæ *Providentiam* negat, averſum fore *Memmium* ſuſpicatur, ideoque illius Animum confirmat monendo, Religionem iſtam, quæ Providentiam confitetur, ſæpe olim maxima ſcelera ſuaſiſſe; quod probat exemplo *Iphigeniæ* Aulide, (Bœotiæ ad Euripum portu) à patre ſuo Agamemnone ad aras Dianæ Triviæ ex juſſu Oraculi mactatæ.

Exitus ut claſſi fœlix fauſtuſque daretur. Creech.

82. *Impia rationis elementa*] Pro *elementa impiæ rationis.* Figura huic noſtro & Virgilio familiaris. *Ratio* autem θεωρία eſt, philoſophandi ſtudium, &c. poſſet & pro ſecta ſumi, uti à Lucretio alibi ea vox uſurpata eſt. Fab.

83. *Endogredi.*] Ita ex v. l. ſemper ſcripſi. Gif.

83. *Endogredi*) *Endo* præpoſitio antiqua quæ valet *in*; ut *endoperator*, ſeu *induperator*, *endopeditus*, *endo ſtatu*, *endo mari*, *endo manu* apud hunc eundem, pro *imperator*, *impeditus*, *in ſtatu*, *in mari*, *in manus.* Et teſtamentum *endo procinctu*, *endoitium*, pro *in procinctu*, & *initium*: de quibus lege Feſtum. ſic & apud Lucillium:

Quàm

Impia te rationis inire elementa, viamque
Endogredi ſceleris; Quod contra, ſæpius illa
Relligio peperit ſcelercſa atque impia facta,

Aulide

INTERPRETATIO.

me Tibi proponere impiam Philoſophiam, viamque monſtrare ad ſcelera ducentem; at è contra obſerves, quod Religio ſæpè olim peſſima peperit facinora,

VARIÆ LECTIONES.

83. *Endogredi.* Indugredi. C. E. P. G. 1. 2. 3. N. Q. 1. Y. Z. *Quod contra, ſæpius.* quod contra ſæpius. A. quin contra. C. E. M. P. Bm. H. 2. *ſæpius illa.* vide notas.

NOTÆ.

Quàm lepidè lexes compoſtæ! ut teſſerulæ omnes
Endo pavimento, atque emblemate vermiculato!

ſic enim legendus ac ſcribendus ſecundus verſus, non, ut vulgò,

Arte pavimento, &c.

Idem.

Jactare endo foro ſe omnes, decedere nuſquam.

Quòd autem vulgò *indu* quoque pro *in* uſurpant, *indu* factum eſſe puto ex *endo.* Quanquam *Indugredi* à veteribus dictum eſſe arbitror, Probi grammatici auctoritate fretus, qui hunc verſum profert. Lamb.

83. *Endogredi*] Ingredi. *endo* ἔνδον. *in*, *intus*, *endoiacito*, *endopedita*, *endotuetur*, Enn. *endoitium* apud Feſt. pro injicito, impedita, intuetur, initium. Neque minus dicebant *endu* & *indu*, ex quibus nata illa ſunt *induperator*, *induſtrius*, &c. Id quod contra Gifanii judicium dictum velim. Fab. & ita paſſim Gott. Lugd. Bat. 1. 2. & alii. Hav.

83. *Endogredi.*] Ingredi. Quis autem neſcit endo, ἔνδον, *in*, *intus*, eſſe præpoſitionem antiquis notam? Creech.

83. *Sceleris*] id eſt impietatis. nam ſcelus, facinus eſt vel cruentum, ut ſicariorum & parricidarum; vel in parenteis, patriam, Deos. Lamb.

83. *Quod contra*] Ita o. v. Marullus & vulg. *Quin.* Gif.

83. *Quod contra*] Sic habent libri quatuor manuſcripti, & ita legendum putant viri docti, quibus aſſentiòr. Sic enim & M. Tull. cùm alibi, tum in Lælio loqui memini: *Peccaſſe enim ſe non anguntur: objurgari moleſtè ferunt. quod contra oportebat, delicto dolere, objurgatione gaudere.* ubi vulgò legitur, *quin contrà.* Lamb.

83. *Quod contra*] Non ex vulgi palato eſt hæc Latinitas; neque Gifanius animadvertit iſtam voculam *quod* eſſe quarti caſus. Lambinus ex Cicerone exemplum unum attulit; ego item alterum ex oratione pro Quintio: *Reliquum eſt ut eum nemo judicio defenderit, quod contra copioſiſſime defenſum eſſe oſtendi.* Aliquoties ita locutus eſt & alibi, ut & Rhetor ad Herennium. Fab. *Quod contra* ſcribit etiam uterque Lugd. Bat. niſi quod in altero *m.* ſit ſuperſcriptum. Hav.

13. *Sæpius illa*] Miror hanc lectionem ita neglectam fuiſſe ab editoribus, quum eam & Pius jam pridem in contextu, & ad oras Gryphii exhibuerint. Reſtituimus autem veram lectionem ex MSS. Lugd. Bat. 1. 2. Bodl. inſuper, Gottorp. Barth. Collationib. Heinſian. & Notis MSS. Jacobi Suſii. Sicut autem non uno loco Virgilius, ita quoque Lucretius vim quandam ſingularem in hac voce agnovit, ſicut 4: 181.

Parvus ut eſt cygni melior canor, ille gruum quam
Clamor in ætheriis diſperſus nubibus auſtri.

& 5:923.

Et genus humanum multo fuit illud in arvis
Durius, ut decuit.

Hanc emphaſim qui non intellexerunt, in *olim* hic, & alibi aliter mutarunt, ſicut patere poteſt ex Notis noſtris in Tertulliani Apologeticum, non uno in loco. Haverc.

84. *Sceleroſa*] Scelerata, ſeu ſceleris plena. Varro lib. 5. de Ling. Latina: *ſceleroſi hominis.* Terent. Eunucho 4: 3: 1.

---- ubi illum ſceleroſum miſera, atque impium
inveniam?

Lamb.

Aulide quo pacto Triviaï virginis aram
Iphianaſſaï turpârunt ſanguine fœde
Ductores Danaûm, delecti, prima virorum.

Quoi

INTERPRETATIO.

quale illud erat, cum Aulide duces Danaûm, principes viri, impie contaminarunt Dianæ aram Iphigeniæ cruore:

VARIÆ LECTIONES.

86. *Iphianaſſai.* Iphianaſſæo. C. Iphianaſſai. c. O. Iphianaſſeo. E. N. Iphianaſſa. *Lugd. Bat.* 1. 2. ſed in 1. corr.

87. *Delecti.* dilecti. G.

NOTÆ.

85. *Aulide quo pacto*] Id eſt, quemadmodum *ductores Danaum*, &c. poſt vocem *facta*, apponenda duntaxat virgula eſt, aut comma. nam hic verſus, & aliquot qui deinceps ſequuntur, ex ſuperioribus apti ſunt. Lamb.

85. *Aulide*] Bœotiæ portus eſt ad Euripum. Trivia virgo, Diana, Iphianaſſa, Agamemnonis filia, quæ aliis Iphigenia. omnia notiſſima & decantatiſſima. Tragœdia ſeu fabula orta ex hiſtoria Jephtæ, ut & illa altera Idomenei, qui filium ſub voti ſpecie, &c. Facinus enim illud Jephtæ, de quo in lib. Suffetum Hebræorum agitur, non ita multis annis ante obſidionem urbis Trojanæ evenerat. Fab.

85. *Triviai virginis*] Triviæ virginis, nempe Dianæ. *dicta* autem *Diana trivia eſt*, ut ſcribit Varro lib. 6. de Lingua Latina, *vel quòd in trivio ponatur, vel quòd luna putetur eſſe, quæ in cælo tribus viis movetur, in latitudinem, longitudinem, altitudinem:* vel quòd (ut alii volunt) eadem ſit Luna, Diana, Proſerpina. Virg. lib. 4. Æn. 511.

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

τριοδῖτιν appellant Græci, eadem ratione: iidemque παρθένον, ut Lucretius *virginem*. Lamb. Martial. Spect. 1: 1.

Nec Triviæ templo molles laudentur honores.

& Ep. 6: 47.

---- *Triviæ te miſit ab antro.*

& 9: 65.

Qua Triviæ numeroſa petit dum regna viator. Haverc.

86. *Iphianaſſai*] Ita Priſc. lib. VII. pro *Iphianaſſæ*. Fuit ea Agamemnonis filia. Homer. Iliad. VIII. Alii *Iphigeniam* vocant. Gif.

86. *Iphianaſſaï*] Iphianaſſæ, Iphigeniæ Agamemnonis filiæ. Cùm Græci vento adverſo Aulide detinerentur, neque eis ulla ad Trojam perveniendi facultas daretur, Agamemnon, Calchante conſulto, ejuſque reſponſo audito, quod fuit ejuſmodi, iratam Dianam eſſe placandam, votumque ei perſolvendum (voverat autem Dianæ, quod in ſuo regno pulcherrimum anno illo naſceretur) Iphigeniam filiam ſuam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius, immolavit. *Promiſſum potiùs non faciendum, quàm tam tætrum facinus admittendum fuit*, inquit M. Tull. lib. 3. de Offic. ſic & Hor. lib. 2. ſat. 3: 199.

Tu cum pro vitula ſtatuis dulcem Aulide natam
Ante aras, ſpargiſque mola caput improbe ſalſa,
Incolumi capite es?

hac de re autem lege Sophoclis Electram, & Euripidis Iphigeniam in Aulide. Huc pertinet illud Virg. Æn. 2: 72.

Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſa.

Iphianaſſaï autem legendum, quod agnoſcit Priſc. non *Iphianaſſæo*, ut eſt in libris vulgatis. Lamb.

86. *Turparunt*] inquinarunt, contaminarunt. ſanguis enim inquinat: & quod cruentum eſt, impurum eſt: ex quo *cruentum* pro impuro uſurpatur. ut lib. 6: 1133.

An cælum nobis ultro natura cruentum
Deferat, &c.

ubi vulgo legebatur *natura corruptum*. Lamb.

87. *Delecti*] Hìc apponenda eſt diſtinctionis nota. Theocr. Εἰδ. ιη. 18.

Πα-

Quoi ſimul infula virgineos circumdata comptus
Ex utraque pari malarum parte profuſa eſt.
Et moeſtum ſimul ante aras adſtare parentem
Senſit,

INTERPRETATIO.

Quæ Iphigenia, ſimul ac infula, cingens virgineas comas, ad utramque genam pependit, & ſimul ac ſenſit mœſtum patrem ad aras ſtare,

VARIÆ LECTIONES.

88. *Quoi.* quæ. C. N. P. quo L. *Comptus.* comtis N. crines Q. 1.
89. *parte.* paſto. 2. 90. *adſtare.* ſtare. X.

NOTÆ.

Πασῶν ἐκπολίων πϱοϛλελεγμένοι, ὧν ὄφελός τι. id eſt, *viri ex omnibus civitatibus dilecti, quorum aliquis uſus eſſet.* Admonendus eſt lector, in tribus libris manuſcriptis *dilecti* ſcriptum eſſe: quod probo. Nam Feſtus quoque teſtatur *dilectus militum* dixiſſe veteres, non *delectus.* Atque hanc vocem ſemper ita ſcriptam reperio in libris manuſcr. tum apud alios ſcriptores, tum apud M. Tullium. Exempli cauſa, Philipp. 5. *Bello autem dubio quod poteſt eſſe ſtudium dilectus?* & paucis verbis pòſt: *Tumultum decerni, juſtitium edici, ſaga ſumi dico oportere, dilectum haberi, ſublatis vacationibus.* Idem pro Milone, in narratione, *Convocabat tribus, ſe interponebat, Collinam novam ex dilectu perditiſſimorum civium conſcribebat.* Quem locum eò libentius protuli, quod in omnibus libris vulgatis mendosè legitur, non eò ſolùm quòd *delectum* habent pro *dilectu*, & *ſcribebat*, pro *conſcribebat*, ſed etiam quòd *coloniam novam*, pro *Collinam novam.* Fuit autem *Collina* una ex quatuor tribubus urbanis. Nolim verò Fr. Fabricium Marcoduranum ſua laude fraudare, qui ſe hunc M. Tullii locum ita ſcriptum in libris antiquis reperiſſe teſtatur. Lamb.

87. *Delecti*] Seu *dilecti*, ut Lambinus, legas, ſeu *delecti*, non eſt cur pugnetur. Fab.

87. *Prima virorum*] flos virorum. idem Theocr. Θεῖος ἄωτος: vel prima virorum, id eſt πϱῶτοι τῶν ἀνδρῶν, ut loquuntur Græci. Lucianus Timone, πϱῶτοι τῶν κολάκων: & ita Adrianus Turnebus. ſed utraque explicatio videtur mihi eodem recidere. Lamb.

87. *Prima virorum*] Ita Ovid. Amor. lib. 1. Eleg. IX. *ſumma ducum Atrides*; plane ex hoc Lucretiano expreſſum. Eſt autem imitatio Græci ſermonis. Herodotus ſæpe. Ex multis locis en tibi unum lib. VI. ſectione 100. Αἰσχίνης ὁ Νόθωνος, ἐὼν τῶν Ἐϱετϱιέων τὰ πϱῶτα. *Æſchines Nothonis filius Eretrienſium primarius.* Ita apud Lucianum; τὰ πϱῶτα τῶν Ἀθηναίων ἔση. *Athenienſium primarius vir eris.* Eſt & alius in eodem libro (Timon eſt) ſed quem protulit Lambinus. Fab. Dion πϱῶτα τῆς βουλῆς ὤν. Creech.

88. *Cui ſimul infula.*] Sic leg. ex l. v. non *quæ.* Talis ſyntaxis fere eſt inf. lib. 2. initio. Gif.

88. *Simul*] ſimulatque, ſimul ut. Lamb.

88. *Infula*] Filamentum laneum, quo ſacerdotes fæminæ, & hoſtiæ velabantur. Virg. Georg. 3. 487.

Lanea dum nivea circumdatur infula vitta.

Lamb.

88. *Infula*] Qua hoſtiæ velabantur. res notiſſima; erat fere ad eundem modum, quo *ſtolas*, ut vulgus vocat, Sacrificulorum eſſe videmus. Fab.

88. *Infula.*] Velamentum è lana intra Hoſtiarum cornua. *Varro.* Faſcia in modum Diadematis, à qua ex utraque parte vittæ dependent: *Servius ad* 10. *Æneid.* Creech. Virg. de Sinone lib. Æneid. 2: 133.

Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ. Hav.

88. *Virgineos circumdata comtus*] data circum virgineos comtus. ἀναστϱοφή: id eſt circumdata capiti, & temporibus comtæ virginis, vel comto capiti virginis. Lamb.

88. *Virgineos circumdata comptus*] Cingens, ſeu ambiens comas comptas; dein notanda Latinitas, *ex utraque pari.* Fab.

90. *Et mæſtum ſimul, &c.*] Et ſimul, id eſt eodem tempore; vel & ſimulatque ſenſit, id eſt vidit, vel cognovit potiùs (erat enim velata) mæ-

ſtum

Senſit, & hunc propter ferrum celare miniſtros;
Adſpectuque ſuo lacrumas effundere civeis:
Muta metu terram genibus ſubmiſſa petebat:

Nec

INTERPRETATIO.

& juxta illum cultros Popas expedire, civesque ſpectatores duro ſuo fato illachrymare, muta metu in terram decidit ſupplex;

VARIÆ LECTIONES.

91 *Celare.* celerare. c. P. celebrare. A. marg.
93 *Muta metu.* Volta metu. *Avancius. Terram.* terrarum Bodl. *Petebat.* Patebat. Bodl.

NOTÆ.

ſtum parentem Agamemnonem adſtare, &c. ad hunc locum pertinent illa M. Tull. in orat. perfecto: *Si denique pictor ille vidit, cùm, immolanda Iphigenia, triſtis Calchas eſſet, triſtior Ulyſſes, mœreret Menelaus, obvolvendum caput Agamemnonis eſſe, quoniam ſummum illum luctum penicillo non poſſet imitari, &c.* Lamb.

91. *Hunc propter*] Juſſu & voluntate Agamemnonis. Gemebat virgo patrem ita religione dira captum & poſſeſſum eſſe: ut ſæviret ad explendam ſatiandamque deorum iram in propria uſque viſcera. Vel interpretare *propter hunc*, prope hunc Agamemnonem: quoniam præpoſuit, & mœſtum ante aras adſtare parentem. Victimatores ſacrificuli erant apud Agamemnonem: qui comitatus fuerat Pompæ funebris miſerandum choragium. *Propter*, ut notum eſt, prope ſignificat. Ovidius in lib. Metamorphoſeos 8: 258.

Propter humum volitat: ponitque in ſepibus ova:
Antiquique memor metuit ſublimia caſus.

Idem ſignificat *præter*. Vel *propter* Agamemnonem dicit Calchantem acceleraſſe ferrum ne ſpacio, ductu, tractuque, cædis creſceret dolor. vel ne pœnitentia ductus, interim retraheret virginem, ſacrificiumque non abſolveretur magno Græcorum incommodo. Pius.

91. *Hunc propter*] Prope hunc. *To propter* natum eſt ex *propiter*, ut *humaniter* ex *humane*, & alia pæne infinita. Fab.

91. *Hunc propter*] Ut infra; hoc eodem libro verſ. 317.

— — — *portas propter.*

Amat Lucretius præpoſitionum poſtpoſitionem. Quod ſemel monuiſſe ſat eſt. Preig.

91. *Celare*] *Celerare.* Gif.

91. *Celare*] vagina tectum, conditumque habere: vel, ſi quis malit legi *celerare*, ut ſcriptum eſt in nonnullis codicibus, id erit celeriter expedire. codices manuſcripti tamen quatuor habent *celare.* Lamb.

91. *Ferrum celare*] al. *celerare*, id eſt expedire, promere, exerere. quod magis placeret. Fab.

91. *Celare.*] *Celebrare* Gif. alii *celerare*, i. e. expedire: quæ lectio probanda eſt, haud timeret enim Iphigenia quod miniſtros ferrum *celare* ſenſiſſet. Creech.

93. *Muta metu terram genibus ſummiſſa petebat.*] Sic habent omnes libri & manuſcripti, & typis excuſi: neque video quamobrem quicquam mutare debeamus. ſic enim Virgilius eſt locutus Æneid. 9: 341.

Molle pecus, mutumque metu.

& 12: 718.

Stat pecus omne metu mutum.

& M. Tull. Frumentaria: *Itaque illum in jure, metu conſcientiaque peccati mutum, atque exanimatum, ac vix vivum relinquo.* Idem pro domo ſua; *Civitatemque fractam malis, mutam, debilitatam, abjectam metu, &c.* Avancius tamen legendum putabat,

Vulta metu terr. gen. &c.

ut ſit hæc hujus loci ſententia, Iphigenia *vulta* (id eſt vultus) ſubmiſſa, *metu*, id eſt, propter metum, terram genibus petebat: *vultus ſubmiſſa* autem, hoc eſt, vultu ſummiſſo. neque enim eſt quòd quemquam offendat vocis novitas. Nam eam etiam uſurpavit lib. 4: 1206.

— — *ſed quos utriuſque figuræ*
Eſſe vides juxtim, miſcenteis volta patentum, &c.

Præ-

Nec miſerae prodeſſe in tali tempore quibat,
Quod Patrio princeps donârat nomine Regem.
Nam ſublata virûm manibus tremebundaque ad aras

De-

INTERPRETATIO.

at vero ad ſalutem infœlici illi Virgini tum minime profuit, quòd prima Regem Patris nomine donaverat, nam à terra virorum manibus levatur, & ad aras tota tremens

VARIÆ LECTIONES.

95. *Donarat.* donaret. P. Q. X.

NOTÆ.

Præterea eadem voce utuntur Latini in numero multitudinis, pro ſingulari. M. Tull. epiſt. lib. 12. *Vultus tuos mihi expreſſit omneis:* & lib. 2. de Orat. *Vultus omnes adverſarii diligenter perſpiciendi.* Virgil. lib. 4. Æneid. 4.

— — hærent infixi pectore vultus:

& lib. 1: 688.

--- --- notos pueri puer indue vultus.

Jam verò *ſummiſſo vultu* dixit Virgil. lib. 12. Æneid. 807.

Sic dea ſummiſſo contrà Saturnia vultu:

& Catull. *ſummiſſo poplite*, Carm. de Pel. & Thet. nupt.

Projiciet truncum ſummiſſo poplite corpus.

Ego tamen lectionem receptam & vulgatam retinendam, præſertim à veteribus libris confirmatam, cenſeo. Nam & Virg. poſtremam hujus verſus partem imitatus eſt:

Summiſſi petimus terram, &c.

lib. 3. Æneid. 93. & idem Lucretius lib. 3. 173.

--- --- --- terræque petitus
Suavis. Lamb.

93. *Muta metu.*] *Avancius* legendum putat *Volta metu*, &c. ut ſit hæc hujus loci ſententia, Iphigenia volta i. e. vultus (voce enim iſta utitur Lucretius lib. 4.) ſummiſſa i. e. vultu ſubmiſſo propter metum. Sed quid indigeamus ingenio, cum altera lectio proba ſit, & à Codicibus confirmata? Creech.

93. *Muta metu*] Solita paronomaſia. Virg. 12. Æn. 718.

Stat pecus omne metu mutum, muſſantque juvencæ. Preig.

93. *Summiſſa*] Succidua, hoc loco. Fab.

95. *Quod patrio &c.*] Ex Eurip. *πρώτη σ᾽ ἐκάλεσα πατέρα καὶ σὺ παῖδ᾽ ἐμέ.* Gif.

95. *Quòd patrio princeps, &c.*] Princeps, id eſt prima. ſic lib. 5: 9.

Qui princeps vitæ rationem invênit eam, quæ
Nunc appellatur ſapientia.

Notavimus in commentat. Horat. ad illum locum odæ 16. lib. 1.

Fertur Prometheus addere principi Limo coactus particulam undique
Deſectam, &c.

ſic idem Horatius epiſt. 19. lib. 1.

Libera per vacuum poſui veſtigia princeps.

Magnum immanitatis atque atrocitatis in patre argumentum, filiam eam, à qua prima ſit pater appellatus, mactare. Sic Æſchines in oratione κατὰ Κτησιφῶντος invehitur in Demoſthenem, quòd is die ſeptimo poſt filiæ ejus, quæ ſe prima patrem appellarat, mortem, hoſtias immolaſſet, his verbis: *πρὶν πενθῆσαι καὶ τὰ νομιζόμενα ποιῆσαι, στεφανωσάμενος, καὶ λευκὴν ἐσθῆτα λαβὼν, ἐβουθύτει, καὶ παρηνόμει, τὴν μόνην ὁ δείλαιος, καὶ πρώτην αὐτὸν πατέρα προσειποῦσαν ἀπολέσας*, id eſt, *prius quàm filiam luxiſſet, prius quàm ejus funeri juſta ſolviſſet, coronatus, & albatus, bovem immolabat, morem majorum negligebat, leges & inſtituta civitatis violabat, unica filia miſer amiſſa, quæ ipſum prima patrem appellarat.* quem locum commemorat M. Tull. Tuſcul. 3. his verbis: *Itaque & Æſchines in Demoſthenem invehitur, quòd is ſeptimo die poſt filiæ mortem hoſtias immolaſſet. at quàm rhetoricè! quam copioſè! quas ſententias colligit! quæ verba contorquet! ut licere quidvis rhetori intelligas.* Eundem profert Plutarchus *παραμυθητ. πρὸς Ἀπολλών.* & in vita Demoſthenis notat. Itaque Iphigenia apud Euripidem his maximè verbis ſe

patrem

Deducta eſt, non ut, ſolemni more ſacrorum
Perfecto, poſſet claro comitari Hymenaeo:
Sed caſta inceſte nubendi tempore in ipſo

INTERPRETATIO.

rapitur, non ut ſacris ſolemnibus rite peractis ſplendida nuptiarum pompa domum deduceretur; Sed ut caſta virgo, eo ipſo tempore, quo in matrimonio collocari debuit jam matura viro,

NOTÆ.

patrem Agamemnonem flexuram ſperat:

Πρώτησ' ἐκάλεσα πατέρα, καὶ σὺ παῖδ' ἐμέ,

id eſt,

Te prima patrem vocavi, tu me filiam. Lamb.

96. *Quod patrio princeps, &c.*] *Princeps*, eſt prima. (Adde Leopard. Emend. 5: 24.) Senſus eſt, Iphigeniam fuiſſe πρωτότοκον inter Agamemnonis liberos. Fab.

96. *Nam ſublata virum manibus*] Tolli manibus virorum, aut etiam ſuſtolli, ut mactaretur, cum ratione conſentaneum eſt: ut verò in matrimonio collocaretur, abſurdum fortaſſe alicui videatur. Sed videri non debet. Nam fortaſſe hoc referendum eſt ad morem Romanum, quo novæ nuptæ ſurſum latæ, id eſt, ſublatæ, domum viri ducebantur; natum ex Sabinarum raptu, quæ primæ Romanorum uxores fuerunt. vel, ut alii volunt, ſignificare volebant, virgines debere videri eò ire invitas, & vi coactas, ubi virginitatem eſſent amiſſuræ: vel hanc ſublationem ſignum eſſe conjunctionis ſempiternæ & indiſſolutæ præſagiebant, ut, quemadmodum invita domum viri ingreſſa eſſet, ita, niſi vi & neceſſitate magna coacta, eam non eſſet relictura. Lamb.

96. *Sublata virum manibus*] Metaphora à ritu nuptiarum. Vide Interpretes ad illud Catulli; *teneram rapis ad virum Virginem*, In aureolo poëmate de nuptiis Manlii. vſ. 3. Fab.

96. *Sublata, &c.*] E ritu nuptiarum forſan, etſi non affirmem, quem tradit his verbis Feſtus Pompejus, *Rapi ſimulatur Virgo è gremio Matris, aut ſi ea non eſt, ex proxima neceſſitudine, cùm ad virum trahitur, viz. ea res feliciter Romulo ceſſit.* Creech.

96. *Ad aras*] Jonſtonus edidit *ad aram*, quomodo etiam exſtat in Lugd. Bat. 2. nec tamen video cur repudianda ſit vulgata lectio. Virg. in ſimillimo caſu de Sinone Æn. 2: 155.

— — *Vos aræ enſeſque nefandi*
Quos fugi. Hav.

97. *Deducta*] Verbum ſolemne in nuptiis. Preig.

97. *Solemni more ſacrorum.*] Non deducitur ad aras Iphigenia: uti illi auſpex flammeum involvat, & nupturæ bona verba dicat: ſed ut victima juguletur. Exaggeratio invidiæ commemoratione felicitatis: ad quam erat a natura deſtinata: quam nunc religio dira & barbara per violentiam reſcidit. Sacra vocat hic illa ſolemnia, quæ celebrantur cum primum bona & ſacra verba ſponſæ canit auſpex. *Perfecto.* id eſt, ut poſt expeditum illum morem ſacrorum in manus ſponſi veniret. Pius.

97. *Sollemni*] id eſt uſitato, ſtato, rato & fixo. *Sollemme* vel à *ſolo*, quod eſt τὸ ὑφιστάμενον, id eſt, *quod ſubſiſtit*, vel ab Oſca voce *ſollo*, quod eſt totum: ex qua *ſollers*, quaſi ὅλος ἀρετὴ, id eſt, *totus ars, & virtus, totuſque in omni re prudens.* rectè autem geminatur *l*, ut producatur prima ſyllaba. Deducta eſt (inquit) non ut ſollemnibus & uſitatis ſacris perfectis, poſſet in claro & amplo matrimonio collocari, &c. Lamb.

98. *Claro comitari hymenæo*] id eſt, vel in claro matrimonio collocari, ut lib. 4: 1244.

Et multæ ſteriles hymenæis antè fuerunt
Pluribus:

vel nuptiali carmine, eoque claro propter nuptiarum claritatem, celebrari. nam *comitari* hoc loco παθητικῶς accipiendum eſt. nec mirum, cùm etiam *comito, as* fuerit veteribus uſitatum. Lamb.

98. *Comitari*] Deduci. Eſt autem ſignificationis paſſivæ, ut alibi. Fortaſſe etiam ſumpſerit pro conjungi. Ita Græce συνελθεῖν in eadem notione. Fab.

98. *Claro comitari Hymenæo.*] Reſpicitur ad acclamationem, quæ in nuptiali ſolemnitate fiebat. Plaut. in Caſina 4: 3: 2.

Sua-

Hoſtia concideret mactatu moeſta parentis,
Exitus ut claſſi felix, fauſtusque daretur.
Tantum Relligio potuit ſuadere malorum.

INTERPRETATIO.

infœlix patris ſui manu inceſtè (vel impiè) tanquam victima occideretur, ut Græcorum claſſi Trojam petenti, faciles proſperique venti immitterentur. Tantum facinus Religio ſuadere potuit.

VARIÆ LECTIONES.

101. *Claſſi.* claſſe G. 102. *Tantum* &c. Malorum tantum relligio potuit ſuadere. Q.

NOTÆ.

Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam hymenæo.

adde Catull. in carm. de nuptiis Juliæ & Manlii. Ad quem ritum pertinet etiam *ſublata v.m.* HAV.

99. *Caſta inceſte*] ἀντίθεσις. *inceſtè* autem, id eſt impurè, propter ſanguinem. nam ſanguis inquinat, & impurum reddit. ex quo *cruentum* poſuit lib. 6: 1183. pro eo quod eſt impurum:

An cælum nobis ultro natura cruentum
Deferat.

quod paullo antè commemoravimus. LAMB.

99. *Nubendi tempore in ipſo*] eo ipſo tempore, quo nubere debebat: vel quo matura viro, & nubilis erat. LAMB.

99. *Sed caſta inceſte*] *Inceſte* eſt impure, ut volunt; at ego hic aliter accipio: nam *caſtus* quandoque pium ſignificat. Virgil. Æn. 3: 409.

Hac caſti maneant in relligione nepotes.

Itaque *inceſte* fuerit impie. Sic Julius apud Feſtum: .... *caſte qui parant ſacra*, id eſt pie. Ita etiam apud Varronem olim in formula templorum dedicandorum: EGO CASTE NUNCUPAVERO. Et Virgil. iterum in 7: 71. *caſtis adolet dum altaria tædis.* Sic enim intellexiſſe Servium ex illius excerptis ſatis conſtat. FAB.

99. *Caſta inceſte*] Paranomaſia. PREIG.

100. *Hoſtia concideret*] Atque ita ut pecus jugularetur. qualis apud Virgil. *procumbit humi bos.* Æn. 5: 481. HAV.

100. *Mactatu.*] Mactatione. nomen eſt verbale. *Mactare* ſignificat hoſtiam ſacrificare. Tractum eſt a victimatore, qui tauro ad ſacrum tracto effundebat molam inter cornua: & tunc dicebatur *mactus*, id eſt magis auctus. Unde Maro Æn. 9: 641.

Macte nova virtute puer: ſic itur ad aſtra.

Plautus Amph. 4: 2: 14.

Macto ego te infortunio.

Mactatu parentis, interpretare immolatione, juſſa a parente & indicta ab Agamemnone. PIUS.

100. *Mactatu*] mactatione, & immolatione à parente facta. *mactare* propriè valet magis augere, quaſi *magis auctare*, ornare, honorare. M. Tullius ex Nonio, *Ferunt laudibus, mactant honoribus.* Itaque non ſolum ita loquimur, *mactare Diis hoſtiam*, id eſt, immolare: ut Virg. lib. 3. Æneid. 21.

Cœlicolûm regi mactabam in litore taurum,

& Lucret. lib. 5: 52.

Et nigras mactant pecudes, & manibus Divis
Inferias mittunt:

ſed & *mactare Deos*, pro eo quod eſt, ſacrificiis Deos honorare, ſeu placare. M. Tull. in Vatin. *Cùm puerorum extis Deos mactare ſoleas.* ex quo *mactare malo*, & *mactare infortunio.* Plaut. Bacchid. 4: 8: 45.

--- --- & ego te, & ille mactamus infortunio.

cujuſmodi eſt illud apud Terent. Heaut. 4: 1: 15.

--- ergo herus damno auctus eſt. LAMB.

100. *Mactatu.*] Sic Euripides Iphigen. in Aulide v. 1176.

Ἀπώλεσέν σ' ὦ τέκνον ὁ φυτεύσας πατὴρ
Αὐτὸς κτανὼν, οὐκ ἄλλος, οὐδ' ἄλλῃ χερί.

CREECH.

101. *Exitus ut claſſi*] Hæc Agamemnonis erat πρόφασις, propter quam filiam ſuam immolaret. itaque ſic eum facit privato homini reſpondentem Horatius ſat. 3. lib. 2. vſ. 205.

Verùm ego, ut hærenteis adverſo litore naveis
Eriperem, prudens placavi ſanguine Divos.

Vide

Tutemet à nobis jam quovis tempore Vatum
Terriloquis victus dictis deſciſcere quaeres?
Quippe etenim quam multa tibi jam fingere poſſum
Somnia,

INTERPRETATIO.

Vereor etiam, O Memmî, ne Tu, qui per omnem ætatem tuam fidem abhibuiſti poëtarum fabulis, noſtras opiniones averſeris! Haud ſapienter quidem, ipſe enim multas poſſum fingere

VARIÆ LECTIONES.

103 *Quovis.* quodvis G. K. *Lugd. Bat.* 2. fuerat & in 1. ſed eraſum.
104. *Deſciſcere.* deſiſtere. *Gaſſendus.* diſcere G. diſciſcere. *L. B.* 2. *Quæres?* quæres. A. B. C. L. P.
105. *Etenim.* æternum Q. *Tibi jam.* tibi me. A. B. I. P. *Lugd. B.* 2. *Poſſum.* poſſunt. C. E. H. 2. O. poſſem c. H. 1.

NOTÆ.

Vide Eurip. Iphig. in Aulide. LAMB.

101. *Exitus ut claſſi*] Eleganter Callimachus hymno εἰς Ἄρτεμιν dixit μείλιειν ἀπλοΐης. FAB.

102. *Tantum relligio potuit.*] Acclamatio: ut infr. eodem libr. 826.

Tantum elementa queunt permutato ordine ſolo.

& Virgil. libro 1. Æneid. 37.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

LAMB.

102. *Tantum Relligio*] Lactant. 1: 21. *Peſcennius Feſtus in libris hiſtoriarum per ſatyram refert, Carthaginienſes Saturno humanas hoſtias ſolitos immolare: & cum victi eſſent ab Agathocle rege Siculorum, iratum ſibi Deum putaviſſe: itaque ut diligentius piaculum ſolverent, ducentos nobilium filios immolaſſe.*

Tantum relligio potuit ſuadere malorum,
Quæ peperit ſæpe ſceleroſa atque impia facta.

quem poſtremum verſum ex alio Lucretii loco paullo immutatum ad ſententiam ſuam illuſtrandam appinxit. adde Juvenal. Sat. 15: 37. & Lucianum de Sacrificiis in initio. HAV.

102. *Suadere.*] Sic infra 176. *Auctumno ſuadente.* & 142.

Quemvis perferre laborem
Suadet, & inducit, &c.

Ovid.

Nox & amor vinumque nihil moderabile
ſuadent. PREIG.

103. *Tutemet, &c.*] Nihil deëſt. Ita abrupte & inf. eodem hoc lib. 5: 918. & lib. 3: 171. GIF.

103. *Tutemet à nobis*] Hunc verſum profert Priſc. lib. 12. Sententia autem hujus loci hæc eſt: Quid Agamemnonem, regem ambitioſum, & ſtultè religioſum commemoro? tu ipſe doctrina politus, atque ab omni ſuperſtitione liber, ac ſolutus, jam à nobis deſciſcere conaberis. LAMB.

103. *Tutemet*] Neque mirum id feciſſe Agamemnonem regem illum regum, ex genere *bellipotentum* non *ſapientipotentum*, ut dixit Ennius: quin & fortaſſe metuendum ſit, ne tu ipſe, qui præclaris artibus excultus es, ſuperſtitioni capiſtratum os ſubdideris. FAB.

103. *Tutemet.*] Iterum dubitat Lucretius, ne Memmius cedens Poëtarum fabulis de *Cerbero*, *Acherunte*, & *pœnis* poſt mortem, quibus jam diu aſſueverat, opiniones ſuas averſetur. Harum ideo vim elevat, ſuggerendo iſtas fabulas mera forſan eſſe otioſorum Poëtarum figmenta, ipſe enim potuit fabulas fingere quæ eſſent æquè ac illæ terribiles. CREECH.

103. *Jam*] Pro etiam. ſic 6: 1250.

Præterea jam paſtor & armentarius omnis.

PREIG.

104. *Terriloquis.*] Id eſt, quæ loquuntur poëtæ ad homines terrendos: quibus non imbecilli ſolùm animi, verùm etiam fortes & conſtantes terrentur interdum, ut de Cerbero, de Acherunte, de Tantalo, Siſypho, Tityo, & ceteris. LAMB.

104. *Vatum terriloquis dictis*] Quæ de cruciatibus inferorum dicunt; de rota Ixionis, ſaxo Siſyphi, flagellis Eumenidum; Cerberi latratu, aut *cum pice torrentes atraque voragine ripas* confingunt; quæ omnia olim in frequenti ſenatu Ciceronem

Somnia, quae vitae rationes vertere poſſint,
Fortunaſque tuas omneis turbare timore?
Et merito: nam ſi certam finem eſſe viderent
Ae-

INTERPRETATIO.

fabulas quæ timorem incuterent, omneſque vitæ tuæ rationes perverterent; nec injuria, (ut verum fatear.) Si enim Hominibus perſuaſum fuiſſet

VARIÆ LECTIONES.

107. *Timore?* timore. P.
108. *Nam ſi.* jam ſi. Bm. *Certam.* certum. C. P. X.

NOTÆ.

ronem ipſum deriſiſſe ſcimus. Fab.

104. *Deſciſcere.*] Vet. libri quidam *deſiſtere.* quidam *diſciſcere.* Gif.

104. *Deſciſcere*] Duo libri manuſcripti habent *diſciſcere:* nonnulli *deſiſtere*, quibuſcum conſentiunt quidam vulgati; ceteri *deſciſcere.* quos ſequor. Lamb.

105. *Quippe etenim*] Nempe, ſcilicet, ſcommatice. Creech.

105. *Tibi me fingere poſſum*] Ita ex Vet. libris ſcripti. Accuſandi caſus pro recto. In quibuſdam, ut in vulgatis: *jam.* In quibuſdam vulgatis: *poſſunt.* Gif.

105. *Jam fingere poſſum*] Sic habent tres libri manuſcripti, & typis excuſi Vicetini, & Pariſienſes. ſed hoc præterea varietatis in libris manuſcript. reperi, quòd quidam habent *me fingere poſſum:* quam ſcripturam nonnulli docti viri probant; ajuntque ſic locutos eſſe veteres. alii ex hac ſuſpicantur eſſe legendum,

--- — *Ex me fingere poſſum.*

Ego ſuſpicatus aliquando ſum legendum,

— — *Confingere poſſum.*

Verum tamen aut vetus ſcriptura probanda, aut vulgata ac recepta. ne illa quidem mihi rejicienda videtur, *ex me fing. poſſum.* Lamb.

105. *Jam fingere poſſum*] Giſan. è veteribus libris, ſed corruptis, legit, *me fingere poſſum.* nil deterius. Sed fortaſſe non male legeris *jam fingere poſſunt*; Vates ſcilicet ſomnia & inania rerum fingere poterant, quibus, &c. Fab. *Jam fingere*] *Me fingere* ex vet. lib. Giſanius, hinc alii conjiciunt legendum *ex me fingere*, alii *confingere*. Creech.

106. *Somnia.*] Terriculamenta: pavores: miracula: juxta Perſii ſententiam Sat. 3: 83.

Ægroti veteris meditantes ſomnia: gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti.

Et hoc eſt quod inquit ille. Quæ tam abſona ſomniavit unquam febriculoſus ſenex, quæ non aliquis philoſophorum dixerit? Simile apud Marcum Tullium in oratione contra Rullum: *Hæc per deos immortales ſunt vobis conſilia ſiccorum, an vinolentorum ſomnia?* Pius.

106. *Vertere*] Evertere. Virgil. Æneid. 1: 24.

Tyrias olim quæ verteret arceis.

Lucret. lib. 3: 84.

— — *pietatem vertere fundo.* Lamb.

106. *Vertere*] Alibi (ut inf. 3: 84.) *Evertere fundo.* & Virg. 10. Æn. vſ. 88. *vertere fundo.* Preig.

108. *Nam ſi certam finem*] Sic habent libri omnes manuſcr. Vaticanus, Memm. Tettianus, Bertin. atque hanc ſcripturam agnoſcit Nonius. Denique apud hunc ſcriptorem ferè ſemper hoc nomen in genere fæmin. uſurpatur, ut inf. eod. libr. 578.

Denique jam quoniam generatim reddita finis.

& libr. 2: 512.

— — — *certa*
Finis utrinque tenet ſummam.

& 3: 1035.

— *nec quæ ſit pœnarum denique finis.*

& in pleriſque aliis locis. ſic apud Virg. lib. 5. 384.

— — *Quæ finis ſtandi?*

& apud Horat. od. 17. Epod. verſu 36.

Quæ finis, aut quod me manet ſtipendium?

Aerumnarum homines, aliqua ratione valerent
Relligionibus, atque minis obſiſtere Vatum:
Nunc ratio nulla eſt reſtandi, nulla facultas,
Aeternas quoniam poenas in morte timendum.
Ignoratur enim quae ſit natura animaï,

Nata

INTERPRETATIO.

certum fore in morte miſeriarum finem, tum aliquo modo Religionibus obſtare poſſent, & poëtarum ſacerdotumque minas contemnere; nunc autem nulla ratione obſtare poſſunt, imo neceſſe eſt ut cedant, quoniam timent æternas pœnas poſt mortem futuras: Neſcitur enim, quænam ſit natura Animæ,

VARIÆ LECTIONES.

112. *Quoniam.* tantum. Q. 1. *Timendum.* timendum 'eſt Q. 1.

NOTÆ.

Sententia autem hujus loci hæc eſt: Si homines ærumnarum & miſeriarum finem in morte viderent, aliqua ratione religionibus obſtare poſſent. Nunc autem, cùm putent animos eſſe immortaleis, naſci videntur in miſeriam ſempiternam, neque ſe umquam conquieturos ſperant. Lamb.

108. *Nam.*] *Jam.* His 20. v. ſeipſum quaſi corrigit, & aliquam eſſe in iis fabulis vim fatetur; dum enim de *Anima* diverſi Philoſophi diverſa pronuntiant, alii naſci & interire cum Corpore, alii verò prius ſubſiſtentem in Corpora naſcentia infundi, & à Corpore per mortem ſeparatam Inferos ſubire, vel in pecudum Corpora migrare (quæ fuit *Ennii Pythagorici* ſententia, quam fusè exponit, obiter etiam convellit & deridet, tanquam ſibi ipſi contrariam) profecto temere agerent qui *Providentiam* contemnerent, dum iſtos contemptores æternæ maneant poſt mortem pœnæ. Hæc eſt hujus loci ſententia quem præruptum alii, & obſcurum queruntur. Creech.

110. *Relligionibus*] Ita vulgo hoc capiunt quaſi ad relligiones abſolute ſit referendum, quum connecti cum *minis* poſſit, ut innuat Lucretius ſuperſtitiones, quibus credulum vulgus implent, quaſque illis incutiunt vates, minaſque, quibus terrent. Hav.

111. *Reſtandi, nulla facultas.*] Ita interpungendum putavi. Gif.

112. *Æternas quoniam pœnas in morte timendum.*] Pro timendæ pœnæ. Sed verbum hoc eſt aparemphaton, hoc eſt indefinitum, quod per accuſativum profertur. Cicero ſeptima in Verrem actione. *Hanc ſibi rem ſperant præſidio futurum.* Pius.

112. *Æternas quoniam pœnas in morte timendum.*] Id eſt, timere oportet, ut apud Græcos φοβητέον. ſic loquitur inf. eodem lib. verſu 139.

Multa novis verbis præſertim cùm ſit agendum,

id eſt, cùm multa agere oporteat. & libro 2:491.

Addendum parteis alias erit: inde ſequetur, &c.

& lib. 3: 626.

Quinque (ut opinor) eam faciundum eſt ſenſibus auctam.

ibid. 392.

Uſque adeò prius eſt in nobis multa ciendum.

& libro quarto: 779.

--- --- multaque nobis
Clarandum eſt, planè ſi res exponere avemus.

Lamb.

112. *Pœnas in morte timendum*] Id ex ſeſe non dicit Lucretius, ſed ex ſcriptis vatum, qui rem eo deduxerant, ut mors ipſa doloribus finem non imponeret; cum contra ex opinione Epicuri nil mortuis timendum; qui enim bona fide mortui ſunt, ii neque mordent, neque mordentur. ἀλλ' οὐκ ἐμὸς λόγος. Nam illud Catonis facio meum: *Diverſo itinere malos à bonis loca tetra, inculta, fœda, atque formidoloſa habere.* Saluſt. in Catil. 52. Iſtud autem *timendum pœnas* è veteri & bono Latio eſt: neque temere aliter loquitur Lucretius, ut nec Varro. ſic in lib. de R. R. *videndum hæc quatuor.* alibi, *vaſa vinaria faciundum.* alibi, *præfectos alacriores faciundum præmiis.* Item, *ponendum quadrimos.* &, *emendum veteranos boves.* Sed infinita ad eam rem exempla congeri nihil neceſſe eſt. Nam nec Virgilius quoque abſtinuit: Æn. 11: 230.

Pacem à rege petendum eſt. Fab.

112. *Timendum.*] Iſtud *timendum pœnas* è veteri & bono Latio eſt, nec aliter temere loquitur Lucretius, v. 139. *multa agendum:* v. 382.

pri-

Nata ſit, an, contra, naſcentibus inſinuetur,
Et ſimul intereat nobiſcum morte dirempta,
An tenebras Orci viſat, vaſtaſque lacunas,
An pecudes alias divinitus inſinuet ſe,
Ennius ut noſter cecinit, qui primus amoeno

Detu-

INTERPRETATIO.

an ſit nata cum corpore, vel prius exiſtens naſcenti corpori infundatur; an moriente Homine unà etiam Anima pereat morte ſeparata à Corpore: an adeat tenebroſas & immenſas Inferorum cavernas, an divina aliqua potentia in brutas animantes migret, ut noſter Ennius cecinit, qui primus ex amœno

VARIÆ LECTIONIS.

115. *Morte diremta.* morte perempta. *Creech.*
118. *Ennius ut noſter cecinit, qui primus.* Ennius ut primus cecinit qui noſter. G. & Lugd. Bat. 2.

NOTÆ.

privandum eſt Corpora motu, &c. Ipſe etiam Virgilius Æn. 2: 230.

— — *Pacem à Rege petendum.* Creech.

112. *In morte timendum*] De hac conſtructione præter Lamb. videndus Voſſius de Anal. 3: 10. & de Conſtruct. c. 53. citatque Servius ad Virg. Æn. 11: 230. ut explicet illud

— *aut pacem Trojano ab rege petendum.* Hav.

113. *Natura*] οὐσία. Fab.

114. *Nata ſit, an contra*] utrum anima nata ſit unà cum corpore, ut volunt Stoici, & Ariſtoteles: an contrà ab æterno creata in corpora naſcentium inſinuetur, atque infundatur, ut ſentit Plato, & veteres Academici. Arnobius lib. 1. adverſ. genteis. *Quid ſit ſenſus, quid anima, advolaritne ad nos ſponte, an cum ipſis ſata ſit, & procreata viſceribus: mortis particeps degat, an immortalitatis perpetuitate donata ſit.* Lamb.

114. *Nata ſit, &c.*] Una cum corpore, ut Stoici & Peripatetici. Fab.

114. *Inſinuetur.*] Ita ut ab æterno creata ſit, ex Platonis dogmate. Fab.

115. *Et ſimul intereat, &c.*] & utrum nobiſcum moriatur anima, an ad inferos deſcendat, an in alia corpora migret: quæ poſtrema opinio fuit Pythagoreorum. dictum autem *inſinuet ſe pecudes*, pro *ſinuet*, ſeu *inſinuet ſe in pecudes.* nam veteres interdum non addebant præpoſitionem, ſi ea jam eſſet in verbo compoſito. ut *adigere arbitrum*, potiùs quàm *adigere ad arbitrum*, & *adigere jusjurandum. Propugnat nugis*, apud Horat. 1 Ep. 18: 16. ſic idem Lucret. lib. 2: 124.

Hoc etiam magis hæc animum te advertere par eſt. Lamb.

115. *Dirempta*] *Separata* videlicet à corpore & *diſſipata*, niſi potius legatur *perempta.* Creech.

116. *Vaſtaſque lacunas*] Ingentia ſtagna; quas evagata Cocyti & Phlegethontis aqua facit. Pius.

117. *Pecudes alias inſinuet ſe*] Ex Pythagoræ placitis. Fab.

117. *Pecudes alias inſinuet.*] Ut *adigere arbitrum, adigere jusjurandum, propugnare nugis*, & Lucretius lib. 2. v. 124. *Hæc animum te advertere par eſt.* Creech.

118. *Ennius ut noſter cecinit*] Qui videtur fuiſſe Pythagoreus. Horat. epiſt. 2: 1: 50. ad Auguſt.

Ennius & ſapiens, & fortis, & alter Homerus,
Ut Critici dicunt, leviter curare videtur,
Quò promiſſa cadant, & ſomnia Pythagorea.

Perſius ſat. 6: 10.

Cor jubet hoc Enni, poſtquam deſtertuit eſſe
Mæonides, quintus pavone ex Pythagoreo. Lamb.

118. *Qui primus*] primus Latinorum. Lamb.

118. *Ennius*] Qui Pythagoricus fuit, ut fere omnes illius ætatis ſcriptores. Notum quid de majori Græcia dictum à Cicerone fuerit in Tuſcul. Fab.

118. *Primus*] Primus enim Latinorum *Ennius* Epicum & Heroïcum Poëma ad exemplum Homeri ſcripſit. Creech.

Detulit ex Helicone perenni frunde coronam,
Per genteis Italas hominum quae clara clueret,

Etſi

INTERPRETATIO.

Helicone decerpſit Coronam nunquam marceſcentem, quæ inter omnes Italos maximæ eſt famæ, & nobilis habetur:

VARIÆ LECTIONES.

120. *Hominum.* omnium. A. B. I. *Quæ.* qui Q. 1.

NOTÆ.

118. *Qui primus*] Imitatus Virgilius Georg. 3: 11.

Primus ego in patriam mecum (modo vita ſuperſit)
Aonio rediens deducam vertice Muſas. Preig.

119. *Helicone*] Bœotiæ monte, quem Muſæ incolunt. Lamb.

119. *Frunde.*] Ita vet. libri. Gif.

122. *Per gentes Italas omnium*] Sic ex vet. quibuſdam ſcripſi. Vulg. *hominum.* Vid. Indicem: *Omnibus*, *Omnium* & *Poſitivus.* Gif.

120. *Per genteis Italas hominum quæ clara*] Sic habent nonnulli libri manuſcripti: alii, *omnium.* utraque ſcriptura probabilis eſt. utra ſit recta & vera, quæritur. Si *hominum* probabimus, ita explicabimus: quæ corona clara eſſet per genteis hominum Italorum. Sin *omnium*, ſic: quæ corona, omnium coronarum clariſſima, per genteis Italiæ clueret, ut ſit poſitivus pro ſuperlativo. quale eſt illud apud Ennium, pag. 65.

--- --- *Saturnia magna dearum:*

niſi quis dicat hîc genitivum eſſe diviſionis: quod genus apud Græcos uſitatiſſimum quidem eſt, ſed etiam Latini uſurpant, ut Plinius, *Nigræ ovium.* Lamb.

120. *Gentes Italas hominum*] Pro, *gentes Italorum hominum.* Tale aliquid apud Virgil. plus uno loco. Quidam libri, *omnium* pro, *hominum.* Itaque eſſet *corona clara omnium*, id eſt, inter omnes: quod genus multa Græce reperias, ut δῖα θεάων, &c. id eſt, ut Callimach. hymno εἰς Δῆλον dixit, πολὺ προὔχουσα θεάων. Ita apud Ennium citante Probo: *pulcra dearum.* Fab. *Omnium clara* ſi legas, erit clariſſima. Sic Ennius pag. 11.

Venus quem pulcra Dearum.

& pag. 65.

Juno Saturnia ſancta Dearum.

id eſt: *pulcherrima*, *ſanctiſſima.* Preig. Idem Ennius pag. 34. de Venere

--- --- --- *Dia Dearum.*

ut & de Junone rurſus pag. 151.

Optima Cœlicolûm, Saturnia magna Dearum. Haverc.

120. *Clara clueret.*] Appareret, fulgeret. *Cluere* auctore Plinio togatorum eruditiſſimo libro viceſimo quinto antiqui pugnare dicebant. unde grammatici *clypeum* detorquebant. ex qua etymologia Venerem quam colebant armatam *Cluacinam* dictitarunt. Hic *ſplendere* interpretare. In commentariis Plautinis affatim refutavimus Veneti Hermolai opinionem: qui *cluere* pro eſſe cupit. *Cluere* Marcellus pro *nominari* exponit. quod ſi probamus in Lucretio *clara clueret*, pro nominaretur & haberetur expone. Hoc enim verbum *cluet* vim paſſivam habet. Plautus ſæpe utitur in hoc ſignificatu. & Terentianus.

Ennius per gentes cluebat omnium miſerrimus.

hoc eſt vocabatur. His vero, qui *cluere* pro ſplendere & apparere nobilem & glorioſum volunt interpretari, non repugno, a dictione ſcil. κλέος quæ gloriam ſignificat: etſi κλήζω ſignificat nomino & voco: ut prima ſignificatione verbum *clueo* ſignificet ſplendeo: ſed conſequenter appareo. unde *cluebat miſerrimus* cum dixit Ennius, interpretare apparebat. Mendum eſt in epiſtolis Symmachi eo verſiculo:

Bis ſeno celſus Summache faſce cluis.

ſcribe *clues* pro ſplendes. Pius.

120. *Clueret*] id eſt nominaretur: & ita Nonius. citat & illum Lucillii verſum:

Cuia opera Troginu' calix per caſtra cluebat:

Et illud Ennii, p. 295.

--- *per gentes eſſe cluebat omnium miſerrimus.*

Va-

Etſi praeterea tamen eſſe Acheruſia templa
Ennius aeternis exponit verſibus, edens:

Quo

INTERPRETATIO.

Etſi Idem Ennius aliis in locis docet, Carminibus nunquam morituris, quædam eſſe apud Inferos

VARIÆ LECTIONES.

121. *Etſi præterea.* & ſi prætereat G. & Lugd. 2. in primo enim *t.* ſuperſcriptum eſt.

NOTÆ.

Valet etiam *cluere* interdum idem, quod videri, inſignem eſſe, haberi, excellere, eſſe: ut infrà eodem libro verſ. 481.

Nec ratione cluere eadem, qua conſtat inane.

ibidem 632.

Quæ nondum clueant ullo tentata periclo.

& libr. 2: 351.

Nec minus, atque homines, inter ſe nota cluere.

ibid. 521.

--- --- --- primordia rerum,
Inter ſe ſimili quæ ſunt perfecta figura,
Infinita cluere.

& lib. 3: 208.

Utilis invenietur, & opportuna cluebit.

lib. 4: 50.

Cujuſcunque cluet de corpore fuſa vagari.

utitur hoc verbo & Plautus non uno loco. Lamb.

120. *Clueret*] Eſſet. *clueo*, *cluo*, ſum, celebror, dicor, videor, κλύειν. dicebant item *cluveo.* Ennius de ſe ipſo, pag. 11.

Nam Latii populi res atque poëmata noſtra
Cluvebunt. --- ---

Ita tum prima longa eſt. Fab.

121. *Etſi præterea*] Quaſi diceret: Tanta tamen veritatis vis eſt, ut ille idem Ennius alibi dicat, &c. Fab.

121. *Etſi præterea.*] *Etſi prætereat* V. quæ verba ſi admittas alium prorſus efficies ſenſum: non opus eſt iſto acumine. Creech.

121. *Tamen*] Pro tandem. Hoc eſt, ut uno verbo ſummatim te expediam, non aſſentior Ennio ſedes infernas opinanti. Quod *tamen* ſignificet idem quod tandem, docet iis Marcellus in integris exemplaribus. *Salluſtius quarto hiſtoriarum: Nam qui enare conati ſunt icti ſæpe ferramentis navium aut afflicti a ſuis, undarum vim mulctato fœde corpore tamen evaſerunt.* Pius.

121. *Templa*] Regiones, tractus, loca. Vetus ſignificatio & auguralis: qua figura loquendi dicebantur aruſpices loca in cælo deſignare, anticam ſcilicet & poſticam, hoc eſt poſteriorem & anteriorem. Pius.

121. *Templa*] Regiones, loca. Varro lib. 6. de lingua Latina:

Unus erit, quem tu tolles in cærula cæli
Templa.

Templum tribus modis dicitur, ab natura, ab auſpicio, ab ſimilitudine: ab natura, in cælo: ab auſpiciis, in terra: ab ſimilitudine, ſub terra. In cælo templum dicitur, ut in Hecuba:

O magna templa cælitum
Commixta ſtellis ſplendidis, &c. Lamb.

121. *Acheruſia templa*] Acherontis ſeu Inferorum loca vaſta, ſpatioſa, &c. *Templa* enim id ſignificabant. Ita *templa cœli.* Terent. Alibi apud Lucretium, *templa ætheris*, *tonitralia templa.* Vox petita ab auſpiciorum diſciplina. Primo *tuemplum* dicebant, à tuendo (videndo) deinde *templum*, extrito u. ut ex *duellum* bellum, *duomus* bonus, in illo antiquo ſaxo, cujus in vita Peyreskii mentio eſt. Sic Ennius, p. 124. *coirola coilei templa.* Varro autem,

Tunc repente cœlitum altum tonitribus templum
toneſcit.

ubi legendum *tonit*, ex ratione verſus. *tonere*, ut *ſonere.* Lucretius. Iterum Ennius p. 246. in Hecuba.

O magna templa cœlitum
Commiſta ſtellis ſplendidis.

Lego, *Confixta ſtellis ſplendidis*, id eſt, confixa. ut *ſtellis ardentibus aptum.* Sin minus, legendum, *Commiſſa*, id eſt vincta, compaginata. Fab.

122. *Edens*] Edens per hos duos verſus, qui ſe-

Quo neque permanent animae, neque corpora noſtra;
Sed quaedam ſimulacra modis pallentia miris:

INTERPRETATIO.

vaſta & ſpatioſa loca, ad quæ neque Animæ, neque Corpora noſtra perveniunt, ſed tenues quædam imagines mirum in modum pallidæ,

VARIÆ LECTIONES.

123. *Permanent.* permaneant. G. H. 1. K. 3. *Lugd. Bat.* 1, 2. permaneat Q. 1. perveniant. H. 2. P. 124. Deeſt. 3. Z.

NOTÆ.

ſequuntur, *Quo neque* &c. ut quidam doctiſſ. viri putant: alii volunt eſſe Lucretianos. Lamb.

123. *Quo neque &c.*] Putant nonnulli hos duos verſus eſſe Ennii. falſo. Certe Macrobius in ea non fuit opinione lib. VI. cap. I. Gif.

123. *Permânant*] Permanare ſoleant. Fab.

123. *Animæ*] Non ſentit Ennius Pythagoricus animas noſtras cum ex uno corpore tranſiliant in aliud inferos petere: quoniam ſi id concederet tranſanimationem Pythagoricam negaret. Sed ſimulacrum hominis non anima petit inferos gurgites. cujus opinionis ſcius apprime Maro libro quarto verſ. 654. Æneidos, cum Ennio ſic cecinit.

Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.

Servius hæc addidit. „Deprenderunt eſſe quoddam ſimulacrum: quod noſtri corporis effigiem „fictum petat inferos: & eſt ſpecies corporea: quæ „non poteſt tangi.„ Hoc innuere videtur Ovidius tertio Faſtorum:

Ipſa virum rapui: ſimulacraque nuda reliqui.
Qui cecidit ferro Cæſaris umbra fuit.
Ille quidem cælo poſitus Jovis atria vidit. Pius.

124. *Sed quædam*] Hic verſus a lib. quibuſdam abeſt. male. Macrob. Gif.

124. *Simulacra.*] Hoc non tanquam imitator Maro detorſit: ſed deſcripſit, ut inſertum, pugnaret cum ſuis auctore Plinio. Crediderim potius Vergilium ſententiam primo Lucretianam ſequi voluiſſe: mox cum verba non reperiret ita ſignate affectum prodentia, maluiſſe fateri a quo profecerit, quam in furto deprehendi. Pius.

124. *Sed quædam ſimulacra modis pallentia m.*] Imitatus eſt hunc verſum Virgilius multis locis, ſive ſit Ennianus, ſive Lucretianus: ut Georg. 1: 478.

--- *& ſimulacra modis pallentia miris:*

& Æn. 1: 357.

Ipſa ſed in ſomnis inhumati venit imago
Conjugis, ora modis attollens pallida miris.

& 7: 89.

Multa modis ſimulacra videt volitantia miris.

& 10: 822.

Ora modis Anchiſiades pallentia miris.

Sed non diſſimulabo, hunc verſum abeſſe à codice Bertiniano & Memmiano. Lamb.

124. *Sed quædam ſimulacra*] Notum illud Homeri, in quo Herculis εἴδωλον ad Orcum iſſe dicitur; ipſe autem, ſeu ipſius anima apud Jovem. Nam corpus quidem in Oëta monte crematum fuerat. ô rem bellam & ingenioſam! Fab.

124. *Sed quædam ſimulacra*] Ex illa veterum opinione, qua putabant imaginem noſtri quandam ad inferos deſcendere, unde Dido apud Virg. Æn. 4: 654.

Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.

ubi Servius: *Valde quæritur apud Philoſophos, quid illud ſit quod inferos petat. Nam tribus conſtamus: anima, quæ ſuperne eſt, & originem ſuam petit: corpore quod in terra deficit: umbra, quam Lucretius ſic definivit, ſpoliatus lumine aër.* (ſed legend. ex 4: 369. *lumine caſſus aër*) *Ergo umbra ſi ex corpore creatur, ſine dubio perit cum eo, nec eſt quicquam reliquum de homine quod inferos petat. Sed deprehenderunt eſſe quoddam ſimulacrum, quod ad noſtri corporis effigiem fictum, inferos petit: & eſt ſpecies corporea, quæ non poteſt tangi, ſicut ventus.* Citat hinc Lucretii locum Macrob. VI, 1. Et mire hinc arrepta occaſione in divinitatem Herculis ludit Lucianus, in dialogo Diogenis & Herculis, quem vide. Hav.

Unde ſibi exortam ſemper-florentis Homeri
Commemorat ſpeciem lacrumas effundere ſalſas

Coe-

INTERPRETATIO.

è quibus locis ſurgentem Homeri in æternum celebrandi imaginem ſibi apparuiſſe narrat, lachrymas effudiſſe,

VARIÆ LECTIONES.

125. *Exortam.* exortum. H. 1. extremum. C. N. exorto. Q. 1. exorto vel exortam. P. *Homeri.* Hymetti. O. P.

126. *Effundere.* cui fundere. P. vide Notas. *cœpiſſe* & cœpiſſet N. P. X. Z. ſed ſuperſcript. alia lectio. Cod. G. cœpiſſet rerum.

NOTÆ.

125. *Unde ſibi exortam, &c.*] Ad hunc locum pertinent illa M. Tullii libro 2. Acad. quæſt. *Num cenſes Ennium, cùm in hortis ambulaſſet cum Ser. Galba vicino ſuo, dixiſſe, Viſus ſum mihi cum Galba ambulare? at, cùm ſomniavit, ita narravit,*

Viſus Homerus adeſſe poëta.

Idem ibid. *Dormientium viſa imbecilliora eſſe dicebas, quàm vigilantium. quo modo? quia cùm experrectus eſſet Ennius, non diceret, ſe vidiſſe Homerum, ſed ſibi viſum eſſe.* Lamb.

125. *Unde ſibi exortam*] Locus ille Ennii (p. 4.) apud Ciceronem eſt, *Viſus Homerus adeſſe poëta.* Fab.

125. *Semper florentis.*] Sempiternos flores & fructus perennis eloquentiæ ſummittentis: a quo ut ait Manilius, 2: 9.

Poſteritas latices in pocula duxit.

Fingit Ennius in ſuum corpus per metempſychoſin inſinuatam Homeri animam. Tamen cum homo corpus habeat terræ debitum: quod ſpoliatum anima & cadaver effectum terræ reddit: animam cælo; ſive, ut Pythagorici volunt, formam ſumit aliam poſt mortem; ſimulacrum vero tartaro: Fingit hic Ennius, apparuiſſe ſibi imaginem Homeri, quæ pallens & lurida lachrymas fundebat. Eſt enim corpus quod tangi non poteſt hæc imago: quam finxit Ennius. Marci Tullii codicem in Academicis obiter ſic emacula. *Quomodo cum experrectus eſſet Ennius, non diceret, ſe vidiſſe Homerum, ſed viſum eſſe. Exortam ſibi.* id eſt. Apparuiſſe. Hæc dicuntur ab Ennio ut teſtatius & planius regenerationem argumentis approbaret. Pius.

125. *Semper-florentis.*] Sic olim hic ſcriptum didici. Vid. Indicem. Gif.

125. *Semper-florentis*] Legendum,

Semper-florentis Homeri,

ut ſit ὑφὲν. quemadmodum notat Donatus ad illud Terentii, Andr. 1: 2.

Et heri ſemper-lenitas, &c.

Lamb. Adde Schottum Obſ. Hum. pag. 89. Hav.

125. *Semper-florentis*] Grammatici vocant ὑφὲν, ſeu ſubunionem. Ita apud Terent. *ſemper-lenitas.* & ἀει-καταφρόνησις apud Herodianum, quod imprimis notandum. Fab.

125. *Homeri*] Hoc Ennii ſomnium *Cicero* in Lucullo memorat,

—— *Viſus Homerus adeſſe Poëta.*

Et in ſomnio Scipionis. *Fit enim fere ut cogitationes ſermoneſque noſtri pariant aliquid in ſomno tale quale de Homero ſcribit Ennius, de quo videlicet ſæpiſſimè vigilans ſolebat cogitare, & loqui.* Creech.

126. *Speciem*] Εἶδος. ſic in Euang. Lucæ 9: 29. τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ. inf. 149. *naturæ ſpecies.* & 322.

Invida præcluſit ſpeciem natura videndi. Preig.

126. *Et fundere*] Sic codex Bertinianus, & Memmianus. alii *effundere.* Lamb.

126. *Lacrymas & fundere*] al. *effundere*, non male. Fab.

126. *Effundere*] MSS. Lugd. Bat. & alii non præ ſe ferunt *& fundere*, ſed *effundere*; ſcripſit forſan *lacrymaſque ecfundere ſalſas.* habuit hoc certe ante oculos in apparitione Hectoris Virg. quem vidit Æneas lib. 2: 271.

—— *largoſque effundere fletus.*

Sen-

Coepiſſe, & rerum naturam expandere dictis.
  Quapropter bene, cum, Superis de rebus habenda
Nobis eſt ratio, Solis Lunaeque meatus
Qua fiant ratione; & qua vi quaeque genantur

In

INTERPRETATIO.

rerumque naturam verbis expoſuiſſe. Accuratè igitur non tantùm diſputandum de Deorum Cœlique ratione, non tantùm explicandi ſunt Lunæ Soliſque curſus, & docendum qua vi gignantur ea

VARIÆ LECTIONES.

130. *Genantur.* Gerantur. A. B. C. D. E. I. L. N. P. 1. 2. Q. X. Y. Z. *vi* delet X.

NOTÆ.

Senſus & conſtructio verborum Lucretii talis eſt: Unde commemorat exortam ſibi ſpeciem ſemperflorentis Homeri cœpiſſe effundere ſalſas lacrymas. Erit *ecfundere*, antiquè, ut *ecfari.* Hav.

126. *Salſas.*] Epitheton lachrymarum. Sunt enim ſalſæ non ſecus ac ſudor humanus. Et hoc magis indicat illam imaginem quæ petat inferos corpoream vim retinere: quæ in lachrymis ſalſuginem viventis corporis obſervat. Quidam *falſas* legunt, & fictitias interpretantur, apparentia, commentitia. Ut Maro Æn. 2: 793.

Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.

& præ gaudio forte lachrymas ſtillabat Ennio congrediens qui ſuam geſtabat animam, mentem, & facundiam poëticam ut hæreditariam. Pius.

126. *Salſas*] Epithetum otioſum, ut quidam putant. qualia ſunt illa, λευκὰς ὀδόντας, id eſt *albos denteis*: λευκοῖο γάλακτος, apud Homerum, id eſt *albi lactis*: *humida vina*, apud Virg. *alba nive*, apud Horat. & alibi, *dentibus albis.* Lamb.

126. *Salſas.*] Alii *falſas.* Imperitè. Quis enim neſcit *lac album*, *Humida vina*, *&c.* Poëtis eſſe familiaria? Creech.

127. *Expandere.*] *Exponere* quidam libri. Gif.

127. *Expandere*] explicare. in nonnullis libris ſcriptum eſt *exponere*, in aliis *expromere.* ego hanc lectionem retineo. Lamb.

128. *Quapropter bene cùm ſuperis*] Concludit hunc locum hoc modo: Quoniam igitur videmus, ignoratione cauſarum, & rerum à natura involutarum, homines miſerè conturbari, cùm ceteræ res omnes obſcuræ nobis ſunt perquirendæ, & cognoſcendæ, tum maximè, quæ ſit animi natura, videndum eſt. *cùm* hoc loco conjunctio eſt, cui reſpondet altera *tùm*, quarto abhinc verſu. Lamb.

128. *Quapropter.*] Ut omnes igitur Memmii timores diſcutiat, his v. 9. docet ſe diſputaturum non tantum de Cœli Deûmque ratione, & de generatione rerum, quæ omnia olim promiſerat; ſed explicaturum etiam *quænam* ſit *Animæ* natura, & *quænam* ſint illæ res, quæ aliquando vigilantes, aliquando dormientes ita afficiunt, ut præſentes videre nos & audire olim mortuos putemus, & inde conjectemus animas exiſtere à corpore ſeparatas. *Quam ob rem:* Gaſſendus. Creech.

128. *Superis de rebus*] De cœlo, deque univerſa meteorologia; ex cujus ignoratione terrores animis offunduntur, &c. ibique tum in deos omnia conferuntur. Fab.

130. *Gerantur*] Lamb. *genantur.* Vid. inf. verſ. 329. & Indicem. Gif.

130. *Et qua vi quæque gerantur*] Legendum videtur *genantur*; non *gerantur*, ut vulgò legitur. *geno* enim idem valet quod *gigno.* Cujus verbi ignoratione complures non apud hunc poëtam ſolùm loci depravati ſunt, ut poſteriùs oſtendemus, verùm etiam apud Varronem, & ceteros. *Genium appellabant deum* (inquit Feſtus) *qui vim obtineret rerum genendarum:* ubi vulgò legitur & ſcribitur *gerendarum*, corruptè. Varro lib. 1. de re ruſt. cap. 31. *Id ex pabuli ſegete viride ſectum, antequam genat ſiliquas.* Idem cap. 12. *Quod eſt principium genendi.* Idem in Andabata: *Sed quòd hæc loca aliquid genunt.* quem poſtremum locum teſtem producit Priſcian. lib. 10. cum altero Lucretii ex lib. 3: 797.

--- --- tanto magis infitiandum,
Totum poſſe extra corpus durare, geniſque.

Verum

In terris: tum, cum primis, ratione ſagaci
Unde Anima atque Animi conſtet natura, videndum;
Et quae res nobis vigilantibus obvia menteis
Terrificet, morbo adfectis, ſomnoque ſepultis,

INTERPRETATIO.

quæ in Terris nata ſunt; verum etiam intentiori mente & induſtria inquirendum, è quibus principiis Anima Animuſque componatur; & quænam ſit illa res quæ in nos aliquando vigilantes, aliquando morbo laborantes vel dormientes incurſans, ita terret afficitque mentes noſtras,

VARIÆ LECTIONES.

131. *tum,* tunc. G. X. Y. Z. *Primis.* primum. C. P. Gaſſendus.
134. *Terrificet.* Terrificent A. B. X. *Adfectis.* affectas. 1. *ſepultis.* ſepultas. 1.

NOTÆ

Verum tamen ferri hîc poteſt recepta lectio *gerantur. gerantur* autem, id eſt adminiſtrentur, à natura ſcilicet, ut ſit tralatio ab imperatoribus, & magiſtratibus, qui res gerunt: quod ipſum tamen etiam tranſlatum eſt ab iis qui onera gerunt; id eſt ſuſtinent. LAMB.

130. *Genantur*] Ita olim loquebantur. γείνω. *gerantur*, non placet. FAB.

130. *Genantur.*] *Gignuntur*, qua voce paſſim utitur Lucretius, alii *gerantur*, male. CREECH.

130. *Et qua vi quæque gerantur*] Veram hujus verbi, toties a Lambino laceſſiti aut impugnati interpretationem, atque adeo defenſionem nemo melius præſtabit, quam ipſe Lucretius, qui continuos rerum ortus interituſque, ſeu primordiorum concilia ac diſcidia paſſim exemplis a rebus bellicis deſumptis illuſtrat. Sic lib. II. verſ. 113. in illa ſimilitudine ab agitatis per opaca domorum pulviſculis:

Multa minuta modis multis per inane videbis
Corpora miſceri radiorum lumine in ipſo,
Et velut æterno CERTAMINE PRÆLIA PUGNASQUE
Edere TURMATIM *certantia, nec dare pauſam*
Conciliis & diſcidiis exercita crebris.

Lambinum præter loca a Gifanio in Indice jam notata refellit etiam verſus 473.

Denique materies ſi rerum nulla fuiſſet
Nec locus ac ſpatium, res in quo quæque geruntur
Nunquam, &c.

quem Poëta ipſe non aliter ſe ſcripſiſſe verſu inde ſexto indicat.

Perſpicere uti poſſis res geſtas funditus omneis
Non ita uti corpus per ſe conſtare, nec eſſe.
PREIG.

131. *Tum, cum primis*] Ita malui ſcribere, quam *tunc*, prout quidam codices habent. Pariter Ennius in Fragm. pag. 65.

Tum, cum corde ſuo Divôm pater atque hominum Rex.

Dixit *primis* pro *in primis*, ut & quidam MSS. præferunt, id eſt præcipue, ante omnia. HAV.

131. *Sagaci.*] Indagatrice. unde ſagax canis. Plautus Curcul 1: 2: 17.

Canem eſſe oportuit: ſagax naſum habet.

Sagare, ſignificat acute ſentire auctore Marco Tullio. unde *præſagire* præſentire & conſequenter prædivinare. PIUS.

131. *Sagaci*] Sagaces propriè canes dicuntur: quia ineſt in eis vis odorandi eximia. Itaque *ſagaces appellantur, multi, & ſolertis acuminis*, inquit Feſtus. idem Lucr. inf. eodem lib. 131.

Eſt igitur nimirum id, quod ratione ſagaci
Quærimus, &c.

ibid. infr. 369.

Verùm animo ſatis hæc veſtigia parva ſagaci
Sunt.

& lib. 2: 839.

Nec minùs hæc animum cognoſcere poſſe ſagacem:

& lib. 4: 910.

Tu mihi da tenueis aureis, animúmque ſagacem.
LAMB.

132. *Unde anima atque animi conſtet natura*] Non

Cernere uti videamur eos, audireque coram,
Morte obita quorum tellus amplectitur oſſa.
Nec me animi fallit Graïorum obſcura reperta

Diffi-

INTERPRETATIO.

ut putemus nos eos videre & audire praeſentes, quorum poſt obitum (jamjam mortuorum) terra tegit oſſa. Nec me latet haud facile opus eſſe Græcorum obſcura inventa

VARIÆ LECTIONES.

135. *Cernere uti.* cernere ut Q. cernimur ut. X. *audireque coram.* audire coramque X. *coram.* coronam. Q.

137. *Animi.* animus. A. B. H. I. I. Bm. Q. X.

NOTÆ.

mere. Anima enim & animus differunt & facultatibus & ſede. quod in III. maxime apparebit. Ceterum hoc loco animi natura, animus ipſe eſt; neque fere aliter loqui amat Lucretius. Sic *natura animantum*, animantes ipſæ, *aquæ natura*, *Inanis natura*, *natura corporis*, *ardoris natura*, *loci natura*, *ſenſûs natura*, &c. pro aqua, Inani, corpore, ardore, igni, loco, ſenſu ipſo, &c. Ita auctor libri de Mundo, homo Stoicus, non Ariſtoteles, φύσεις χρωμάτων alicubi poſuit, *naturas colorum* pro coloribus ipſis; & in cap. II. φύσεων pro rebus concretis, &c. Iterum circa medium ζώων φύσεις pro ζῶα. Fab.

132. *Anima atque animi*] Emendabat Clariſſ. Jenſius in ep. ad me ſcripta, *animæ atque animi c. n.* & ſane ita diſertim legitur apud ipſum Lucret. 3: 330.

Sic animi, atque animæ naturam corpore toto
Extrahere haud facile eſt.

Idem tamen Lucretius ſibi conſtat 4: 120.

Unde anima, atque animi conſtet natura, neceſſum'ſt.
Haverc.

133. *Quæ res*] Intelligit ſpecies rerum, quas vulgo intentionales vocant. εἴδωλα, τύπους, ὑμένας, membranulas, effluvia ex ſuperficie corporea; quæ cum ex omnibus omnino rebus perpetuo emanent, & animos impellant, &c. Sed res inferius noteſcet. Fab.

134. *Somnoque ſepultis*] Ex Ennio: p. 83.

Nunc hoſtes vino domiti, ſomnoque ſepulti.

ſic & Virg. lib. 2. Æn. 189.

Invadunt urbem ſomno, vinoque ſepultam.

idem lib. 9: 189.

--- --- ſomno, vinoque ſepulti
Procubuere.

ibid. 236

Rutuli ſomno, vinoque ſepulti
Conticuere.

Hoc totum autem, *vigilantibus*, *ſomnoque ſepultis*, Græci dicunt, ὕπαρ καὶ ὄναρ. Lamb.

136. *Morte obita quorum*, &c.] Iteratur hic verſus lib. 4. mutuatus autem eſt hoc principium verſus Virg. lib. 10. Æn. 641.

Morte obita qualeis fama eſt volitare figuras.

notat Macrob. lib. 6. Saturn. Lamb.

136. *Morte obita.*] *Cicero* pro Sextio. *Nec vero illorum quiſquam quos à majoribus noſtris morte obita poſitos in illo loco, atque in roſtris collocatos.* Virgilius. Æn. 10: 641.

Morte obita quales fama eſt volitare figuras.

Obita, ſumpta, ſuſcepta, & completa, ut *obire munus* dicitur. Servius. Creech.

Amplectitur.] Operit materno affectu æmulante humanæ & viventis matris dulces amplexus in ſobolem. Pius.

136. *Tellus amplectitur oſſa*] vel tanquam mater, vel ſimpliciter, continet. Virg. Æn. 5: 30.

Quàm quæ Dardanium tellus mihi ſervat Aceſten,
Et patris Anchiſæ gremio complectitur oſſa.

Lamb.

173. *Nec me animus*] Corrige *Nec me animi fallit.* Pius.

137. *Nec me animus fallit.*] Ita habent Vet. libri, manu formiſque deſcripti. nec mutari debet. vid. Indicem. Gif.

137.

Difficile inluſtrare Latinis verſibus eſſe,
(Multa novis verbis praeſertim quom ſit agendum,)
Propter egeſtatem linguae, & rerum novitatem;

Sed

INTERPRETATIO.

Latino Carmine reddere perſpicua, & captu facilia; (præſertim cum multis novis vocibus utendum eſt) quia non eſt copia Latini ſermonis, & res ipſæ ſunt Romanis auribus antehac inauditæ:

VARIÆ LECTIONES.

139. *Verſibus.* verbis. Y. ſed ſup. alia lectio.
140. *Egeſtatem.* egeſtarum X. Z. ſed ſuperſcr. alia lectio.

NOTÆ.

137. *Nec me animi fallit*] Sic potiùs legendum, quàm ut in quibuſdam libris legitur, *animus fallit.* ſic enim loquuntur interdum Latini, præſertim poëtæ, *Falſus animi, æger & ſaucius animi:* & *crucior animi*, &c. quamquam alteram lectionem non auſim damnare. Verum tamen auſim, præſertim cùm ſic habeant plures codices, & ita ſcriptum ſit apud Macrobium libro 6. Eſt autem hoc loco occupatio. Lamb.

137. *Nec me.*] Propoſito futuri operis argumento, his 20. v. difficultatem expendit Poëta, monetque ea, de quibus *Græci*, *Epicurus* viz. ejuſque Sectatores diſputaverant, Latino Carmine ſcribere opus eſſe arduum & difficile, cùm propter egeſtatem Linguæ Latinæ, tum propter novitatem rerum; quemvis verò laborem ferre ſe paratum eſſe profitetur, *Memmii* ſui gratia, Amiciſſimi ornatiſſimique Viri, quem inſtituendum ſuſceperat. Creech.

139. *Multa novis verbis præſertim cum ſit agendum*] id eſt, cùm multa ſint novis verbis agenda, ſeu agere oporteat, ut ſuprà admonuimus: agendum enim actionem ſignificat, ut apud Græcos πρακτέον, id eſt agere oporteat: cùm multa nobis verba ſint innovanda: vel cùm multa nobis novis verbis ſint appellanda. Lamb.

140. *Propter egeſtatem linguæ*] Hoc etiam conqueritur Manilius & Cic. Gif.

140. *Propter egeſtatem linguæ*] Sic inf. eod. lib. 832.

--- --- *nec noſtra dicere lingua*
Concedit nobis patrii ſermonis egeſtas.

& lib. 3: 260.

--- --- *rationem reddere aventem*
Abſtrahit invitum patrii ſermonis egeſtas.

Sic Cato apud M. Tull. lib. 3. de Finibus, de Zenone: *Cùm uteretur in lingua copioſa factis tamen nominibus, ac novis: quod nobis in hac inopi lingua non conceditur. quamquam tu hanc copioſiorem etiam dicere ſoles.* Idem contrà lib. 1. *Non eſt hìc omnino docendi locus: ſed ita ſentio, & ſæpe diſſerui, Latinam linguam non modò non inopem, ut vulgò putarent, ſed locupletiorem etiam eſſe, quàm Græcam. Quando enim (ne nobis dicam, aut oratoribus bonis, aut poëtis, poſtea quidem quàm fuit, quem imitarentur) ullus orationis vel copioſæ, vel elegantis ornatus defuit?* Lamb.

141. *Sperata voluptas*] Ita lego ex Vett. Eſt autem imitatus *Epicurum*, qui ad Pythoclem ſuum ita ait: ἡμεῖς δὲ ἡδέως τε σοῦ τὴν δέησιν ἀπεδεξάμεθα καὶ ἐλπίσιν ἡδείαις συνεσχέθημεν. Γράψαντες οὖν, &c. In vulg. quibuſdam: *ſpectata voluntas.* Qua in re ſæpe variatum eſt. vid. inf. 2. 257. Gif.

141. *Sperata voluptas*] Sic habent quinque lib. manuſcripti, & excuſi Pariſ. Veneti antiq. Vicetini, Florent. Quam ſcripturam ſecutus ſum, tum adductus tot librorum auctoritate; tum quòd conſentaneum eſt Lucretio, Epicuri decreta Latinis litteris illuſtranti, amicitiæ, & ex amicitia naſcentis voluptatis cauſa, ſcribendi laborem perferre. alii codices, ſi quis fortè eos ſequi malet, habent *ſpectata voluntas.* Lamb.

142. *Efferre*] Sic Vet. Codd. Vulgati: *perferre.* Gif.

142. *Quemvis efferre laborem*] Sic habent quinque libri manuſcripti, & ex impreſſis, Vicetini: atque hæc germana eſt ſcriptura. nam & ita veteres loquebantur. vetus poëta apud M. Tull. orat. pro Sextio: *Si tu laborem ſumma cum cura efferas nullum.* Vulgati autem *perferre lab.* quam lectio-

G 2 nem

Sed tua me Virtus tamen, & ſperata voluptas
Suavis Amicitiae, quemvis efferre laborem
Suadet, & inducit noćteis vigilare ſerenas,
Quaerentem dićtis quibus, & quo carmine demum
Clara tuae poſſim praepandere lumina menti,

Res

INTERPRETATIO.

at eximiæ tuæ dotes, eaque voluptas, quam ex jucunda tua Amicitia me percepturum ſpero, ſuadent me laborem ferre utcunque improbum, & totas etiam noctes inſomnes agere, quærentem quibus vocibus, & quo verſu tuæ menti tam lucidam facem præferre poſſim,

VARIÆ LECTIONES.

141. *Sperata voluptas.* ſpećtata voluntas. C. E. B. m. N. X.
142. *Quemvis.* quamvis. G. Z. *Efferre.* ita A. B. G. H. 1. Bm. L. Q. X. Y. Z. reliqui amant *perferre.* vide Notas.
143. *Serenas.* ſeveras. *Creech.*
145. *Præpandere.* propandere. Q. *Menti.* mentis. C. P.

NOTÆ.

nem quamvis non damnem, antiquam tamen magis probo. Lamb.

142. *Perferre*] Al. *efferre.* fort. etiam, *ſufferre*, ut in Emendationibus (ad 5: 1271.) innuimus. Fab.

142. *Efferre*] Patet ex Notis Lambini atque optimorum Codicum conſenſu unanimi, vulgatum illud *perferre*, a Lucretio non eſſe profećtum. *Ecferre* autem forte ſcribendum ut *ecfari* apud Ennium pag. 18. & 124.

Hæc ecfatus, ubei latrones dicta faceſſunt.
Hæc pater ecfatus, germana repente receſſit.

Haverc.

143. *Inducit*] Sic in Principio hujus libri verſu 17.

--- --- *quo quamque inducere pergis.* Preig.

143. *Serenas.*] Claras, pacatas. Quidni *ſeveras?* vox enim iſta laborem *Poëtæ* fortiùs, & feliciùs exprimit. vide l. 4. 462. *Æſtivas* Muretus. Quibus alii ſomno indulgebant. Creech.

143. *Serenas*] De æſtivis noćtibus capit Muretus v. Lećt. 18: 13. de quibus Cicero ad Brutum in commendat. Paradoxorum libello: *Accipies igitur hoc parvum opuſculum elucubratum his jam contractioribus noctibus.* Gronovius Pater, in quibus ad lucernam accenſam lucubravit. Obſerv. lib. nov. 4: 12. nam Barthii commentum nimis eſt ridiculum. At cur non innuere poſſet protraćtas ſtudendo in lucem uſque & ſerenum tempus diei? Hav.

143. *Nocteis vigilare ſerenas*] Claudian de bello Gildon. verſ. 450.

--- --- --- *Diſcatque coactus*
Quas vigilat Veneri, caſtris impendere noctes.

Preig.

145. *Præpandere lumina*] δᾳδουχεῖς, *præferre faceis:* præferendo faceis, lumen aperire. lib. 5: 1655.

Tempore item certo roſeam Matuta per oras
Ætheris auroram defert, & lumina pandit.

Uno verbo Latino *prælucere.* Lamb.

146. *Penitus*] Introrſus. Lamb.

147. *Hunc igitur terrorem*] Tres verſus, qui deinceps conſequuntur, iterantur in princip. lib. 2. & lib. 6. Eorum autem hæc ſententia eſt: Hunc igitur terrorem, quem animis noſtris incutit ignoratio cauſarum, cogitatio mortis, ſimulacra mortuorum, vel morbo affećtis, vel dormientibus objici ſolita, & ſimilia, diſſipent, & depellant, neceſſe eſt, non radii ſolis, & lux diurna: ſed contemplatio naturæ, & ratio. Lamb.

147. *Hunc terrorem.*] Quem tandem? illum ipſum ſcilicet de quo ſup. verſ. 112.

Æternas quoniam pœnas in morte timendum. Fab.

147. *Hunc igitur.*] Jam tandem opus aggreditur. v. 13. Et ut omnem de *Providentia* opinionem

Res quibus occultas penitus conviſere poſſis.
  Hunc igitur terrorem animi, tenebraſque neceſſe eſt
Non radii Solis, neque lucida tela Diei
Diſcutiant, ſed Naturae ſpecies, Ratioque:
Principium hinc cujus nobis exordia ſumet:

Nul-

INTERPRETATIO.

ut illa adjutus res maxima caligine involutas intueri valeas & perſpicere. Hos igitur terrores tenebraſque quæ mentem obſident, non radii Solis aut Diei ſplendor diſſipabit, ſed contemplatio vel cognitio Naturæ, & vera Philoſophia, cujus hoc primum ponatur & immobile principium,

VARIÆ LECTIONES.

146. *penitus*. peniti G. Feci *penitè* Voſſ.

150. 151. Poſt 159. collocantur. D. confuſa admodum apùd *Pium* omnia hæc, hoc ordine deſcripta: Quippe ita Quod multa Quorum operum Poſſunt hæc Et quo quæque Cujus principium hic Nullam rem e nihilo Quas ob res ubi De nihilo, &c.

NOTÆ.

nem ſubverteret, probare conatur, res primo factas fuiſſe ſine Deorum auxilio, ideoque non ab iis regi aut adminiſtrari: ut autem feliciùs procedat, primum hoc ſtatuit principium; *Nihil de nihilo fit.* Quod fuſiùs olim demonſtraturus eſt; obſervaverat enim opinionem de *Providentia* exinde natam eſſe, quod homines multa in Terris Cœloque fieri viderint, quorum cauſas cum invenire non potuerint, ea à Diis è *Nihilo* fieri crediderunt. Si igitur Nihil de Nihilo fieri demonſtratum fuerit, actum eſſet de *Providentia:* at verò facilè agnoſcet Lector, *Lucretium* tanto conamine id ſolum probâſſe quod nemo negat; *Nihil* viz. intra Naturæ ambitum de *Nihilo* produci. Nec eſt quòd ulla contra *Dei* potentiam timeamus argumenta, cum acutiſſimum *Lucretii* ingenium tam infirmis utitur, ſi enim (ut Virgil. Æn. 2: 292.)

--- --- --- Pergama dextra
Defendi poſſint, certe hac defenſa fuiſſent.
Creech.

148. *Tela Diei*] Idem dicit. nam radii ſolis, *tela diei* ſunt, utpote quibus tanquam telis huc & illuc jactis ac diffuſis totus orbis terrarum illuſtretur. Jam *tela* à Græco τηλόθεν dicta ſunt, quòd è longinquo loco mittuntur. Sic Auſonius Moſella verſu 260.

Luciferique pavent letalia tela diei.

Notum autem eſt, Apollinem ab Homero & ceteris poëtis Græcis ἑκηβόλον, & ἑκηβελέται, id eſt *longè jaculantem*, appellari. Lamb.

148. *Tela diei*] Radii ſolis. Ita Græci βέλη ἠελίοιο. Fab.

148. *Tela diei*] Radii Solis, qui telorum inſtar jacti & diffuſi per univerſum orbem inferunt lucem, notat autem per *Tela diei* exteriorem rerum cognitionem, ſicut per *Naturæ ſpeciem* ſignificat internam rerum cognitionem. per cauſas. *Fayus. Pueriliter! ut & omnia.* Creech.

148. *Tela diei*] Vetus Poëta in carmine quod protulit Turnebus Adv. 19: 3.

Lumina, qua major jaculis radiantibus exit,
Nil obſtante globo tendunt per inania vaſta.
Haverc.

149. *Species*] ἡ θεωρία, ἡ θέα, id eſt *contemplatio.* Cicero lib. 2. de nat. Deorum: *Nulla eſt enim inſatiabilior ſpecies, &c.* Lamb.

149. *Species*] Contemplatio, meditatio, &c. ſæpe alibi. Fab.

149. *Ratio*] Vel ratio ſimpliciter, id eſt λόγος: vel ratio naturæ, ut ſuprà *ratio cæli*, & *ratio Deorum.* Lamb.

150. *Principium hinc*] Id eſt cujus contemplationis & rationis principium nobis hinc naſcetur, & proficiſcetur. *hinc* autem, nempe
Nullam rem è nihilo, &c. Lamb.

 150.

NULLAM REM E NIHILO GIGNI DIVINITUS UNQUAM.
Quippe ita formido Mortaleis continet omneis,
Quod multa in Terris fieri, Coeloque tuentur,
Quorum operum cauſſas nulla ratione videre
Poſſunt, ac fieri divino Numine rentur.

Quas

INTERPRETATIO.

Nihil unquam vel à Diis ipſis fit ex Nihilo. *Ideo enim metus Deorum omnium mentes occupat, quod multa videant in Terris & in Cœlo fieri, quorum Cauſas effectrices nullo modo poſſunt deprehendere, & à Diis fieri exiſtimant:*

VARIÆ LECTIONES.

152. *Ita.* ut Bm.
155. *Rentur.* Vide Notas.

NOTÆ.

150. *Principium hinc cujus*, &c.] Quam ab hac conſideratione exordimur, Nullam ſcilicet rem è nihilo gigni poſſe, nec ſi Dii ipſi tale aliquid moliantur. Quod etſi modulo ratiocinationis noſtræ verum eſt, ἀλλὰ κατά γε τὸν θεὸν, plane falſum eſt. Nam etſi ex ratione τῆς ἀναλύσεως doctrina de corporibus inſectilibus ſtare poſſit; tamen corruat neceſſe eſt, niſi creatam à Deo atomon ponas, eique à cauſa æterna motum impreſſum & ingenitum exiſtimaveris. Cauſam autem æternam intelligo, quæ γνώμη τι ποιῇ, ut loquitur Xenophon. Ceterum hoc axiomate quaſi aliqua multiplici machina utebatur Epicurus. Sed res per ſe ipſa inferius pateſcet; Neque longius abibis. Nam verſus ſequens, &c. Deinde probabit incurioſos eſſe rerum noſtrarum, phyſicarum inquam rerum, incurioſos eſſe deos. Itaque divino numine nil tale fieri. FAB.

150. *Principium*] Ita diſtinguitur in Ed. Bas.

Principium hinc, cujus nobis exordia ſumet:

non male. HAV.

150. *Hinc cujus*] Quidam Cod. *cujus hinc.* GIF.

151. *Nullam rem è nihilo gigni*] Omnium, qui umquam de natura locuti ſunt, fuit hæc opinio communis, nihil ex nihilo fieri: quod teſtatur Ariſt. 1. libr. φυσικ. τὸ γιγνόμενον ἐκ μὴ ὄντων γίγνεσθαι ἀδύνατον. περὶ γὰρ ταύτης ὁμογνωμονοῦσι τῆς δόξης πάντες οἱ περὶ φύσεως. id eſt, *non poteſt fieri, ut id quod gignitur, ex iis quæ non ſunt, gignatur. Nam de hac opinione omnes, qui de natura ſcripſerunt, conſentiunt.* id eſt, Κοινὴ δόξα τῶν φυσικῶν, οὐδὲν γίγνεσθαι ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. id eſt, *Communis opinio eorum qui de natura diſputarunt, nihil fieri ex nihilo.* Etiam Democritus, quem auctorem in primis ſequitur Epicurus(Nam in Phyſicis totus eſt alienus Epicurus, ut ſcribit M. Tullius lib. de finibus, qui à Democrito pleraque omnia ſumat) Democritus igitur quoque hanc eandem ſententiam probat, μηδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίγνεσθαι, μηδὲ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι: id eſt, *nihil ex nihilo fieri, neque in nihilum interire.* Huc pertinent illa M. Tull. libro 2. de divinatione: *Non ergo omnium interitus atque obitus natura conficiet: & erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum ſubitò occidat. quis hoc phyſicus dixit umquam? Ne Ariſtoteles quidem ab hac communi omnium opinione longiùs diſceſſit.* Ita enim longam hac de re diſputationem concludit lib. 1. φυσ. ἀκροάσ. *Nihil ferè ex eo, quod non eſt ſimpliciter, ſeu ex eo, quod non eſt per ſe, quale eſt privatio, quam Græci* στέρησιν *nominant, fieri: ſed contrà omnia fieri ex materia, quæ eſt* ὂν id eſt, *ens (liceat nobis hoc vocabulo uti) ens (inquam) per ſe: non tamen ex materia fiunt omnia ea ratione, qua eſt aliquid, ſed qua ratione nihil eſt, ſeu eſt non ens, &* κατὰ συμβεβηκὸς, id eſt, ex eventu: *hoc dico, qua ratione ineſt in ea privatio formæ ejus, quam jam jam eſt indutura: id eſt, qua ratione eſt informis, & expers ejus formæ, quæ materiam illam informatura eſt. ex eo autem, quod nihil eſt ſimpliciter & per ſe, veluti ex privatione, nihil fit. ex eo igitur, quod eſt ens per ſe, fit ens. Verum tamen non fit per ſe, ſed ex eventu, id eſt quia evênit*

Quas ob res, ubi viderimus, nil poſſe creari
De nihilo, tum, quod ſequimur, jam rectius inde
Perſpiciemus, ut unde queat res quaeque creari,
Et quo quaeque modo fiant opera ſine Divôm.
Nam ſi de Nihilo fierent, ex omnibus rebus

Omne

INTERPRETATIO.

Quamobrem ſimul ac certi ſumus, Nihil oriri poſſe e Nihilo, facilè attingemus illud quod quærimus, & deprehendemus quo modo, quaque vi, & ex quibus principiis res quæque producitur, ſine Deorum ope: ſi enim è Nihilo res producerentur, tum ſequitur,

VARIÆ LECTIONES.

156. *Nil.* X. nihil. X. ibique tres ſequentes deſunt, ſicuti & in Q. *Poſſis.* poſſet. Q.
157. *Tum.* dum. Q. 1. *Sequimur.* ſequitur. Y. Z.
158. *Et unde.* ut unde. A. marg. V. 3. Y. Z. ut inde queat ſtari Q. Z.
159. Fiant. o. ſ. D. fient, opera ne Divom X.
160. *Fierent.* fiant. H. 1.

NOTÆ.

evênit materiæ, ut ea forma, quam jam jam conſecutura eſt, & ad quam accommodata eſt, careat. hæc ſunt Ariſtotelis. Lamb.

151. *Divinitus*] Divina voluntate, ſeu divino numine, ut idem ſtatim loquitur. θείᾳ μοίρᾳ. Lamb.

151. *E nihilo*] Ad hanc doctrinam ſpectant Antiphanis verſus apud Athenæum lib. III. p. 99.

— — ὃ δὲ μὴ γέγονέ πω.
Ἐκ τοῦ γὰρ εἶναι γέγονεν. εἰ δ' οὐκ ἦν, ὅθεν;
Πῶς ἐγένετ' ἐξ οὐκ ὄντος; οὐχ οἷόν τε γάρ.

i. e. *quod autem factum eſt, ex eo quod eſt, factum eſt. Nam ſi non eſſet, quo pacto fieret ex eo quod non eſſet? hoc ſane fieri nequit.* Hav.

152. *Continet*] afficit, ſeu coërcet, & conſtrictos tenet. Lamb.

153. *Tuentur*] Cernunt, vident. Lamb.

154. *Videre*] Animo. Lamb.

155. *Divino numine*] Divinitus. Lamb.

155. *Rentur*] Arbitrantur. Lamb.

155. *Rentur*] Poſt hoc verbum interferunt MSS. Lugd. Bat. ut & Oxon. & Ed. Veron. verſum qui paulo poſt ſequitur, ibidem illum delentes, quique hic eſt,

Et quo quæque modo fiant opera ſine Divôm.

quod ſi placet, illa videtur vera lectio,

Nec quo quæque m. f. o. ſ. d.

ſc. perſpiciunt. ſeu *videre poſſunt*, ut præceſſit. Quid ſi unico adhuc verſu ſuperior; id eſt hoc ordine legatur:

Quorum operum caufas nulla ratione videre,
Et (vel *Nec*) *quo quæque modo fiant opera ſine Divôm,*
Poſſunt, &c.

ſed nihil mutandum videtur. Hav. & Preig.

157. *Tum, quod ſequimur*] Sic habent omnes libri & manuſcripti, & typis excuſi. quæ lectio ſi emendata eſt, hoc ſignificat; ubi viderimus, nihil ex nihilo creari poſſe, tum facilius id perſpiciemus, *quod ſequimur*, id eſt, quod probamus, & quod nobis propoſuimus ad probandum, nempe & unde quæque res creari poſſit, & quomodo ſine Deorum opera creetur. Videtur mihi tamen reclamantibus libris omnibus legendum eſſe, *tum quod ſequitur, &c.* Lamb.

157. *Sequimur*] Emendavit Lamb. *ſequitur*, cui aſſentitur Jenſius, & ita exhibent MSS. L. B. ſed altera lectio omnino eſt retinenda. Significat enim hic, indagare conamur, ſicuti feras, atque prehendere ſequendo. Sequitur autem Statius:

--- *penituſque ſequar, quo carmine muris, &c.*

item:

--- *ſed ſumma ſequar veſtigia rerum.*

Adde Barth. ad Stat. t. 3: p. 761. Preig. & Hav.

158. *Et unde*] *Ut unde.* Gif.

158.

Omne genus naſci poſſet; nil Semine egeret:
E mare primum homines, è terra poſſet oriri
Squammigerum genus, & volucres; erumpere coelo
Armenta, atque aliae pecudes: genus omne ferarum
Incerto partu culta, ac deſerta teneret:

Nec

INTERPRETATIO.

quod quælibet res poſſit oriri ex qualibet, & nulla res indigeret proprio ſemine. Exempli gratia, Homines ex Undis, Piſces Aveſque e terra oriri poſſent; Boves, Oves, Pecora, pecudeſque è Cœlo exilirent, & omne ferarum genus nullis locis adſtrictum, æque in cultis agris, ac in deſertis regionibus naſceretur:

VARIÆ LECTIONES.

161. *nil* ni. Z. *nil.* ſit. Q. 1.
162. *E terra.* & terra D.
165. *Teneret.* Tenerent. C. G. P. Q. V. 3. X. Y. Z.

NOTÆ.

158. *Ut unde*] MSS. *ut unde.* Neque dubium eſt, quin ſcripſerit ita Lucretius, quare totus locus ita videtur diſtinguendus & emendandus.

Quas ob res, ubi viderimus, nil poſſe creari
De nihilo, tum, quod ſequimur, jam. r. i.
Perſpicies, ut unde queat res quæque creari.

ut hic tantundem valet, ac ut &, i. e. quomodo. cætera ſunt perſpicua. Hav.

159. *Opera ſine*] Sine opera, ἀναστροφή. Lamb.

160. *Nam ſi de nihilo fierent: ex omnibus rebus*] Epicuri verba ad hunc locum pertinentia, quæ exſtant apud Laërtium, hæc ſunt: πρῶτον μὲν ὅτι οὐδὲν γίνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. πᾶν γὰρ ἐκ παντὸς ἐγίνετ' ἂν σπερμάτων γε οὐδὲν προσδεόμενον· καὶ εἰ ἐφθείρετο δὲ τὸ ἀφανιζόμενον εἰς τὸ μὴ ὄν, πάντα ἂν ἀπολώλει τὰ πράγματα, οὐκ ὄντων τῶν εἰς ἃ διελύετο. id eſt, *primùm quidem nihil fieri ex nihilo. alioqui enim omnia ex omnibus orirentur, nihil egentia ſeminibus: & ſi id quod interit, in nihilum interiret, res omnes occiderent, cùm ea, in quæ res reſolverentur, non eſſent.* Lamb.

160. *Nam ſi, &c.*] Primum hoc argumentum quo probare conatur Nihil de nihilo fieri breviter *Epicurus* in Epiſt. ad *Herodotum*, οὐδὲν γίνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, πᾶν γὰρ ἐκ παντὸς ἐγίνετ' ἂν, σπερμάτων δ' οὐδὲν προσδεόμενον. Fuſiùs Poëta. Si Res de Nihilo producerentur, tum quodlibet ex quolibet oriretur, ſemine non opus eſſet; ſed è Terra Homines, è Cœlo Piſces Pecudeſque exilirent, &c. Cum autem quodlibet non oritur è quolibet, certiſque ſeminibus opus ſit, recte concludit *Nihil de Nihilo* produci. Creech.

161. *Nil ſemine*] *Ni ſemine* MS. quaſi ſequentis verſus ſenſus hinc exordium ſumere debeat. duos vero hoſce verſus citat Lactantius de Ira Dei c. x. ut oſtendat falſitatem ſententiæ Epicureæ ſibi ipſi contrariantis. Hav.

162. *E mare primùm*] *è mare*, pro *è mari*, antiquum. Cariſius tamen docet: nomina neutralia in *e* non factitia, in ablativo quoque eandem litteram ſervare. M. Varro lib. 3, de gente Rom. *A mare ſeparata oppida.* idem lib. 12. antiq. human. Ab Erythræo mare orti. Varro Atacinus.

Cingitur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.

ſic & Horatius ſatyra 8. lib. 2. verſu 11.

Gauſape purpureo menſam perterſit.

ad hunc locum pertinet iocus ille Plautin. in mil. Glorioſo 4: 7: 26.

Maris cauſa hercle ego hoc utor oculo minùs,
Nam ſi amare abſtinuiſſem, tanquam hoc uterer.

iocus eſt ex ambiguo: quod ineſt in voce *amare* dubium eſt enim utrùm dicat *à mare* pro *à mari*, an *amare* à verbo *amandi.* qui locus explicatus eſt à Mureto libr. Variarum lectionum 3. cap. 17. Lamb.

162. *E Mare primum homines*] *Primum* hoc loco vim eamdem habet ac, *exempli gratia.* Sic & alibi uſus eſt τῷ *jam.* Græci autem τὸ ἤδη in eadem notione uſurpant, ut & τὸ αὐτίκα. idque

Nec fructus iidem arboribus conſtare ſolerent,
Sed mutarentur: ferre omnes omnia poſſent.
Quippe, ubi non eſſent genitalia Corpora quoique,
Quî poſſet mater rebus conſiſtere certa?
At nunc Seminibus quia certis quidque creatur,

Inde

INTERPRETATIO.

Nec iidem fructus ab iiſdem arboribus producerentur, ſed diverſi & varii, imo quælibet arbor ferret quodlibet fructuum genus: cum enim ſingulis rebus non ſint certa propriaque ſemina, quomodo poteſt eſſe certa rebus producendis effectrix cauſa? Quia vero res cunctæ oriuntur è certis propriiſque ſeminibus,

VARIÆ LECTIONES.

166. *iidem.* idem. X. Y. Z. *ſolerent.* ſoleret. Q.
168. *Corpora.* ſemina. Gaſſen.
169. *Certa.* vide Notas.
170. *Quidque creatur.* quæque creantur. A. B. C. D. E. I. P. B. m. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

idque ea propter annotare viſum eſt, quod vulgo non obſervetur. FAB.

163. *Squammigerum genus.*] Piſces ſquammas gerentes. *Deſquammare* verbum Plautinum: quod ſignificat piſces ſquamma privare. quemadmodum *exdorſuare* dorſualibus pinulis mundare. PIUS.

163. *Squammigerûm genus*] Piſces. ut infr. eodem libro verſu 379.

Nam quò ſquammigeri poterunt procedere tandem,
Ni ſpatium dederint latices?

& libr. 2: 343.

Præterea genus humanum, mutæque natantes
Squammigerûm pecudes.

Animantium (inquit M. Tull. lib. 2. de nat. Deorum) aliæ coriis tectæ ſunt, aliæ villis veſtitæ, aliæ ſpinis hirſutæ: pluma alias, alias ſquamma videmus obductas, alias eſſe cornibus armatas, alias habere effugia pinnarum. LAMB.

165. *Incerto partu*] Vult dicere, oves apros, leones lepores, aquilas columbas. &c. progenituras, nec genus cujuſque in progenie permanſurum, quod omiſit in interpretatione ſua Creechius. Niſi potius ſcripſerit Lucret. *incerto paſtu*, quod magis ad *culta* & *deſerta*, quæ ſubjungit, facit. HAV.

165. *Teneret*] *Tenerent*, quod quidam Codd. habent, non eſt rejiciendum, & ad loca *culta ac deſerta* referri poteſt, ac ſuſpicioni locum præbet, an non ſcripſerit Lucretius: *Incerto paſtu*, i. e. pabulo, cibo, alimento, quo ſenſu 6: 1155. etiam *Paſtus hominum* dixit, ad amplificandam magiſque exaggerandam talem confuſionem. PREIG.

166. *Conſtare*] Conſtanter manere. LAMB.

167. *Ferre omnes omnia poſſent.*] Omnes arbores omnia fructuum genera ferre poſſent. Virgilius hunc locum expreſſit Georgic. 2: 109.

Nec verò terræ ferre omnes omnia poſſunt.
LAMB.

168. *Quippe ubi*] Id eſt, nam cùm, &c. LAMB.

168. *Genitalia*] Ad gignendum valentia, vim gignendi habentia: ut ſuprà. LAMB.

168. *Quippe ubi*] Cum videlicet, ἄπ δὴ ἐκ ὄντων, &c. FAB.

168. *Genitalia cuique*] Jam ſuperius obſervatum, cum dandi caſu. FAB.

169. *Conſiſtere certa*] Nihil hoc loco ſanius videtur, & tamen MSS. Lugd. Bat. dubitare faciunt, quorum alter habet *conſiſteret erta* ſuperſcripto *certa.* alter *conſiſtere deria*, ſuperſcripto pariter *certa.* quaſi fuerit ſcriptum olim, *conſiſtere terra?* illa certe omnium mater, quæ pabula pecoribus, frugibus alimenta miniſtrat; jam vero ſi abſque ſemine cuncta conſtent & incrementum capiant, nec terra amplius mater vocari meretur. Verum ſequentia me jam docent nihil eſſe innovandum. HAV.

Inde enaſcitur, atque oras in luminis exit,
Materies ubi ineſt cujuſque & Corpora prima:
Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,

Quod

INTERPRETATIO.

ex ea tantum re, & in eo tantum loco naſcitur res quælibet, in qua, & in quo, ſunt Materies & Corpora prima (principia) illius rei; & hanc ob cauſam res quælibet non poteſt oriri ex re qualibet,

VARIÆ LECTIONES.

171. *Enaſcitur.* naſcitur. Z.

NOTÆ.

169. *Qui poſſet*] Non opus eſt interrogatione. Nam & infra verſu 182. eodem modo infert:

Quippe, ubi nulla forent &c.

Cæterum quod hic *matrem rebus conſiſtere certam* dicit, Virgilio etiam placuit, is enim Georg. 2: 268.

Mutata ignorent ſubito ne ſemina matrem.
Preig.

171. *Inde*] Ex eo loco, ubi cujuſque materies ineſt. conjunge hæc duo, *inde ubi.* Lamb.

171. *Inde enaſcitur*] Refer ad id quod in verſu ſequenti eſt, *Ubi materies*, &c. Fab.

171. *Enaſcitur.*] *Naſcitur* MS. quæ vox forſan illis grata erit, qui in Veterum Verſibus hiatus quærunt, & amant. Creech.

171. *Enaſcitur*] *Naſcitur* MS. quod & notavit Creechius, qui aliquot pagellas priores Lucretii cum Cod. Voſſ. collatas habuiſſe videtur, nam in reliquis MS. lectionis niſi ex Giphanio, Lamb. & aliis non meminit. Hav.

173. *Hac re*] Hanc ob rem, ſeu hanc ob cauſam. Lamb.

173. *Hac re*] διὰ τȣ̃το. Fab.

174. *Certis in rebus*] Libentius hoc loco legerim *cunctis* quam *certis*, quò verſus ſuperiores inducunt, & ille verſu 173. præter ceteros,

Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni.

Id quamobrem, Lector? *Quod cunctis*, &c. Innuit enim facultatem ſecretam, diſtinctam, ſeu ſpecificam in una quavis re eſſe; unde è caulibus juglans, ex homine leo, &c. non enaſcatur, &c. Fab.

174. *Secreta*] Diſtincta & ſeparata. Lamb.

175. *Præterea cur vere*] Si omnia de nihilo, tum tempeſtatibus ſtatis ſui fructus, ſua munera non eſſent, &c. Fab.

175. *Præterea cur, &c.*] Modo ex ipſa rerum origine, jam vero probat ex ſtatis temporum effectibus, *Nihil è Nihilo fieri* v. 10. Cur enim *Vere* tantum Roſæ, *Æſtate* Fruges, *Autumno* Uvæ, & non *Hyeme*, aliiſque etiam Anni partibus producerentur, ſi ad illorum originem *materia* nihil conferat; cùm non major ſit in una tempeſtate quam in alia diſpoſitio, ut ex *Nihilo* quicquam procreëtur? Creech.

175. *Calore*] Æſtate. Lamb.

176. *Viteis auctumno fundi ſuad.*] Treis codices manuſcriptos ſecutus ſum: quibuſcum congruunt nonnulli vulgati. nam alii habent *ſudante.* Præterea in Florent. legitur *uvas*, non *viteis. auctumno* autem *ſuadente* dixit per tranſlationem: ut & tralatio eſt in *ſudante*, ſi cui fortè hæc ſcriptura probetur magis. ego quidem *ſuadente* magis probo. ſimili enim tranſlatione uſus eſt infrà lib. 2: 171.

Et jam cetera, mortaleis quæ ſuadet adire,
Ipſaque, &c.

Tale ferè eſt illud Plautinum Bacchid. 1: 1: 20.

Quid eſt? quid metuis? ne tibi lectus malitiam
Suadeat?

Sic iterum Lucretius lib. 5: 671. *imperare* à rebus ratione utentibus, ad rem inanimam tranſtulit:

Nec minus in certo denteis cadere imperat ætas
Tempore. Lamb.

176. *Auctumno*] Turnebus Adv. 6: 14. imaginatur hic ſibi Dei effigiem torcular calcantis, qualiter apud Ovid. 2. Metam. 28.

Stabat & Autumnus calcatis ſordidus uvis.

qua-

Quod certis in rebus ineſt ſecreta facultas.
Praeterea, cur Vere roſam, frumenta Calore,
Viteis Auctumno fundi ſudante videmus:

Si

INTERPRETATIO.

quia ſingulis in rebus ineſt peculiaris aliqua propriaque vis ad hoc & non ad aliud producendum apta. Præterea, cur Roſas Vere, æſtate fruges, uvas autem Autumno, qui ſudores elicit, matureſcere videmus,

VARIÆ LECTIONES.

174. *Certis.* cunctis. Creech. *Secreta.* diverſa. Q. 1.

175. *Præterea.* propter ea. G. *Roſam.* ſi roſam X.

176. *Vites.* uvas. Vices aucuinno X. *Sudante* O. (vid. Cler. Bib. Ch. Tom. V. a. 1716.) Suadente C. G. L. H. 1. V. 3. Y. Z. *Gaſſend.* Suadere. Q. ſua dante *Salmaſius.* Suadente X. fundis vadente G.

NOTÆ.

quales ſibi tabulas ſæpe repreſentat etiam Faber, (ex. gr. lib. 2: 538. ubi bene Creech.) quibus tamen Lucretius nihil juvatur. Idem Turneb. tamen 25: 1. retinens *ſuadente*, eodem ut Lamb. modo exponit. Hav.

176. *Sudante*] Vel ſpumoſo & ſordido uvâ calcatâ: a qua *muſtulentus* dicitur Apuleio. Ovidius Met. 2: 28.

Stabat & autumnus calcatis ſordidus uvis.
Stabat nuda æſtas: & ſpicea ſerta gerebat.
Inde ſenilis hyems tremulo venit horrida paſſu.
Aut ſpoliata ſuos, aut, quos habet, alba capillos.

Vel *ſudante* expone calore ſuo vitibus ſudantes & ſtillatitias guttas emittere cogente. Quidam intelligunt vites fundi autumno ſudante: reſolvi in maturitatem uvarum ſudante, hoc eſt hymbrico vel ſordido, autumno. Pius.

176. *Sudante.*] Ita veteres quidam & vulgati. Sudor ſeu humor, ac vapor congruit vitibus, vino, & auctumno. In aliis: *ſuadente.* male. Gif.

176. *Auctumno ſuadente*] Propter vindemiam & humectum vaporem illi tempeſtati proprium. alii tamen *ſuadente* habent; quod fortaſſe melius. certe placeret magis. Fab.

176. *Sudante*] *Suadente* G. Lambinus, & alii ex MSS. i. e. impellente vel ſollicitante, hæc etiam vox *Fabro* placet. Salmaſius legit *Sua dante.* Ver *ſua dat*, cùm det Roſas, Calor frumenta, Autumnus Uvas. Sed quidni *Sudante* retinerem? *Humido* viz. & *udo*, vel *ſudores eliciente*, non enim dura eſt nec incommoda tranſlatio. Creech.

176. *Sudante*] Inſigni metaphora vel metonymia. Vel potius per σωματοποιΐαν Ver Æſtatem Auctumnum *ſudare* dixit, ut Lib. 5: 736.

It Ver & Venus, & Veneris prænuntius ante
Pinnatus graditur Zephyrus, &c. Preig.

Suadente tamen mihi germana videtur lectio, nam & codex MS. G. *fundis vadente*, qui adeo nihil mutat, ſed litteram *ſ* alieno loco adhærentem habet. *ſuadente* vero eſt impellente. Sic lib. 2. *ſuadet adire.* verſu 171. & lib. 6: 1280. *paupertas horrida ſuaſit.* apud Virg. 6: 276. *male ſuada fames.* Hav.

177. *Quia*] MSS. habent vel *que*, vel *quæ.* unde patet ſcripſiſſe Auctorem:

Si non certa, ſuoque in tempore ſemina rerum
Cum confluxerunt.

hæc enim duo ad fructus bonos ferendos requiruntur, ut certa cuique rei ſint ſemina, & ut ſuo non alieno tempore incrementum capiant. Ipſe mox verſu 190. *Semine certo.* Hav.

179. *Dum tempeſtates adſunt*] Id eſt tempora idonea, atque opportuna. nam tempeſtatis nomen eſt μέσον. Lamb.

179. *Tempeſtates*] Tempora commoda gignundis rebus. Veteres autem tempeſtates bonas, tempeſtates malas, tempeſtates pluvias potius, quam tempeſtatem dicebant: exempla ex Catone Cenſorio peti poſſunt, & ex Varrone. Fab.

179. *Vivida*] Altrix, nutrix, quæ vitam, hoc eſt vegetativam animam affert herbis, plantis, & arboribus. quod vitam ſuppetat ac ſubminiſtret terra *vivida* nuncupatur. Et tellus *vivida* vocari poteſt epitheto ſuo quoniam omnibus vitam præſtat. Pius.

Si non, certa ſuo quia tempore Semina rerum
Cum confluxerunt, pateſit quodcunque creatur,
Dum tempeſtates adſunt, & vivida tellus
Tuto res teneras effert in luminis oras?

Quod

INTERPRETATIO.

niſi quod, cum propria rerum ſemina idonea tempeſtate coierint, appareat quodcunque gignitur, dum adſint opportuna Anni tempora, & vegeta parens terra tuto proferat in lucem res novas & infirmas?

VARIÆ LECTIONES.

177. *Quia.* qui. *G.* 1. Q. X. Y. Z. ſed in Z. ſuperſcribitur *quæque.* quæ U. que 2. 3. cum Q. 1.

178. *Quodcunque creatur.* quodcunque ora cantu. G. 3. Z. orcatu Y. creatum V.

180. *Oras.* Horas Z. auras *Faber.*

NOTÆ.

179. *Vivida*] Vegeta, valida. *vivatum & vividum* (inquit Feſtus) *à magna vi dicta ſunt:* ſuprà notatum eſt. LAMB.

180. *Tuto res teneras*] Virg. Georg. 2: 332. de æſculo arbore,

Inque novos ſoles audent ſe gramina tuto
Credere. PREIG.

180. *Teneras*] Epithetum *teneras* licet conjungere cum voce *oras:* & tum interpretabimur, liquidas; molleis, licet & cum voce *res*, ut intelligamus res adhuc recenteis, & infirmas, necdum ita corroboratas, ut injuriam cæli ferre poſſint. Sic infrà paucis poſt verſibus verſu 208.

Aëris in teneras poſſint proferrier auras.
LAMB.

180. *Teneras oras*] Malim *auras.* ſic infra *aëris in teneras auras.* Sic Græci *μαλακὰς αὔρας.* alioqui τὸ *teneras* cum *res* jungi poſſit. Locus Virgil. in Georg. notiſſimus eſt. FAB.

180. *Luminis.*] Vitæ vel hujus cæli. Silius 2: 223.

O blandum cæli lumen: tanto ne cavetur
Mors reditura metu: viventique addita fata?
PIUS.

180. *Auras.*] Sunt qui legunt *oras:* vel *auras* pro *oras* poſuit, ut *aula* pro *olla: ploſtrum pro plauſtrum:* & ſexcenta hujuſmodi. *Solventibus oram bene precemur* cum Quintilianus ait: lego *ora* in ſexto caſu pro *ab ora.* i. e. regione littorali. Nam *ora* dicuntur litorales regiones. Maro 6: 2.

Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.

quod ex Livio adducitur mendoſiſſimum affertur. In Livianis etiam priſcis exemplaribus non *oras* legitur ſed *lora:* qua voce in re eadem utitur alibi etiam in editis codicibus. Cujus hæc verba ſunt ex libro. 12. *Vix dum omnes conſcenderant, tum alii reſolutis loris ut anchoram evellerent: alii ne quid teneat anchora, lora incidunt: raptimque omnia præpropere agendo nautica miniſteria impediuntur.* quæ verba fidem faciunt & illum locum in quo legebatur *oras*, adulterinum eſſe, reclamantibus fideliſſimis exemplaribus: & omni eruditorum corona: in quibus nuſpiam reperies *oram* pro retinaculo ſive fune nautico ſumi. Sed ne te moveat dictio *lora:* ſcito priſcos retinacula ſolitos ex corio bubulo facere, quod docet Maro cum inquit 6: 1.

Sic fatur lachrymans: claſſique immittit habenas.

Audi quæ huic rei facientia repperi in integris Honorati Servii codicibus, qui apud Vicum, omni cumulo virtutis ac dignitatis inſignitum, Comitem Truſſardum Calepium, equeſtris ordinis, ſervantur. „ *Immittit habenas:* aut funes per me„taphoram equorum dixit: aut Homerum ſequu„tus eſt qui ait. *στρέπτοισι βόεσι.* i. *loris retortis.* iis „ enim utebantur antiqui. „Subſequebantur in eiſdem ſynceris exemplaribus duo teſtimonia ex Homero. Cæterum quidam non *ora* ſcribunt: ſed *oriam*, pro freno, auctore Pompejo: quod non probo. *Oram* Livius libro primo de ſecundo

Punico

Quod ſi de Nihilo fierent, ſubito exorerentur
Incerto ſpatio, atque alienis partibus anni:
Quippe ubi nulla forent primordia, quae genitali
Concilio poſſent arceri tempore iniquo.

INTERPRETATIO.

At verò ſi de Nihilo fierent res, inexpectato naſcerentur, quolibet etiam (modo hoc modo illo) tempore, Annique partibus vel maxime imdoneis; tum enim nulla eſſent ſemina quæ impediri poſſint quo minus conveniant ad rem producendam tempeſtate minus convenienti.

VARIÆ LECTIONES.

181. *Exorerentur.* exorirentur Q. 1. exorierentur X.
182. *Alienis.* alicujus *Pius.* ex ſinceris tamen exemplaribus inter notas reponit *alienis.*

NOTÆ.

Punico bello regionem litoralem vocat. Pius.

180. *Oras.*] *Auras* mavult Faber, ſic infra *Aëris in teneras Auras*; ſic Græci *μαλακὰς αὔρας.* ubi vero *Luminis auras* inveniet? ideoque non ſolicitanda lectio. Creech.

182. *Spatio*] Nimirum temporis. Preig.

182. *Alienis partibus*] Id eſt intempeſtivis: tempore non ſuo. *ſuum*, & *alienum* inter ſe opponuntur. quæ oppoſitio eſt illuſtris in illo Terentiano in Eunucho 2: 2: 34.

Vide quid os ſuum, & cibus faciat alienus.

ubi vulgo tamen legitur *otium.* Lamb.

182. *Alienis*] Minus convenientibus, minus idoneis ad progignundum quid. Fab.

183. *Quæ genitali concilio*] Id eſt, quæ prohiberi poſſent, quo minus inter ſe congrederentur, & convenirent ad rem aliquam gignendam. *Concilium* apud bonos ſcriptores, per tranſlationem, quarumlibet rerum ac perſonarum congregationem ac cœtum ſignificat: ut hoc loco *concilium genitale* eſt congregatio corporum primorum ad gignendum valens. ſic lib. 2: 109.

Multaque præterea magnum per inane vagantur,
Conciliis rerum quæ ſunt rejecta:

id eſt, quæ non potuerunt cohærere ad res gignendas. Ibid. 918.

Quod tamen ut poſſint, ab cœtu, concilioque
Nil facient præter volgum, turbamque animantum.

& libro 3: 806.

Quàm mortale quod eſt, immortali, atque peremni
Junctum in concilio ſævas tolerare procellas?

Propriè autem *concilium*, & *conciliare*, voces ſunt fulloniæ, ut docet Varro lib. 5. his verbis: *Apud fullonem veſtimentum, cùm cogitur, conciliari dicitur.* Joſephus Scaliger tamen notat, *concilium* & *conciliare* à ciliis dici, & *conciliare* eſſe *συμπιλεῖν, πιέζειν, συμπατεῖν*, id eſt *condenſare, conſtringere, & conculcare.* Lamb.

183. *Genitali concilio*] Vox Lucretiana in hoc ſignificatu. congreſſum, conventum, coitionem primigeniorum corporum, mox denique, *ſeminis coitum* vocat. Fab.

184. *Concilio genitali.*] *Concilium genitale* congreſſus Corporum primorum ad gignendum valens. *Concilium* à cogendo, unde apud Fullonem veſtimentum, dum *cogitur*, *conciliari* dicitur: *Varro* lib. 5. *Concilium nominis* apud Tertullian. de pallio, eſt compoſitio nominis è duabus vocibus, & vetus Scholiaſtes in primam Sat. Juvenalis v. 116. inquit, Ciconia quæ contra templum Concordiæ ex *concilio* (ita enim leg. non *conſilio*) roſtri ſonitum facit. Creech.

184. *Tempore iniquo*] Propter temporis iniquitatem, ſeu propterea quòd tempus eſſet alienum, adverſum, atque inopportunum. ſic ſuprà: 42.

Patriai tempore iniquo. Lamb.

184. *Tempore iniquo*] Propter incommodas tempeſtates. Fab.

185. *Nec porrò augendis rebus*] Id eſt, nec porrò rebus jam natis ſpatio opus eſſet ad congregationem corporum primorum, per quæ res illæ juſtam magnitudinem colligerent, atque acquirerent,

Nec porro Augendis rebus Spatio foret uſus
Seminis ad coitum, è Nihilo ſi creſcere poſſent.
Nam fierent juvenes ſubito ex infantibus parvis:
E terraque exorta repente arbuſta ſalirent.
Quorum nil fieri manifeſtum eſt, omnia quandò
Paullatim creſcunt (ut par eſt) Semine certo:
Creſcendoque genus ſervant; ut noſcere poſſis
Quae-

INTERPRETATIO.

Nec porro opus eſſet ſpatio aliquo temporis in quo convenienti materia coëunte res natæ grandiores fierent, ſi è Nihilo augeri poſſint, namque v. g. Juvenes momento temporis fierent è parvis infantibus, grandeſque arbores è Terra ſubito erumperent; at vero nil tale fieri palam eſt, quoniam res cunctæ paulatim augentur ex certa propriaque materia, ut ipſa poſtulat natura rerum: Et dum augentur ſuas ſpecies conſervant, & inde aliquis certus eſſe poſſit

VARIÆ LECTIONES.

185. *Spatio.* abeſt ab X.
190. *Ut par.* & par X.
191. *Creſcendoque.* Creſcentesque C. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

rerent, & (ut infrà loquitur) *ætatis florem contingerent.* Lamb.

185. *Nec porro, &c.*] tertium proponit argumentum v. 8. ex Naturali rerum incremento ductum, ſi enim è *Nihilo* res fierent, quidni etiam è *Nihilo* augerentur? Ideoque tempore non opus eſſet ut ad ſummum ætatis florem, juſtamque magnitudinem pervenirent, uno ſaltem momento punctoque temporis tenellus *Infans* robuſtus *Juvenis* evaderet, &c. ideo enim tardè & paulatim *Res* creſcunt, quia ex *certa* Materia *certiſque* Principiis augentur, quæ momento temporis nec congregari, nec diſponi, nec conjungi poſſunt. Porro autem cum ex *certo* ſemine res augeantur, è *certo* etiam ſemine naſcantur neceſſe eſt. Creech.

185. *Spatio uſus*] Id eſt ſpatio opus. Terent. Heaut. 1: 1: 28.

Mihi ſic eſt uſus: tibi ut opus eſt facto, face.

ſic idem Lucret. paucis verſibus poſt v. 220.

Nulla vi foret uſus enim, quæ partibus ejus
Diſcidium parere.

&c. Sic & Plautus non ſemel. Lamb.

185. *Spatio uſus.*] i. e. *Spatio opus*, ſic l. 1. v. 220.

Nulla vi foret uſus enim --- ---

Virgilius 8. Æneid. 441.

--- --- *nunc viribus uſus.* Creech.

189. *Omnia quando, &c.*] Id eſt, quoniam res omnes ſenſim creſcunt certo ſemine conveniente. *quandò* hoc loco legendum eſt cum accentu gravi in poſtrema ſyllaba. Docet enim Feſtus, *quandò*, cùm gravi accentu pronuntiatur, idem ſignificare quod *quoniam*, & eſſe conjunctionem: cùm acuto accentu verò, eſſe temporis adverbium. Lamb.

190. *Ut par eſt*] Ut decet. in eadem ſignificantia dicebatur *ut verum eſt.* Horatius 1 Ep. 7: 98.

Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede verum eſt.
Pius.

191. *Creſcendoque*] *Creſcenteſque* V. viz. Res: nec inſolens Lectio, etſi *Omnia* præcedat. Creech.

192. *Quæque*] *Quicque* MSS. uti rurſus vſ. 216.

Huc accedit uti quidque in ſua corpora rurſum &c.
Haverc.

192. *Materia*] MS. *materiæ.* Forte ſcribendum *materie*, ut paſſim alibi loquitur. Hav.

193. *Huc accedit uti*] Cùm augeſcant terræ fœtus ex imbre opportuno, non igitur ex nihilo. Fab.

193. *Huc accedit.*] Quartum proponit v. 7. argumentum ex alimenti neceſſitate deductum, idque etiam non minus firmum & validum, quam cætera; Cùm enim niſi cadant Imbres nihil è Ter-

Quaeque ſua de Materia grandeſcere, alique.
Huc accedit uti ſine certis imbribus anni
Laetificos nequeat foetus ſubmittere tellus:
Nec porro ſecreta cibo natura animantum
Propagare genus poſſit, vitamque tueri:
Ut potius multis communia Corpora rebus
Multa putes eſſe, ut verbis Elementa videmus,

Quam

INTERPRETATIO.

res omnes de certis propriiſque principiis nutriri, & grandiores fieri. Adde quòd niſi imbres tempeſtivi cadant, Terra non poteſt producere lætificos ſuos fructus, nec Animalia alimento privata genus ſuum propagare poſſunt, nec vivere; & hinc rectiùs colligas, multa eſſe principia communia multis rebus, ut vocibus literas videmus,

VARIÆ LECTIONES.

192. *Quæque.* quicque. G. Y. Z.
195. *Cibo.* Cubo. Q.
196. *Poſſit.* poſſet. exceptis A. C. P. Y. Z. plurimi.

NOTÆ.

Terra ſurgat, cum Animalia alimento privata nec propagare Genus ſuum poſſunt, nec vivere, quis tam ineptus eſt qui credat Animalia vel fruges è *Nihilo* produci, cum videat Materiam & producendis & alendis rebus omnibus eſſe neceſſariam? imo potius concludendum eſt, ſemina eſſe quædam è quibus res, ut voces è literis, componantur. Creech.

194. *Lætificos*] Lætitiæ effectores. ex quo *lætificare.* quo verbo etiam M. Tullius uſus eſt lib. 2. de natur. Deorum 52. *Indus verò, qui eſt omnium fluminum maximus, non aqua ſolùm agros lætificat, & mitigat, ſed eos etiam conſerit.* Lamb.

194. *Summittere*] Subminiſtrare, ſuppeditare, ſeu efferre. ſic ſupra verſu 7.

> --- *tibi ſuavis Dædala tellus*
> *Summittit flores.* Lamb.

194. *Summittere*] Jam ſupra occurrit. Fab.

195. *Secreta cibo*] Sine cibo, ſeorſum à cibo. Lamb.

195. *Secreta cibo*] Privata, remota. Fab.

196. *Propagare*] Amplificare, multiplicare. tralatio à vitibus. in verbo *propagare* primam ſyllabam produxit, ut lib. 5: 848.

> *Ut propagando poſſint producere ſæcla.*

ibidem 854: corripuit:

> *Nec potuiſſe propagando procudere prolem.*

ſic & ſup. 21.

> --- --- *& ſæcla propagent.*

ſic & Virg. nomen *propago* corripuit libro ſexto verſu 871.

> --- --- *nimium vobis Romana propago*
> *Viſa potens, ſuperi.*

Propagatur genus autem, maris & fæminæ conjunctione ſcilicet, & rebus Veneris. Atqui ſine Cerere quidem & Libero friget Venus: ſine cibo autem non ſolùm Venus in animante langueſcit, ſed ipſum quoque animans interit. Lamb.

196. *Propagare genus poſſit.*] Poſſet. Gif.

197. *Ut potiùs multis*] Id eſt, ut probabilius quis exiſtimare poſſit, multa eſſe primordia rebus, quæ gignuntur, communia, quemadmodum elementa litterarum multa videmus eſſe nominibus communia, quàm rem ullam ſine primordiis naſci, atque oriri poſſe. Lamb.

198. *Ut verbis elementa*] Ut credibilius ſi res ex multis diverſiſque ac pugnantibus etiam principiis conſtare, quemadmodum vocabula ex diverſis literis conſtant, quam è nihilo exoriri. Fab.

200.

Quam ſine Principiis ullam rem exſiſtere poſſe,
Denique cur Homines tantos natura parare
Non potuit, pedibus qui pontum per vada poſſent
Tranſire, & magnos manibus divellere monteis,
Multaque vivendo vitalia vincere ſaecla:
Si non Materies quia rebus reddita certa eſt

INTERPRETATIO.

quàm aliquid ſine certo ſemine oriri & augeri poſſe. Denique cur Natura non poteſt producere Homines tam immenſæ proceritatis ut altum mare tamquam vadoſam paludem pedibus tranſire; & tantarum virium, ut manibus ſuis ingentes montes eradicare, tantæque longævitatis, ut multa temporis ſpatia, quibus Hominum vitæ nunc terminantur, vivendo ſuperare valeant, niſi quod certa principia rebus quibuſcunque

VARIÆ LECTIONES.

199. *Principiis.* principibus. Z. *Ullam rem.* res nulla Q. 1. nullam Q. 2.
201. *Pontum.* ponti Q. 1. pontu K. ex Salmaſio.
204. *Quia.* quæ Q. qua Z.

NOTÆ.

200. *Denique cur, &c.*] Rurſus v. 9. arguit è Rerum naturalium definita magnitudine & duratione. Si enim è Nihilo Homines. v. g. producerentur, unde conſtanter tam puſilli & imbelles? unde brevis vita, cæteraque Humani generis & incommoda, & vitia? jam vero è certis ſeminibus certaque materia naſci Homines admittas; & hæc omnia neceſſaria plane erunt, & explicatu facilia. CREECH.

200. *Parare*] κατασκευάζειν, efficere. LAMB.

200. *Cur non potuit?*] Quod tamen eſſet, ſi è nihilo forent. ſed cum rerum genera modum ſuum habeant, ultra quem non liceat egredi, ideo fit ut ſibi conſterit. FAB.

201. *Pedibus qui, &c.*] Tales dicuntur fuiſſe gigantes: vid. Themiſt. in 11. Phyſ. & Plin. GIF.

201. *Pedibus qui pontum*] Qualis fingitur Polyphemus à Virgilio libro 3. Æneid. 665.

—— graditurque per æquor
Jam medium, nec dum fluctus latera ardua tinxit.

qualeis & gigantes fuiſſe accepimus: de quibus libr. 2. fortaſſe nonnulla dicemus, ad illum locum,

Vix animalia parva creat. LAMB.

201. *Pontum per vada*] Pontum vado tranſire; intelligit autem tanta tamque immani corporis proceritate futuros, ut quod aliis eſſet ἀπέρατον, iis trajectu facile foret: quippe queis maris altitudo quantalibet pro vado eſſet. Noli itaque locum hunc ita interpretari, quaſi ſi dixiſſet *per ponti vada.* Quod enim Salmaſius hunc verſum depravatum eſſe judicavit, non ideo facilius crediderim. Intelligit autem Lucretius Titanas, Gigantas, Cyclopas, &c. quæ genera pro figmentis poëtarum habet. FAB.

201. *Pontum per vada.*] Salmaſius Ep. 50. legit *Pontu*, i. e. πόντυ, ut idem Lucretius *Pelage*, i. e. πελάγη dixit lib. 5. v. 36. & l. 6. v. 619. at rectius Faber, noli hunc locum ita interpretari quaſi dixiſſet *per Ponti vada.* Quod enim Salmaſius hunc verſum depravatum judicavit, non ideo facilius crediderim. CREECH.

203. *Vitalia ſæcla*] *Sæcla* hoc loco pro ſpatiis annorum poſuit. *Vitale* autem idem valet, quod vita præditum, vel ad vitam pertinens, vel cum vita conjunctum. hoc totum autem *multa vitalia ſæcla vivendo vincere*, eſt diu vivere. LAMB.

203. *Vincere.*] *Vivere* Fayus, vox nihili. CREECH.

203. *Vivendo vincere*] 11: 160. ubi Evandrus:

Contra ego vivendo vici mea fata ——

ſic infra 3: 961.

Omnia

Gignundis, è qua conſtat quid poſſit oriri?
Nil igitur fieri de Nilo poſſe fatendum eſt:
Semine quando opus eſt rebus, quo quaeque creatae
Aëris in teneras poſſint proferrier auras.
Poſtremo quoniam Incultis praeſtare videmus
Culta loca, & manibus melioreis reddere foetus:

Eſſe

INTERPRETATIO.

producendis aſſignata ſint, è quibus ſit quicquid naſci poteſt? concedendum igitur eſt Nihil de Nihilo fieri cum certis principiis opus ſit è quibus res quæque nata producatur. Denique quoniam conſtat Agros qui ab Agricolis coluntur fertiliores eſſe iis qui non coluntur, & fruges etiam meliores Agricolis colentibus reddere,

VARIÆ LECTIONES.

205. *Gignundis.* ſignandis. X.
206. *Nilo.* nullo. ex Lactantio. Rom. editionis. nihilo de poſſe. X. *Fatendum.* vovendum. Q. 1.
207. *creatæ.* creat. P.
208. *poſſint.* poſſent. G. Q. Y. Z. *proferrier.* proferre. X. perferre *Pius* ex Lact. *Auras.* oras. C.
209. *Quoniam.* quando. *Pius* ex prob. exempl.
210. *Melioreis reddere fœtus.* Melioris reddere feti G. reddier fetus A. B. reddere fœtus. 1. D. 1. 3. Y. Z. *reddi* L. F.

NOTÆ.

Omnia ſi pergas vivendo vincere ſecla.

Virg. 2. Georg. 295. de arbore æſculo,

--- --- *immota manet, multoſque per annos*
Multa virûm volvens durando ſecula vincit.
Preig.

204. *Reddita*] attributa, ut ſæpe aliàs. Lamb.

204. *Reddita*] Data, tributa, aſſignata, Ita ſæpe Virgil. ſemper Lucretius. Fab.

204. *Si non &c.*] Ut verſ. 176. Preig.

204. *Quia*] MS. *qua*, nec temere forte. cum *qua* hic poſſit uſurpari pro aliqua i. e. aliquo modo. Veterem lectionem mutare tamen nolui. Haverc.

207. *Quando*] Quoniam: ut ſuprà. Lamb.

208. *Aëris in teneras poſſint proferrier auras*] Id eſt proferri in aërem. ſic infr. 801.

Ordine mutato, & motu facere aëris auras.
Lamb.

209. *Poſtremo, &c.*] Obſervaverat Poëta Fruges, Arbores, Floreſque, &c. humana induſtria meliores & lætiores fieri, indeque v. his 7. arguit hæc omnia è latentibus quibuſdam ſeminibus oriri. Quid enim prodeſſet labor ſi è Nihilo producerentur? vanus profecto eſſet, irrituſque, & nihil ille ageret, qui *Nihil* coleret: Imo nihil impedit quin fruges è Nihilo productas ſponte ſua quotannis meliores & lætiores naſci videremus. Creech.

209. *Quoniam*] Lego ex probatis exemplaribus *quando* pro cum: niſi, *quoniam* pro quando interpretari mavis. Pius.

210. *Manibus*] Opera hominum, & opere ruſtico, cultura. Lamb.

210. *Reddier fetus.*] Ita conjectura: ex locis aliis ſimil. in libris tamen: *reddere.* barbare. vid. Indicem. Gif.

210. *Reddi*] Sic legendum, libris omnibus reclamantibus. hic enim ordo eſt: & quoniam videmus, fætus manibus *reddi*, hoc eſt fieri, meliores, & cetera. *reddere* autem, quod eſt in omnibus libris, ferri non poteſt. Lamb.

210. *Manibus*] Manibus hominum meliores reddunt fœtus, quam ut ita dicam, ſponti ſuæ. Nam & ita *noſtro labore* & *ſponte ſua* opponuntur. At ſponti ſuæ reddunt culta etiam loca ea quæ ſponte ſua naſcuntur; veluti Virg. Ecl. 5: 37.

 Infelix

Eſſe videlicet in terris Primordia rerum,
Quae nos, foecundas vertentes vomere glebas,
Terraïque ſolum ſubigentes, cimus ad ortus.
Quod ſi nulla forent, noſtro ſine quaeque labore

INTERPRETATIO.

concludere licet, in terris quædam latere rerum principia, quæ nos verſantes aratro fertiles glebas, ſolumque ſubigentes, excitamus ad exerendam ſuam vim rebus producendis aptam; at verò, ſi nulla forent latentia in Terris ſemina, tum ſine ulla Agricolæ opera, aut cultu,

VARIÆ LECTIONES.

211. *Terris.* teneris X.
213. *Subigentes.* ſubingentis. X. *Cimus.* Scimus Y. Z.

NOTÆ.

Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ. PREIG.

210. *Reddere.*] *Reddier:* Gif. & P. ex conjectura. *Reddi:* Lambinus. Docetque *Legendum ita eſſe libris omnibus reclamantibus. Reddere* autem quod eſt in omnibus libris ferri non poſſe. Dum vero innocenti immeritæque voci iraſcatur, veterem, quam omnes libri aſſignant, ſedem poſſideat *Reddere.* Aliqui libri *dicier*: Pareus. CREECH.

210. *Reddere*] Omnino ſic legendum eſt. Non enim de fovendo aut conſervando, ſed producendo fœtu loquitur; & culta loca fœtus ſuos reddunt manibus cultorum ſuorum, quibus ſubigi ſolent & conſeri, quibuſque rerum primordia, quæ ſint in terris, *ciemus ad ortus*, ut mox pergit. PREIG.

210. *Reddere*] Merito Gronovius Pater deridet Giphanianum *reddier*, ut & *reddi* Lamb. contra auctoritatem MSS. omnium, explicans ita: culta reddunt meliores fœtus manibus, i. e. labore manuum, atque illuſtrans ex Salluſtio, Cicerone, aliis, Obſ. II: 7. Quid tamen ſimplicius, quam *reddere manibus*, eſſe compenſare manuum laborem, retribuere fructibus quod terræ fodiendo, arando, ſtercorando feceris? optime ad ſenſum Poëtæ Vetus Inſcriptio

DATE TER. FRUCTUM UT
TERRA REDDERE POSSIT
AB ALTERO SPERES
ALTERO QUOD FECERIS.

Injicit tamen ſcrupulum lectio MS.

--- --- *manibus melioris reddere fœti.*

quaſi innueret meliori vel laborioſiori agricolæ loca *fœta* jam, ita enim tum ſcribendum, i. e. fœcundiora facta, operam ſuam redditura fructuoſitate. Sed maxime probabile videtur ita fuiſſe ſcriptum:

--- --- *manibus melioris reddere fœtus.*

melioris ſcilicet fructus ſeu fœtus, pro *meliores*, ut *omnis homines*, & multa talia apud Salluſtium & alios; pro quo hic Lucretiano more repoſui *melioreis.* HAV.

211. *Eſſe videlicet*] Sic ſæpe Enn. Plaut. & Ter. *Scilicet facturum.* Videre licet in terra reperiri, &c. neque enim, quod aliquando putavit Interpres, repeti debet ἀπὸ κοινῦ, *fatendum eſt.* FAB.

211. *Eſſe videlicet.*] Sic ſæpe Ennius, Plaut. & Tert. & Saluſt. *Scilicet futurum, videlicet in Terra reperiri, &c.* neque enim quod aliquando putavit *Lambinus* repeti debet ἀπὸ κοινῦ *fatendum eſt.* Vid. l. 2. v. 468. CREECH.

212. *Quæ nos fœcundas*] Hic verſus, & qui proxime ſequitur, iterantur lib. 5. LAMB.

212. *Vertentes*] Virg. Georg. I: 2.

--- --- *quo ſidere terram*
Vertere Mæcenas.

& libr. 7. Æneid. 539.

--- *terram centum vertebat aratris.*

LAMB.

213. *Terraïque ſolum*] *Solum* (inquit Feſtus) *terra.* dicimus tamen ſolum terræ, & ſolum regni. Ennius: p. 134.

Sed ſola terrai poſtquam permenſa parumper.

idem: p. 55.

Tar-

Sponte ſua multo fieri meliora videres.
Huc accedit, uti quidque in ſua Corpora rurſum
Diſſolvat Natura, neque ad Nihilum interimat res.
Nam, ſi quid mortale è cunctis partibus eſſet,

Ex

INTERPRETATIO.

fruges multo meliores naſci ſua ſponte videremus: Adde etiam, quòd Natura res pereuntes in ſua principia tantum diſſolvat, non vero in Nihilum reducat; ſi enim tota materia alicujus rei interitui eſſet obnoxia,

VARIÆ LECTIONES.

216. *Quicque.* quæque A. B. 2. C. D. E. P. X. quicquid Y. Z.
218. *E cunctis.* eſt e cunctis. Q. 1 X. cunctis Y. Z.

NOTÆ

Tarquinio dedit imperium ſimul & ſola regni.

213. *Terraïque ſolum.*] *Terram.* Feſtus Pompejus *ſolum* Terram. Ennius lib. 3.

Tarquinio dedit Imperium, ſimul & ſola Regni.

Et alibi,

Sed ſola Terrarum poſtquam permenſa parumper.

Creech.

213. *Subigentes*] Mollientes, colentes. Vide Feſtum in voce *ſubactus.* Virg. Georg. 1: 125.

Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni.

M. Tull. in Catone majore: *Quæ cùm gremio mollito ac ſubacto ſparſum ſemen excepit, &c.* Idem tranſlatè lib. 2. de oratore ad Q. Fr. *Subacto mihi ingenio opus eſt.* Lamb.

213. *Subigentes*] Eleganter de terræ ſolo; quod & ingenio applicatur, & a farinæ ſubactione ſimilibuſque laboribus eſt aſſumptum, quo & illud facit Perſii 3: 23.

Vidum & molle lutum es, nunc nunc properandus & acri
Fingendus ſine fine rota. Preig.

213. *Subigentes*] Hunc vero locum reſpexiſſe Priſcianum docet Voſſius de Analogia 3: 35. cum perperam ita citetur; *aurâ cimus ad ortus*, ut Putſc. Ed. vel, *avarum cimus adortus*, ut Ed. Veneta, vel denique *auvarum cimus ad ortus*, ut MS. Lugd. Bat. Niſi contendas ita olim fuiſſe ſcriptum:

--- --- *fœcundas vertentes vomere glebas*
Terraïque ſolum, aurarum cimus ad ortus.

pro, ad ortus in auras, i. e. in lucem. ſæpius vero eliſio ſolita apud noſtrum non admittitur. Hi duo verſus libro 5. etiam, quod mireris, eodem verſuum numero repetuntur. Hav.

213. *Cimus ad*] Provocamus ad ortus, id eſt facimus naſci, & oriri. Lamb.

215. *Sponte ſua*] ſua vi, per ſe: ex quo *ſponte nata* dicuntur, quæ ſine manu hominum & cultura, nata ſunt. Arnob. lib. 2. adverſ. genteis: *Cùm animantia cetera ſponte natis alerentur, & nulla ſatione prolatis, &c.* Græci αὐτοφυῆ appellant. Lamb.

215. *Meliora*] Haud dubie meliora: quandoquidem non modo non prodeſſet labor, ſed maxime obeſſet. Fab.

216. *Huc accedit*] Poſteaquam docuit, nihil ex nihilo fieri, nunc (quod eſt conſequens) oſtendere incipit, res creatas non interire in id quod non ſit, id eſt in nihilum, ſed prima corpora, ex quibus res omnes creatæ conſtant, utpote ſolidiſſima, & ſimpliſſima, æterna remanere. Lamb.

216. *In ſua corpora*] Primordialia ſcilicet, in corpora materiæ. Fab.

218. *Nam ſi, &c.*] Effatum modo propoſitum primò probat v. 8. ex communi reſolutione rerum; Si enim Res in *Nihilum* interirent, aut *mortales eſſent è cunctis partibus*; nulla eſſet vis neceſſaria, ut unaquæque diſſolvatur: ſed ut ſine ulla vi aut conamine aliarum rerum ſubitò nata apparet, ſic ſine ulla vi, aut conamine aliarum rerum unaquæque res, non diſſolutione partium, interiret; ſed noſtris oculis ſubducta repente evaneſceret: ideo enim vi opus eſt ut res unaquæque diſſolvatur, quia conſtat ex ſeminibus quæ diſſolutioni ſuperſunt. Hujus argumenti ne minimam partem intellexit *Fayus.* Creech.

Ex oculis res quaeque repente erepta periret;
Nulla vi foret uſus enim, quae partibus ejus
Diſcidium parere, & nexus exſolvere poſſet.
Quod nunc, aeterno quia conſtant Semine quaeque,
Donec vis obiit, quae res diverberet ictu,

Aut

INTERPRETATIO.

tum quælibet res noſtris oculis ſubducta momento temporis evaneſceret, nulla enim violentia opus eſſet quæ partes alicujus rei à ſe invicem ſepararet, earumque unionem diſſolveret: jam verò quoniam immortalibus principiis res conſtant, Natura nihil interire patitur donec aliqua vis incurrat, quæ vel ictu diffringeret res,

VARIÆ LECTIONES.

220. *Enim.* ei. A. B. c. ſupple naturæ.

221. *Diſcidium.* Diſſidium Q. 1. *Patere.* patere Q. *Et nexus.* at nexus. A. marg.

222. *Quod nunc.* Ita A. B. H. 1. E. I. P. Q. I. X. Y. Z. Quid nunc Q. *Conſtant.* conſtat. A. B. Alii *At nunc.*

223 *obiit.* obeat B. C. E. D. P. *Quæ.* quis Q. 1. *Diverberet.* Diverberat. X. *diververet* fuit in Y. Z. ſed corr. eſt. In Z. ſuperſcrib. manu rec. *diruere tactu.*

NOTÆ.

219. *Repente periret*] Horæ momento concreta perirent, uti horæ momento enata eſſent. Fab.

220. *Nulla vi foret uſus ei.*] Ita vet. libri ſc. naturæ. in aliis: *enim.* Gif.

220. *Nulla vi foret uſus enim*] Sic habent tres libri manuſcripti: alii, *uſus ei.* utraque lectio probabilis eſt. ſed hanc magis probo. Hæc enim hujus loci eſt ſententia: nulla enim vi opus eſſet, quæ vis parteis ejus rei quæ periret, diſcinderet, ac diſſolveret. Lamb.

220. *Nulla vi foret uſus enim*] *Uſus* pro *opus.* qui legunt *ei* pro *enim*, ſine judicio vivunt. Fab.

220. *Enim.*] *Ei* Gif. viz. *Naturæ.* Hanc lectionem tuetur *Pareus* : *Lambinus*, *Faber*, aliique rejiciunt: & tantos Authores tutò ſequi potuit *Fajus*, ſi tacere voluiſſet: Hæc autem Iſte: Aliis *uſus ei* ſup. *Naturæ:* mihi minus arridet, alias enim non *rei cujuſque* ſed *Naturæ* partibus diſcidium pareretur. Ingenium Hominis! quaſi *ejus* non æquè reſpiceret *rem quamque*, ſi *ei*, ac ſi *enim* admittatur. Creech.

221. *Diſcidium*] Sic habent tres libri manuſcripti. *diſcidium* autem vox Latina eſt, ne quis fortè de hoc dubitet, à verbo *diſcindo* nata, ut *exſcidium* à verbo *exſcindo*, non à verbo *excido.* Virg. lib. 2. Æneid. 657.

Abnegat exſciſſa vitam producere Troja,

idem libr. 7: 316.

At licet amborum populos exſcindere regum.

diſcidium autem idem valet quod diſciſſio, disjunctio, diſſolutio. quo nomine utitur ſæpius & Lucretius, & alii boni ſcriptores, ut ego jam aliàs indicavi. Lamb.

221. *Et nexus*] Ita vet. libri. Vulgati: *At.* ut inf. verſ. 245. *At nunc*, ubi quidam: *quid.* Gif.

221. *Et nexus exſolvere.*] Id eſt, & vincula diſſolvere, quod valet interimere. Lamb.

221. *Nexus exſolvere*] Compagem & coagmentationem diſſolvere, ſeu interimere, καταλύειν. Fab.

222. *At nunc, æterno*] Omnes libri ſcripti, & nonnulli excuſi habent,

Quòd nunc æterno:

quæ ſcriptura ſi recta eſt, ut mihi quidem ſit veriſimile, ſic interpretanda eſt, *at nunc*, *ſed nunc*, *nunc autem:* ut dicimus *quòd ſi*, pro *ſi autem.* Lamb.

222. *Quod nunc*] Id eſt, *nunc autem.* notandum. Debet hic verſus jungi cum illo altero, *Nullius exitium*, &c. Fab. Ita ſupra verſu 83. *quod contra.* Hav.

222. *Conſtant ſemine quæque*] Gifan. *conſtat.* non bene. Fab.

223.

Aut intus penetret per inania, diſſolvatque,
Nullius exitium patitur Natura videri.
Praeterea, quaecunque vetuſtate amovet aetas,
Si penitus perimit conſumens Materiem omnem,
Unde animale genus generatim in lumina vitae

Red-

INTERPRETATIO.

vel inſinuans per vacua inter particulas ſpatia eas à ſe invicem ſepararet. Inſuper: Si earum rerum, quæ ſenio confectæ pereunt, tempus totam materiam penitus aboleret; quanam ex materia Venus diverſas Animalium ſpecies procreat?

VARIÆ LECTIONES.

227. *perimit.* premit. Q. 1. peremit. Q. 1. Y.
228. *Generatim.* generatum A. marg.

NOTÆ.

223. *Obiit*] Ita vet. libri. Vulg. *obeat.* Gif.

223. *Donec vis obiit*] Secutus ſum quinque librorum manuſcriptorum auctoritatem. *obiit* autem, id eſt obviam iit, incurrit, occurrit. Nam vulgati habent *obeat.* quam lectionem qui probant, deſipiunt. Lamb.

223. *Obiit*] Occurrit, incurrit. unde *obitus* apud Ter. pro *occurſus.* Fab.

223. *Obiit*] *Obeat* P. Na. D. ſed *obiit* veteres MSS. Cod. Creech.

224. *Intus*] Notandum, cum motu. quod vulgo non obſervatur. Fab.

224. *Diſſoluatque*] Licet legere *diſſolvat*, ut ſit trium ſyllabarum, & ita erit verſus ſpondiacus: licet & per diæreſin *diſſoluat*; & item alibi; ut ſit quadriſyllabum. Lamb.

225. *Exitium*] Interitum. *Exitium* (inquit Feſtus) *ponebant antiqui pro exitu: nunc exitium peſſimum exitum dicimus.* Lamb.

226. *Præterea quæcunque vetuſtate*] Præterea (inquit) quæcunque ſenio & vetuſtate intereunt, ſi ea omnia funditus, & penitus, & omni ex parte intereunt: unde animalia ſuo quæque in genere reparari poſſunt per conjunctionem maris & fæminæ? Lamb.

226. *Præterea, &c.*] Secundum Argumentum quo probatur *Nihil in Nihilum reverti* breviter proponit *Epicurus* in Epiſt. ad Herodotum. εἰ ἐφθείρετο δὲ τὸ ἀφανιζόμενον εἰς τὸ μὴ ὄν, πάντα ἂν ἀπολώλει τὰ πράγματα, οὐκ ὄντων τῶν εἰς ἃ διελύετο. Fuſiùs vero Poëta, & fortiùs. Olim probaverat *Nihil è Nihilo* fieri, & inde jam demonſtrat *Nihil in Nihilum* reduci. Animalia enim quotidiè pereunt, & naſcuntur, fontes Aquas, è quibus Mare fluminaque conſtat, perpetuò ſubminiſtrant, &c. Unde verò hæc omnia, niſi quædam eſſent *immortalia* ſemina, quæ diſſolutioni Corporum ſupereſſent è quibus renovarentur? Quis enim tam inſanus quin concederet materiam aliquando interitui obnoxiam, in tam infinita Annorum ſerie quæ ab initio rerum fluxit, debere penitus conſumi, ita ut nihil omnino ſupereſſet è quo res quotidie pereuntes reparari poſſint? Creech.

226. *Aetas.*] Senium: longinquitas temporis: quæ omnia dente corrumpit: de qua Ovidius in calce Metamorphoſeos verſu 236.

Tempus edax rerum: tuque invidioſa vetuſtas
Omnia deſtruitis.

Ævitatem Plautus noſter priſci temporis longinquitatem dixit. Pius.

227. *Conſumens*] Proprium ætatis ac vetuſtatis epitheton. Preig.

228. *Unde animale genus*] Profert hunc verſ. Cariſius lib. 1. & libr. 2. non longè à principio, ubi tamen non videtur ille animadvertiſſe, hoc locò *animale* eſſe adjectivum: ut & lib. 2: 726.

--- --- *quæ non animalia ſolùm*
Corpora ſejungunt, &c.

& in eodem 929.

Quatinus in pullos animaleis vertier ova
Cernimus alituum, &c.

& lib. 3: 635.

--- *& totum eſſe animale videmus.*

Redducit Venus? aut redductum daedala tellus
Unde alit, atque auget, generatim pabula praebens?
Unde mare ingenui fontes, externaque longè

Flu-

INTERPRETATIO.

ex quanam etiam varia, & in rebus producendis Artifex Terra, procreatas nutrit & auget, ſubminiſtrans alimenta diverſis iſtis ſpeciebus apta? Quanam ex re perennes & nativi Fontes Mare

VARIÆ LECTIONES.

229. *Redducit - aut redductum.* Reducit aut reductum A. B. D. G. V. Y. Z. Deducit & deductum. H. 1. Educit reductum. D. E. & redductum. Q. & reductum. X.

231. *Ingenui.* ingeniti. A. Marg. C. P. ingentis. H. 2. ingenii Q. Pius tamen ex Vett. Codd. reſtituit *Ingenui.* ingenuei. Y. Z. Q. X.

NOTÆ.

& libr. 5: 142.

--- --- tanto magis infitiandum
Totum poſſe extra corpus, formamque animalem, &c. Lamb.

228. *Generatim.*] Quidam vett. *Generatum.* Gif.

228. *Generatim*] Per ſingula genera, ut ſuprà. ſic autem habent libri duo manuſcripti: in quibus eſt Bertinianus: reliqui duo *generatum:* quos non ſequor. Lamb.

228. *In lumina vitæ*] Virg. lib. 6. Æn. 829.

Heu quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitæ
Attigerint, quantas acies, ſtragemque ciebunt?
Lamb.

229. *Reducit*] Revocat, retrahit, reconciliat. more Homerico ut ſyllabam correptam intendat modo: modo producat, addit conſonanti alteram conſonantem: quod & feciſſe noſtros palam eſt, in *relligione*, *relliquiis*, *litteris*, *littoribus* & pluribus hujuſmodi. *Reduco* ſane prima correpta profertur ferme ab omnibus: ſed hic addita altera conſonante produxit: quam ambiguitatem nonnulli vitantes hic legere malunt *deducit:* ſed male. Priſcianus libro primo. *In* ſed *pariter nulla poſſet ſyllaba deſinere præpoſitiva: niſi ſequens quoque ab eadem incipiat in ſimplicibus dictionibus, & in plæriſque compoſitis: ut ab ad & dare, adde redduco. Terentius in Phormione* 1: 2: 36.

Sectari, in ludum ducere atque redducere.

Horatius in epod. 13: 8.

Deus hæc fortaſſe benigna
Redducet in ſedem vice. Pius.

229. *Redducit*] Geminatur *d* metri cauſa: ut *Rettulit*, *repperit*, *reccidere*, *reppulit*, *refferre*, *redducit*, apud hunc, & apud Virg. & apud Horat. & ſexcenta ſimilia. Lamb.

229. *Et reductum*] Legendum ex fidelibus exemplaribus. *aut reductum.* Petit cauſam poëta ſi pereunt omnia unde fit ut res omnes terra nutriat: quæ cum quotannis novo colore veſtiatur: niſi principia eſſent æterna, ſine cauſis ſuis perennibus renovari non poſſet: & conſequenter nec animantia nutrire. Pius.

229. *Dædala tellus*] Suprà: v. 7.

--- --- tibi ſuaveis Dædala tellus
Summittit flores. Lamb.

131. *Ingeniti fontes.*] Ex terra geniti. ſed in codicibus antiquis ſcriptum eſt *ingenui* pro eo quod eſt nativi: vel ut ajunt quidam inde nati: non manu & opere humano deducti: non caſtellis aquaticis: non tubis ſubterraneis: ſed nativa ſcaturigine decori: cui interpretationi ſatyrographus adſtipulatur 3: 20.

Et ingenuum violarent marmora tophum.

Vel fontes *ingeniti:* qui generantur in mari. Nam auctore Plinio in maris ſæpe meditullio ſcaturiunt aquæ dulces. Pius.

231. *Ingenui*] Aliis: *ingeniti.* Gif.

231. *Ingenui fontes*] Secutus ſum quatuor libros manuſcriptos, quibuſcum conſentiunt Florentini. *ingenuos* autem interpretor, non manu, aut opere factos, ſed nativos; *ingenui* etiam dicuntur, qui liberi ſunt genere, & natura, non manumiſſione, aut vindicta, aut ſimili juris civilis ratione: unde illa, *ingenuus animus*, *ingenuus civis*, *ingenuæ artes*, *ingenuus pudor.* ceteri libri

Flumina ſuppeditant? unde aether ſidera paſcit?
Omnia enim debet, mortali Corpore quae ſunt,
Infinita aetas conſumpſe, anteacta dieſque.

INTERPRETATIO.

Flumina longis curſibus errantia ſupplent, & renovant? ex qua denique Aer Stellas & Cœlum nutrit? Infinitum enim illud tempus, quod jam præterit, penitus conſumpſiſſet omnia quæ conſtabant principiis interitui obnoxiis:

VARIÆ LECTIONES.

233. *debet.* debeat. G. debent. X.
234. *conſumpſe.* conſumpſiſſe. Q. X. *Anteacta* vid. notas.

NOTÆ.

bri habent *ingeniti*, ſi quis fortè magis probabit. Lamb.

231. *Ingenui*] Quos natura, non ars, &c. ita *ingenuus color*, pro nativo, qui nulla arte, nullo pigmento evocatur. Propert. 1: 4: 13.

Ingenuus color & multis decus artibus, &c. Fab.

232. *Suppeditant?* Suppetunt? vel parata ſunt? abſolutè enim accipiendum, ut infrà: v. 548.

Materies ut ſuppeditet rebus reparandis.

ſic M. Tullius quæſt. Tuſcul. *Quocunque loco bona ſuppeditant, ibi beatè poſſumus vivere.* Lamb.

232. *Suppeditant.*] Lambinus & Pareus *ſuppetunt*, vel *parata ſunt:* rectius autem *ſupplent* vel *ſubminiſtrant.* Creech.

232. *Unde æther ſidera paſcit.*] Hinc apud Virg. 1. Æneid. emendate v. 612.

--- --- *polus dum ſidera paſcit.*

non *palus.* Æther, ut pater (inf. vſ. 251.) corpora cœleſtia, & omnes omnino res humore ſuo paſcit, & tuetur. Inf. vſ. 1093. aut potius, ut inf. lib. v. vſ. 525. Gif.

232. *Unde æther ſidera paſcit?*] Etiam nonnulli alii philoſophi exiſtimant, ſolem, & cetera ſidera, & ſtellas, humoribus Oceani, & terræ vaporibus ali. ſic M. Tull. lib. 2. de nat. Deorum: *Ergo* (inquit) *cùm ſol igneus ſit, Oceanique alatur humoribus, quia nullus ignis ſine paſtu aliquo poſſit permanere: neceſſe eſt, aut ei ſimilis ſit igni, quem adhibemus ad uſum, atque ad victum: aut ei qui corporibus animantium continetur.* Ibid. *Probabile igitur eſt, præſtantem intelligentiam in ſideribus eſſe, quæ & ætheream mundi partem incolant, & marinis, terreniſque humoribus longo intervallo extenuatis, alantur.* Virg. Æneid. 1: 612.

--- --- *polus dum ſidera paſcet.*

ſed hac de re plura dicentur lib. 5. Lamb.

232. *Æther paſcit ſidera*] Non modo id ἐκ τȣ̃ ἐνδεχομένȣ Epicuri eſt, ſed & Stoicorum ſententia V. Plutarch. in *de placitis Philoſophorum.* & Interpretes Virgil. Certe ante Zenonis ætatem veſtigia illius opinionis reperias. Fab.

233. *Omnia enim debet,*] Fortaſſe: *debeat*, ut inf. 2: 900. & 3: 963. Gif.

234. *Conſumſe*] Id eſt conſumſiſſe. talia ſunt illa, *promiſſe*, quo utitur Catull. *evaſti*, *percuſti*, *diviſſe*, *erepſemus*, quibus Horatius: *vixet*, *direxti*, *acceſtis*, *extinxem*, quibus Virgilius & Terent. Lamb.

234. *Conſumſe,*] *Conſumpſiſſe.* Sic *ſumpſe* pro *ſumpſiſſe* apud *Nævium* in *Tryphallo.* vid. A. Gellium lib. 2. cap. 19. eodem modo *Ceſſe* & *Creſſe*, pro *ceſſiſſe* & *creviſſe*, *diviſſe* pro *diviſiſſe* apud Horatium. *Promiſſe* pro *promiſiſſe* apud Catullum: atque ita porro. Creech.

234. *Ætas infinita dieſque*] Hoc firmabit emendationem noſtram circa locum illum in quo antea legebatur, *longa diei infinita ætas anteacti temporis.* Fab.

234. *Anteacta dieſque*] In MS. *Lugd. Bat.* primo, ſeu Y. clare ita olim exſtitit, verum manu recentiori mutatum eſt in *ante facta.* in MS. ſecundo, ſeu Z. legitur *Ant facta.* Denique in Margine ejuſdem legitur: quid ſi *facta?* Nihil muto, mox enim verſu ſequenti huc reſpiciens dicit *anteactam ætatem*, ſicuti & 3: 672. *anteacti temporis* 1: 559. *anteacto tempore.* 3: 844. 5: 173. & ſimilia paſſim. Hav.

235. *Fuere*] Si fuerunt ea, à quibus, &c. id eſt ſi fuerunt principia quædam, & ſemina rerum

Quod ſi in eo ſpatio, atque anteacta aetate fuere,
E quibus haec Rerum conſiſtit Summa refecta:
Immortali ſunt natura praedita certe.
Haud igitur poſſunt ad Nilum quaeque reverti,
Denique res omneis eadem vis cauſaque volgò

INTERPRETATIO.

At verò ſi per totum præteriti temporis ſpatium ea exiſtebant ſemina, è quibus res cunctæ reparantur, æterna ſint & immortalia neceſſe eſt, ideoque nulla unquam res in Nihilum reducitur. Denique una eademque vis omnes res

VARIÆ LECTIONES.

236. *conſiſtit.* conſiſtat. 1.
237. *prædita.* reddita G. redita. 3. Z.
238. *poſſunt.* poſſe. Q. 1.

NOTÆ.

rum; reficitur, & reparatur, & conſtat: illa certè ſunt immortalia, atque æterna. Lamb.

235. *Fuere*] Subaudiendum, *illa*, ut jungatur cum *E quibus*, &c. intelligit prima corpora inſectilia. Fab.

236. *Rerum ſumma*] Τὸ πᾶν. rerum univerſitas; cujus vix millieſima pars eſt hic mundus; Quod Dei majeſtate dignius. Fab.

239. *Denique res omneis, &c.*] Hujus loci hæc ſententia eſt, ut mihi quidem videtur: Denique niſi & materia æterna eſſet, & ipſa teneret res magis aut minùs inter ſe connexas: eadem vis & cauſa res omneis genitas conſumeret, & deleret: Nam ſolus tactus res genitas conficere poſſet. Sed legendum eſſet

Inter ſe nexas minùs, aut magis endopeditè.

ut *nexas* referatur ad *res*, & *endopeditè* ad *nexas*. Lamb.

239. *Denique, &c.*] Deinceps probat v. 12. Res in *Nihilum* non reverti, quòd non una vis ad diſſolvendum omnia ſufficiat; fruſtra enim aliquis obtendat unam eandemque vim omnia Corpora diſſolvere non poſſe, quia diſpari nexu corporum principia conjunguntur. Quid enim iſta nexuum diſparitas efficeret, cum principia ipſa, ſi modo in *Nihilum* revertantur, vel leviſſimum tactum ferre non valeant? Admittas vero principia quædam æterna eſſe, & ex diſſimilitudine contextus eorum inter ſe ratio reddenda eſt, quare non una eademque vis ad omnia diſſolvendum ſufficiat. Creech.

239. *Volgo*] Καθόλȣ. & recte quidem, ex poſitis; cum enim principia infirmitatis ultimæ eſſent, vel leviſſima cauſa ſatis eſſet ad diſſolutionem, & ad reſolutionem ad τὸ μηδὲ ὄν. Fab.

239. *Volgo,*] *Vulgo*, *paſſim.* Sic *Cæſar* de bello Civ. l. 1. p. 7. *Vulgo ex tectis ſignificabant.* Creech.

241. *Nexus*] Vincula, inſtaurationem, renovationem: qua tanquam vinculo copulans antiqua novis meretur æternitatem: ita, auctore Pacato, nihil nocet eſſe perituros cum ſingulatim moriamur: ſpeciatim autem ſimus æterni. aut intelligit numeros elementorum & gradus: qui ſunt in homine. Quidam *nexu* in ablativo legunt & cum *indupedita* jungunt. Pius.

241. *Inter ſe nexus*] Sic vet. libri. & ſupra & mox: *inter ſe quia nexus &c.* Gif.

241. *Inter ſe nexus, minus, aut magis endopedita*] Sic habent tres libri manuſcripti, & multi vulgati, quos ſequor hac editione, quamvis olim aliam ſcripturam probaverim. alii enim habent,

Inter ſe nexu minùs, aut magis endopedito:

alii,

Inter ſe nexas minùs, aut magis endepoditè.

Atque hanc ſcripturam olim probâram, ejuſque ſententiam ſic explicabam: Niſi materies æterna res teneret nexas minùs aut magis impeditè, & perplexè. alii,

Inter ſe nexus minus, aut magis endopeditos.

quæ

Conficeret, niſi Materies aeterna teneret
Inter ſe nexus, minus aut magis endopedita.
Tactus enim lethi ſatis eſſet cauſa profecto:
Quippe, ubi nulla forent aeterno Corpore, eorum
Contextum vis deberet diſſolvere quaeque.

INTERPRETATIO.

delere & deſtruere valeret, niſi quædam eſſent principia interitui non obnoxia, è quibus modo fortius modo debilius unitis res ipſæ conſtarent, leviſſimus enim tactus cauſa eſſet ſatis potens ad res interimendas; ſi enim principia non ea eſſent quæ deſtrui nequeant, quælibet vel minima vis eorum compagem diſſolveret:

VARIÆ LECTIONES.

240. *niſi Materies.* nec Materies H. 1. Q. X.

241. *nexus.* ita A. B. C. *Gaſſ.* L. P. Q. Y. Z. nexu. E. *Pius* in notis. Alii *nexas. endopedita.* ita A. B *Gaſſ.* L. indupedita C. E. G. 1. 2. 3. P. Q. X. Y. Z. *endupedita* alii.

242. *Tactus enim lethi ſatis eſſet cauſa profecto.* Quidam legunt *Tactus enim lethi omnibus eſſet cauſa profecto.* Tractus enim. c. H. 1. P. Q. X.

243. *ubi.* ibi P. *æterno.* æterna Z. *Corpore.* corpora (ſed eſt correctum) Z. *eorum.* quorum B. C. E. V. I. K. P. 3. Q. X. Y. Z.

244. *quæque.* quenquam. H. 2.

NOTÆ.

quæ lectio etiam probabilis eſt: ut per *nexus inter ſe minùs aut magis impeditos* ſignificentur nexus inter ſe diſſimiles: quo modo continuò loquetur. Lamb.

241. *Nexas endopeditè,*] *Nexu endopedito:* Nardius. *Nexus endopedita:* Gaſſendus, Gif. Par. cum vet. Codd. Alii *Nexus endopeditos:* quod placet, Lector eligat. Creech.

241. *Endopedita.*] Ita vet. libri. In aliis: *indupeditè. ta. to.* Gif.

242. *Tractus leti.*] Levis convulſio mortis. Senſus eſt. niſi materia eſſet ætherna unico tractu mortis omnia perirent neque corrumperentur. Pius.

242. *Tactus enim, &c.*] Hoc dicit: ſolus tactus, ſeu contactus ſatis magna cauſa eſſet leti: id eſt ſatis potens eſſet ad res interimendas. duriuſculum eſt hoc loquendi genus, *ſatis eſſet cauſa leti*, pro *ſatis eſſet magna cauſa leti.* quidam docti ita legendum putant, hoc loco:

Tactus enim leti omnibus eſſet cauſa profectò. Lamb.

242. *Tactus ſatis eſſet cauſa lethi*] Non temere alibi reperias tale Latinitatis exemplum; ſenſus eſt: Vel leviſſimus tactus ſatis foret, quia nihil fundamenti in re concreta eſſet. Fab.

242. *Satis eſſet cauſa.*] Tale Latinitatis exemplum vix alibi reperies, ideoque quidam exiſtimant legendum,

Tactus enim lethi omnibus eſſet cauſa profecto. Creech.

243. *Quippe ubi nulla forent, &c.*] Id eſt, Nam cùm corpora prima æterno corpore nulla eſſent, quælibet vis, & quævis cauſa eorum texturam, & concilium, & nexus diſſolvere poſſet. Cùm in omnibus libris vulgatis, & nonnullis manuſcriptis legeretur *quorum*, ego à duobus manuſcriptis admonitus, *eorum* repoſui. Jam quod in codicibus Florentinis legitur *diſſolvere quenquam*, ut referatur ad vocem *contextum*, non probo. Namque hujus loci hæc mihi videtur eſſe ſententia: Si materies non eſſet æterna, id eſt, ſi non eſſent quædam corpuſcula prima immortalia, atque ita ſolida, ut nullo ictu perfringi poſſint: & ſi hæc æterna corpora non continerent res genitas magis aut minùs inter ſe implicatas, & connexas, quælibet vis, & quilibet tactus ac pulſus eas diſſolvere atque interimere poſſet; nunc autem quia & cor-

At nunc, inter ſe quia nexus principiorum
Diſſimiles conſtant, aeternaque materies eſt,
Incolumi remanent res corpore, dum ſatis acris
Vis obeat pro textura cujuſque reperta.

Haud

INTERPRETATIO.

nunc autem quia nexus principiorum inæqualis eſt, ipſaque principia ſunt immortalia, nullæ res diſſolvuntur, donec vis incurrat quæ propriam cujuſque rei texturam (partium unionem) ſuperare valeat:

VARIÆ LECTIONES.

245. *At nunc.* aut quia. N. 1. ſ. quia X.

246. *conſtant.* conſtat. 2.

247. *res corpore.* in corpore. *Gaſſ. ſatis acris.* ſatis actis. Q. c. P. X. quidam Cod. leg. *acris.* not. P.

248 *pro textura.* prætextura. C. P Q. prætexet cura. X. pro teſtura. Q. 1. *reperta.* retexta. P.

NOTÆ.

corpora prima ſunt æterna, & res genitæ aliæ aliis magis ſunt inter ſe connexæ, eæ tamdiu manent incolumes, donec vis ſatis potens, ac valida, pro cujuſque rei textura, in eas inciderit, atque incurrerit. Per *nexus principiorum inter ſe diſſimileis*, ſignificat res genitas inter ſe connexas minùs aut magis impeditè: quod paulò antè dixit. Licet tamen ita legere,

Quippe ubi nulla forent æterno corpore, quorum, &c.

eadem ſententia, ut hic verſus, & qui deinceps ſequitur, pendeant ab iis quæ antecedunt. Lamb.

243. *Quippe ubi*] Jam ſupra, ſed hic paulo aliter, *Cum*, &c. Fab.

243. *Quorum.*] Ita omnes libri fere. Lambinus: *eorum.* ſequor veteres. Gif.

243. *Eorum.*] Cum in libris vulgatis multiſque MSS. legitur *quorum*, è duobus MSS. quibus adderem B. *eorum* repoſuit Lambinus. *Quorum* Na. C. Gifan. Par. alii tuentur. Penes Lectorem ſit. Codices Florentini *diſſolvere quenquam*, viz. *contextum.* Creech.

244. *Quæque*] Vel leviſſima, ἡ τυχοῦσα. Fab.

245. *At nunc*] *Nunc*, Latine, & νῦν, Græce, pro *autem.* Fab.

246. *Diſſimiles*, & *æterna*] Nam æternitas per ſe nil valeret, niſi eò accederet quoque diſſimilitudo; ſine qua nil connecti poteſt. Nam æterna quidem eſſent corpora prima, ſed non ideo vel per horæ momentum concreta manerent. Fab.

247. *Dum*] Interea dum, donec. Fab.

248. *Obeat*] Bene, *obeat*, hoc loco; non ſupra. Fab.

250. *Diſcidio*] per diſciſſionem, ac diſſolutionem. ſic autem habent quattuor libri manuſcripti, non *diſſidio.* Lamb.

250. *Diſcidio*] κατάλυσις; ſeu ἀνάλυσις eſt. Fab.

250. *Ad corpora materiai*] Ad ultimam reſolutionem, quæ tum talis eſt, dum ad corpora materiæ, &c. qui terminus ultimus eſt meditationis phyſicæ. Fab.

251. *Poſtremo*] Vox eſt objectioni ſerviens. Dicet aliquis, pereunt imbres; imo non pereunt; nam ex illis lætæ fruges, pueri, puellæ, roſæ, lilia, leones, pantheræ, omnia. Fab.

251. *Poſtremo*, &c.] Quoniam autem Res pleræque ſint, quæ dum diſſolvuntur, ita ex oculis manibuſque evaneſcunt, ut prorſus perire videri poſſunt; monet his 15. v. imbres ipſos, qui in terram decidentes maxime evaneſcunt, non perire, ſed materiam ſuppeditare, unde Fruges Arboreſque augentur, & Fructibus onerantur; iſtis autem Frugibus Fructibuſque Homines, feræ, Aves veſcuntur; ideoque minime credendum eſt ullam imbrium particulam penitus interire, dum tot tantæque res ex iis reparantur: Concludit denique *Nihil in Nihilum reverti*, cum Natura aliud ex alio reficit, nec aliquid unquam novum producit. quin utitur materia alterius rei olim diſſolutæ. Creech.

351.

Haud igitur redit ad Nihilum res ulla, ſed omnes
Diſcidio redeunt in corpora materiaï.
Poſtremo pereunt imbres, ubi eos pater Aether
In gremium matris Terraï praecipitavit.

At

INTERPRETATIO.

Nulla igitur res in Nihilum, ſed omnes in ſua principia diſſolutæ redeunt. Denique aliquis objiciat; pluvia perit (*in nihilum reducitur*) *ſimul ac pater Æther dimiſit illam in ſinum matris Terræ,*

VARIÆ LECTIONES.

250. Diſcidio. diſtigio (i. e. diſtinctione) alii *diſtidio.* Q. 1. 2. *corpora.* corpore. Q. 1.
251. *Pereunt.* haud pereunt. Pius in not. *Pater.* patet. X.
252. *Matris.* patris X.

NOTÆ.

351. *Pater æther*] Ennius p. 274

--- *aſpice hoc Sublime candens, quem invocant*
omnes Jovem.

pater eſt æther: terra mater. Lamb.

351. *Pater*] Verſus Virgilii in Georg. huc referendi. *Æther pater, tellus mater*; à ſitu & virtute. Fab.

251. *Pater Æther*] Elegans locus & decore Poëtico inſignis. Imitatus Virg. 2. Georg. 320.

Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt:
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus.

Ambo Æſchylum. is Danaidibus

Ἐρᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς τρῆσαι χθόνα.
Ἔρως δὲ γαῖαν λαμβάνει γάμου τυχεῖν·
Ὄμβρος δ' ἀπ' εὐνοῦντος οὐρανοῦ πεσὼν
Ἔκυσε γαῖαν· ἡ δὲ τίκτεται βροτοῖς
Μήλων τε βόσκας καὶ βίον Δημήτριον.
Δένδρων δέ θ' ὥρα ἐκ νοτίζοντος γάμου
Τέλειός ἐστι· τῶν δ' ἐγὼ παραίτιος.

quæ ita vertit Grotius in Excerp. Trag. p. 44.

Penetrare terram purus ille æther cupit:
Cupit viciſſim terra conjugio frui.
Ab amante cœlo defluens terram ſimul
Fœcundat imber: illa mortali parit
Cereale generi germen, & paſtus gregum;
Maturitatem dat ſuam arboribus quoque
Mador maritus. cauſa at his cunctis ego.

Imo & Euripidem:

Ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ', ὅτ' ἂν ξηρὸν πέδον
Ἄμαρπον αὐχμῷ, νοτίδος ἐνδεῶς ἔχει.
Ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
Ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν Ἀφροδίτης ὕπο.
Ὅταν δὲ συμμιχθῆτον εἰς τ' αὐτὸν δύο,
Τίκτουσιν ἡμῖν. πάντα, κἀκτρέφουσ' ἅμα·
Ὅθεν βρότειον ζῇ τε καὶ θάλλει γένος.

quod idem vertit Grotius:

Cerne, amat ut imbrem terra, cum ſterili ſolum
Squallore lugens poſcit humectas opes.
Rurſum amat & æther ipſe, venerisque impetu
Fœtos madoris explet in terram ſinus.
Quæ fœderata mutuis amplexibus,
Quod ubique verum eſt proferunt, ac nutriunt.
Hinc vita viſque ſeculis mortalibus.

Adde & Excerpta ex eod. poëta p. 417. Hav.

251. *In gremium matris &c.*] Virg. hunc locum expreſſit 2 Georg. 321.

Tum Pater Omnipotens fœcundis imbribus Æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus.

Ut & Statius Epith. Stellæ & Violantill. Sylv. 2: 185. ubi Venus

--- --- *ipſum in connubia Terræ*
Æthera (*cum pluviis rareſcunt nubila*) *ſolvit.*

Preig.

252. *Matris terraï*] Terra, Deorum atque hominum mater eſt; omnium Deorum antiquiſſima, ut ajunt poëtæ: de qua leges plura lib. 2. Lamb.

252. *Præcipitavit*] Præcipiteis egit, ac demiſit. Lamb.

At nitidae ſurgunt fruges, ramique vireſcunt
Arboribus; creſcunt ipſae, foetuque gravantur:
Hinc alitur porro noſtrum genus, atque ferarum:
Hinc laetas urbeis pueris florere videmus,
Frundiferaſque novis avibus canere undique ſylvas.

Hinc

INTERPRETATIO.

Reſp. Ex pluvia ita demiſſa lætæ ſegetes oriuntur, Rami Arborum viridibus Foliis ornantur, augentur ipſæ Arbores, & Fructibus onerantur, è quibus Homines, cæteraque Animalia nutriuntur. Inde Urbes infantibus abundant, frondoſa nemora Avium novarum cantu ex omni parte reſonant, Inde etiam pecudes pingueſcunt, & tanquam pinguedine laſſatæ per pinguia paſcua

VARIÆ LECTIONES.

254. *foetuque*, fatoque X.
255. *Hinc.* Hic. X. *alitur.* aliter Q.
256. *pueris.* puerum. B. m. H. 1. Q. X.

NOTÆ.

253. *Nitidæ*] Id eſt opimæ, pingues, uberes. Sic lib. 2: 189.

Et ſurſum nitidæ creſcunt.

Idem eod. lib. v. 594.

Tum porrò nitidas fruges, arbuſtaque læta, &c.

Sic Hor. Sat. 5. lib. 2: 12.

Res ubi magna nitet domino ſene. Lamb.

253. *Nitidæ*] Lætæ, uberes, ἁδραί. πεπιανθεῖσαι. Fab.

254. *Ipſæ*] Sine cultu humano; ſed non ſine vi primigenia. Virg. ſæpe in Georg. & Lucretius non minus ſæpe. Fab. Curioſè nimis, nec forſan verè. Creech.

255. *Hinc*] Junge cùm *pingues.* hinc pingues factæ, &c. Fab.

256. *Pueris florere*] Statius 5 Theb. pag. m. 214.

— — *Florebat dives alumnis*
Terra. Preig. *Puerum* B. Creech.

257. *Frundiferaſque*] Ita vet. libri. Gif.

257. *Frundiferaſque novis*] Suprà v. 19.

Frundiferaſque domos avium. Lamb.

257. *Canere undique ſylvas*] Virg. 2. Georg. 358.

Avia tum reſonant avibus virgulta canoris. Preig.

257. *Canere*] Aucupium novitatis quod captavit auctor, idem Turneb. ibid. 18: 6. obſervat, cum, quod contenti eſt proprium, continenti attribuitur. quomodo rurſus lib. 1: 1088.

Atque ideo totum circumtremere æthera ſignis.

cum ipſa ſint ſigna, quæ tremant in cœlo. Hav.

258. *Feſſæ.*] Quidam codex: *fetæ.* Gif.

258. *Hinc feſſæ pecudes pingueis per pabula læta*] Sic cod. Faërni, Scipionis Tettii, & Bertinianus. Vaticanus autem, *Hinc fætæ pecudes, pingues, &c.* Lamb.

258. *Feſſæ*] Al. *feræ* vel *fœtæ.* non placet. Fab. & Creech.

258. *Pabula læta*] Pabula cùm apud hunc ſcriptorem ſæpe hoc epitheto appellantur, tum apud Virgil. Dixit tamen etiam *pinguia pabula* Virgil. Georg. 1: 86.

— — *& pabula terræ*
Pinguia concipiunt. Lamb.

258. *Pingues*] MSS. *pinguis*, tanquam pro *pingueis*, niſi malis legere *pingui*; ut adeo adipe onuſtæ pecudes frequenter in molli gramine requiem captare innuat. Pro *feſſæ* MS. *feræ*, alii *fœtæ*, neutrum placet. Non eſt vero diſſimulandum quod reperias in edit. Baſ. a. 1531. pariter ut in illa *Pii*,

Hinc feſſæ pecudes per pinguia pabula læta &c.

verum præfero vulgatam lectionem. Hav.

259. *Deponunt*] Ponunt. ſic Horat. lib. 2. oda 7: 19.

Longaque feſſum militia latus
Depone ſub lauru mea, &c. Lamb.

269.

Hinc feſſae pecudes pingues per pabula laeta
Corpora deponunt, & candens lacteus humor
Uberibus manat diſtentis; hinc nova proles
Artubus infirmis teneras laſciva per herbas
Ludit, lacte mero menteis percuſſa novellas.

Haud

INTERPRETATIO.

procumbunt, & candidus lactis liquor è turgentibus uberibus diſtillat; & inde novi (a partu recentes) fœtus debiles adhuc & infirmi mollia gramina ludibundi perſultant, puro lacte excitati & maximè gaudentes. Concludimus igitur nullam unquam rem in Nihilum reduci,

VARIÆ LECTIONES.

258. *feſſæ.* feræ. Quidam *foetae. pingues.* per pinguia. C. E. P.
262. *percuſſa.* perculſa C. G. V. 1. 2. 3. E. L. P. X. Y. Z.

NOTÆ

260. *Uberibus manat diſtentis.*] Sic Horat. Epod. od. 2: 46.

Diſtenta ſiccet ubera.

Virg. Pollione 4: 21.

Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Ubera.

idem Melibœo 7: 3.

Thyrſis oveis, Corydon diſtentas lacte capellas.

Lamb.

261. *Artibus.*] Sic & vet. libri, & Scaurus. Vulgati: *Artubus.* Gif.

261. *Artubus*] Al. *artibus* quod idem eſt. tamen malim *artubus.* unde *artutus, a, um.* bonos & ſolidos artus habens, &c. Fab.

261. *Laſciva*] Ludibunda (*enjouée:*) unde *laſciva capella*, Virgil. *laſcivi pueri*, Horat. (ſine omni obſcenitate) & apud Varr. de R. R. cap. 14. lib. 1. ubi de ſepimento naturali loquitur, *prætereuntis laſcivi non metuet facem ardentem.* Pacuvius de piſcibus:

—— piſcium laſciviam,
Intuerentur, nec tuendi ſatias capere poſſiet?

apud Ciceronem de Divinat. & lib. 3. de Oratore. Salluſt. in Jugurth. *Quod is* (dies) *feſtus celebratuſque per omnem Africam, ludum & laſciviam magis, quam formidinem, oſtentabat.* Iterum Varro de R. R. c. 3. *quod capræ laſcivæ, & quæ diſpergunt ſe.* Vides quid ſit. Fab.

262. *Lacte mero*] Puro lacte. ſubintellige ſatiata diſtentaque. *Merum* dicitur proprie vinum purum ſive puritium per exochen. quin omnia non fucata nec adulterina dicuntur *mera.* Pius.

262. *Menteis perculſa*] Aliàs *percuſſa.* utraque lectio probabilis eſt. Lamb.

262. *Percuſſa.*] Ita ratione motus ſcripſi. vid. Indicem. Vulgati: *percuſſa.* Gif.

262. *Mentes percuſſa.*] Sic ver. 12.

Percuſſa Corda tua vi. Creech.

262. *Novellas.*] Tenellas: novas. i. juveniles, recentes. Ovidius primo de arte amandi.

Utque fugit viſos agna novella lupos.

Idem.

Et lædunt teneros prata novella pedes.

Novellare eſt novellas pangere: ſic enim vocantur vitium propagines: quæ de novo plantantur. & *novellare* eſt nova vitium capita humi depangere. Scribit Tranquillus, gravis auctor in primis, Cæſarem Domitianum juſſiſſe uti Italia nemo *novellaret*, hoc eſt vineta reficeret & renovaret depactis novellis vitibus: quem non ob aliam cauſſam carpit Apollonius: tanquam vetuiſſet eunuchos fieri: & terram fecerit eunucham. *Novelletum* a novellis vitibus dicitur locus propaginibus vitiligineis novis conſitus: & ita debes intelligere apud Paulum juriſconſultum quamvis ibi perperam *novellactum* ſcribatur. Pius.

262. *Menteis novellas*, hoc eſt, quod Græci poëtæ dicunt, *ἀπαλὰς φρένας.* Lege quæ ad illum verſum ſcripſimus lib. 3: 756.

Scilicet in tenero teneraſcere corpore mentem
Non fugient. Lamb.

262. *Mentes novellas*] Verſus plane admirabilis,

lis,

Haud igitur penitus pereunt quaecunque videntur:
Quando alid ex alio reficit Natura, nec ullam

INTERPRETATIO.

cum Natura aliam rem ex alia reparat, nec aliquid unquam novum producit, quin utitur materia alterius rei olim diſſolutæ.

VARIÆ LECTIONES.

263. *Haud.* Hanc Q.
264. *alid.* aliud Q. X. alit ex allo Y. alit alor eficit Z. *reficit Natura, nec ullam.* reficit natura nec ulla eſt Q. 1.

NOTÆ.

lis, ſeu phyſico, ſeu ethico homini; ἁπλᾶς φρέγας, μαλακὰς, &c. Fab.

264. *Quando alid*] Id eſt, quoniam aliud ex alio natura reficit, & reparat. ſic autem loquebantur veteres *alis* & *alid*, pro *alius* & *aliud.* Catull. de coma Berenices verſu 28.

Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es
Conjugium: quo non fortius auſit alis?

alis pro *alius* dixerunt antiqui, inquit Priſc. lib. 12. & Soſipater lib. 2. Veteres non tantum *alius* dixerunt, ſed etiam *alis.* ut Salluſt. *Alis alibi ſtantes, omnes tamen adverſis vulneribus conciderunt.* Iterum Lucret. infrà: 408.

Sic alid ex alio per te tute ipſe videre
Talibus in rebus poteris.

idem ibidem: 1108.

Namque alid ex alio clareſcet.

& lib. 3: 983.

Sic alid ex alio numquam deſiſtet oriri.

& lib. 5: 1304.

Sic alid ex alio peperit diſcordia triſtis.

Quòd autem quidam Thraſo ait veteres dixiſſe *alis* pro *alius*, de *alid* nullam fieri mentionem: quid iſtis aſinis facias? quaſi verò non ſatis ſit, grammaticos veteres admonuiſſe, *alis* uſurpatum eſſe ab antiquis pro *alius*, & non eo ipſo ſignificarint etiam *alid* eoſdem uſurpaſſe pro *aliud.* Sed quid opus eſt admonitione Grammaticorum, cùm & Catullus in coma Berenices uſurparit *alis*, pro *alius*, ut ſupra oſtendimus; & *alid* pro *aliud?* ſic enim ille ad Manlium v. 140.

Nec tantùm niveo gaviſa eſt ulla columbo
Compar, ſeu quid alid dicitur improbius.

Sic autem lego apud Catullum. & item Auſonius in epigramm. non longè à princip. Sic enim ille:

Suaſiſti Venus alma duos δυσέρως *ut amarem:*
Odit me utraque. alid da modò conſilium.

Poſtremò liquidò jurare poſſum, ſic ſcriptum eſſe in duobus libris manuſcript. Bertin. & Memmiano. Lamb.

264. *Alid*] Id eſt *aliud*, dicebant *alis* pro *alius.* adi Muret. ad Catullum, ut & Scaligerum. Item Manut. ad Saluſt. Fab.

164. *Alid.*] *Aliud. Alis* pro *Alius* veteres uſurparunt. Giſanius dubitat, an *Alid* pro *Aliud* dicitur; hanc vero contumeliam non patitur Lambinus, indignatur, furit, Catullum, & Auſonium in partes vocat, at fruſtra: jurat denique ſe *Alid* in duobus MSS. legiſſe. Et hac lectione fruatur. Creech.

264. *Alid*] Ita conſtanter omnes MSS. & impreſſi meliores, quomodo ex ſuis codicibus jam defendit Ger. Joh. Voſſ. de Arte Gram. c. 29. ſed forſan in ſcanſione ita uſu venit, verum non male *aliud* ſcriberetur ubique. Hav.

265. *Niſi morte adjutam aliena*] Sic Ariſt. lib. 1. περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς: Ἡ τοῦδε φθορὰ, ἄλλου γένεσις· καὶ ἡ τοῦδε γένεσις, ἄλλου φθορά. ſic vulgò dicimus, *Ortus unius, alterius eſt interitus: & unius interitus, ortus eſt alterius.* Idem lib. 1. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, cap. 2. Atque hoc eleganter exprimit Lucretius: nulla res naſcitur niſi morte aliena adjuta: *morte aliena* id eſt alterius rei interitu. *adjutam* autem excudendum curavi, tum quia in uno manuſcripto exemplari hujus vocis poſtrema ſyllaba demerſa erat in litura, tum quòd ſi *adjuta* legeremus, ſignificaret, ipſam naturam

mori

Rem gigni patitur, niſi morte adjutam aliena.
Nunc age, res quoniam docui non poſſe creari

De

INTERPRETATIO.

Age vero cùm demonſtraverim, nullam rem

VARIÆ LECTIONES.

265. *niſi morte.* nec morte H. I. Q. X. *adjutam.* adjuta A. B. C. D. E. Bm. P. X. Z. adulta G. adluta Y. ſed corr.

266. *age res.* age ſis A. C. D. E. I. Q. X. 1. age ſi vis P. ita G. *quoniam.* quam jam. quando Q. H. 1. 2. *non poſſe.* nil poſſe A. C. D. E. I. P.

NOTÆ.

mori poſſe & mors aliena opponeretùr morti naturæ: *alienum* enim eorum eſt, quæ ad aliquid referuntur. Quæ ſententia eſſet abſurda: oportet enim mortem alienam opponi morti ſeu origini potiùs ejus rei quæ gignitur. Lamb.

265. *Adjuta*] Ita vet. libri quidam recte. Lamb. *adjutam*, etiam recte. Sed nihil muto Gif.

265. *Adjutam,*] *Adjuta.* B. Na. Gif. Par. Nec minores ſunt de hac, quam de illa altera lectione lites, quas tutiùs aliquis negligat, quam componat. Creech.

266. *Nunc ageſis, quoniam docui nihil p. c. D. n. neque item genita ad nihilum revocari;*] In vet. codice quodam: *age res quoniam d. non poſſe cr. d. n. neque res genitas ad nihil revocari.* Et quidam veteres: *quando.* Gif.

266. *Nunc age, res quoniam*] Libri Faërni, & Tettii habent,

Nunc ageſis, quando docui nil poſſe creari
De nihilo, neque item genita ad nihilum rev.

alii,

Nunc age, res quoniam docui non p. cr.

quos nunc ſecutus ſum. Nunc incipit oſtendere, eſſe atomos, id eſt corpora prima, & individua: neque ea idcirco minùs eſſe, quòd oculis non cernantur: idque probat multis aliis ſimilib. collectis, quæ nihilominus corpora ſunt, etiam ſi adſpectu non ſentiantur. Auctores atomorum ſunt Leucippus & Democritus, ut tradunt Plutarch. Diogenes Laërtius, M. Tull. Plutarchus. περὶ τῶν ἀρεσκ. τοῖς φιλοσόφ. Ἐπίκουρος ὁ Νεοκλέους Ἀθηναῖος κατὰ Δημόκριτον φιλοσοφήσας, ἔφη τὰς ἀρχὰς τῶν ὄντων σώματα λόγῳ θεωρητά, ἀμέτοχα κενοῦ, ἀγέννητα, ἀΐδια, ἄφθαρτα, &c. id eſt, *Epicurus Neoclis filius Athenienſis Democritum in philoſophia ſecutus, principia rerum dixit eſſe corpora quædam, quæ ratione cernuntur, inanis, ſeu vacui expertia, non generata, æterna, numquam interitura.* Diog. Laërtius in Democ. Δοκεῖ αὐτῷ τάδε, ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων ἀτόμους, καὶ κενόν· τὰ δ᾽ ἄλλα πάντα νενομίσθαι, καὶ δοξάζεσθαι· ἀπείρους τε εἶναι κόσμους, καὶ γεννητούς, καὶ φθαρτούς. id eſt, *Videntur hæc Democrito: principia rerum eſſe atomos & inane: reliqua autem omnia lege & opinione valere: tum mundos eſſe infinitos, ortos, & interituros.* M. Tull. lib. 1. de Finib. *Principiò (inquam) Epicurus in phyſicis totus eſt alienus: Democrito adjicit perpauca mutans, ſed ita, ut ea, quæ corrigere vult, mihi quidem depravare videatur. Ille atomos quas appellat, id eſt, corpora individua, propter ſoliditatem cenſet in infinito inani, in quo nec ſummum, nec infimum, nec medium, nec ultimum, nec extremum ſit, ita ferri, ut concurſionibus inter ſe cohæreſcant.* idem in Lucullo: *Cur enim (inquies) cùm ex illis individuis, unde omnia gigni Democritus affirmat, &c.* Idem iterum lib. 1. de Finib. *Aliena dicit in phyſicis, nec ea ipſa, quæ tibi probarentur, ſed ſi qua in his corrigere voluit, deteriora fecit.* Has atomos multis locis idem M. Tull. exagitat, ut lib. 1. de nat. Deorum: *Abuteris ad omnia atomorum regno, & licentia: hinc, quodcunque in ſolum venit, ut dicitur, effingis, atque efficis. quæ primùm nullæ ſunt. nihil enim eſt minimum. deinde nullum eſt inane. nihil. n. eſt, quod vacet corpore. Corporibus autem omnis obſidetur locus. Ita nullum inane, nullum eſſe individuum poteſt.* Ibid. *Iſta enim flagitia Democriti, ſive etiam antè Leucippi, eſſe corpuſcula quædam lævia, alia aſpera, rotunda alia partim angulata, curvata quædam, & quaſi adunca: ex his effectum eſſe cælum, atque terras, nulla cogente natura, ſed concurſu quodam fortuito.* Idem lib. 2. de nat. Deor. *Hic ego non mirer eſſe quemquam, qui ſibi perſuadeat, corpora quædam ſolida, atque individua, ſuæ*

vi

De Nihilo, neque item genitas ad Nil revocari;
Ne qua forte tamen coeptes diffidere dictis,
Quod nequeunt oculis rerum Primordia cerni;

INTERPRETATIO.

de Nihilo fieri, nullamque etiam rem in Nihilum reduci, ne tamen argumentis meis aſſentiri recuſares, quia rerum principia oculis videri nequeant;

VARIÆ LECTIONES.

267. *genitas ad nil.* genitum ad nihilum I. genita ad nihilum A. B. C. D. E. P. genitas ad nil G. H. 1. 2. genita ad nihil Q. genitas ad nihil Y. Z.

268. *Ne qua.* neque G.

NOTÆ.

vi & gravitate ferri, mundumque effici ornatiſſimum, & pulcherrimum, ex eorum corporum concurſione fortuita? Hoc qui exiſtimat fieri potuiſſe, non intelligo, cur non idem putet, ſi innumerabiles unius & viginti formæ litterarum vel aureæ, vel qualeslibet aliquò conjiciantur, poſſe ex his in terram excuſſis annales Ennii, ut deinceps legi poſſint, effici: quod neſcio an ne in uno quidem verſu poſſit tantum valere fortuna. Ibidem paucis pòſt verſibus: *Quòd ſi mundum efficere poteſt concurſus atomorum: cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non poteſt, quæ ſunt minùs operoſa, & multo quidem faciliora? Certè ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem numquam hunc admirabilem cœli ornatum, qui locus eſt proximus, ſuſpexiſſe videantur.* ſic Octavius apud Arnobium lib. 8. *Quo magis mihi videntur qui hunc mundi totius ornatum non divina ratione perfectum volunt, ſed fruſtis quibuſdam temere cohærentibus conglobatum, mentem, ſenſum, oculos denique ipſos non habere.* Lamb.

266. *Nunc age.*] Jam vero ne fruſtra diſputaret, dum *Memmius* ſuus omnibus quæ propoſuerat argumentis diffidat, quoniam Principia illa æterna, ſeminaque rerum per ſe atque ſeparata in ſenſum non cadant, ſed præ ſui exilitate omnem viſum, etiam acutiſſimum longiſſimè fugiant; varia congerit exempla rerum corporearum, quas nemo neget exiſtere, licet videri non poſſint. Primo *Venti* v. 33. cujus vim quicunque perſpexerit, ut tollit Mare, ut impellit naves, &c. illum Corporeum eſſe, licet particulæ ejus oculis cerni non poſſunt, fatebitur; idque libentius, ſi cognoſcat Ventum eodem plane modo ferri, & æquali impetu impellere, ac rapida & imbribus aucta Flumina, quæ *Corporea* eſſe ſenſus ipſi apertiſſime demonſtrant. Creech.

266. *Ageſis*] *Sis*, ſi vis. *facſis*, *dicſis*, *veniſis* & alia id genus. In plurali dicebant *ſultis*, id eſt *ſi vultis.* Ceterum in al. melius legitur, *Nunc, age, res quoniam.* Fab.

268. *Cœptes diffidere*] Diffidas. V. Muret. ad Catull. Fab.

269. *Nequeunt oculis*] Quam Epicuri doctrinam taxans in minutiſſimæ ſtaturæ homine ridet epigrammatarius Lucillius Anthol. l. 2.

Ἐξ ἀτόμων Ἐπίκουρος ὅλον τὸν κόσμον ἔγραψεν,
Εἶναι τοῦτο δοκῶν Ἄλκιμε λεπτότατον.
Εἰ δέ ποτ' ἦν Διόφαντος, ἔγραψεν ἂν ἐκ Διοφάντου,
Τοῦ καὶ τῶν ἀτόμων πουλύ τι λεπτοτέρου.
Ἢ τὰ μὲν ἄλλ' ἔγραψε συνεστάναι ἐξ ἀτόμων ἄν,
Ἐκ τούτου δ' αὐτὰς Ἄλκιμε τὰς ἀτόμους.

Quod ſatis feliciter ita vertit Opſopæus:

Ex atomis Epicurus ait conſiſtere mundum,
Alcime: quippe quibus nil minus eſſe putat.
Si tunc vixiſſet Diophantus, is ex Diophanto
Scriberet: hic atomis nam minor eſſe ſolet.
Ex atomis aut ſi vel cœtera cuncta probaſſet,
Sed tamen ex illo diceret eſſe atomos. Hav.

270. *Tute*] Hunc locum teſtem producit Priſc. lib. 12. Lamb.

272. *Vis incita*] Vis incitata. malè quidam ſupponunt *vis inſita.* nam cum hæc lectio recta ſit, & veterum codicum auctoritate confirmata, tum à Lucretio ſæpe alibi eſt uſurpata: ut lib. 5: 1093.

Multa videmus enim cœleſtibus incita flammis
Fulgere,

& 6: 427.

Accipe praeterea, quae Corpora Tute neceſſe eſt
Confiteare eſſe in rebus, nec poſſe videri.
Principio, Venti vis verberat incita pontum,

In-

INTERPRETATIO.

obſerves porro, quod tu ipſe negare non poſſis, quædam eſſe Corpora in rerum natura, quæ tamen aciem oculorum fugiant. Primum, Ventus maxima cum vi ferit Mare,

VARIÆ LECTIONES.

270. *præterea.* propterea *Faber. quæ* Z. delet, ſed in marg. m. r. *cur* ſcribitur. *tute.* tuta G.
272. *incita. inſita* aliqui. *Pontum.* portus A. B. Bm. *porcas* Salmaſius. coörtus G. cortus V. 1. 3. portus Q. X. cortus Z. ſed in Z. corr. in *corpus.*

NOTÆ.

Fit quoque, ut interdum validi vis incita vent
Perſcindat nubem.

Sed non diſſimulabo, ſcriptum eſſe in cod. Faërni, & item in Tettii,

Verberat incita portus:

in Bertin. *cortus.* ad quem locum emendator quidam adſcripſerat *corpus.* ego *portus*, ut in re obſcura, & ſcriptura corrupta, non damno. Lamb.

272. *Incita*] Miror fuiſſe qui legi voluerint, *inſita:* certe hinc Virgilius ſumpſit quod in xii. legas, 492.

--- --- apicem tamen incita ſummum
Haſta tulit ———

& paulo poſt, 534.

--- --- Crebro ſuper ungula pulſu
Incita nec domini memorum proculcat equorum.

Eos locos afferre poterat Gifanius. Fab.

272. *Incita*,] *Incitata.* Iſta voce ſæpe *Lucretius* utitur, & *Virgilius.* Alii *inſita*, malè. Creech.

272. *Portus:*] Aut ita legendum, aut aliud latet. Nam veteres omnes habent: *portus:* Marullus: *pontum.* atque ita vulgati. Gif.

272. *Pontum.*] MSS. quidam *cortus*, inde *portus* plurimi MSS. ut & B. eamque vocem Pareus, Gif. aliique acriter defendunt: At vero quis dubitet *Pontum* ſcribere qui verſum 279 legerit? *Salmaſius* legit *Porcas. Porca* enim τὸ μεταξὺ τῶν κυμάτων dicitur ab auctore veterum Gloſſarum, tranſlatione facta ab Agris: Inter duos enim ſulcos elata Terra, dicitur *Porca. Varro de Re Ruſt.* lib. 1. & ταφῇ Μενίππου. Creech.

272. *Pontum*] Quum vulgati & plerique libri quos Lambinus vidit haberent *portus*, Salmaſius Epiſtola 48. Joh. Frid. Gronovio inſcripta, *Porcas* legendum cenſuit, improbans, quod Gronovius ſuggeſſerat, *corpus.* Eamque conjecturam ſuam narrat his verbis: „In charactere Longobardico „quem vocant, quo plurimi olim libri deſcripti „fuere, V. & A. plane confunduntur. *Portas* „igitur ſcriptum putarim, non *Portus*, & id pro „*Porcas.* Cave nares corruges. Id verbum videtur, & Auctor veterum Gloſſarum ita legiſſe, *Porta* τὸ μεταξὺ τῶν κυμάτων. Non dubium „quidem quin pro *Porca*, quo id quod inter „duos ſulcos eminet ſignificatur, poſuerit. At „*Porta* & eo ſenſu legit, *Porta*, τὸ μεταξὺ τῶν αὐλάκων ὕψος. Nec error eſt librarii ſed compilatoris qui ita in veteribus legit ac ſic diſpoſuit „*porta*, *portat*, *porta* ἡ πύλη. Cum venti mari „incubuere, faciunt, ut in arato, *porcas liraſque.* „Hoc eſt ergo quod dicit Lucretius:

„ *Venti vis verberat incita porcas,*
„ *Ingenteſque ruit naves.*

„Fluctuum ſulcos vis venti verberat, & naves „ſubvertit. Sed ingenioſiſſimam hanc conjecturam ſuam quaſi ſomnium narrat, nec plures fortaſſe faciendum & fatetur & prævidit. Vulgata ſcriptura quid ferat incommodi, non video. Preig.

Quoniam tamen MSS. multi hic variant & *coortus* ſeu *cortus* habent, poſſet hic legi.

Principio venti vis verberat incita coorti &c.

atque ita verſus 277. ſuum *pontus* retinere, quo pacto ibi omnes habent MSS. majori diſtinctione poſita poſt *fremitu*, ut ibi deſcriptio venti deſinat, ita:

L ita

Ingenteiſque ruit naveis, & nubila differt;
Interdum rapido percurrens turbine campos
Arboribus magnis ſternit, monteiſque ſupremos
Sylvifragis vexat flabris: ita perfurit acri

Cum

INTERPRETATIO.

magnas jactat naves, nubeſque disjicit; interdum vehementi impetu planitiem perflans eam ſternit magnis arboribus dejectis; ſummoſque Montes vexat flatibus qui ſylvas frangunt; tam valido impetu furit

VARIÆ LECTIONES.

273. *differt.* aufert Q.
275. *ſternit*, ſævit c. H. 1. M. Codd. *Pii MSS.*

NOTÆ.

— — — *ita perfurit acri*
Cum fremitu; ſævitque minaci murmure pontus.

Eligat Lector quod velit, mihi magis adhuc Fabri lectio placet. Hav.

273. *Ruit*] ἐνεργητικῶς accipiendum eſt. ut infra v. 293.

Quamlibet in partem trudunt res antè, ruuntque.

Sic Virg. Geor. 1: 105.

— — *cumuloſque ruit malè pinguis arenæ.*

Idem 2: 309.

— — *& ruit atram*
Ad cælum picea craſſus caligine nubem. Lamb.

273. *Differt.*] Dividit vel ſcindit. Vergilius georgicon libro 3: 197. ex Lucretio tamen.

Scythiæque hyemes atque arida differt Nubila.

Terentius in Adelphis. 3: 4: 40.

Miſeram me: differor doloribus.

Vergilius libro 8: 642.

Haud procul inde citæ Metium in diverſa quadrigæ
Diſtulerunt.

Plautus in Aulularia. 3: 2: 32.

Niſi reddere mihi vaſa jubes pipulo te differam
ante ædis. Pius.

273. *Nubila differt*] Id eſt diſſipat, & disjicit. ſic infrà v. 1087.

Et calidos ſimul a medio differrier igneis.

& lib. 2: 674.

Scintillaſque agere, & late differre favillam.

Virgil. Georg. 3: 197.

— *Scythiæque hiemes, atque arida differt*
Nubila.

Horat. od. 10. Epod. 6.

Fractoſque remos differat.

Idem ibid. od. 5: 99.

Poſt inſepulta membra different lupi. Lamb.

274. *Interdum rapido percurrens turbine*] Virg. lib. 1. Georg. 318.

Omnia ventorum concurrere prœlia vidi:
Quæ gravidam latè ſegetem ab radicibus imis
Sublimè expulſam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hiems culmumque levem, ſtipulaſque volanteis. Lamb.

275. *Sternit.*] *Sævit.* Marull. Gif.

275. *Monteiſque ſupremos*] Id eſt montium cacumina. Virg. Georg. 4: 460.

At chorus æqualis Dryadum clamore ſupremos
Implerunt monteis.

Silvifragis flabris autem, id eſt ventis *ſilvas frangentibus*, id eſt acribus & validis. Lamb.

275. *Montes ſupremos*] Τὰ ἄκρα τῶν ὀρῶν. Fab.

276. *Sylvifragis vexat flabris*] Μίμησις. Exauditur enim in hiſce vocibus ipſe ſonus venti tam vehementis. Sic 2: 618.

Tympana tenta tonant. Preig.

276. *Vexat.*] Conturbat. *Vexare*, agitare, conturbare, præcipitare ſignificat, a vi, quaſi violentare. auctor Gellius. unde vim magnam hujus verbi Maro callens ſic infit Ec. 6: 76.

Dulichias vexaſſe rates.

Fla-

Cum fremitu, ſaevitque minaci murmure coortus.
Sunt igitur Venti nimirum corpora coeca,
Quae mare, quae terras, quae denique nubila coeli
Verrunt, ac ſubito vexantia turbine raptant.

Nec

INTERPRETATIO.

ventus, ſævitque fremitu horrendo ortus: Ventus igitur conſtat è Corporibus licet oculis ea cerni non poſſunt, quæ Mare, quæ Terras, & quæ denique Cœli nubes verrunt, & immani impetu vexantia vaſtant omnia & abripiunt.

VARIÆ LECTIONES.

277. *murmure coortus.* murmure côrtus *Faber.* Reliqui omnes *murmure pontus.*
280. *Verrunt.* ita *Gaſſendus, Creechius.* Reliqui *vertunt.*

NOTÆ.

Flabris, flatibus. unde flabella muſcaria dicta: quam dictionem modo prima intenta, modo correpta reperio. *Sylvifragis*, ſylvas frangentibus & arbores per ſylvas convellentibus: a ſylva & frangendo detorta vox. Quemadmodum *navifragum Scyllaceum* Maro Æn. 3: 553. dictitat. Pius.

276. *Ita perfurit acri c. f.*] Notandum hic *τὸ perfurit*, cui *coortus* ſeu *côrtus* opponitur, dicit enim ventum tali vi eſſe præditum, ubi poſt collectam rabiem edito in initio murmure ſeſe effuderit. Imitatur Virg. Æn. 9: 342.

Nec minor Euryali cædes: incenſus & ipſe
Perfurit.

Prius *oritur* illi cædis amor; dein, multa corpora dans letho, *perfurit*. Hav.

277. *Sævitque minaci murmure.*] Virg. Æn. 1: 59.

Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt.

Idem ibid. 128.

Interea magno miſceri murmure cælum.

Lamb.

277. *Coortus.*] Atomos videri non poſſe ut probet Lucretius, ait eſſe quædam corpora multis partibus grandiora & ὀγκωδέστερα quam atomi ſint, quæ ipſa tamen ſub oculorum ſenſum minime cadant; quo in genere ventos eſſe ſcribit:

Ne qua forte tamen cœptes diffidere dictis,
Quod nequeunt oculis rerum primordia cerni,
Accipe præterea *quæ corpora tute neceſſe eſt*
Confiteare eſſe in rebus, nec poſſe videri.
Principio venti vis verberat incita pontum,
Ingenteſque ruit naves, & nubila differt:
Interdum rapido percurrens turbine campos,
Arboribus magnis ſternit, monteſque ſupremos
Silvifragis vexat flabris; ita perfurit acri
Cum fremitu, ſævitque minaci murmure pontus.

Primùm omnium legendum videri poſſit (Sed minus ſic cohæret cum ſuperioribus. Preig.) *propterea*, non *præterea*; ſed hoc perpauxillulum quiddam eſt præut quod jam dicam: Graviſſimum enim in illis verſibus mendum eſſe ſi dixero, id dicam quod res eſt:

ita perfurit acri
Cum fremitu, ſævitque minaci murmure pontus.

Quippe contra ſenſum faciat, qui orationem ad hunc modum formaverit: *Ventus PONTUM verberat, naves disjicit, nubila differt, interdum campos arboribus ſternit, monteſque ſupremos flabris ſuis vexat*, ITA FURIT PONTUS. Vel puer facile viderit, redeundum fuiſſe ad VENTUM ipſum, non autem ad PONTUM; eſt enim bene & naviter ridicula, planeque ἀσυλλόγιστος oratio. Quamobrem legendum,

ita perfurit acri
Cum fremitu, ſævitque minaci murmure côrtus.

Quod jam probabo, ubi ſic loqui ſolitum eſſe Lucretium oſtendero. Ad hunc igitur modum in hoc ipſo libro dixit,

flammai flore coorto.

Sic v. 899. 2: 306.

in Omne
Unde coorta queat nova vis irrumpere ---

Item

Nec ratione fluunt alia, ſtragemque propagant,
Ac cum mollis aquae fertur natura repente

Flu-

INTERPRETATIO.

Hi inſuper Venti eodem plane modo ruunt, ac vaſtant omnia, ac torrens

VARIÆ LECTIONES.

281. *propagant.* miniſtrant. H. 2.

282 *Ac cum.* Quam quom. L. Quam cum A. B. C. D. E. I. Ut cum. C. P. X. Q. cum G. Et cum Q. 1. Et cum &c. Y. Z. ſed in Y. ſuperſcrib. *At. Ac.* & in Z. adſcrib. in marg. m. r. Lege *& cum ollis.*

NOTÆ.

Item 552.

Sed quaſi naufragiis magnis multiſque coortis

Lib. 3: 823.

Ex infinito quæ poſſint forte coorta.

Lib. 6: 577.

Ventus ubi atque animæ ſubito vis maxima quædam
Aut extrinſecus aut ipſa ab tellure coorta.

Iterum eodem in libro v. 956.

Et tempeſtates terra cœloque coortæ.

Multi alii loci ex indicibus Lucretianis peti poterunt, ni ſatis ſint qui modo allati fuere. Ceterum ſeu *cortus*, legas, ſeu *coortus*, perinde plane eſt; cum ſoleat Lucretius geminas vocales, ubi continuæ ſunt, in eandem ſyllabam concludere. Ita lib. 5: 343: *cooperuiſſe* eſt quinque ſyllabarum tantum, quæ vox tamen ſex ſyllabis conſtare debuerat:

— — *atque oppida cooperuiſſe.*

Ita in 6: 409. *cooperiant* quatuor tantum ſyllabarum fecit:

Cooperiant maria — —

Alibi etiam *cooluerunt* tetraſyllabum fecit. Nunc ad τὸ *cortus* veniendum. Certum eſt in Cod. MS. Bertinii, quo uſus olim eſt Dionyſ. Lambinus, eum verſum,

Principio venti vis verberat incita pontum
[vel *portus*]

ſic ſcriptum eſſe,

Principio venti vis verberat incita cortus;

Sed cùm eam vocem non intelligerent Interpretes, ex *cortus* fecere *portus*; quod hodieque in multis editionibus apparet; Qua in re bis peccarunt; nam in eo verſu *portus* eſſe non poteſt; ut nec τὸ *cortus*; Dein, uti videtur, illam vocem nihili eſſe exiſtimarunt, quæ tamen & Latiniſſima, & huic deſcriptioni maxime apta eſt, ſi modo in ſuam ſedem, uti à me factum eſt, reducta fuerit, legendo ſcilicet,

ita perſurit acri
Cum fremitu, ſævitque minaci murmure cortus.

Ex ignoratione autem hujus vocis factum item eſt, ut locus quidam in III. & alius in IV. quem, cum eò ventum fuerit, indicabimus, nondum ab ullo Interprete explicari potuerit. Quemadmodum vero non viderunt quid eſſet *cortus*, ita quoque quid eſſet *coptus* haud ſane animadvertere potuerunt. Inde adeo nata illa eſt ἀπορία καὶ ἀμηχανία, uti ſuo aperietur loco, quæ Interpretes invaſit. Exiſtimabant enim *coptus* eſſe *comptus*; qua in re haud ſane leviter lapſi ſunt. Fab.

277. *Pontus.*] *Coortus, vel Cortus:* ut optime *Faber*, qui iſtam vocem è verſu 277. ejectam ſuo reſtituit loco. *Pontus* enim vox nihili eſt, & ſolo *Fayo* digna, qui ad verſum 276. hæc monet. Ita.] *Particula Comparationis: Comparat quippe venti validi fremitum murmuri maris furentis.* Acumen Hominis. Creech.

277. *Pontus.*] Merito ſane vocem hanc alienam hic ſedem occupaſſe cenſet Faber, proque ea ſubſtituit *cortus.* Niſi forte magis arrideat, quod nobis admodum juvenibus jam in mentem veniſſe memini, nempe:

——— *ſævitque minaci murmure Corus.*

præprimis enim *creber* hic ventus *procellis* audit. Virg. 3. Georg. 356.

Semper hyems, ſemper ſpirantes frigora Cauri.

Et Lucanus, qui hunc locum ante oculos habuiſſe

Flumine abundanti, quod largis imbribus auget
Montibus ex altis magnus decurſus aquaï,

Fra-

INTERPRETATIO.

magna vi imbrium e montibus altis decurrentium auctus :

VARIÆ LECTIONES.

283. *quod.* quem G. H. 2. Q. X. quum H. 1.
285. *conjiciens.* coniciens. Q. Y. Z.

NOTÆ.

buiſſe videtur, adeoque conjecturæ noſtræ haud leve momentum accedit, lib. 5. Pharſ. verſ. 572.

—— *ſi murmura Ponti*
Conſulimus, Cori verrent mare. ----

Juv. 10. Sat. 180.

In Corum atque Eurum ſolitus ſævire flagellis.

& Claudian. 11. in Ruf. verſ. 222.

Quantum non madidis eliſa tonitrua Coris.

Preig.

477. *Coortus.*] Argute veram lectionem *côrtus*, ſeu *coortus* ex MS. Bertin. firmavit Faber. Verum tunc hic *ventus* ſubintelligi debet, dixit enim in initio *vis venti.* Poſſis alias emendare *corus*, qui ventus eſt vehemens & acer, Virg. 5. Æn. 126.

----- *hyberni condunt ubi Sydera Cori.*

& Lucan. 2. verſ. 617.

------ *ſi non violentos inſula Coros*
Exciperet ſaxis.

ſed ſatis apte venti ingenium deſcribit Lucretius, qui antequam incitatus vehementem profert ſpiritum, in ipſo ortu minaci fremit murmure. Verbum vero *coörtus*, *coörta*, *coörtum*, quod hic, ut multa talia apud auctorem craſin patitur, ſæpiſſime (vide Indicem) uſurpatum a Caro invenies. Atque ita quamvis olim juvenis de *Coro* cogitarem, nunc malo Fabro adhærere, *coortus* enim opponitur τῷ *perfurit.* Hav.

278. *Corpora cæca.*] Id eſt, quæ cerni oculis non poſſunt: quæ ſub adſpectum non cadunt: ἀόρατα. inf. eod. lib. 779.

Naturam clandeſtinam, cæcamque adhibere.

Virg. Georg. 4: 237.

------ *& ſpicula cæca relinquunt.*

Idem lib. 1. Æneid. 540.

---- *nimboſus Orion*
In vada cæca tulit. Lamb.

278. *Cæca.*] Quæ oculis non ſubjaceant, Virg. & Lucret. centies. Fab.

278. *Cæca.*] Quæ oculis cerni non poſſunt: ſic eodem lib. 5: 779.

Naturam clandeſtinam, cæcamque adhibere.

------ *Nimboſus Orion*
In vada cæca tulit------

Virgilius 1. Æneid. 593. Creech.

280. *Verrunt.*] Virgil. Georg. 3: 201.

Ille volat ſimul arva fuga, ſimul æquora verrens.

Sic Arnobius lib. 8. ſub perſona Octavii, *Nec mirare, ſi Deum non vides. Vento & flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur: & ſub oculos tamen non venit ventus & flatus.* Lamb. Confer inf. 5: 267. 389. 1226. 6: 624. Preig.

280. *Verrunt.*] Vertunt G. *Verrunt* autem amat *Virgilius* Lucretianæ Elegantiæ perpetuus Imitator.

---- *Maria, ac Terras, Cœlumque profundum*
Quippe ferant rapidi ſecum, verrantque per auras.

1. Æneid. 5: 63. Creech.

282. *Vexantia.*] Ita quidem omnes MSS. & editi qui nunc reſtant, ſed vix eſt dubium, quin olim fuerit ſcriptum *vexanti:* (quod & Pius vidit) turbo enim vexans eſt vehens omnia ſecum, trahens, propellens. clariſſime Gellius 11: 6. *vexaſſe grave verbum eſt, factumque ab eo videtur, quod eſt vehere: in quo ineſt jam vis quædam alieni arbitrii. Non enim ſui potens eſt, qui vehitur. Vexare autem, quod ex eo inclinatum eſt, vi atque motu proculdubio vaſtiore eſt. nam qui fertur & raptatur, atque huc atque illuc diſtrahitur, is vexari proprie dicitur.* Nec aliter accipe hæc Virgilii ex Ecl. 6. verſ. 76.

Dulichias vexaſſe rates. -----

Quod ſi placet, vetus lectio *vexantia*, eodem modo eſt explicanda: venti ſunt corpora cœca, quæ vexantia nubila cœli &c. Quomodo & verſu 276. ſupe-

Fragmina conjiciens ſylvarum, arbuſtaque tota;
Nec validi poſſunt pontes venientis aquaï
Vim ſubitam tolerare: ita magno turbidus imbri
Mo-

INTERPRETATIO.

Ille enim modo avulſos ramos, modo totas arbores abripit, nec poſſunt validi pontes repentinum illius impetum ſuſtinere: tam immani vi multo imbre

VARIÆ LECTIONES.

286. *Venientis.* venientes X.
287. *Turbidus.* turgidus V. turbio Z.

NOTÆ.

ſuperius ventus ipſe *vexat Sylviſragis flabris montes &c.* ſed præſtat referre ad turbinem. eſt denique id ipſum quod ita explicat verſ. 293.

------ trudunt res ante, ruuntque
Impetibus crebris: interdum vertice torto
Corripiunt, rapidoque rotanti turbine portant.

ita enim ibi ex omnium optimorum MSS. conſenſu reſtituimus, & plurimis in locis gaudet ita Lucretius geminare adjectiva & multiplicare. Hav.

280. *Raptant.*] Valde rapiunt & conturbant: juxta quam formulam Plautus in Amphitruone protulit illud. *raptant pro mœchis.* Hac ratione ſenſus eſt, venti rapidiſſimi non minore feruntur impetu quam fluvius ex magni montis vertice ſe proripiens: qui inter eundum montes & montanas arbores ſecum rapidiſſime trahit: ut apud poëtam Georg. 1: 355. Eridanus

Cum ſtabulis armenta trahens. Pius.

282. *Mollis aquæ.*] *Mollis*, id eſt, quæ aliis corporibus cedit. Sic Virg. libro 9. Æneid. in extr. 817.

---- ac mollibus extulit undis.

Iterum Lucr. lib. 2: 376.

----- qua mollibus undis
Litoris incurvi bibulam pavit æquor arenam.

Non celabo autem lectorem, me in nonnullis libr. manuſcriptis ſcriptum reperiſſe. *Ac cum moll. aq.* Lamb.

282. *Mollis aquæ natura*] Id eſt *aqua*, jam ſupra. & *natura ſerpentis* Salluſt. ſerpentes ipſi. Fab.

284. *Magnus decurſus aquai.*] Illuſtris tralatio. Nam *decurrere* eſt de ſuperiore loco currere. Virgil. libr. 2. Æneid. 41.

Laocoon ardens ſumma decurrit ab arce.

Idem Æneid. 4: 153.

Ecce feræ ſaxi dejectæ vertice capræ
Decurrere jugis.

Idem in Daphnide Ecl. 5: 84.

Saxoſas inter decurrunt flumina valleis.

ſic Horatius dixit,

Fluminis ritu delabentis in mare Etruſcum.

Od. 29. lib. 3. Cum hoc loco magis congruit Virgilianus ille lib. Æneid. 12: 521.

Aut ubi decurſu rapido de montibus altis
Dant ſonitum ſpumoſi amnes, & in æquora currunt. Lamb.

286. *Nec validi poſſunt*] Confer hæc Lucretiana cum illis Virgilianis Georg. 1: 322.

Sæpe etiam immenſum cælo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes: ruit arduus æther,
Et pluvia ingenti ſata læta, boumque labores
Diluit, &c.

Idem libro Æneid. 2: 304,

In ſegetem veluti cum flamma furentibus Auſtris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, ſternit ſata læta, boumque labores.

Sed videtur Lucret. Homerum exprimere voluiſſe, ubi Diomedem cum torrente comparat βιβλ. Ιλ. ε. 18.

Θῦνε γὰρ ἀμπεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικὼς
Χειμάῤῥῳ, ὅς᾽ ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφύρας,

&c. id eſt, *properabat enim, ſeu ruebat per campum fluvio*

Molibus incurrens validis cum viribus amnis,
Dat ſonitu magno ſtragem; volvitque ſub undis
Grandia ſaxa, ruit quà quidquid fluctibus obſtat.

Sic

INTERPRETATIO.

violentus in moles obſtantes fertur, magno cum fragore pontes rumpit, ſub undis volvens ingentia ſaxa, & quidquid obſtat fluctibus evertit, & disjicit.

VARIÆ LECTIONES.

288. *incurrens.* incurrit A. C. E. G. N. P. Q. X. Y. Z.

290. *ruit qua.* ruunt quæ *Faber. quidquid.* quidquam A. Marg. quicquam E. N. P. quicunque Q. quicunque fluxibus X.

NOTÆ.

fluvio abundanti ſimilis torrenti, qui celeriter & rapide fluens pontes disjicere ſolet. Lamb.

487. *Turbidus.*] In ora codicis ſui Voſſius emendavit *turgidus*; quod non videtur improbum; *turbidus* enim eſt amnis, qui multum limi vehit; *turgidus*, qui nimietate aquæ ripas excedit. Sed amnis hic quaſi iratus fingitur. Hav.

287. *Turbidus*] Dextrè ex turbata voce *turbio* fecit *turgidus* Iſ. Voſſius. Apud Ovidium tamen 2. Faſt. verſ. 206. de Cremera legimus:

Turbidus hybernis ille fluebat aquis.

niſi & ibi legendum: *Turgidus.* Appoſite autem *magno imbri turgidum* amnem dixit; qui tam late cuncta vaſtare, ac tantam ſtragem edere tanquam iratus conſtituit, non aliter, quam in Sacra Scriptura Euphrates Regis Aſſyrii longe lateque vicinas regiones vaſtaturi Symbolum ſuſtinens depingitur apud Jeſaiam 8: 7. 8. Aut etiam Iſmenus fluvius contra Hippomedontem aquas ſuas movens apud Stat. 9. Theb. Preig.

288. *Molibus incurrens.*] Ita vet. quidam libri. rectius & preſſius. In aliis veteribus & omnibus Vulgatis: *incurrit validis cum viribus amnis: dat, &c.* Gif.

288. *Molibus.*] Obſtaculis, offendiculis, objicibus. Vim certe fluminis adverſam nulla mœchanemata hoc eſt mœchanicæ moles tolerare queant: propterea vice proverbii ſic ſatyricus cecinit. Sat. 4: 89.

Hic nunquam jactavit brachia contra
Torrentem.

Ovidius tertio Metamorphoſeos v. 568.

Sic ego torrentem: qua nil obſtabat: euntem
Lenius: & modico ſtrepitu decurrere vidi.
At quacunque trabes: obſtructaque ſaxa tenebant.
Spumeus & fervens & ab objice ſævior ibat.

Pius.

288. *Incurrens.*] *Incurrit* Nard. imperitè, & fruſtra ſe aliquorum Codicum authoritate tuebitur. Creech.

290. *Grandia ſaxa.*] Non videntur intellexiſſe Interpretes hunc locum; loquitur enim de molibus congeſtorum ſaxorum quæ inſultui aquarum opponebantur, ut hodieque fit in promontoriis maritimorum pagorum, quæ *capita*, *de hoofden* vocantur, id antiquitus *oppilare* dicebant, i. e. pilis vel ſaxis grandioribus impetum fluminis retundere. Ipſe Lucretius 6. 725.

Fluctibus adverſis oppilare oſtia contra.

unde hodieque appellantur hi loci *de kaayen.* Hav.

290. *Ruit qua quidquid.*] Virgil. lib. Æneid. 1: 87.

Qua data porta ruunt.

quidquid autem idem quod *quidque*, hoc loco, ut ſæpe alibi. de quo dicetur à nobis alias. Lamb.

290. *Ruit qua quidquid.*] *Quidquam*; Gif. ſed *Ruunt quæ*, ſaxa viz. ſemper legendum putavit *Faber.* Nec improbanda eſſet iſta conjectura ſi Codices confirmarent, & non foret paulo frigidior: non ſolicitanda eſt igitur illa altera lectio, quam vetus Latium probaret; *Ruitque* forſan admitti poteſt, & probe reſpondebit *Ruuntque* 5: 293. ab iſtiuſmodi etiam hiatibus non abhorrent veteres Poëtæ. Creech. Ingenioſe Faber. *ruunt quæ* ſc. ſaxa. Quod verum quidem, cum alia, tum docet hiſtoria domus Alvaradi apud Benzonem l. 1. Novi Orbis c. 17. referente Camerario Subſ. 1. 86.

Sic igitur debent Venti quoque flamina ferri :
Quae, veluti validum flumen, cum procubuere
Quamlibet in partem, trudunt res ante, ruuntque
Impetibus crebris; interdum vertice torto
Corripiunt, rapidoque rotanti turbine portant.

Quare

INTERPRETATIO.

Eodem, inquam, modo Venti feruntur, Qui magni Torrentis inſtar, in quamcunque partem tendunt, protrudunt omnia, & violentis flatibus disjiciunt; interdum etiam contorto vortice corripiunt, rapidoque turbine rotantes in ſublime tollunt.

VARIÆ LECTIONES.

291. *flamina.* flumina X.
292. *flumen cum.* cum flumen E. G. H. N. X. Y. Z. fulmen cum Q. 1.
293. *trudunt.* tendunt. Q. X. *ruuntque.* ruitque Q. 1.
294. *vertice torto.* vertice toto G. V. 2. 3. Q. 1. X.
295. *rapidoque.* rapidique A. B. C. E. H. I. Y. Z. I. P. X. V. I. 2. *rotanti.* Ita, non *rotantia*, ut reliqui, habent A. B. C. E. L. P. H. Q. X. V. Y. Z. rotantes. C. Bm. *Pius* ex Codd. fidelioribus reſtituiſſe ſe dicit *rapidoque rotantes.*

NOTÆ.

1. 86. *Accidit autem paulo poſt ut imber &c.* p. 398. Melius tamen Codices MSS. Ita ſimpliciter explica: *ruit* i. e. ſternit quidquid obſtat fluctibus, *qua* obſtat, i. e. quo maxime obſtat loco. *quidquam* Ed. Baſ. non ita rectè. Hav.

291. *Venti.*] Illuſtris vero venti comparatio cum fluvio eſt: Ita, inquit, fluunt venti, quemadmodum & fluvios ferri videmus:

Nec ratione fluunt alia, ſtragemque propagant,
Quam cum mollis aquæ fertur natura repente
Flumine abundanti, quod largis imbribus auget
Montibus ex altis magnus decurſus aquai,
Fragmina conjiciens ſilvarum, arbuſtaque tota.
Nec validi poſſunt pontes venientis aquai
Vim ſubitam tolerare. ita magno turbidus imbri
Molibus incurrens validis cum viribus amnis
Dat ſonitu magno ſtragem, volvitque ſub undis
Grandia ſaxa, ruit quà quidquid fluctibus obſtat.
Sic igitur debent venti quoque flamina ferri.

Sunt hæc plane admirabilia, fateor; iiſque & Virgilius & ceteri poſt Lucretium poëtæ ſatis commode uſi ſunt: Sed quid hoc?

volvitque ſub undis
Grandia ſaxa, ruit quà quidquid fluctibus obſtat.

Sane iſtud *quà* nihil eſſe aliud poſſit, niſi *qua parte, per quem locum*, aut *in quantum*, ἐφ' ὅσον, *quatenus*, &c. unde tamen quando erit ut ſenſus aliquis ſatis aptus emergat? nam τὸ *quà* jungi nequit cum voce *ſaxa*. Præterea quod ajunt hoc loco *quidquid* poſitum eſſe pro *quidque*, id vero eſt quod haud facile probari poſſe ſcimus. neque vero, ſi probatum fuerit, res tamen in tuto fuerit. Legendum itaque ſemper exiſtimavi,

Grandia ſaxa, ruunt quæ *quidquid fluctibus obſtat:*

ſenſu tam plano quam neceſſario: *Fluvius ſaxa volvit, quæ ſaxa ruunt* (id eſt *evertunt, evellunt, eruunt*) *quidquid fluctibus obſtat.* Eſſe autem activæ ſignificationis τὸ *ruere* ſi probandum erit, non longe abeundum. Sequitur enim,

Quamlibet in partem res trudunt ante ruuntque.

Ita alibi, *tauri cornibus ruunt equos ad terram*, & *mare ruit arenam*, & *ventus ruit naves.* Ita, *ceteros agerem, ruerem, proſternerem.* Terent. & alia apud alios ſexcenta. Fab.

292. *Cum procubuere.*] Cum flatus ſuos aerios ad terram ponunt: & aëris relicta regione terram petunt: & arbores ſylvaticas infeſtant. In hanc ſignificantiam Maro Æn. 5: 481. *Procumbit humi bos.* huic dictioni junge vocem *ante*: quæ eſt in ſequenti verſu: cum venti ante procubuere, trahunt poſtea res ſecum impetu vaſto. Pius. Verum ego vocem *ante* aliter explico, & conjungo cum *res*, atque ita *res ante* ſunt res anteriores, quas

Quare etiam atque etiam ſunt VENTI Corpora caeca:
Quandoquidem factis ac moribus aemula magnis
Amnibus inveniuntur, aperto Corpore qui ſunt.
Tum porro varios rerum ſentimus ODORES;
Nec tamen ad nareis venienteis cernimus unquam:

Nec

INTERPRETATIO.

Fatendum igitur eſt Ventum conſtare è corporibus, licet Oculis cerni non poſſint, cum eadem efficiunt, & eodem plane impetu feruntur, ac validi torrentes, quos Corporibus conſtare ſenſus ipſi demonſtrant. Præterea Naribus varios Corporum odores percipimus,

VARIÆ LECTIONES.

297 *ac moribus.* ac motibus A. mar. a. C. D. & motibus P. X. & moribus Y. Z.
298. *ſunt.* ſint Q. 1.
299. *Tum.* quum H. 1. Q. quin H. 2. A. mar. P. cum X.

NOTÆ.

quas oppoſitas ſibi provolvunt. HAV. Forte *valido cum flumine*, tranſponunt enim plurimi MSS. PREIG.

293. *Trudunt res ante, ruuntque*] Virg. Æn. 4: 581.

Idem omnes ſimul ardor habet. rapiuntque, ruuntque.

& lib. 9: 516.

Immanem Teucri molem volvuntque ruuntque. LAMB.

295. *Rapidique rotanti turbine*] Ita vet. libri. quidam vero: *rapidoque.* Lamb. *rotantia*, contra libros vett. GIF.

295. *Rapidoque rotantia.*] Alii *Rapidique rotantia: Rapidique rotanti* Gif. è vet. Codic. perinde eſt. Mallem vero *rotantia*, ut v. 280.

—— *Subito vexantia turbine raptant.* CREECH.

295. *Rotanti turbine*] Sunt qui legant, *rotantia.* perinde eſt. FAB. Non eſt perinde apud Lucretium, qui (ut diximus ad verſum 280.) amat geminare & conjungere adjectiva plura, uti fecit quoque verſu 258. 259. HAV.

297. *Moribus.*] Ita fere libri vet. *in vet.* quibuſdam *motibus.* & ita vulg. GIF.

297. *Moribus.*] Plerique libri typis excuſi habent *moribus*: & item manuſcript. duo, Memmianus, & Bertinianus. alii autem tres manuſcripti habent *factis, ac moribus:* quæ ſcriptura ſi placebit, tralatio erit ab hominibus ad ventos. LAMB.

297. *Moribus.*] Ita legendum, non *motibus.* Id uterque Interpres probare poterat auctoritate Virgilii; eſt enim in Georg. 1: 51.

Ventos & varium cœli prædiſcere morem
Cura ſit — — FAB.

297. *Moribus.*] Ita plurimi vet. codd. quidam autem MSS. & impreſſi *motibus.* Virgilius Georg. 1: 51.

Ventos & varium Cœli prædicere morem
Cura ſit ——— CREECH.

512. *Moribus.*] Eleganter de ventis, proprie autem in æmulatione, unde & apud Juvenalem 8: 21.

—— *Druſus moribus eſto.* PREIG.

298. *Aperto corpore qui ſunt*] Qui ſub oculos cadunt. FAB.

299. *Tum porro.*] Sentimus odorem, calorem, frigus & ſonum; quæ omnia naturæ corporeæ ſunt, neque tamen ſub oculos cadunt. nil igitur mirum ſi prima corpora, quæ tantæ tenuitatis ſunt, videre nequimus. FAB.

299. *Tum porro, &c.*] *Quin* Gif. Iterum docet v. 7. poſſe eſſe in rerum Natura *Principia* quædam Corporea, quamvis ſub oculos non cadunt; Cum Calorem, odores, ſonos, friguſque eſſe omnes fatentur, quæ tamen nemo unquam oculis uſurpavit. Iſta vero omnia Corporea eſſe quis dubitet, dum impellunt ſenſus, ideoque *tangunt?* Quodcunque autem vel *tangit*, vel *tangitur*, id eſt Corpus. *Corpus* Græcè definitur, τὸ δρώμενον,

M ἢ πά-

Nec calidos Aestus tuimur, nec Frigora quimus
Uſurpare oculis, nec Voces cernere ſuemus;
Quae tamen omnia Corporea conſtare neceſſe eſt

Natu-

INTERPRETATIO.

Oculis vero iſtos nunquam intuemur: Neque Calorem, neque frigus, neque vocem videmus, quæ tamen omnia Corpora eſſe concedamus neceſſe eſt,

VARIÆ LECTIONES.

301. *calidos.* validos H. 1. Bm. X. *nec.* ne X.
303. *Corporea.* corpora Q. X.

NOTÆ.

ἢ πάσχον, σῶμά ἐστι, quam definitionem ſignificare volens Lucretius, ita ſcripſit

Tangere enim & Tangi niſi Corpus nulla poteſt res.

A Gellius l. 5. c. 15. Creech.

301. *Tuimur.*] Cernimus. Feſtus: *Tuor, video; tueor, defendo. Sed jam promiſcuè altero pro altero utuntur.* Lamb.

301. *Tuimur.*] Intuemur. Fab.

302. *Uſurpare oculis.*] Cernere: quemadmodum *uſurpare ſermone* dicimus pro commemorare, & referre. Idem Lucret. libro quarto v. 972.

Cum jam deſtiterint ea ſenſibus uſurpare.

Lamb. Ita & Statius l. Achill. 3. pag. edit. Cruc. 617.

----- *illam oculis iterumque iterumque reſumit.*

Preig.

303. *Quæ tamen omn. corp.*] De odoribus & vocibus diſputaturus eſt libr. 4. Lamb.

305. *Tangere enim & tangi*] Hoc unum eſt ex principiis, & ſententiis ratis ac fixis Epicuri: quidquid tangere & tangi poteſt, id corpus eſt. Itaque Lucretius libr. 2: 815. non ſolum vocem, verum etiam animi vireis contendens, hoc idem aſſeverat, his verbis,

Tactus enim, tactus, (pro divum numina ſancta)
Corporis eſt ſenſus.

& lib. 3: 166.

Quorum nil fieri ſine tactu poſſe videmus:
Nec tactum porro ſine corpore.

Neque vero quiſquam philoſophus tactum, ſenſum eſſe maxime corporis proprium negat. Ariſtot. libro 4. φυσ. ἀκροάσ. Σῶμα οἴονται εἶναι πᾶν ἁπτόν. id eſt, *Putant omnes fere philoſophi corpus eſſe quidquid tangi poteſt.* Contra idem Epicurus τὸ κενὸν appellat interdum φύσιν ἀναφῆ, id eſt *naturam tactus expertem*, ſive *naturam intactilem.* Profert hunc verſum Tertullianus lib. 4. adverſùs Marcionem. *Jam vero quod tactum maxime animalis eſſe proprium plerique item philoſophi dicunt, hoc non eſt hujus loci.* Lamb.

305. *Et tangi*] Citat hunc verſum Tertullianus non tantum adverſus Marcionem IV. 8. ſed & in lib. de Anima c. v. item Gellius v, 15. qui poſtremus legit *aut tangi.* Hav.

306. *Denique &c.*] Alio v. 6. utitur exemplo; *Aqua* eſt *Corpus*, at illam in particulas, nimis minutas aſpici, aliquando dividi experimur; Panni enim, aut lintea juxta littus expanſa humeſcunt, à Solis calore autem iterum ſiccantur, at iſtas *Aquæ* particulas Pannis inſidentes, vel ab iis recedentes nemo unquam vidit. Creech.

306. *Fluctifrago.*] Nonius: *fluctivago.* malo. Gif. Sic habent quatuor libri manuſcripti, & impreſſi, utrique Veneti, & Vicetini, & Pariſienſes, & Florentini, & Lugdun. Nonius Marcellus tamen in voce *ſereſco*, hunc verſum teſtem producens, legit *fluctivago*, ſi locus mendo vacat. Lamb. Id proprie Græci vocant κυματωγὴν, id eſt αἰγιαλοῦ ἀπαγωγήν. Fab. Recte, ut notat Turneb. Adv. VI. 14. quia littora fluctum ſibi illiſum frangunt, ut apud Horat. lib. 1. Od. 2: 5.

Quæ nunc pumicibus oppoſitis debilitat mare.

ἀκτὴ quoque Græcis a frangendo dicitur littus. Hæc ille. Hav. Elegans littoris Epitheton, æmulum Homerico illi maris l. 1: 34.

παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης.

Preig.

306.

Natura: quoniam ſenſus impellere poſſunt,
TANGERE ENIM ET TANGI, NISI CORPUS, NULLA POTEST RES.
Denique fluctifrago ſuſpenſae in littore Veſtes
Uve-

INTERPRETATIO.

quoniam impellunt moventque ſenſus, ideoque tangunt: Nihil autem præter Corpus poteſt vel tangere vel tangi. Denique veſtes ſuſpenſæ juxta littus,

VARIÆ LECTIONES.

306. *fluctifrago.* fluctivago *Nonius.* *ſuſpenſæ.* ſuſpanſæ Q. 1.

NOTÆ.

306. *Fluctifrago littore.*] Fluctus frangente: qui in ſuam duritiem incurrunt. Franguntur enim fluctus qui ad littus ipſum accedunt. Littus, auctore in topicis Marco Tullio, vocatur ideo quod circa ipſum fluctus allidunt. In Marcelli codice *fluctivago littore* ſcriptum eſt: quod ſi probas, vagato & inundato a fluctibus interpretare. PIUS.

306. *Suſpenſæ.*] In altum appenſæ & affixæ in ſublime. Quidam codices habent *ſuſpanſæ:* quod ſignificat apertæ, explicatæ, a verbo *pando.* PIUS.

307. *Uveſcunt.*] Humeſcunt: *uvidum.* i. e. madidum humorem contrahunt. *Uvidus,* ſucculentus & qui nimium habet humoris appellatur. Maro in bucolico ludicro 10: 20.

Uvidus hyberna venit de glande Menalcas.

Differentia auctore Servio eſt inter *uvidum* & *humidum.* *Uvidus* dicitur qui ſuccum intus habet non extra: & nominis inclinamentum eſt ab *uva:* quæ quicquid humoris habet, intus habet. *Humidum* per contrarium, ſuccum extrinſecus habens. Signate, ſignificanterque locutus eſt poëta, veſtes *uveſcere* dicens: quæ intra ſe humorem omnem habent. Sic Plautus puellarum ejectarum veſtes faciens humentes eſſe ſic propemodum cecinit in fabula, cui titulus eſt Rudens 1: 4: 31.

Siccine hic cum uvida veſte graſſabimur?

Ibidem quoque 1: 5: 6.

Unde vos ire cum uvida veſte dicam?

Horatius 1. Od. 5: 13.

Me tabula ſacer, votiva paries, indicat uvida Suſpendiſſe potenti Veſtimenta maris deo.

Acron. *uvida, madida. madidus extrinſecus: uvidus intrinſecus.* PIUS. Id eſt, humeſcunt: ex quo verbo fit *uvidus.* Horat. od. 5. libr. 1. v. 13.

---- *uvida*
Suſpendiſſe potenti Veſtimenta maris Deo.

Virgil. in Gallo 10: 20.

Uvidus hiberna venit de glande Menalcas.

Iterum Horat. od. 5. libr. 4. v. 39.

-----. *dicimus integro*
Sicci manè die, dicimus uvidi,
Cum Sol Oceano ſubeſt.

Varro libro 4. de ling. Latina: *Uvidum eſt, quod humidum & ideo ubi id non eſt, ſuccus abeſt.* LAMB. De humido & uvido diſputantem ad hunc locum videre eſt Franciſcum Luiſinum Parerg. l. 2. cap. 25. HAV.

307. *Eædem diſpanſæ in ſole ſer.*] Sic habent libri manuſcripti: quibuſcum conſentiunt impreſſi Veneti recentiores, Vicetini, & Lugdunenſes: at Pariſienſes, & Aldini antiqui, & Florentini,

Eædem candenti in ſole ſereſcunt.

diſpanſæ autem, id eſt explicatæ, extentæ, à verbo *diſpando.* Sed quid ſi dicamus, legendum eſſe *diſpaſſæ*, ſeu *diſpeſſæ.* Nam A. Gellius libr. 15. cap. 15. notat, veteres dixiſſe *paſſum* pro *panſum*, à verbo *pando*, ut *paſſis manibus*, & *paſſis velis.* Itaque Plautum in milite Glorioſo mutata *a* vocali in *e*, per verbi compoſiti morem, *diſpeſſis* dixiſſe pro *diſpaſſis*, id eſt diſpanſis. Omnino ſic hos duos verſus legendos puto,

Denique fluctifrago diſpenſæ (ſive *diſpeſſæ*) *in littore veſtes,*
Uveſcunt; eædem candenti in ſole ſereſcunt.

LAMB.

307. *Diſpanſæ.*] Quidam: *candenti.* Ita etiam Nonius. GIF. Virg. in VI. *aliæ panduntur ad ventos.* FAB. Aliqui libri *Candenti.* Alii *diſpeſſæ* ex A. Gellio lib. 15. c. 15. Qui obſervat *paſſum* à *pando*, & cum præpoſitione *expaſſum*, non *expanſum* à veteribus dici; Plautumque in *Milite glorioſo* Act. 2. Sc. 4. v. 6. & 7, ſcribere

Uveſcunt, eaedem diſpanſae in Sole ſereſcunt;
At neque quo pacto perſederit humor aquaï
Viſu eſt, nec rurſum quo pacto fugerit aeſtu;
In parvas igitur parteis diſpergitur Humor,

Quas

INTERPRETATIO.

in quod fluctus franguntur, humeſcunt, eædem autem Veſtes ad Solem explicatæ ſiccantur; noſtri verò oculi non percipiunt Aquam iſtis Veſtibus inſidentem, nec à Calore ab iſtis Veſtibus fugatam, ideoque dicendum eſt, aquam iſtam in particulas diviſam tam minutas,

VARIÆ LECTIONES.

307. *Uveſcunt.* ſeneſcunt Q. 1. fereſcunt. Q. 2. hûeſcunt aedem X. *eædem diſpanſæ.* eædem diſpenſæ D. *Nonius.* diſpiſſæ *Gellius.* candenti, C. A. marg. eadem candenti P. *Sereſcunt.* rigeſcunt V. 1. viveſcunt Q. 1.

308. *At neque.* Ac neque H. 1. Atque neque X. *perſederit.* peſens erit Q. præſederit X. *humor.* umor Y. Z. & ita paſſim.

309. *fugerit.* fugeret X. *æſtu*, æſtus E. P.

310. *diſpergitur.* diſpargitur Q.

NOTÆ

Credo ego iſthoc exemplo tibi eſſe eundum actutum extra portam,
Diſpeſſis *manibus patibulum cum habebis.*

Eadem *Servius* ad v. 484. lib. 1. Æneid. At *Diſpenſæ* agnoſcit Nonius in voce *Sereſco*. Lambinus autem hos duos verſus ita legendos cenſet,

Denique fluctifrago diſpeſſæ in littore veſtes
Uveſcunt, eædem candenti in Sole ſereſcunt.

Creech. Ita diſertim MSS. hancque lectionem cum Giphanio contra Gellium & Servium defendit Voſſius de Analogia III. 26. Hav.

307. *Sereſcunt.*] Id eſt ſiccantur, ut interpretatur Non. Marc. ex quo verbo *ſerenitas*. Lamb. Ξηραίνονται, in veteri onomaſtico Vulcanii. à *ſereo*, unde *ſerenus*. Origo enim vocis Latinæ à Græca ξερὸς ſeu ξηρός. Fab. Siccantur; quod ſerenitas ſicca ſit: Sic Virgilius doctè in Georg. I. 1: 46.

----- *Unde* Serenas
Ventus agat nubes.

Id eſt, Siccas. Idem alio in loco Georg. 3: 197.

---- *Atque Arida differt*
Nubila ----

Creech. Vide Giphanium. Sed & Turneb. Adv. VI. 14. & XXV. 1. Hav.

308. *Perſederit.*] In veſtibus in litore ſuſpenſis, ſed diſpanſis, atque explicatis inhæſerit. Lamb. Penetrarit, ſeu inhæſerit, imbuerit. Fab.

309. *Fugerit æſtu.*] Neque quo pacto humor *fugerit æſtu*, id eſt, propere abierit ob calorem, ſeu per calorem ſolis. ſic autem repoſuimus, auctoritate librorum manuſcriptorum freti. nam vulgati habent *æſtus*. Lamb.

309. *Æſtu.*] Sic vetus codex. non *æſtus*. Gif.

312. *Multis.*] *Multum*, Marull. Gif.

312. *Multis ſolis redeuntib. an.*] Expreſſit vim Græci nominis ἐνιαυτὸς, quod *annum* ſignificat, dictus quaſi in ſeipſum rediens, tanquam circulus quidam. ſic Virg. Æn. 8: 47.

Ex quo terdenis urbem redeuntibus annis
Aſcanius clari condet cognominis Albam.

Horat. ſat. 2. libr. 2: 83.

Sive diem feſtum rediens advexerit annus.

Lamb.

312. *Quin etiam multis ſolis redeuntibus annis*] Mihi maxime placeat, ſi legatur,

Quin etiam multis olim *redeuntibus annis:*

Idque, ut venuſtius & concinnius eſt, ita & elegantiores homines probaturos ſatis confido. Error natus eſt ex geminatione & S. in *multis*, more imperitorum librariorum. Fab. *Multum.* Marullus. *Multis olim* Faber. Varia V. 11. congerit exem-

Quas oculi nulla poſſunt ratione videre.
  Quin etiam multis Solis redeuntibus annis
Annulus in digito ſubtertenuatur habendo:
Stillicidî caſus lapidem cavat: uncus aratri

INTERPRETATIO.

ut ſub acie Oculorum non cadant. Præterea Annulus dum in digito per multos annos geſtatur, diminuitur; Gutta Aquæ decidens lapidem cavat;

VARIÆ LECTIONES.

312. *Quin.* Eum X. *multis.* multum M. H. P. Q. multis olim *Faber.* V.
313. *ſubtertenuatur.* ſubter tenuatur Y. Z.
314. *Stillicidî caſus.* ſtillicidi & caſus H. 2. ſtillicidiique Q. ſtillicidii Y. Z.

NOTÆ.

exempla; Annulus viz. in digito, Vomer in Agris attenuatur; Gutta lapidem cavat: Pavimenta atteruntur; Æreaſque etiam ſtatuas crebro tactu detritas conſpicimus. Ab his omnibus ita detritis Corporeæ quædam particulæ recedunt, qui vero iſtas viderit, oculos habebit longè acutiores quàm

Aquila aut ſerpens Epidaurius ----

Creech. Hæc lectio ſi retineatur, *ſolis anni* ſignificabunt annos ſolares. Sed non eſt improbanda emendatio Fabri & Voſſii, *olim*, quæ tamen nullius MS. auctoritate confirmatur. Hav. Egregie *olim* Faber. Sed mera conjectura eſt. *ſolis annos* Lucretius videri poteſt, tam diſtinctè dictos, oppoſuiſſe *annulis*, qui volvuntur *in digitis.* & *magnos annos*, otioſo alias, ac nullius momenti Epitheto dicit infra verſ. 1028. ſed propriæ ac primæ ipſius nominis notioni intentus. *Annus* enim non niſi circulum quendam adeoque temporis qualemcunque periodum certam ſignificaſſe ab initio videtur. Preig.

313. *Subter.*] ſignificat ſub, ut notum eſt. Junge hoc verbum cum dictione ſuperiori, *multum*: ut poëta dicat multum ſubtertenuari dum geſtatur in digito. In hanc ſententiam canit Ovidius.

Ferreus aſſiduo conſumitur annulus uſu.
Interit aſſidua vomer aduncus humo.

Pius. Qua parte carnem tangit. Lamb.

313. *Habendo.*] Dum habetur: dum eſt in uſu frequenti. huic aſtipulatur Maro in georgicis. 3: 215.

---- Uritque videndo
Fœmina.

Item in bucolicis 8: 71.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

i. e. dum videtur: dum incantatnr. Pius. Dum habetur, dum geſtatur in digito. ſic illud Virg. Georg. 2: 215.

---- uritque videndo
Fœmina.

Lamb. Dum fertur, dum geritur; paſſivæ ſignificationis. Virgil. 3. Georg. 454. *alitur vitium, vivitque tegendo.* id eſt dum tegitur. Ita Lucret. 4: 1062. *inveteraſcit alendo:* dum alitur. Fab. Dum geſtatur. Paſſivæ ſignificationis; Virgil. Georg. 3: 455.

---- *Alitur vitium vivitque* tegendo.

Id eſt, *dum* tegitur. Lucret. l. 4: v. 1062.

---- Inveteraſcit alendo.

id eſt, dum alitur. Creech. Virg. Georg. 2: 250.

Sed picis in morem ad digitos lentiſcit habendo.

& lib. 3: 159.

Et quos aut pecori malint ſubmittere habendo,
Aut aris ſervare ſacris. Preig.

315. *Occultè*] Servius, ut explicet illud Virgilii 1. Georg. verſ. 46.

---- *& ſulco attritus ſplendeſcere vomer.*

hunc verſum adhibet, quodque videtur elegantius, legit:

---- occulto decreſcit vomer in arvo. Hav.

Ferreus occultè decreſcit Vomer in arvis;
Strataque jam volgi pedibus detrita viarum
Saxea conſpicimus: tum portas propter ahena
Signa manus dextras oſtendunt attenuari

Saepe

INTERPRETATIO.

Uncus Vomer Aratri è ferro factus paulatim deteritur dum ſcindit agros: Et quis non videt pavimenta ſaxea ambulantium pedibus detrita? Æreæ inſuper Imagines ad portas urbium collocatæ dextras habent attenuatas

VARIÆ LECTIONES.

318. *manus dextras.* manus extras A. mar. c. & quidam Codd. *Pii. oſtendunt.* oſtendant. X.

NOTÆ.

314. *Stillicidî caſus.*] Feſtus: *Stiricidium, quaſi ſtillicidium, cùm ſtillæ concretæ frigore cadunt. Stiria enim principale eſt, ſtilla deminutum.* Quod autem ad ſententiam attinet, eam libro 4. uberius tractavit in extr. v. 1297.

Nonne vides, etiam guttas in ſaxa cadenteis
Humoris, longo in ſpatio pertundere ſaxa?

eandem ſic Cherilus malus poëta, de quo Horat. epiſt. ad Auguſt. v. 233.

Gratus Alexandro Regi magno fuit ille
Cherilus, incultis qui verſibus, & malè natis
Rettulit, acceptos, regale nomiſma, Philippos:

hanc igitur eandem ſententiam ſic Cherilus ille complectitùr:

Πέτρων κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείη.

& Ovidius, quem quidam viri docti *alterum Cherilum* eſſe volunt:

Gutta cavat lapidem non vi, ſed ſæpe cadendo.

Lamb.

315. *Decreſcit.*] Diminuitur, èvaneſcit. Ovidius.

Interit aſſidua vomer aduncus humo. Pius.

316. *Strata viarum.*] *Strata viarum* ſic dictum, ut *ſuprema montium, clauſa domorum, vana rerum, amara curarum*, & ſimilia, quæ notavimus in comment. Horatianis. Virg. lib. 1. Æneid. 426.

Miratur portas, ſtrepitumque, & ſtrata viarum.

Lamb.

317. *Portas propter*] ἀναστροφή. *propter* autem valet *propè*. portas porrò urbium intellige. Lamb. Supr. vi. 91. *Hunc propter.* Ad ea quæ hoc loco notant Lamb. & Fab. adde Turneb. 22. Adv. cap. 28. ad illud Virg. 3. Æn. vſ. 351.

Scææque amplector limina portæ. Preig.

318. *Signa.*] Quæ collocabantur in portis urbium: quæque ſalutabant & qui peregrè proficiſcebantur, & qui peregrè redibant. Collocabant & patroni ſtatuas in figuram & formam ſuam conformatas pro valvis ædium ſuarum, ut eas clientes venerarentur & oſcularentur, ſi quando illi ſui copiam facere non poſſent, ut notat Alciatus παρέργων juris, lib. 8. cap. 19. Lamb.

318. *Signa manus dextras.*] Ridicule Pius in Annot. Poſt c. v. exponit de ferramentis oſtium pulſantibus, effigiem humanam vel ferinam habentibus, quod idem & in Notis ſuis ad Lucretium inculcavit, aliquid tamen in fine videns, quum ad ſimulachra numinum, portarum & urbium præſidum, potius cenſet referendum; quod & præter alios docet Turneb. Adv. 18, 6. & 25. 1. Legitur & *manus extras*, quod Ed. Baſ. in margine etiam agnoſcit. quod ſignificaret eam manuum partem quæ in ſignis ex veſtimentis prominere videbatur. Nam certe, licet plus religionis & honoris in dextra ſimulacri manu, tamen præ multitudine ſalutantum etiam læva manus minui neceſſe habuit. Imo & barbam & mentum, & quodcunque veſtibus eminebat, præhendebant; uti ſingulari loco docet Cicero iv. in Verr. cap. 40. de Templo Agrigentino. *Ibi eſt ex ære ſimulacrum, ipſius Herculis, quo non facile quidquam dixerim me vidiſſe pulchrius, tametſi non tam multum in iſtis rebus intelligo,*

quam

Saepe ſalutantum tactu, praeterque meantum:
Haec igitur minui, cum ſint detrita, videmus;
Sed quae Corpora decedant in tempore quoque,
Invida praecluſit ſpeciem Natura videndi.

Poſtre-

INTERPRETATIO.

tactu frequentium ſalutatorum, vel prætereuntium. Hæc autem omnia diminui, parteſque quaſdam amittere, cum ſint detrita, quis neget? Invida autem Natura non indulſit nobis facultatem videndi eas particulas quæ ab his rebus ita diminutis quolibet tempore detrahuntur.

VARIÆ LECTIONES.

319. Verſum hunc non agnoſcit Bm. *ſint* ſunt A.
320. *minui.* minium Q. 1. Memmi Q. 2.
321. *decedant.* decidant Q. 1.
322. *Præcluſit.* præcludit A. mar. præcluſet G. præduſit Q.

NOTÆ.

quam multa vidi; uſque eo, judices, ut rictum ejus ac mentum paullo ſit attritius, quod in precibus & gratulationibus non ſolum id venerari, verum etiam oſculari ſolent. Hav. Legunt quidam manus *extras* pro exteras: hoc eſt marculus ferreus oſtiarius: qui figuratus in ſimilitudinem manus, & ut nunc fit, uſum pultandi foribus præſtat. *Extras* pro *exteras* dicimus ſicuti *dextras* pro *dexteras*; ſunt qui referunt ad ſtatuas formatas in ſimilitudinem habitus pacificatoris: qui porrecta manu dextra pacem largiri videbant: ſuper qua re Quintilian. & Papinianus lib. primo ſylvarum v. 16.

--- Juvat ora tueri
Miſta notis belli placidamque gerentia pacem.

Tale etiam ahenum hodie pacificatorem agens viſitur in foro Ticinenſi: quem regem cenſorem vulgo dicunt, quæ appellatio Trajano vel Antonino quadrat. Erit Lucretii ſenſus, quæ ſigna ahena, hoc eſt ærea ſimulacra, oſtendunt manus dextras: quas porrigunt ad pacem indicandam: ſe ſalutantum: qui oſculantium & conjunctione manus ſalutem reddentium contactu, oſtendunt tacite ævo carpi & attenuari: quoniam ſentimus quod decreverunt: ſed quando & qua injuria, minime. Pius. Quas oſculabantur qui ex urbe exibant, & qui peregre in urbem redibant. Lamb. Intelligit deorum tutelarium ſigna, quorum manum dextram qui exirent ex urbe, & qui ingrederentur, oſculari ſolebant, idque boni ominis cauſa. neque tamen ullus, quod ſciam, veteris ſcriptoris locus ad id demonſtrandum affertur; ſed ita res deſcribitur, ut minime dubia videri debeat. Cur autem dextram potius oſcularentur, quam lævam, habes Varronem qui doceat in excerptis ex Servio in Æneid. I. Fab. *Extras* in margine apponit *Giſanius*, forſan pro *exertas* aut prominentes: Sic apud Lucretium lib. 4. v. 278. *extraria* lux pro *externa*, vel *extrinſeca*: verſum ſequentem non agnoſcit *B.* Creech.

319. *Sæpe ſalutantum tactu.*] Hujus ſalutandi moris infinita ſunt apud Latinos ſcriptores exempla: ex quibus licet pauca deguſtemus. Cic. epiſt. ad Brutum: *Hæc ſcripſi in ipſa turba matutinæ ſalutationis.* Qu. Frater de pet. conſul. *Deductorum officium majus eſt, quàm ſalutatorum.* Virgil. Georg. 2: 462.

Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis,
Mane ſalutantum totis vomit ædibus undam:
At ſecura quies, & neſcia fallere vita.

Mart. libr. 4: 8.

Prima ſalutanteis, atque altera diſtinet hora,
Exercet raucos tertia cauſidicos. Lamb.

320. *Sunt detrita*] Sic conjectura ductus ſcripſi. In libris fere: *ſint.* Gif.

320. *Cum ſint detr.*] Sic habent omnes libri & veteres, & recentiores. Nonnulli tamen *cum ſunt detrita* legi volunt. Lamb.

320. *Sint.*] Ex omnibus libris ita ſcripſit *Lambinus. Sunt* ex conjectura *Giſanius*, ut & *Præcludit* pro *Præcluſit* v. 322. Creech.

320.

Poſtremo, quaecunque Dies, Naturaque rebus
Paullatim tribuit, moderatim creſcere cogens,
Nulla poteſt oculorum acies contenta tueri;

Nec

INTERPRETATIO.

Denique eas particulas quas Natura apponit rebus, & quibus paulatim auget, nullus Oculus, quamvis acriter ſe contendat, intueri poteſt;

NOTÆ.

320. *Detrita.*] Similiter Philoſtratus in Heroicis: περιτρίψας (ita emendat Rutgers. Var. Lect. c. v.) δὲ αὐτὸ ὁ χρόνος, καὶ νὴ διὰ οἱ ἀλείφοντές τε, καὶ οἱ σφραγιζόμενοι τὰς εὐχὰς ἐξηλλάχασι τοῦ εἴδους. Hav.

322. *Invida præcluſit*] Sic habent codices ſcripti, Vatic. Bertin. & typis excuſi, Vicetini., Pariſienſes, Veneti antiquiores. alii minus rectè, *præcludit.* ſententia autem hujus loci eſt; natura invidit, atque ademit videndi facultatem, quæ corpuſcula decedant in quoque tempore ex illorum æneorum ſimulacrorum manibus. Lamb.

322. *Invida.*] Quæ nobis hanc ſui cognitionem invidit. Fab.

322. *Præcluſit.*] Quidem veteres & Vulg. *præcludit.* Gif.

323. *Poſtremo, quæcunque &c.*] Denique monet v. 7. rebus paulatim creſcentibus apponi quaſdam particulas Corporeas. ab iis iterum decreſcentibus detrahi; eas vero particulas Oculum, ne quidem acutiſſimum, intueri: & demum concludit poſſe eſſe quædam Principia Corporum quæ Aciem oculorum fugiant. Hæc omnia breviter *Epicurus* in Epiſt. ad Herodotuni: πᾶν τε μέγεθος μὴ εἶναι περὶ ἀτόμους. (Democritus maximas poſſe eſſe Atomos exiſtimabat) &, οὐδέποτε γοῦν Ἄτομος ὤφθη αἰσθήσει. Creech.

324. *Modum.*] Menſuram. Propertius eo verſiculo 2: 12: 30.

Verus amor nullum novit habere modum. Pius.

324. *Moderatim*] Id eſt modicè, & moderatè, & ſenſim. ita (inquit) res naturales creſcunt, ut, quid quotidie accedat, cernere nemo poſſit. Lamb.

325. *Contenta.*] Quemadmodum dicimur *oculorum aciem contendere*, cum quippiam defixis oculis, & acerrimo obtutu aſpicimus: ita *contentam*, id eſt intentam, *& acerrimè defixam oculorum aciem* Latinè dicimus. Simili modo uſurpantur à Latinis illa, *contendere nervos, vocem, fideis,* ſeu *chordas*, pro *intendere.* Idem Lucr. infrà lib. 4: 801.

Et quia tenuia ſunt, niſi ſe contendit, acutè
Cernere non potis eſt animus.

ibidem paucis poſt verſibus, v. 807.

--- --- contendere ſe, atque parare.

Vide ſupra, ad illum locum, v. 68.

---- mortaleis tendere contra
Eſt oculos auſus.

Lamb. Quantumvis intenta. Fab.

326. *Ævo macieque ſeneſcunt*] Hunc locum Lucretius ex Pacuvii Periboea imitatus videri poteſt. *Corpus meum tabe, mœrore, errore, marcore ſenet.* Sed ibi pro *errore* legendum eſt *ægrore*, qua voce in VI. & alibi, uſus Lucretius. Fab.

327. *Nec, mare quæ impendent*] Sic habent tres libri manuſcripti, quibuſcum conſentiunt vulgati, Pariſienſes, utrique Veneti, Florentini, Vicetini, Lugdunenſes. Poſtremo hanc lectionem agnoſcit Pomp. Feſtus in voce *veſcus.* dictum eſt autem *impendent mare*, pro *impendent mari*, ſeu *in mare.* & ita Terent. Phorm. 1: 4: 2.

Ita nunc imparatum tanta re impendent mala.

Lamb.

327. *Impendent mare*] Ita legendum, pro *impendent mari.* Terent. *tanta te impendent mala.* Ita Plautus & Lucilius. Quamobrem erraſſe Feſtum arbitror in ME, cum hæc ſcribit: ME *pro mihi dicebant antiqui, ut Ennius, cum ait lib.* II.

Si quid me fuerit humanitus, & teneatis.

& Lucilius:

Nunc ad te redeo, ut quæ res me impendet agatur.

Male; nam prius illud exemplum nil probat, cum Latini omnes non minus recentiores quam vetuſtiores dicant, *ſi quid illo homine fuerit*, *Quid me fiat*, &c. quod Interpres Ter. explicabit. Poſterius autem, nihilo etiam amplius;

Nec porro quaecunque aevo, macieque ſeneſcunt:
Nec mare quae impendent veſco ſale Saxa pereſa,
Quid quoque amittant in tempore, cernere poſſis.

Corpo-

INTERPRETATIO.

uti nec Corpuſcula quæ qualibet hora decedunt à rebus ſenio aut macie decreſcentibus, aut à Saxis, quæ edaci Sale corroſa impendent Mari.

VARIÆ LECTIONES.

327. *impendent.* impendunt X. deeſt *veſco* G. & Z.

328. *quid quoque.* quid quæque A. marg. Q. 1. C. P. *in tempore cernere p.* tempore poſſis. X. *Poſſis.* poſſet A. mar. P. Q.

NOTÆ.

plius; cum in hoc Lucretii loco legamus, *ſaxa impendent mare.* Præterea, quod plane ejuſdem modi eſt, dicebant, *exitium inſtat illos.* En tibi auctorem locupletem in Pœnulo. 4: 2: 96. *Dii immortales meum herum ſervatum volunt, & hunc diſperditum lenonem; tantum eum inſtat exitii.* An ibi dixerit Feſtus *eum* eſſe in dandi caſu? Mox dixit *veſco ſale* id eſt qui arrodit, exedit, *&c.* V. Gell. qui hunc locum reſpexit lib. XVI. cap. 5. Fab. Pro *impendent Mari.* Similiter *Inſtare illum* Veteres dicebant, ut Plautus in Pænulo,

Tantum eum inſtat *exitii.* Creech.

327. *Veſco.*] Incitante veſcendi appetentiam. vel ſine quo veſci non poſſumus laute & jucunde. Hinc illud a Plinio per terſiſſimam annominationem prolatum. *Humanior vita degi non poteſt ſine ſole & ſale.* Servius exponens illud Maronianum in Georgicis. 3: 175.

Et veſcas ſalicum frondes:

cum debuiſſet interpretari nutrimento accommodas & cibarias, *ſiccas* & *teneras* expoſuit: quod non diſſonat, ut perperam Servio maſtyx accepit. Sed paſſas frondes per ea verba ſignificare voluit Servius: quæ de viriditate deque ariditate participarent, hoc eſt, mediam quandam inter recentes & obſoletas ſaporis bonitatem retinerent. Cum per teneras virides Servius intelligere voluerit. per ſiccas & teneras ſimul, quæ neque eſſent recentes & aridæ, ſed in hyemis pabula reſervatæ: ut & hodie fieri ſolet. Gelliana verba ex XVI. *Ve particula, ſicut quædam alia, tum intenſionem ſignificare: tum minutionem. Nam vetus & vehemens alterum ab ætatis magnitudine compoſitum eliſumque eſt: alterum a mentis vi atque impetu datur. Veſcum vero quod ex ve particula & eſca copulatum eſt: utriuſque diverſæ ſignificationis vim capit. Aliter enim Lucilius Veſcum appellat cum edendi faſtidio: aliter Lucret. ab edendi incitamento. Veſcum papaver*, ut ſentio, Maro vocitavit ab edendi faſtidio potius. quam ab intentione. quoniam ſi adhibeatur cibis, illiberale eſſe conſuevit. Pompejus *veſcum* ſcribit uſurpari pro faſtidioſo & edace, & in hoc loco Pompejus *veſcum* exponit pro edace, hoc eſt erodente ac attenuante ſcopulos: quod cum Gellio non convenit. Cum τ' *ve*, dictioni alicui priſci jungebant, parvum quid ſignificabant: quod iis docet Ovidius in Faſtis.

----- --- --- Vegrandia farra coloni
Quæ male creverunt veſcaque parva vocant.

unde ædes *Vejovis* parvi Jovis. Ovidius.

----- ---- --- Sic Vejovis ædem,
Aedem non magni ſuſpicor eſſe Jovis.

Itidem *veſculi* gracili corpore dicuntur. Oves *vegrandes* Varro in Re Ruſtica pro gracilentis & imbecillibus vocavit. *Veſcum* corpus in Plinio lib. 7. macilentum eſt. *Corpore* inquit *veſco eſſe, ſed eximiis viribus Tritanum in gladiatorio ludo Samnitium armatura celebrem.* Sunt qui in Plinio *veſcos* ſcribant nec inſcite prorſus. Corpus *veſcum* eſt pondere carens & adipe: ſed nervoſum & toroſum: quale Ovidianum fuiſſe didicimus: qui ſic cecinit in amoribus.

Pondere non nervis corpora noſtra carent.

Et alibi.

N Lu-

Corporibus caecis igitur Natura gerit res.
Nec tamen undique Corporea ſtipata tenentur
Omnia natura, namque eſt in rebus Inane.

Quod

INTERPRETATIO.

Fatendum igitur eſt Naturam habere, utique etiam Corporibus, quæ ſub oculos non cadunt. Nec tamen putandum eſt Omne, *τὸ πᾶν, ex* Materia *tantum conſtare & compactum eſſe; præter Materiam enim eſt* Inane.

VARIÆ LECTIONES.

329. *cæcis.* cæſis G. cæſis igitur *bis repetitur in* Z.

NOTÆ.

Longus amor tales tenuavit corpus in uſus,
Aptaque ſubducto pondere membra dedit.

Nervoſam & maſculam orationem plus ponderis habentem & lacertorum quam pinguedinis i. e. ſuperfluitatis oratoriæ, *veſculam* Sidonius ſic appellat: *Non tantum dictio exoſſis, tenera, delumbis, quantum veſcula, toroſa, & quaſi maſcula placet.* In expoſitione cujus dictionis in commentariolo noſtro in Apollinarem mirum dictu quam mihi non ſatisfacio. Pius.

327. *Sale.*] Ab undis maritimis. Virg. pro mari Æn. 1: 39.

--- --- *Et ſpumas ſalis ære ruebant.* Pius.

327. *Veſco ſale.*] *Veſcus* (inquit Feſtus) *faſtidioſus: ve enim pro puſillo utebantur. Lucretius veſcum dixit edacem, cum ait,*

Nec mare quæ impendent veſco ſale ſaxa pereſa.

Hactenus Feſtus. ſignificat autem ille, *veſcum ſalem*, ſeu *ſal*, à Lucretio dictum, quia ſaxa peredat, & minuat, & conſumat. Gell, lib. 16. *Veſcum, quod ex ve particula, & eſca copulatum eſt, utriuſque diverſæ ſignificationis vim capit. Aliter enim Lucretius veſcum ſalem dixit, ex edendi intentione, aliter Lucillius veſcum appellat cum edendi faſtidio.* Lamb. *Ve*, Particula, ſicut quædam alia, tum intentionem ſignificat, tum minutionem: Sic *Veſcum*, quod ex *ve* particula, & *eſca* copulatum eſt, utriuſque diverſæ ſignificationis vim capit: Aliter enim *Veſcum ſalem* dicit Lucretius ex edendi intentione, aliter Lucilius *Veſcum* appellat cum edendi faſtidio. *A. Gellius* lib. 16. cap. 5. Lucilii verba laudat Nonius Marcellus. *Veſcum*, minutum, obſcurum. Lucilius lib. 26. *Quam faſtidioſum ac veſcum cum faſtidio vivere.* Ubi addit ex Virgil. Georgic. 3. *Nec veſcas ſalicum frondes.* Item ex Afranio in Sororibus. *At puer eſt Veſcis imbecillus viribus.* Feſtus. *Veſcus* faſtidioſus, Ve *enim pro puſillo utebantur.* Plin. l. 7. c. 20. *Corpore veſco ſed eximiis viribus Tritanum.* Ovid. Faſt. l. 3. v: 445.

---- --- -- *Vegrandia* farra coloni,
Quæ male creverunt, *veſcaque* parva vocant.
Vis ea ſi verbi eſt, cur non ego *Vejovis* ædem,
Ædem *non Magni* ſuſpicer eſſe Jovis?

Creech. Ad edacitatem plerique referunt, ut & Virgilii commentator Junius Philargyrius ad Georg. III. verſ, 175. *Sed vide, ne veſcas, appetibiles dixerit. Lucretius certe pro edace poſuit, ut,*

--- --- *veſco ſale ſaxa pereſa.*

Sed rectius Gronovius Pater *veſcum* exponit vietum, molle, ſubtile; gracile, quale eſt ſal ſive ſalum maris, quem vide ad Livii lib. 33. cap. 48. Hav. Virg. Georg. 3: 175. *veſcas ſalicum frondes* dixit & Georg. 4: 131. *veſcum papaver*; ibi ſiccas & teneras, hic papaver, quo veſcimur, explicat Servius. Preig.

327. *Pereſa.*] Circumquaque attrita, conſumpta Maro Æn. 1: 39.

--- --- *Amor quos tabe peredit.*

Pius. Qualia deſcribit etiam Ovid. Met. lib. XI. verſ. 784.

---- *& e ſcopulo, quem rauca ſubederat unda,*
Decidit in pontum. Hav.

328,

Quod tibi cognôſſe in multis erit utile rebus;
Nec ſinet errantem dubitare, & quaerere ſemper
De Summa rerum & noſtris diffidere dictis;

INTERPRETATIO.

Inane autem eſſe ſi recte intellexeris, multum utilitatis exinde percipies; Totum enim Omne *habebit perſpectum, nihil amplius dubitabis, aut noſtræ diffides Philoſophiæ.*

VARIÆ LECTIONES.

332. *cognoſſe in.* commune in Bm. X.
333. *ſinet.* ſine Q.
334. *De Summa.* in ſumma Bm. X.

NOTÆ.

328. *Quid quoque*] *Quæque.* Gif. Sic legendum ex auctoritate trium librorum manuſcriptorum. Sic paulo antè. 321.

Sed quæ corpora decedant in tempore quoque, &c. Lamb.

318. *Poſſis*] *Poſſet.* Gif.

322. *Corporibus cæcis.*] Cæcis, id eſt, ἀοράτοις, ſeu, quæ non cadunt ſub ſenſum, & quæ cerni non poſſunt. Lamb.

329. *Gerit res.*] Recte, *gerit.* non *genit.* vet. codex. & inf. II. 166. Gif. Id eſt res adminiſtrat, & moderatur, tanquam imperatrix. ſed fortaſſe legendum *genit*, id eſt gignit: quod verbum Lucretio eſt uſitatiſſimum. Veruntamen nihil mutandum cenſeo. Lamb. Non opus eſt ut hic ſuum *genit* inculcet Lambinus, cum ſit imitatio illius Enniani apud Feſtum:

Cum magno ſtrepitu Vulcani ventus gerit rem.

Eodem hoc verſu MS. pro *cæcis* habet *cæſis*, quod non eſt probandum. Hav.

330. *Nec tamen undique*] Nunc, poſteaquam docuit eſſe corpora prima, aggreditur ad oſtendendum eſſe inane. Et primum, à motu è loco ad locum, quem Græci φορὰν nominant, probabit eſſe inane. Non tamen (inquit) omnia conſtipata & condenſata ſunt corporibus. Lamb. Supra probavit eſſe corpora prima, eaque miræ cujuſdam exiguitatis, quæ ſola ſunt rerum principia; Nunc probat eſſe *Inane.* Ceterum, quod tamen multi exiſtimant, inane non eſt principium, non magis quam privatio. Fab. Supra probaverat Corporea quædam eſſe Principia, jam aliam rem aggreditur, & v. 6. docet in *Omni* aliud plane eſſe præter Corpus, viz. *Inane:* Iſtud autem *Inane* definit *Locum intactum, & vacantem:* ſpatium viz. quod neque tangit, neque tangitur, quod neque agere, neque pati poteſt. Sic lib. 3: 813.

Plagarum quia ſunt expertia, ſicut Inane *eſt.*
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum.

Creech. Quam Epicuri doctrinam futilem putat Epigrammatarius Automedon lib. I. Anthol. εἰς γάμον.

Ταῦτ' εἰδὼς, σοφὸς ἴσθι· μάτην δ' Ἐπίκουρον ἔασον
Ποῦ τὸ κενὸν ζητεῖν, καὶ τίνες αἱ μονάδες.

Hæc ſciens ſapis ſatis. nec opus Epicuri inane inquiras, quidve ſint atomi quæras. Hav.

330. *Stipata.*] denſata. Lamb.

331. *Namque eſt in rebus inane.*] Perſiana hujus loci imitatio notabilis eſt, in ipſo Satyræ I. principio,

O Curas hominum, O quantum eſt in rebus inane!

Stoicorum hoc proprium fuiſſe videtur; ſic enim & Seneca Virgilianam illam equi fortis ac generoſi deſcriptionem III. Georg. 75. & ſeqq. ſapienti ſuo accommodat; Epiſt. 95. ut & formicarum diſcurſantium & in anguſto laborantium imaginem, quam exhibet Poëta lib. IV. Æneid. 404. exercitibus erectis vexillis euntibus; in Præf. Controverſiarum. Preig.

332. *Cognôſſe.*] *Commune.* B. & v. 334. *In* pro *De.* B. Creech.

Quapropter locus eſt intactus, Inane, vacanſque;
Quod ſi non eſſet, nulla ratione moveri
Res poſſent; namque officium, quod Corporis exſtat,
Officere, atque obſtare, id in omni tempore adeſſet
Omni-

INTERPRETATIO.

Ut definiam igitur, Inane *eſt* Spatium tactus expers, & Vacuum. *Si autem non eſſet tale ſpatium, nullæ res moveri poſſent; præſto enim ſemper adeſſet Corpus quod impediret motum, Corpus enim omne ex natura ſua obſtat motui, & impedit:*

VARIÆ LECTIONES.

335. *Intactus.* intantus X.
337. *Corporis.* corporum A. B. C. *exſtat.* eſtat G. Gaſſ. eſt ut V. 1. 2. Y. Z.

NOTÆ.

335. *Quapropter locus eſt int.*] Cum corpus & inane inter ſe ſint contraria: quidquid autem tangit, & tangitur, ſit corpus: ſequitur. ut inane ſit intactum quiddam, id eſt locus intactus, ſeu locus ſine corpore. Inane autem, locus non eſt ſimpliciter. nam locus, locati locus eſt. ergo corpore non vacat. at inane, ex Epicuri & Democriti ſententia ita debet eſſe corporis expers, ut corpora prima, ſeu primordia rerum, nihil in ſe habeant inanis, aut vacui, hoc eſt, ſint ſolidiſſima. Itaque Ariſt. lib. 4. τῆς φυσ. ἀκροάς. *inane* ait eſſe locum, in quo nullum eſt corpus: & eodem lib. τὸ κενὸν, id eſt *inane*, dicit eſſe τῆς σώματος διάστημα, id eſt *corporis ſpatium:* & Lucret. lib. 3: 813.

Plagarum quia ſunt expertia, ſicut inane eſt:
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum.

fungitur autem, id eſt patitur. Lamb. Definit quid ſit; Inane, inquit, eſt locus intactus & vacans, ſine quo nil gignit natura; nam abſque meatulis & exiguis τῆς κενῆς porulis ſeu ſpatiolis, à quibus aliena non eſt natura, haud facile quid crearetur. Fab.

336. *Quod ſi non eſſet, nulla rat.*] Si non eſſet inane, non eſſet motus (inquit) At motus eſt: ergo eſt inane. Hac de re ſic Diog. Laër. in Epic. τὸ κενὸν οὔτε ποιῆσαι οὔτε παθεῖν δύναται· ἀλλὰ κίνησιν μόνον δι᾽ ἑαυτοῦ τοῖς σώμασι παρέχει. id eſt. *Inane neque facere quicquam, neque pati poteſt: ſed motum duntaxat per ſe corporibus præbet.* & Ariſt. l: 4. Φυσ. ἀκρ. Λέγουσι δὲ ἕν, ὅτι ἡ κίνησις ἡ κατὰ τόπον, οὐκ ἂν εἴη· αὕτη δ᾽ ἐστὶ φορὰ, καὶ αὔξησις. Οὐ γὰρ ἂν δοκεῖν εἶναι κίνησις, εἰ μὴ ἦ κενόν, τὸ γὰρ πλῆρες ἀδύνατον εἶναι δέξασθαι· εἰ δὲ δέξαιτο, καὶ δύο ἐν τῷ αὐτῷ ἐνδέχοιτο, καὶ ὁπόσα οὖν ἅμα εἶναι σώματα, id eſt, *Dicunt autem unum, motionem à loco ad locum non forè: hæc autem, tranſlatio, & accretio eſt. Non enim queat eſſe motio, inquiunt illi, niſi ſit inane. Nam quod plenum eſt, nihil in in ſe recipere poteſt: quòd ſi recipiat, & duo, & quodlibet in eodem loco corpora ſimul eſſe queant, &c.* quod fieri non poteſt. Ibidem Ariſtoteles ſcribit, Meliſſum, cum probare vellet, univerſum eſſe immobile, hoc uti ſolitum eſſe argumento. Si univerſum eſſet mobile, aut ſi moveretur: eſſet inane: at non eſt inane: ergo univerſum eſt immobile, & quietum. Ex quibus intelligere licet, neque motum eſſe ſine inani, &, ſi motus ſit, neceſſario etiam eſſe inane. Ratio autem cur ſine inani motus eſſe non poſſit, hæc eſt; quod ſublato de rebus inani, quicquid eſt in natura rerum, corpus eſſet. atqui corporis officium eſt obſtare: ergo res omnes ſibi inter ſe obſtarent, & ita nihil moveretur, nihil procederet, nihil progrederetur, ſed omnia quieſcerent, cum eis nulla pergrediendi via pateret, aut facultas daretur: cumque nihil eſſet, unde cedendi principium naſceretur. Hanc de inani opinionem videtur probare Virg. in Sileno his verſibus, ſeu Ecl. 6: 32.

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque, animæque, mariſque fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mundi concreverit orbis.

Lamb. Primum quo probatur *Inane* argumentum v. 14. continetur; quo etiam *Epicurus* Epiſt. ad

Omnibus: Haud igitur quidquam procedere poſſet,
Principium quoniam cedendi nulla daret res.
At nunc per maria, ac terras, ſublimaque coeli,
Multa modis multis varia ratione moveri

Cerni-

INTERPRETATIO.

Nihil igitur progredi poſſet, cum nulla unquam res primo cederet, daretque locum. Ac nihil evidentius, quam quod in Mari, in Terris, Aëre etiam, altoque Cœlo multæ res variis diverſiſque motibus agitantur.

NOTÆ.

ad Herodotum utitur. Εἰ μὴ ἦν ὃ κενὸν, καὶ χώραν, καὶ ἀναφῆ φύσιν ὀνομάζομεν, οὐκ ἂν εἶχε τὰ σώματα ὅπου ἦν, οὐδὲ δι' οὗ ἐκινεῖτο, καθάπερ φαίνεται κινούμενα. Ut vero vim hujus argumenti melius percipias, Lector, cogita univerſum mundum, ſi nihil *Inane* interſperſum habeat, confertiſſimam eſſe molem, adeo ut Corpuſculum, ne minimum quidem, valeat de novo ſuſcipere: Quippe ſi nihil non plenum eſt, nullus locus reſtat complendus; quare aut Corpus non admittetur, aut in illo loco collocabitur, in quo aliud jam ſitum eſt; ſicque idem locus duo Corpora ſeſe undique penetrantia capiet, quod ſanè per vires Naturæ fieri poſſe non dixeris: Deprehendes autem hac ratione; aliquodne Corpus ex iis quæ intra hanc molem diſpoſita ſunt moveri è ſuo loco poſſit, ut invadat locum alterius: Sanè cum plenum locum offendat, neceſſe erit ex illo pellat quod Corpus illum occupat; Illud prorſus quonam contendat, ſi Omnia quidem plena ſunt? An ipſum rurſus expellet aliud? Sed par redibit difficultas, continuabiturque in ævum. Ideoque niſi *Inane* ſit rebus intermiſſum, ita eſſent Omnia ſtipata, ut non modo nulla res Mundi moveri loco jam valeat; ſed neque explicari poſſit quomodo gigni quidquam potuerit, cum ad generationes rerum motus localis requiratur: Idem fere argumentum ex *Democrito* & *Leucippo*, quos *Epicurus* ſequitur, collectum proponit *Ariſtot.* 4. Phyſ. 6. *Gaſſendus.* Creech.

337. *Officium quod corporis.*] Sic legi malo, cum præſertim plerique libri ſic habeant, quam *corporum.* Lamb.

337. *Quod corporum*] Sic Vet. libri, ut & inf. Vulgati: *corporis.* Vid. Indicem, littera M. loquitur de atomis. Gif. *Corporum* Pareus, aliique contra Codicum fidem: in ſequenti verſu *Abeſſet* pro *Adeſſet*, Idem. Creech.

337. *Exſtat.*] Codex Gottorp. *eſtat* MSS. Lugd. Bat. *eſt ut*, recte, lege itaque:

---- *Namque officium quod corporis eſt, ut*
Officere, atque obſtare &c. Hav.

339. *Procedere.*] porrò cedere, progredi. Lamb.

341. *Sublimaque cæli*] Sic dictum *ſublima cæli*, ut ab Horat. *acuta belli*, à Cæſare, *occulta & remota templi*, lib. 3. de Bello Civili: ab hoc eodem Lucretio, *vera viai*, *ſerena cæli*, *abdita terraï*, *convexa cæli*, *prima viaï*, & ſimilia: quorum plura exempla collegimus in commentariis Horatianis. Jam *ſublimus* & *ſublimus* æquè ſunt in uſu, ut *imbecillus* & *imbecillis*, *inermus* & *inermis*, *hilarus* & *hilaris*, &c. Lamb. *Sublimis*, *a*, *um*, qua voce olim uſus & Saluſtius, ut ſublimis, *hilarus*, hilaris, *gracilus* (Terent.) gracilis, *ſterilus*, ſterilis. Fab.

343. *Quæ ſi non eſſet inane, non tam*] Id eſt, quæ non modò motu non carerent, ſi non eſſet inane, ſed omnino nata, ſeu genita non eſſent. vel ſic explica: quæ, ſi non eſſet inane, non tantum dico ea fuiſſe motu caritura, ſed numquam fuiſſe naſcitura. vel ſic: quæ, ſi non eſſet inane, genita omnino non eſſent, nedum motu carerent. quæ omnes explicationes eodem recidunt. In hoc autem genere loquendi *privata carerent*, intelligere debemus, participium *privata* adjuvare verbum *carerent.* quod non eſt bonis ſcriptoribus inuſitatum: quemadmodum ſcilicet & nomina poni ſolent, quæ vim verbi adjuvent. quod in commentar. Horatianis obſervavimus. Turnebus tamen novitate rei offenſus, cenſet hoc loco legendum *pronata carerent*, à quo diſſentio. Lamb.

N 3 344.

Cernimus ante oculos; quae, ſi non eſſet Inane,
Non tam ſollicito motu privata carerent;
Quam genita omnino nulla ratione fuiſſent:
Undique Materies quoniam ſtipata quiêſſet.
 Praeterea quamvis Solidae res eſſe putentur,
Hinc tamen eſſe licet Raro cum corpore cernas:

In

INTERPRETATIO.

Quæ tamen res, niſi Inane *eſſet, non modo non moverentur, ſed ne omnino quidem unquam fuiſſent generatæ; quoniam Materies ex omni parte ſtipata ſemper quieviſſet, incapax motus, qui ad rerum generationem unicè facit. Præterea quamvis Res videntur habere particulas ſolidas ex omni parte ſibi invicem conjunctas, tamen eas raro eſſe Corpore, & Inane aliquod inter particulas ſparſum continere, ex ſequentibus obſervationibus facilè colligas.*

VARIÆ LECTIONES.

344. *privata carerent.* privata jacerent *Turneb.* lib. I. cap. 15.
346. *quieſſet.* fuiſſet *Gaſſendus.*
348. *eſſe licet* eſſe liquet C. E. eſſe liceret Y. Z. celiceret G. forte elicier V. eſſe licet; raro Q. *cernas.* cernes X.

NOTÆ.

344. *Non tam*] Sententia eſt: Non modo carerent motu, ſed potiùs nata omnino non eſſent Fab.

344. *Privata carerent.*] Turnebus aliquando legit, *Pronata carerent:* aliquando *Privata jacerent.* Fruſtra; ut & Gaſſendus, qui v. 346. pro *Quieſſet* legit *fuiſſet.* Creech. At vero in Adverſariis ſuis: *Libenter*, inquit, *contra vetuſtatis tabularia legerem:*

Non tam ſollicito motu privata jacerent.

Nam carerent *&* privata *neſcio quid, quod Battum potius, quam Lucretium ſapiat, oſtendunt.* vid. Turn. Adv. XIX. 15. Preig.

346. *Materies quieſſet.*] Nam ſine motu nulla dari nec fingi generatio poteſt; at ſine Inani nullus motus. Fab.

347. *Præterea, quamvis, &c.*] Hoc dicit: propone mihi res genitas quantumvis denſas ac ſolidas: attamen ex iis quæ jam dicam ex iiſque exemplis quæ afferam, perſpicuum eſt, illas eſſe raro corpore contextas ac præditas *quamvis*, id eſt quantumvis. Lamb. Quantum voles ſolidæ, quamlibet. Virg. Æn. I: 3. *quamvis avido.* & in VII. Varr. de R. R. *Lucienus homo quamvis humanus & jocoſus.* cap. 5. Fab. Iterum v. 12. probat *Inane* eſſe, quoniam Res, quæ maxime ſolidæ videntur, Corpora quædam permeant, & permanant. Sic Aqua ſaxum: Alimentum omnia Animalium membra; Succus Truncos ramoſque arborum. Soni Parietes & Mœnia, & Frigus Carnem & Nervos uſque ad ipſa Oſſa penetrat. Quæ tamen non omnino fierent, niſi eſſent Vacua quædam ſpatiola inter ſolidarum iſtarum rerum particulas, quæ Corpora quæque pertranſirent. Creech.

348. *Hinc tamen eſſe licet*] Ordo eſt: licet cernas hinc, id eſt, ex his quæ ſtatim ſubjungam, eas res eſſe raro cum corpore. *licet cernas*, id eſt, licet tibi, & cuivis non cæco, cernere. Mendoſe autem habent nonnulli libri typis excuſi *liquet*, reclamantibus quatuor codicibus manuſcriptis: quibuſcum conſentiunt Veneti antiquiores, Pariſienſes, Vicetini. Jam poſt verbum *cernas*, debet ſcribi interpunctionis nota. Lamb.

348. *Licet.*] Sic in veteribus & Lamb. recte. Gif. Non eſt cur increpent Lambinus Giſaniuſque lectionem nonnullorum editorum, qui habent *liquet.* turbatum certe aliquid innuunt MSS. qui habent *liceret.* Abſurdus certe locus non erit, ſi cum Ed. Baſ. ita legas & diſtinguas:

Hinc tamen eſſe liquet raro cum corpore: cernas
In ſaxis, ac ſpeluncis: permanat aquarum
Liquidus humor: & uberibus flent omnia guttis.

Hav.

349.

In ſaxis, ac ſpeluncis permanat Aquarum
Liquidus humor, & uberibus flent omnia guttis:
Diſſupat in corpus ſeſe Cibus omne animantum:
Creſcunt Arbuſta, & foetus in tempore fundunt,
Quod Cibus in totas, uſque ab radicibus imis,
Per truncos, ac per ramos diffunditur omneis:

INTERPRETATIO.

In ſpeluncas deſcendas, ibique obſervabis Aquam manare per ſaxa, plurimaſque guttas tanquam lachrymas defluere: Alimentum, in omnes partes Corporum Animalium diffunditur: Arbores creſcunt, fructuſque debito tempore emittunt, quoniam Alimentum per truncos ſinguloſque ramos

VARIÆ LECTIONES.

349. *In ſaxis.* En ſaxis H. 2.
350. *flent.* finiunt Bm. fluent Q. fluunt X. fient Y. Z.
351. *Diſſupat.* Diſſipat Y. Z.
353. *totas uſque.* ab totos C. E. tota uſque vel ab A. totas uſque ab K. *Pius* ex vett. Exemp. Additibus motas uſque a X.
354. *ac per.* & per X.

NOTÆ.

349. *In ſaxis, &c.*] Hæc ſunt exempla. Lamb.

350. *Flent.*] *Fluunt.* B. Creech.

351. *Diſſupat.*] Ita ex quibuſdam libris ſcripſi. Gif. Alii libri habent *Diſſipat:* quod tantundem valet. ego pleroſque veteres ſecutus ſum. Lamb.

353. *Quod cibus in totas uſque ab*] Sic reſtitui ex vet. libris quibuſdam. Marull. *totos*, ut vulgati. Veteres quidam: *vel ab.* male. Vid. Indicem: *Generis mutatio.* Gif. Olim fretus auctoritate trium librorum manuſcriptorum, in quibus erat ſcriptum,

Quod cibus in totas uſque ab, &c.

repoſueram.

Quod cibus in tota uſque vel ab rad. imis. &c.

in tota, ſcilicet arbuſta. Nunc autem *totas* retineo, & ſubintelligo *arbores*, ut res ſignificata ſpectetur, non vocabulum quod ſignificat. *arbuſtum* enim & *arborem* pro eodem uſurpat Lucretius. Ne quis autem minus exercitatus in lectione veterum, hoc loquendi genus, ut inuſitatum, damnet: ſic Homerus quodam loco, cum ita dixiſſet Odyſ. 12: 74.

— — νεφέλη δέ μιν ἀμφιβέβηκε
Κυανέη,

ſubjecit τὸ μὲν ὔ ποτε &c. cum νεφέλη ſit generis fæminini. Quod defendens Plutarchus, νεφέλη (inquit) καὶ νέφος συνωνύμως λέγεται. Quare cum vocem νεφέλη priore loco poſuiſſet, ſubjecit articulum neutrum τὸ ſpectans vocem ejuſdem ſignificationis νέφος. Sic Lucretius hoc loco, cum ſupra poſuiſſet *arbuſta*, vocem neutri generis, ſubjecit *totas*, ſpectans vocem *arbores*, quæ idem valet. Sic iterum Lucret. lib. 6: 756.

In Syria quoque fertur item locus eſſe videri,
Quadrupedes quoque quo ſimul ac veſtigia primum
Intulerint, graviter vis cogat concidere ipſa,
Manibus ut ſi ſint divis mactata repente.

Nam hîc cum poſuiſſet *quadrupedes* mutato genere ſubjungit *Ipſa*, & *mactata*, quaſi vocem *animalia* uſurpaſſet, alii legunt *in totos uſque à rad.* & referunt ad vocem *fœtus*, ut ſit *in totos fœtus:* à quibus diſſentio. Lamb. *Arbores* viz. licet ſupra poſuerit *Arbuſta*: Alii tamen legunt *Tota uſque vel ab, &c.* Alii *Totos* viz. fœtus. Creech. Ed. Baſ. *totos.* anne *nodos?* ſarmenta enim arborum quæ fructus ferunt, quo fructuoſiora, eo magis nodoſa, & in corpore humano vel ferino *internodia* vocantur conjecturæ articulorum. Calpurn. Ecloga 1: 26.

Nam tibi longa ſatis pater internodia largus,
Procerumque dedit mater non invida corpus.

Cum Lamb. tamen facit Turneb. Adv. 19. 15. neque

Inter ſepta meant Voces, & clauſa domorum
Tranſvolitant: rigidum permanat Frigus ad oſſa.
Quod, niſi Inania ſint, quà poſſent Corpora quaeque
Tranſire, haud ulla fieri ratione videres.
Denique cur alias aliis praeſtare videmus
Pondere res rebus, nihilo majore figura?

Nam,

INTERPRETATIO.

in omnes illarum partes ab imis uſque radicibus diſtribuitur. Soni muros, mœnia, clauſaſque domos permanant; Frigus acre uſque ad Oſſa intrat; Hæc vero neutiquam fierent, niſi eſſent Inania *quæ Corpora permeare poſſint. Præterea cur aliæ res eſſent aliis ponderoſiores, cum tamen æqualis ſint molis?*

VARIÆ LECTIONES.

357. *qua poſſent.* quæ poſſent D. inania: poſſent Q.
358. *fieri.* qua irent V. (Forte ita & in Y. fuit, nam penitus eraſa prior eſt ſcriptura), valerent Z. *videres.* videres (vel) valerent 2. 3.

NOTÆ.

que temere ſollicitare V.L. volo. ſubintelligi enim poteſt *partes.* Hav.

353. *A radicibus*] Elegantius cum codicibus antiquis leges. *ab radicibus.* Pius. Vim ἐπιτατικωτάτην habet τὸ *uſque.* Terent. *uſque ex Æthiopia. Cum repeteret uſque à Corace neſcio quo & Tyſia*, &c. Cicero de Orat. lib. 1. & ad Attic. 1. Ep. 13. *eos uſque iſthinc exauditos putem.* Græci dicerent ἔτι Callim. Hym. in Apoll. v. 47. ἐξ ἔτι κείνου, &c. ab eo uſque. κεῖθεν. alibi. Fab.

355. *Inter ſepta meant v.*] Sic lib. 6:951

Denique per diſſepta domorum ſaxea voces
Pervolitant.

Hac de re lege lib. 4. Lamb.

355. *Clauſa domorum*] Parteis domorum clauſas, ſic ſupra, *ſtrata viarum*, & alibi *rara viarum.* Idem lib. 4: 616.

Et tamen ipſa quoque hæc, dum tranſit clauſa domorum,
Vox obtunditur, &c. Lamb.

356. *Rigidum*] Ab effectu. quæ enim frigore condenſata & congelata ſunt, ea frangantur potius, quam flectantur, quæ propriè rigida dicuntur à Latinis. Lamb.

357. *Quod: niſi inania ſint*] Ita interpunxi: vulg. *Quod niſi.* Gif.

358. *Fieri.*] Alii, *Quâ irent. Videres*, Alii, *Valeret.* Creech.

359. *Denique cur Alias, &c.*] Tertium quo probatur *Inane* argumentum v. 12. deducitur è diverſo rerum, quæ ejuſdem magnitudinis & figuræ ſunt, pondere: Neque enim explicari poteſt, cur è duobus Corporibus ejuſdem figuræ & magnitudinis alterum plus ponderis haberet, alterum minus: niſi quod in illo plus inſit *Corporis*, cui pondus naturale eſt: In hoc vero plus *Inanis*, quod nullum omnino habet pondus. Creech.

361. *Tantundem eſt in lanæ glomere*] Mirum primam vocis *glomere* produci, cum prima verbi *glomero* ſit brevis: ut apud Virg. Georg. 2: 117.

— Et greſſus glomerare ſuperbos:

& ſæpe alibi. *tantundem* autem, nempe corporis, ἀπὸ κοινοῦ. Lamb. *Pondere* Alii, ſoliciti de quantitate, ineptè: æquè enim licuit Lucretio producere, ac aliis corripere. Creech.

362. *Corporum.*] Deberent tantumdem pendere, cum omnia corpora utpote gravia deorſum vergant. priſco more nihil abjicit in hac dictione: quoniam *m.* brevis ponebatur ab antiquis: & non excludebatur ſimilitudine quadam vocalis, ut hodie fit. Ennius, citante Priſciano. p. 91.

Inſignita fere tum milia militum octo.

Pius. Sic vet. codex ut & ſupra; & quidam impreſſi. Gif. Sic habent quattuor libri manuſcripti, & omnes typis impreſſi, præter Viceti-

nos,

Nam, ſi tantundem eſt in Lanae glomere, quantum
Corporis in Plumbo eſt, tantundem pendere par eſt;
Corporis officium eſt quoniam premere omnia deorſum:
Contra autem natura manet ſine pondere INANIS.
Ergo quod Magnum eſt aeque, Leviuſque videtur,
Nimirum plus eſſe ſibi declarat INANIS:

At

INTERPRETATIO.

Si enim tantum Corporis eſſet in lanæ glomere quantum eſt in plumbo, tum profectò tantum eſſet ponderis, quoniam premere deorſum, vel grave eſſe eſt proprietas Corpori naturalis; Inane autem è contra nullum habet pondus. Ergo quod æqualis eſt molis, minoris verò ponderis, aperte oſtendit ſe plus Inanis *continere:*

VARIÆ LECTIONES.

362. *pendere.* pondere, G. Q. X.
363. *Corporis.* corporum, P. Q. X. *eſt.* deeſt D.
364. Poſt ponitur 365. E.

NOTÆ.

nos, & unos Lugdunenſeis, & Venetos recentiores: in quibus legitur *corporum.* quam ſcripturam ſi recipiemus, dicendum nobis erit hic *m* non elidi ante vocalem: quod non eſt novum, præſertim apud Ennium, Lucretium Horatium, ut alibi dicemus. LAMB. *Corporum* ut & v. 363. & 367. B. Et pro iſta voce pugnat *Giſanius* ridicula plane ratione; licet enim de principiis Corporum aut Atomis loquatur *Lucretius*, nihil tamen obſtat quo minus *Corporis* legatur: ut infra v. 423.

Corpus enim per ſe communis deliquat eſſe
Senſus — — CREECH.

363. *Corporis off.*] Simile eſt, ac ſi dicat, quoniam proprium eſt eorum quæ gravia ſunt, deorſum ferri: vel corporum primorum. Licet autem Lucretius de atomis loquatur, quod quidam volunt, neque admodum pugno, nihil tamen obſtat, quo minus *corporis* legatur in numero ſingulari, ut infra eod. lib. 423.

Corpus enim per ſe communis deliquat eſſe Senſus. LAMB.

363. *Omnia deorſum*] In voce *deorſum*, fit συναίρεσις, ſeu συνίζησις, quemadmodum in *ſeorſum*, *ſuevit*, *ſuadet*, & ſimilibus. LAMB.

364. *Natura inanis*] ἡ ἐσία τȢ κενȢ: *natura ipſius inanis*, ſeu *vacui*, *inanis* enim hoc loco patrii caſus eſt: ut tertio ab hinc verſu:

Nimirum plus eſſe ſibi declarat inanis. LAMB.

364. *Contra autem*] Series verborum, Natura τȢ Inanis manet (eſt) ſine pondere. FAB.

367. *Corporum ineſſe*] Quidam codices habent *corporis eſſe.* PIUS. Veteres & quidam impreſſi *corporum eſſe*, vulg. *ineſſe*, & quidam *corporis.* male. loquitur de atomis. GIF. *Corporis eſſe.* Sic habent quattuor libri manuſcripti: & vulgati, Lugdunenſes, & Florentini. Pariſienſes autem & Vicetini, *corporum ineſſe.* LAMB.

368. *Dedicat.*] Legitur & *indicat*, hoc eſt indicium facit & ſignum affert. *Indicina* pro indicio Apulejo. Vel *dedicat* expone præſupponit (ut craſſius loquar & intelligibilius) ne mergeretur tanquam res conſecrata & dedicata. vel *dedicat* honoris genera deputat aut dicendo defert. Cæcilius. *Legati qui miſſi ſunt veniunt: dedicant mandata.* quare Martianus libro dialectico *dedicativam* propoſitionem vocat affirmativam: *abdicativam* negativam. cujus hæc verba ſunt. *Nam univerſalem dedicativam particulari abdicativa obliquam licet ambas poſſe vertier aſſerebat.* Quare hic *dedicat* interpretari potes affirmat. PIUS. Ita veteres & quidam vulgati, ut & inf. 423. Vide Indicem. vulgati *indicat.* Lambinus *deliquat*, mendoſe. GIF. Cum in quinque libris manuſcriptis:, & utriſque Venetis, Pariſienſibus, Florent. Viceti-

At contra Gravius plus in ſe Corporis eſſe
Dedicat, & multò Vacui minus intus habere.
Eſt igitur nimirum id, quod ratione ſagaci
Quaerimus, admiſtum rebus quod Inane vocamus.
Illud in his rebus, ne te deducere vero
Poſſit, quod quidam fingunt, praecurrere cogor;
Cedere Squammigeris latices nitentibus aïunt,

Et

INTERPRETATIO.

Quod verò majoris eſt ponderis plus Corporis continere; & multò minus Inanis *inter particulas ſuas interſperſi. Conſtat igitur id* Inane *de quo diſputamus eſſe inter Corpora interſperſum. Ne autem Aliqui Te a veritate dimoveant iſta reſponſione, qua hujus argumenti vim eludere conantur, neceſſe eſt ut Illis effugium præcludam. Dicunt enim Aquas cedere Piſcibus procedere conantibus,*

VARIÆ LECTIONES.

367. *At contra.* aut contra, G. Q. X. Y. Z. *Corporis eſſe.* corporum ineſſe, P. c. A. E. Q. X. corporis eſſe quidam codd. *Pii.*
368. *Dedicat.* indicat, C. Q. 1. deliquat, D. L. *vacui minus.* vacuum G. H. I. P. Q. X. fuit & in Z. ſed repoſita *i.* & deleta *u.* remanſit *vacuim.* nimis intus, Creech.
369. Deeſt *id*, E.
370. *Inane.* mare X.
371. *ne.* nec X. *vero.* vere Q. X. a vero Q. 1.
372. *fingunt.* figunt; G. *præcurrere.* percurrere H. 2. procurrere Z.
373. *nitentibus.* natentibus Q. intentibus Q. 1. conatibus Q. 2.

NOTÆ.

cetinis *dedicat* ſcriptum reperiſſem: in ceteris autem impreſſis, *indicat*, ego *deliquat* repoſui. *deliquare* autem vetuſtum verbum eſt, quod valet aperire & declarare, ut docet Nonius. Titinnius lib. 5.

--- quid iſtuc eſt, aut quid iſtic ſibi vult ſermo:
Mater deliqua.

Accius:

Qua re alia ex crimine inimicorum effugere poſſis,
deliqua.

Idem Lucret. infr. eod. lib. 423.

Corpus enim per ſe communis deliquat eſſe
Senſus.

idem lib. 3: 209.

Hæc quoque res etiam naturam deliquat ejus.

Ita autem certa eſt hujus loci reſtitutio ut, qui eam improbet, ſe in litteris parum videre oſtendat. Neque autem me movet Thraſonis cujuſdam flagitioſa impudentia, & confidentia, qui *dedicat* retinet ac tuetur: & *deliquat* mendoſe repoſitum eſſe pronuntiat. gravis auctor ſcilicet. Ut vero intelligat ille, quantopere contemnam & ejus, & aliorum ejus ſimilium nebulonum judicium; non ita dico, *mihi videri*, ſic eſſe legendum; ſed ita, *mihi exploratum & perſpectum eſſe.* Sic, inquam, dico; (rumpantur indocti & malevoli licet) ſcio & hic ita legendum eſſe, & in aliis locis, quæ exempli cauſa paullò ante poſui. Lamb. Aſſerit, probat. *de* enim affirmat, ut *demagis* apud Lucil. *demiror* &c. al. legunt, *deliquat*, id eſt, liquido declarat, διαῤῥήδην ἀποφαίνεται, ἀποδείκνυται. alii etiam *delicat*, ut Plaut. in Milite 4: 3: 30.

Ita vero, ut tu ipſe me dixiſſe delicas.

Fab. Declarat, aut oſtendit; Alii *Indicat.* Alii *Deliquat*, ut v. 423. & lib. 3. v. 209. Alii *Delicat.* Sic Plaut in Milite,

Ita vero ut tu ipſe me dixiſſe delicas.

Nonius *Delica.* Explana, indica; &c. Sed *Dedicat* amat Faber: *De* enim affirmat, ut *Demiror*, *Demagis*, valde magis apud *Lucilium* in Nonio; Feſtus tamen, *Demagis* pro *minus* Antiqui dicebant: forſan leg. *Nimis.* Creech. Scriptura hæc

eſt

Et liquidas aperire vias; quia poſt loca Piſces
Linquant, quo poſſint cedentes confluere undae:
Sic alias quoque res inter ſe poſſe moveri,
Et mutare locum; quamvis ſint omnia plena:
Scilicet id falſa totum ratione receptum eſt.
Nam quò Squammigeri poterunt procedere tandem,
Ni ſpatium dederint latices? concedere porro

Quò

INTERPRETATIO.

& liquidas aperire vias; quia Piſces procedentes linquunt poſt ſe ſpatium in quod Aquæ cedentes fluere poſſint; & eadem planè ratione alias quoque res moveri poſſe, & locum mutare, etſi Omnia plena, *& nullum* Inane *eſſet. Quod verò dicunt vanum, nihilque eſt; In quem enim locum moverent Piſces, niſi iſtum locum Aquæ reliquerint, & in quem etiam*

VARIÆ LECTIONES.

375. *Linquant.* liquant m. pr. in G. *quo* qua Q. 1.
376. *Inter.* iter G.
377. *Et.* Eſt Q. 1. *ſint.* ſunt, H. 1.

NOTÆ.

eſt proba & codd. MSS. confirmatur, atque etiam in margine Ed. Baſ. eſt notata. Cum acerba lis inter Lambinum Giſaniumque hoc de verbo orta eſſet, vindicavit Giſanii ſententiam Fruterius, carmine, quod legitur in epiſtolis ejus Philologicis, quæ connectuntur lib. III. Conject. Veriſimilium. Hav.

368. *Multo*] Junge cum *minus.* & *dedicat* id eſt declarat vacuum multo minus corporum intus habere quam ſolidum. Pius.

368. *Vacui*] Al. *Vacuum.* Gif.

369. *Id,*] Nardius & Alii non agnoſcunt. at retinendum arbitror. Creech.

370. *Admiſtum*] Sic loquitur verſ. 383. & ſexcentis aliis locis. recta eſt ergo noſtra interpunctio,

Eſt igitur nimirum, id quod ratione ſagaci
Quærimus, admiſtum rebus, quod inane vocamus. Gif.

371. *Illud in his rebus, &c.*] Quoniam vero aliqui, inter quos Ariſt. l. 4. Phyſ. vim hujus argumenti eludere conantur Dicendo, *Inanis* non opus eſſe ut Corpora moveantur; cùm in *Pleno* Corpora poſſunt ſibi invicem officiosè cedere, quoniam Corpus quodcunque movetur relinquit ſpatium ab alio Corpore, quod è ſuo loco detrudit, occupandum: Ut Aqua cedit Piſcibus procedere conantibus, locumque quem illi reliquerunt ſubit; Urget Lucretius Piſces in Aqua ſibi viam aperire, locumque poſt ſe relinquere non poſſe, niſi Aqua cedat locum; cedere autem locum Aquam non poſſe, niſi pateat vacuum ſpatium à Piſcibus relictum: Igitur aut admittendum eſt Inane Corporibus admiſtum, aut nihil omnino moveri poſſit. Creech.

372. *Præcurrere*] Occupatio, qua ſolvit argumentum negantium inane. vid. Cic. II. Acad. Quæſtion. Gif. Illud ipſum eſt, quod vulgo dicunt, prævenire objectionem; cum videlicet difficultati obviam imus. &c. alibi dixit, *illuc prævertor*, &c. Fab. Præoccupare Græcis προκαταλαμβάνειν. nec audiendi ſunt, qui legunt *percurrere*, ut Ed. Baſ. Hav.

373. *Squammigeris*] Piſcibus, ut ſuprà 163.

Squammigerûm genus. Lamb.

373. *Latices*] undas, aquas. Feſtus: *Latex à lapſu profluens aqua dicitur. interdum tamen & in vino hoc vocabulo utimur.* Lamb.

373. *Cedere ſquammigeris latic. &c.*] Ad hunc locum pertinent ea quæ ſcribit Ariſt. lib. 4. φυσικ. ἀκροάς. his verbis: Αἴτιον δὲ κινήσεως οἴονται εἶναι τὸ κενὸν οὕτως, ὡς ἐν ᾧ κινεῖται. τοῦτο δ᾽ ἂν εἴη, οἷον τὸν τόπον τινές φασιν εἶναι. Οὐδεμία δ᾽ ἀνάγκη, εἰ ἔστι κίνησις, εἶναι κενόν. ὅλως μὲν οὖν ἁπάσης κινήσεως, οὐδαμῶς· ὃ καὶ Μέλισσον ἔλαθεν. Ἀλλοιοῦσθαι

Quo poterunt undae, cum piſces ire nequibunt?
Aut igitur motu privandum eſt corpora quaeque;
Aut eſſe admiſtum dicendum eſt rebus Inane;

Is

INTERPRETATIO.

cederent iſtæ Aquæ, cum Piſces procedere non potuerint. Corpora igitur omnia ſunt motu privanda, aut concedendum eſt Inane *eſſe inter Corpora interſperſum,*

VARIÆ LECTIONES.

381. *Quo poterunt.* qui poterunt A marg. quæ poterant Q. X. *cum piſces.* quo piſces H. 1. P. Q. X.

382. *corpora.* corpore X.

383. *admiſtum dicendum eſt rebus.* admixtum dicendum eſt in rebus D. dicendum rebus C. dicundum eſt, G. Z.

NOTÆ

γὰρ ἐνδέχεται τὸ πλῆρες. ἀλλὰ δὴ οὐδὲ τῆς κατὰ τόπον κινήσεως. ἅμα γὰρ ὑπεξιέναι ἀλλήλοις ἐνδέχηται, οὐδενὸς ὄντος διαστήματος χωριστοῦ παρὰ τὰ σώματα τὰ κινούμενα· καὶ τοῦτο δῆλον καὶ ἐν ταῖς τῶν συνεχῶν δίναις, ὥσπερ καὶ ἐν ταῖς τῶν ὑγρῶν. id eſt, *Motionis autem putant eſſe cauſam inane, nempe ita, ut in quo res aliqua movetur. Hoc autem tale quiddam fuerit, quale quidam locum eſſe dicunt. Sed non eſt neceſſarium, ſi eſt motus, eſſe inane. Omnino igitur omnis motionis cauſam eſſe inane, nullo modo neceſſarium eſt: quod quidem & Meliſſum fefellit. Nam contingere poteſt, ut corpus, ſeu plenum, & ſolidum, varietur, atque (ut ita dicam) alteretur. Sed ne motionis quidem à loco ad locum cauſa eſt. Nam contingere poteſt, ut res ſibi inter ſe cedant, nullo poſito intervallo ſeparabili præter ea corpora, quæ moventur. Atque hoc perſpicuum eſt in rerum continuarum vertiginibus, quemadmodum & in liquidorum vorticibus.* Adde illa M. Tullii ex lib. 2. Acad. quæſt. *Tune aut inane quicquam putes eſſe, cum ita completa & conferta ſint omnia, ut, quod movebitur corpus, ei aliud cedat, & quà quicque ceſſerit, aliud illico ſubſequatur? &c.* Lamb.

381. *Quo*] *Qui*, Giſan. verſus 279. immemor. Creech.

382. *Piſces ire nequibunt*] Si Inane adimas ſcilicet. Fab.

382. *Aut igitur motu privandum eſt corp.*] Privandum eſt corpora, id eſt privanda ſunt corpora, ſeu privare oportet corpora. ſic Græci στερητέον σώματα. quod genus loquendi ſupra uſurpavit 112.

Æternas quoniam pœnas in morte timendum;
& ibi 139.

Multa novis verbis præſertim cum ſit agendum:
& item alibi. Lamb.

384. *Unde initum primum*] Sic habent tres codices manuſcripti: & ita Pariſien. & quidam alii vulgati. duo item manuſcript. *initium*: cum quibus congruunt utrique Veneti, Florentini, Lugdunenſes, Vicetini. duo alii manuſcripti ſic, *Primum unde initium*: quam ſcripturam probant quidam docti viri, ajuntque tribrachum, ſeu trochæum poſitum eſſe pro dactylo: Ego ſuum cuique judicium liberum relinquo: verumtamen mihi magis placet ea, quam ſecutus ſum, ſcriptura. Quod ſi quis magis probabit *initium*, non pugnabo. Nam in voce *initium*, fieri poteſt συνίζησις duarum ſyllabarum, *i* & *um*: id eſt poſſunt duæ ſyllabæ in unam coire. *Initus* autem apud veteres idem valet quod ingreſſus, introitus, initium, ut ſuprà diximus, ibi 12.

——— *tuumque*
Significant initum. Lamb.

384. *Unde initium*] Ita veteres quidam alii veteres: *Primum unde initium.* Quidam veteres: *initum.* & ita vulgati: male. vide Indicem. Gif. Paſſive, τὸ κινεῖσθαι. ita *erudiendi*, pro παιδεύεσθαι, ex Trogo. Sic Cicero, Plautus & meliores. Sed Varronis in II. de R. R. locus obſervandus: *Sive enim aliquod ſit principium generandi animalium, ut putavit Thales.* Neque aliter illud Virgil. in VII. accipiendum: *penuria adegit edendi.* Ceterum pro *initium* legit Lambinus *initum*, quod probum eſſe poteſt, ita enim *initus* pro principio, ut *exitus* pro fine ſumitur: ſed locus ille Ovidii quem attulit ad verſum 13. hujus

Unde initium primum capiat res quaeque movendi.
Poſtremo duo de concurſo Corpora lata
Si cita diſſiliant, nempe aër omne neceſſe eſt,

Inter

INTERPRETATIO.

ſine eo enim res nullæ inciperent movere. Denique ſi duo Corpora lata, & plana, concurrant, ſubitoque à ſe invicem diſſiliant, neceſſe eſt ut Aër occuparet totum

VARIÆ LECTIONES.

384. *initium.* Ita A. B. H. 1. 2. Creech. P. in notis tamen. P. legit *initum.* initu Q. 1. Primum unde initium X. *initum* reliqui. *res quæque.* re quaque.

385. *concurſo.* Ita antiqui A. P. H. V. Y. Z. reliqui *concurſu.* Poſtremo de concurſo duo X. *corpora lata.* tempora læta. H. 1. corpora late Q. 1.

386. *Si cita.* Si cito. D. *Gaſſendus.* Sic ita Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

hujus libri, aliud ſignificat, nempè μίξιν ἀφροδισίαν. Quod autem *initium* triſyllabon eſt, nihil frequentius ejuſmodi ſynizeſi. FAB.

385. *Poſtremò duo de concurſu*] Sic habent quattuor libri manuſcripti, & excuſi omnes præter Venetos antiq. in quibus ita legitur, *de concurſo:* quæ ſcriptura reperitur etiam in Bertiniano. Ego hanc ſcripturam rejiciendam putavi, ut mendoſam. ſæpe enim ſcriptores librarii *o* pro *u*, & contra *u* pro *o* ſcribebant, ſententia autem hujus loci hæc eſt: Si duo ampla corpora inter ſe concurrerint, & ex illo concurſu cito diſſilierint, neceſſe erit, poſteaquam corpora illa diſſilierint, totum illud inane, quod per ſubitam illam corporum diſceſſionem fuerat inter duo corpora effectum, aër occupet. neque tamen is aër ita cito confluere poterit, quamvis ab auris circumſtantibus vehementer impellatur, ut uno tempore totum illud inane ſpatium compleatur. LAMB. *De*, quod pauci obſervant, ſignificat *poſt.* Plaut. *non bonus eſt ſomnus de prandio.* in Moſtellaria. 3: 2. 8. Virgilius autem non aliter interpretandus:

Jamque aderit multo Priami de ſanguine Pyrrhus.

itaque *de concurſu* eſt poſt concurſum. FAB. Quinto his v. 7. pugnat argumento, eoque ſatis valido. Si enim duo Corpora plana & lata concurrant, ſubitoque à ſe invicem diſſiliant, *Inane* fieret; Omnis enim materia ab iſtis Corporibus ita concurrentibus elideretur. Ideoque ſpatium quod inter illa diſſilientia patet Omnis Corporis eſſet Vacuum: Quid enim impleret? Aër, an materia ſubtilis? At quantumvis celerem, quantumvis ſubtilem fingas materiam, *Inane* tamen ſemper relinques, cum Aër ille aut materia ſubtilis uno eodemque momento totum quod patet ſpatium occupare & implere non poſſit. CREECH.

385. *De concurſo*] Ex ictu & regione concurrente. ſcribe *de concurſu* ut nomen ſit, non participium. PIUS. Ita legendum puto ex veteribus libris. vide Indicem. GIF. Poſt concurſum; Sic Plautus, *Non bonus eſt ſomnus* de *prandio.* Alii, inter quos *Giſanius*, legunt *Concurſo*, ut & *Culto*, lib. 4. v. 1274. Plurima enim erant apud Veteres nomina ambiguæ formæ. Sed hunc caſtigat *Lambinus*, an jure alii videant. *De concurſu*, de conjunctione, de commiſſura, Alii. CREECH.

385. *Lata*] Quantitatem habentia & conſequenter ſolida. PIUS. Forte, (ut etiam in quodam MSS. eſt) legere præſtat *latè*; diſſiliunt enim latè & in omnes partes corpora *de concurſu* i. e. poſt aſſultum mutuum fracta. Quod vero *de concurſo* Lamb. ſe in nonnullis codicib. inveniſſe teſtatur, id in MSS. fere omnibus melioribus ita ſe etiam habet, multaque talia amat Lucretius, unde & nos etiam elegimus cum Giſanio. HAV.

386. *Cita*] Amota, diſcluſa. Marcellus. *Citum diviſum vel ſeparatum, unde & oſcitae dictum. Virgilius lib.* 8: 642.

Haud procul inde citæ Metium in diverſa quadrigæ
Diſtulerunt.

Servius tamen Donatum vellicat, quod apud Maronem *citæ* pro ſeparatæ poſuerit: quippe cum in hoc ſignificatu *citus* prima longa proferant; quod cum teſtimonium non afferat, forte ſentiam cum

 Dona-

Inter corpora quod fuvat, poſſidat Inane.
Is porro, quamvis circum celerantibus auris
Confluat, haud poterit tamen uno tempore totum
Compleri ſpatium: nam primum quemque neceſſe eſt

Occu-

INTERPRETATIO.

illud ſpatium quod ſit Inane inter Corpora ita divulſa: Ille autem Aër, etſi omnes illius undique partes celerrime moveantur, uno tamen eodemque momento totum ſpatium occupare non poteſt; Primum enim neceſſe eſt ut

VARIÆ LECTIONES.

387. *Fuvat.* fiat. A. B. C. D. E. I. P. X. flat. A marg. G. Q. Y. Z. fuat (vel) fiat V. flabit. quidam codd. Pii.

388. *Celerantibus auris.* denſantibus auris, c. P. Q. celciantibus auris X.

390. *Compleri.* complere. A. B. D. *primum.* privum V. *quemque.* quiſque. G. Q. V. 1. 2. 3. X. Y. Z.

NOTÆ.

Donato hac Lucretiana authoritate ductus: quæ mihi ſolet eſſe pro anchora: etiam ſi alias ſenſerim cum Servio.

Quo me cunque rapit tempeſtas deferor hoſpes.

Citum & herctum in antiquis legibus ſcriptum eſt pro diviſum. unde apud juriſperitos titulus de *re hercifcunda*: & *via hercifcunda* in Apuleji Aſino. Quod ſi *cita* pro cito mavis hic interpretari, non repugno. Si quis tamen velit a Servio ſtare, legat: *ſi cito diſſiliant*, ut in nonnullis exemplaribus reperitur. Pius.

387. *Fiat*] Scribunt aliqui ex priſcis exemplaribus *flabit*: hoc eſt afflabit: & aërei ſpiritus motu inſinuabitur omnis pars illius corporis extrema: quod corpus afflabit aer. Pius. Quidam veteres: *fuant.* quidam *flat.* male. Gif.

387. *Inter corpora quod fuvat*] Libri vulgati omnes, & duo manuſcripti habent *quod fiat*: unus manuſcriptus, *quod fuat*: ex qua ſcriptura Muretus legendum putabat *fuerat*: alius item manuſcriptus, *flat*, plane mendoſe. ego olim vulgatam retinebam, dum certior & verior aliqua afferretur: præſertim cum *flat* errorem librarii oſtendat, qui *l* pro *i* ſcripſerit: in quo ſæpe ab hoc genere hominum peccabatur. Mureti tamen conjecturam non improbabam. Nunc autem Turnebo aſſentior, qui *fuvat* ſcribendum eſſe cenſet. *fuvat* autem dictum pro *fuat*: de quo genere alibi infra, aut certe in commentariis Plautinis: quos propediem edituri ſumus, Deo approbante. Lamb. Quaſi *fuerit*. Alii *Fiat*: & *Poſſidat* Veteres pro *Poſſideat*. Creech.

387. *Poſſidat*] Poſſideat, occupet. Lamb.

388. *Celerantibus*] *Denſantibus* veteres qui Iam. Gif. Sic habent quattuor libri manuſcripti, & nonnulli typis impreſſi, quos ſecutus ſum. alii, *circum denſantibus auris. celerantibus* autem, id eſt, accelerantibus, urgentibus, & celeriter pellentibus aërem. Lamb. Aliqui *Denſantibus*: nullo plane ſenſu. Creech.

390. *Complere*] Ita conjectura ductus ſcripſi. vulg. *compleri.* vid. Indicem. Gif. Quidam legi volunt *Complere.*, ut ſit hic ordo: is porro non poterit uno tempore totum ſpatium complere, quamvis &c. Lamb. *Complere* Gif. perinde eſt. Creech. *Compleri* tamen omnes habent MSS. quibuſcum ſentio, apto ſatis ſenſu. Hav. Forſan *complere* ſcripſerat Auctor, improbantibus librariis, quibus id ob metri rationem, diſplicuit. Simile facinus admiſſum videri apud Virg. 5. Æn. verſ. 163. me monuit Vir doctus quidam, mihique amiciſſimus ubi legimus:

Littus ama, & lævas ſtringat ſine palmula cautes.

Læva ſubſtitue pro *lævas*, & ſenſus erit optimus, ac verſus ipſe multo concinnior, *Lævas cautes* dixiſſe Virgilius potuit quod ad lævum navigii latus eſſent, ſed ubi dextræ non erant, a quibus

debe-

Occupet ille locum, deinde omnia poſſidantur.
Quod ſi forte aliquis, cum Corpora diſſiluêre,
Tum putat id fieri, quia ſe condenſeat aër,
Errat; nam Vacuum tum fit, quod non fuit ante;

INTERPRETATIO.

occupet partes ſpatii ſibi proximas, & deinde reliquas remotiores. Si vero forſan putet aliquis hoc argumentum ſolvi poſſe dicendo, condenſari Aërem cum iſta duo Corpora ſeparentur; Ille profecto errat: tunc enim fit Inane *quod ante non fuit.*

VARIÆ LECTIONES.

391. *poſſidantur.* poſſideantur Q. 1. Y. Z.
392. *diſſiluêre.* diſſoluere Q. 1.
393. *quia.* qua X. *aër.* æter Q. 1.
394. *quod.* quo Q. X.

NOTÆ.

debebant diſtingue, otioſum nimis tale videtur Epitheton. Quo autem cum ſtridore, quamque ingrato voces illæ: *Lævas ſtringat* pronunciari debeant, dicere nihil attinet. Preig.

390. *Primum quemque*] Voſſius legit *privum quiſque* nempe aër. & ſic *privum* & *privas* noſter auctor uſurpat lib. III. 723. IV. 570. V. 275. Hav.

392. *Quod ſi forte, &c.*] Si quis autem (inquit) putat duo grandia & lata corpora diſſilire poſſe, non quod ſit vacuum, ſed quod aër ſe contrahat, & condenſet, ſuaſque parteis in unum colligat, errat. Nam primum per diſſultum illum, id quod antè erat plenum fit inane: & contra, quod erat inane, fit plenum: nec tali ratione, nempe per corporum diſſultum. poteſt aër denſari: & ſi demus poſſe, non poſſet tamen ſine inani. Denſatio enim nihil aliud eſt, quam partium disjunctarum, & laxatarum contractio, & compreſſio. at nullius totius partes contrahi poſſunt, niſi intelligamus incluſum in eo eſſe vacuum, ſeu inane. nam ſi nullum in eo toto eſſet inane: id totum eſſet ſolidum, & plenum. Si plenum eſſet, ergo id corpus ſuas parteis non poſſet in unum magis contrahere. Lamb. Reſponſionem præoccupat, impugnatque *Lucretius* v. 8. Hic verſus aliquos excidiſſe, mutilumque eſſe hunc locum ſemper judicavi: Præclara enim Reſponſio, *Vacuum non eſt, quoniam Aër condenſatur:* Quis autem intelligat? ideoque hunc locum ita cenſeo ſupplendum: Cum duo iſta Corpora concurrant, inter eorum ſuperficies, Aër interceptus condenſatur, ſaltem in ſuperficierum cavitatibus (nulla enim Corpora perfectè plana) latet: Cum vero diſſiliant iſta Corpora, Aër iſte interceptus rarefit; ſpatiumque inter duo iſta Corpora diſſilientia patens occupat & implet. Urget autem *Lucretius*, Cum iſta duo Corpora ſeparentur *Inane* fieri neceſſe, (quis enim neget cum in aliquibus ſaltem partibus ſe invicem tangebant) & Id *Inane* iterum ab Aëre repleri; ideoque prius argumentum firmum ſatis eſſe & certum; Urget inſuper, Aërem non omnino condenſari, vel ſi condenſetur; ex iſta condenſatione tamen ſequi *Inane* eſſe: quoniam abſurdum eſt, unam eandemque materiæ molem aliquando majus aliquando minus ſpatium occupare, niſi Inane eſſet. Creech.

393. *Condenſeat*] *Denſeſcat* a *denſeo es.* Maro a Lucretio ſtetit in Georgicis 1: 418.

Denſet erant quæ rara modo: & quæ denſa relaxat.

Pius. *Condenſeat* hoc loco actionem ſignificat; neque eſt quod quiſquam vereatur, ne locus ſit mendoſus. nam primum hanc ſcripturam omnes libri confirmant. deinde *denſere*, in eandem ſignificationem, & *denſeri* voce paſſiva, uſitata ſunt bonis ſcriptorib. Idem Lucret. quarto abhinc verſu,

Nec tali ratione poteſt denſerier aër.

Virgil. Georg. 1: 418.

——— *Jupiter humidus auſtris*
Denſet, erant quæ rara modo, & quæ denſa, relaxat.

Idem

Et repletur item, Vacuum quod conſtitit ante;
Nec tali ratione poteſt denſerier aër,
Nec ſi jam poſſet, ſine Inani poſſet, opinor,
Se ipſe in ſe trahere, & parteis conducere in unum:
Quapropter, quamvis cauſando multa moreris,
Eſſe in rebus Inane tamen fateare neceſſe eſt.

Mul-

INTERPRETATIO.

& Inane, quod ante fuit, repletur. Nec poteſt eſſe talis, qualem fingunt, Aëris condenſatio; vel ſi poſſit eſſe, non tamen ſine Inani; dum impoſſibile eſt ut Res aliqua partes ſuas in minus ſpatium contraheret, niſi Inane *eſſet. Etſi igitur diſputare, multaſque cavillationes nectendo moleſtus aliquis eſſe poſſit, tandem tamen* Inane *eſſe fateri cogetur.*

VARIÆ LECTIONES.

396. *denſerier.* denſarier. C. D. P. X. condenſier G. condenſerier Y. Z.
397. *jam.* nam Q.
398. Deeſt *ſe* in C. E. G. P. X. Y. Z.
400. *in* deeſt P. *unum.* aurum Q.

NOTÆ.

Idem lib. 12. Æn. 418.

Vela dabit vos unanimeis denſete catervas.

Salluſt. libr. 3. Hiſtor. *Ille ſubſidiis princeps augere & denſere frontem.* Iterum Virg. Georg. 1: 248.

--- --- ſilet nox
Semper, & obtenta denſentur nocte tenebræ.

Lamb. Sic Virgil. Æneid. 10: 432.

Extremi addenſent Acies --- ---

Et Æneid. 7: 432.

Agmina denſentur Campis.

Ad quem locum *Denſeo Denſes* dici agnoſcit Servius. Creech.

397. *Nec ſi jam*] Notandum pro, *Nec ſi etiam.* Fab. Eleganter *jam.* Pro quo alii *vel maxime,* aut ſimile quid uſurparent. Preig.

398. *Conducere*] συνάγειν, contrahere. Cic. Philipp. 8. *Res geritur: conductæ vineæ ſunt.* Cæſar libro ſecundo de bello Gall. *Exercitus in unum locum conduci.* Arnobius libro quarto Adverſus Genteis: *Ergone (iterum dicam) tonans, fulgens, & fulminans, & nubila terribilia conducens ſuxit fluenta mammarum? vagitum edidit? repſit?* Idem Lucretius infra verſu 691.

Acrior ardor enim conductis partibus eſſet:

& libr. 3: 532.

---- ---- ſe poſſe per artus
Introrſum trahere, & parteis conducere in unum.

& lib. 4. 433.

Donicum in obſcurum coni conduxit acumen.

Lamb. Συναθροίζειν, συνάγειν, cogere. Fab.

399. *Cauſando multa*] id eſt multas cauſas afferendo: πολλὰ προφασιζόμενος, πολλὰς προφάσεις προχειρίζων. M. Tullius pro Roſc. Amer. *Nunquid cauſare, quin ab judicio diſcedas turpiſſimè victus?* Virgil. Mœride 9: 56.

Cauſando noſtros in longum ducis amores.

Lamb.

401. *Multaque præterea*] &c. Multa propoſuit, non vero omnia argumenta; reliqua autem ex iis, quæ memoraverat, ab ipſo *Memmio* colligenda relinquit: idem enim Philoſophis ac Canibus Venaticis accidit, cum certa veritatis veſtigia ſemel legerint, abditos illius receſſus facile invenient. Creech.

402. *Fidem contradere*] Hoc in vet. lib. inveni. vide Indicem. Lambinus: *conradere.* Gif. *Conradere* Fidem iis quæ diximus, colligere, conciliare, comparare, conquirere. *conradere* autem legendum eſt,

non

Multaque praeterea tibi poſſum commemorando
Argumenta, fidem dictis conradere noſtris;
Verum animo ſatis haec veſtigia parva ſagaci
Sunt, per quae poſſis cognoſcere caetera Tute:
Namque Canes ut montivagae perſaepe feraï
Naribus inveniunt intectas frunde quietes,

Cum

INTERPRETATIO.

Multa alia argumenta afferre potui, quibus meam ſententiam confirmarem, ſed hæc parva indicia perſpicaci menti ſufficiunt, & eorum ope Tu ipſe reliqua omnia ſine Monitore perſpicies. Ut enim Canes venatici, poſtquam ſemel ferarum per Montes vagantium veſtigia certa legerint, earum cubilia in ſylvis abdita, frondibuſque tecta naribus inveniunt:

VARIÆ LECTIONES.

401. *Poſſum commemorando.* poſſunt commemoranda H. 2 poſſum commemorando, & *ſuperſcript.* di Y.
402. *fidem dictis.* quidem dictis c. *conradere.* contradere A. C. E. I. P. Q. 1. X.
403. *parva.* prima Bm. X.
404. *cognoſcere.* cognoſcera *ſuperſcript.* cognoſcere Z. *tute.* quidam legunt *tupte* pro *tuopte. Pius.* tu te. E.
405. *montivagæ.* noctivagæ X. *feraï.* ferari X. ferare G. Y. Z. ſed in Z. corr.
406. *intectas.* in tectis Q. intectis X.

NOTÆ

non *contradere:* quod verbum non eſt Latinum. *Conradere* autem, ſeu *corradere*, tranſlate poſitum eſt pro undique colligere. Sic Terent. Adelph. 2:2:35.

--- --- *minas decem corradet alicunde.*

Idem Phorm. 1: 1: 6.

---- ---- *ei credo munus hoc corraditur.*

Lucret. libr. 6: 303.

---- --- *Atque alia ex ipſo conradens aëre portat.*

Ibid. 443.

Vortex conradens ex aëre ſemina nubis.

Lamb. *Conciliare*, *Comparare*, l. 6. v. 303.

Atque alia ex ipſo conradens *Aëre portat.*

Et v. 443.

---- Conradens *ex Aëre ſemina Nubis.*

Ideoque non audiendi ſunt iſti, qui *Contradere* reponunt. Creech.

403. *Veſtigia*] Tralatio a venatione. Virgilius libro quarto vſ. 23.

---- --- *agnoſco veteris veſtigia flammæ.*

Itaque ab eadem ſimile quod ſequitur, ducitur: *Namque canes, &c.* Lamb.

405. *Canes montivagæ*] Quomodo Græcos canes ad venandum κύνας θηρευτικὰς vocare docet Turneb. Adv. xix. 15. Hav.

405. *Montivagæ*] Fœminine, ut paſſim de venaticis canibus cum Græci, tum Latini ſcriptores ſolent. Preig.

405. *Ferai*] MS. *ferare*, ſcriptum forte *ferarum.* Hav.

406. *Intectas fr. qu.*] Cubilia frondibus obducta, atque operta. Cic. in Piſon. *ſtrages provinciæ tuæ: quas non veſtigiis odorantes ingreſſus tuos, ſed totis volutationibus corporis, & cubilibus perſecuti ſumus.* Idem Verrina de jure dicundo in extrema: *Ut omnes mortales non jam veſtigia, ſed ipſa cubilia videre poſſint.* Lamb. Livius *Intecta ſtramento tecta:* Non opus eſt igitur iſtorum ingenio qui amant *Intextas.* Creech.

406. *Intectas frunde quietes.*] Sic Salluſtius apud Iſidorum lib. xix. cap. 23. *Germani intectum renonibus*

P

Cum ſemel inſtiterunt veſtigia certa viaï:
Sic alid ex alio per te Tute ipſe videre
Talibus in rebus poteris, caecaſque latebras

INTERPRETATIO.

Sic Tu, o Memmi, *in Rebus Philoſophicis aliud ex alio proprio tuo Marte colligere, omnes obſcuros receſſus penetrare*,

VARIÆ LECTIONES.

407. *inſtiterunt.* inſtiterint C. D. E. Q. 1. X. *certa viaï.* prima viai. Bm. *Barth.*
408. *Sic alid ex alio.* ſic aliud per ex alio per te tute X. *alid.* alit. G. Z.
409. *poteris.* poteras X.

NOTÆ.

nibus corpus tegunt. Integi etiam dicebantur fulmina ab Haruſpicibus ex Hetruſca diſciplina, ut videre eſt apud Feſtum in *Sceleratus campus.* Quod alias etiam *includi ceſpite*, & *abſcondi* dicebatur, ut apud Lucanum, VIII. verſ. 864.

Incluſum fuſco venerantur ceſpite fulmen.

MSS. *Thuſco ceſpite.* ubi vide H. Grotium. Cæterum *intectum* negative etiam dicitur quod non eſt tectum, vel quod non tegitur. quemadmodum *incultum*, quod non cultum eſt, vel non colitur, *intactum*, quod tactum nullum admittit. Nec tamen verba ipſa, quod ſciam, veluti *integere*, *incolere* & id genus cætera, unquam ſenſu negativo occurrent. Qualem fraudem incogitanter plane Latinitati puræ incogitat Giſanius in Indice; *Inolere, non olere, ut impenſus apud Feſt. non penſus.* quod Lucretius lib. II. verſ. 849.

---- ---- inolentis olivi
Naturam ---- ----

dicat pro *non olentis.* ad quem locum Faber vix riſum tenet. Simile facinus a quibuſdam admiſſum in verbo *Incogitare*, merito indignatur Joh. Fr. Gronovius ad Plautum in Sticho act. 1. ſc. 1. verſ. 54. Preig.

406. *Quietes*] Haud ſcio an ullibi reperias τὸ *Quietes* in hoc ſignificatu. Κυνηγετικοὶ Græcorum κοίτους vocant, ut Callim. hymn. in Dianam, unde & vox Latina orta eſt ex κοίτις, *quietis*, (quod nunc *quies*,) ut ex ἀκὶς, *acies* &c. Fab.

407. *Inſtiterunt.*] Deprenderunt: ut illud Virg. Ecl. 4: 61.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

Diomedes libro primo. Præterea id obſervandum fuit, quod fere in tertio ordine plerumque veteres in tertia perſona finitiva temporis perfecti numeri pluralis, *e* mediam vocalem corripiunt, quaſi *legerunt, emerunt*, & ſimilia, ut apud Terentium in prologo Eunuchi. *Poſtquam ædiles emerunt.* Silius libro decimo ſexto verſu 699.

Talibus accenſi patres: fatoque vocante
Conſulis annuerunt dictis.

Flaccus Argonauticôn 2: 247.

Irruerunt actae pariter nataque nuruſque.

Pius. Sic veteres. alii *Inſtiterint.* male. Gif. Sic habet codex Vaticanus & Bertinianus: quibuſcum congruunt impreſſi Pariſienſes, Veneti antiquiores, Vicetini. in verbo *inſtiterunt* autem *e* corripitur. tale eſt illud Virgil. 2. Æneid. 774.

Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.

Bene Latinè autem dictum *inſiſtere veſtigia*, & *inſiſtere viam.* Sic enim ſæpe Plautus; ut Captivis 4: 2: 14.

--- proinde omnes itinera inſiſtant ſua.

Idem Ciſtell. 4: 2: 14.

--- & utrum hac, an illac inſtiterit.

Idem Aſinar. 4: 2: 11.

---- rectam inſtas viam.

Lamb. Semel dictum eſto, pænultimam in omnibus hujuſmodi præteritis, communem olim fuiſſe. Fab.

408. *Aliud*] Vid. Indicem D. vulg. *Alid.* Gif. *Alid* i. e. Aliud, ut ſupr. Sic autem habent omnes libri vete-

Inſinuare omneis, & Verum protrahere inde:
Quod ſi pigraris, paullumve abſceſſeris ab re,
Hoc tibi de plano poſſum promittere, Memmi:

Uſque

INTERPRETATIO.

& latentem ibi veritatem protrahere poteris. Si vero in aſſenſu his argumentis præbendo tardior ſis, & adhuc de re modo propoſita dubites; liquido ſpondere poſſum, O Memmi,

VARIÆ LECTIONES.

411. *Quod ſi.* quod niſi. A. B. D. I. P. *paullumve abſceſſeris ab re.* receſſeris a. r. A. B. D. E. G. I. P. Y. reabſceſſeris Z. receſſeris abs re. Q. 1. paullumque receſſeris ab re X.

412. *Hoc.* Hic Q. X. *de plano.* deptano X. Y. Z. *promittere.* permittere G.

NOTÆ.

teres, & aliquot vulgati emendatiores, niſi quod in duobus ſcriptum eſt *alit* pro *alid.* Lamb.

409. *Cæcaſque latebr.*] Et ingredi in latebras obſcuras ac retruſas. Lamb.

411. *Niſi*] Sic veteres; & poſtulat ſententia. In aliis: *Si.* quidam veteres: *abſceſſeris.* Gif.

411. *Quod ſi pigraris, paullumve abſceſſ.*] i. quod ſi tardior fueris: aut ſi ab hoc ipſo vero paullum modo te disjunxeris, &c. Sic videtur hic locus intelligendus, ſi verbum *pigrandi* accipiamus abſolutè, &, ut ita dicam, neutraliter. Nam alias ἐνεργητικῶς uſurpatur, quemadmodum apud Accium:

Melius pigraſſe, quam properaſſe eſt nefas.

id eſt, præſtat factum aliquod injuſtum, tardius admittere, aut omnino numquam admittere, quam celerius. Idem,

Sed cur propter te pigrem hæc,
Aut hujus dubitem parcere capiti?

Itaque poteſt & hoc modo intelligi: *Quod ſi pigraris*, id eſt, quod verum ſi tardaveris, ſeu tardius & ſegnius tibi paraveris, &c. Quidam tamen legi volunt,

Quod niſi pigraris &c.

Præterea mihi non eſt diſſimulandum, reliquam hujus verſus partem, ita legi in omnibus fere codicibus impreſſis,

---- ---- *paullumve receſſeris ab re:*

in Bertiniano autem,

--- --- *paullumve reabſceſſeris ab re:*

in Memmiano,

--- --- *paullumve abſceſſeris ab re.*

ut ego excudendum curavi: quæ lectio ſi cui probabitur, ita erit interpretandus hic locus, ut ſupra dixi. quod ſi tardus & piger fueris, paullumve propter tuam pigritiam ab re, id eſt à vero, ſeu ab ea re, quam doceo, te removeris: hoc tibi de plano, &c. Atque ego hanc ſcripturam, & ſententiam, quod ad hanc verſus partem pertinet, magis probo. de altera, utrum ſit legendum, *Quod ſi pigr.* an, *Quod niſi pigr.* viderint eruditi. Lamb. Si vero te pigeat hanc veritatem admittere; Aut, ſi vero vel tantillulum modo te pigeat, hunc laborem veri inveſtigandi capere. Quod autem hic dicit Lucretius (*paullumve abſceſſeris abs re*) habet locum plane germanæ ſignificationis paulo inferius: (*retroque vulgus abhorret ab hac*) Interpres putavit *τὸ pigraris* ſignificare, tardiorem fieri. mihi longe aliter videtur. In libb. quibuſdam legitur, *quod niſi pigraris*, quam lectionem amplexus eſt Giſanius. quo judicio, ipſe viderit. Fab. Aliam ab Omnibus Interpretum v. 9. commentis ſententiam ſequutus ſum, quam veram tamen eſſe fatebitur is Lector, qui ſequentes verſus diligenter perpendit, novitque *Lucretium* de Epicuro & de ſe ipſo nihil moderatum ſentire. Creech.

412. *Hoc tibi de plano.*] *De plano*, id eſt, quaſi ex æquo loco, non è ſuperiore, ut qui ſedent in tribunali, vel concionantur: vel *de plano*, id eſt liquido, & ſine dubio, & non multa opera inſumta magnave cura adhibita. Fortaſſe ducta tralatio eſt à prætoribus, aut proconſulibus, qui liteis & controverſias facileis atque explicatas *de plano* dijudica-

Uſque adeo largos hauſtus, è fontibus amneis,
Lingua meo ſuavis diti de pectore fundet,
Ut verear, ne tarda prius per membra Senectus
Ser-

INTERPRETATIO.

me tibi plene ſatisfacturum eſſe: Tantam enim argumentorum vim, e divite vena ingenii Epicuri hauſtorum, Lingua mea ſuavis meo e pectore effundet; ut verear ne tarda Senectus per artus meos

VARIÆ LECTIONES.

413. *hauſtus.* hauſtos L. hauſtis X. *è fontibus.* Ita G. H. 1. P. Y. Z. *de fontibus* Alii. *amnes.* ita G L. V. Z. Reliquî *magnis.*

414. *meo ſuavis.* meos aiavis Z.

NOTÆ.

cabant: difficileis autem atque implicatas è loco ſuperiore, atque è tribunali. Ulpianus lib. 2. de offic. proconſul. *De plano autem proconſul poteſt expedire hæc: ut obſequium parentibus, & patronis, liberiſque patronorum exhiberi jubeat: comminari etiam, & terrere filium à patre oblatum, qui non, ut oportet, cum ipſo verſari dicatur: poterit de plano ſimiliter & libertum non obſequentem emendare aut verbis, aut fuſtium caſtigatione.* Huc pertinent illa Ciceronis in Bruto, *Quare ſi anguſtè & exiliter dicere, eſt Atticorum: ſint ſane Attici. Sed in comitium veniant: ad ſtantem judicem dicant: ſubſellia grandiorem & pleniorem vocem deſiderant.* & hoc Auſonii, ex gratiarum actione pro conſulatu: *Has ego literas tuas ſi in omnibus pilis atque porticibus, unde de plano legi poſſint, inſtar edicti pendere mandavero: nonne tot ſtatuis honorabor, quot fuerint paginæ libellorum.* Lamb. *Hoc.* quidnam illud? Id ſcilicet quod modo legiſti, Fore ut poſſis cæcas latebras rerum phyſicarum conviſere, *&c.* *De plano pronuntiare* quid ſit in Jure, ex Briſſonio, Hotomanno & Budæo notum. Nam *τὸ de plano* oppoſitum eſt *τῷ de tribunali*, vel *pro tribunali.* Sed fortaſſe nil opus iſtis. *De plano* enim fuerit pro plane, ut *de facili*, pro facile, *ῥᾳδίως*, *de nihilo*, ob rem nullam. Forte etiam, ut apud Plautum, *plane, obnoxie.* Quid ſit docebunt Interpretes. Fab. *Stans pede in uno*, ut ait Horat. Preig.

413. *Largos hauſtus de fontibus magnis*] Ita malim cum veteribus, & impreſſis omnibus. Intelligit fontes Epicuri. Nam quid eſt *hauſtis fontibus?* Lambinus tamen ex veteribus quibuſdam legit: *hauſtis d, f. amnis.* Ac ſic Lucilius:

Quantum haurire animus Muſarum e fontibus geſtit.

Et Noſter infr. lib. IV. verſ. 2. Gif. Reſtitui ex auctoritate quattuor librorum manuſcriptorum.

Uſque adeo largos, hauſtos de fontibus, amnis.

Nam libri vulg. habent,

Uſque adeo largos hauſtus de fontibus magnis, &c.

ſignificat autem, ſe tantam rerum copiam ex Epicurea doctrina hauſtam è pectore profuſurum, ut verendum ſit, ne prius ipſe & Memmius ſeneſcant, ac moriantur, quam Memmius quamlibet unam rem vel intellexerit, vel audierit. *Largos amneis* dixit ὑπερβολικῶς. Lamb. Lambinus è MSS. legit

Uſque adeo largos, hauſtos de fontibus, Amnes.

De fontibus, ex Epicuri libris, cujus non tantum Opiniones, ſed etiam Verba ubique premit, & ſectatur. Creech. Giſanio hic nihil reponit Lambinus: ſed tacite pro *Largos hauſtis e fontibus amneis* in tertia ſua editione ſubſtituit: *largos, hauſtos de fontibus amneis.* Amnes autem, vel *amnis* præter quatuor Lambini MSS. libros, etiam cod. Gottorp & Lugd. Bat. habent. Et: *hauſtis fontibus*, quæ vulgata olim ſcriptura, non ita abſurda. vid. Lamb. inf. ad verſ. 926.

— — juvat integros accedere fonteis
Atque haurire — —

Facit Statii, ut videtur, imitatio pro Giſanio lib. 1. Achill. verſ. 8.

Tu modo, ſi veteres digno deplevimus hauſtu,
Da fontes mihi Phœbe novos, &c.

Virg. IV. Georg. 229.

— — prius hauſtu ſparſus aquarum,
Ore fove — —

vel ut alii volunt,

Ore fave. — —

pro

Serpat, & in nobis Vitaï clauſtra reſolvat,
Quam tibi de quavis una re verſibus omnis
Argumentorum ſit copia miſſa per aureis.

Sed

INTERPRETATIO.

ſerpat, omniaque meæ vitæ munimenta diffringat, priuſquam vel Ego verſibus complecti poſſim, vel Tu audire omnia iſta argumenta;

VARIÆ LECTIONES.

416. *reſolvat.* reſolvit X.
418. *Argumentorum ſit copia.* Argumentorum ſic copia X.

NOTÆ.

pro *fontibus* autem *amnes* dixit Stat. in Epith. Stellæ & Viol. 258.

---- ---- *Tecum ſimiles junctæque Camœnæ*
Stella mihi, multumque pares bacchamur ad aras,
Et ſociam doctis haurimus ab amnibus undam.

Preig. MSS. optimorum ſecutus auctoritatem, & addita diſtinctione neceſſaria, locum, ut puto, integrum reddidi. Senſus eſt: dabo tibi hauſtus, qui ſunt amnes ex ipſis fontibus. Hav.

414. *Lingua meo ſuavis. &c*] Vide τὴν ἀπὸ τοῦ ςόματος καύχησιν σοφιςικὴν ita dictam apud Diog. Laert. in Epicuro lib. x. ſegm. 7. verum iſte locus valde perturbatus eſt, plene, ut mihi quidem videtur, ita reſtituendus: καὶ ἐν ταῖς ἑπτὰ καὶ τριάκοντα βίβλοις ταῖς περὶ φύσεως τὰ πλεῖςα ταῦτα γράφειν· καὶ ἀντιλέγειν (ex Gaſſendi conjectura pro λέγειν, καὶ ἀντιγράφειν) ἐν αὐταῖς ἄλλοις τε καὶ Ναυσιφάνει τὰ πλεῖςα· καὶ αὐτῇ λέξει φάσκει (pro φάσκειν, quod omnia turbat) οὕτως. Ἀλλ' εἰς τις ἄλλος, εἶχε κἀκεῖνος, ὠδίνων τὴν ἀπὸ τοῦ ςόματος καύχησιν τὴν σοφιςικὴν καθάπερ καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ἀνδραπόδων. *Inque voluminibus, quæ de natura triginta ſeptem numero exſtant, pleraque hæc ſcribere;* (Timocrates nempe refert, ut ἀπὸ κοινοῦ hic repetendum eſt) *plurima quoque in illis voluminibus, cum aliis, tum ſpeciatim Nauſiphani contradicere. Idque ad verbum,* (vel *Et ad verbum*) *in hunc modum refert* (non Epicurus, ad cujus dicteria mox diſerte redit; ſed Timocrates) *ſed habuit ille ſi quis alius* Epicurus nempe, *veluti parturiens, ab ore jactantiam Sophiſticam, quemadmodum & complura alia* popularis auræ *mancipia.* Verba ipſa Timocratis ſunt in Epicuri jactantiam. Nam ſi Epicuri eſſent, in Nauſiphanem dicta fuiſſent. At manifeſto hoc refellitur ex iis, quæ ſequuntur: καὶ αὐτὸν Ἐπίκουρον ἐν ταῖς ἐπιςολαῖς λέγειν. &c. Cæterum quod in Epicuro iſtiuſmodi *jactantiæ* nomine traducebant iſti, ab amicis tanquam ſuaviloquentia celebrata eſt. Nam paulo poſt τῆς ἀνυπερβλήτου πρὸς πάντας τοῦ ἀνδρὸς εὐγνωμοσύνης teſtes inter alios recenſentur οἱ γνώριμοι, πάντες ταῖς δογματικαῖς αὐτοῦ σειρῆσι προσκατασχεθέντες *omnes ipſius diſcipuli, ſeu familiares, quos dogmaticis ſuis Sirenibus ceperat.* ubi τὰς δογματικὰς αὐτοῦ Σειρῆνας manifeſto auctor τῇ ἀπὸ τοῦ ςόματος καυχήσει, ipſi objectæ, opponit. Preig.

416. *Serpat*] Senſim irrepat non exaudita: inſono veſtigio.

--- --- *Feſtinat enim decurrere velox*
Floſculus, anguſtæ, miſeræque breviſſima vitæ
Portio, dum bibimus, dum ſerta, unguenta, puellas
Poſcimus: obrepit non intellecta ſenectus.

ab aliis dicitur *inopina*, qua ſe preſſum Boëtius dolenter queritur, cum ait:

Intempeſtivi funduntur vertice cani,
Et tremit effœto corpore laxa cutis.

Pius. Obrepat, ſenſim veniat. Lamb.

416. *Et in nobis vitaï clauſtra reſ.*] Id eſt, & in nobis corporis & animæ conjunctionem dirimat, ac diſſolvat, id eſt moriamur. Lamb. Virg. 10:601.

Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.

Preig.

417. *De quavis una re*] Pro, qualibet, poterit notari. Fab.

420. *Omnis ut eſt igitur, &c.*] Tota (inquit) hæc rerum natura duabus ab initio rebus conſtat, corporibus, & inani, in quo corpora ſita ſunt, & per quod huc & illuc feruntur, ac moventur. Hæc opinio (quod ſuprà paucis attigi) non fuit ſolius Epicuri, ſed & aliorum multorum. Leucippus enim

Sed nunc jam repetam coeptum pertexere dictis.
Omnis, ut eſt, igitur, per ſe, Natura, duabus
Conſiſtit rebus; nam Corpora ſunt, & Inane,
Haec in quo ſita ſunt, & quà diverſa moventur:
Cor-

INTERPRETATIO.

quæ ad quamlibet rem probandam (præcipue Inane *eſſe) proferre valeam: Jam vero opus inſtitutum proſequar. Omne igitur, ſi res per ſe exiſtentes ſpectemus, duo tantum complectitur;* Corpus *&* Inane, *in quo* Corpus *ſitum eſt, & per quod diverſimode movetur:*

VARIÆ LECTIONES.

419. *jam repetam.* ut repetam G. H. Q. V. X. Y. Z.
420. *ut eſt.* eſt ut Z.
421. *conſiſtit rebus.* conſtitit in rebus A marg. C. E. G. P. Y. Z. *ſunt.* ſint X.
422. *Hæc.* hoc Q. *qua.* quo Q. 1.

NOTÆ.

poſuit τὸ πλῆρες καὶ τὸ κενόν, id eſt *plenum & inane*: Democr. τὰ ναςὰ καὶ τὸ κενὸν, id eſt *plenum & inane:* Metrodor. σώματα λόγῳ θεωρητὰ, ἀμέτοχα κενȣ̃, ἀγένητα, ἀδιάφθαρτα, ȣ̓́τε τραυσθῆναι δυνάμενα, ȣ̓́τε ἀλλοιωθῆναι, καὶ τὸ κενόν, id eſt, *corpora, quæ ratione duntaxat cerni poſſunt, inanis expertia, neque umquam orta, neque umquam interitura; quæ neque perfringi, neque immutari poſſunt: & inane.* Empedocles autem, & Plato, & ceteri ante Platonem, negarunt eſſe in rebus inane. Ariſt. τοσȣ̃τον εἶναι κενόν φησιν ἐκτὸς τȣ̃ κόσμȣ, ὥςε ἀναπνεῖν ȣ̓ρανόν· εἶναι γὰρ πυρινόν. id eſt, *tantum eſſe inanis concedit extra mundum, quantum cælo ſatis ad reſpirandum: eſſe enim igneum.* Stoici, ἐν τῷ τȣ̃ κόσμȣ ȣ̓δὲν εἶναι κενὸν, ἐκτὸς δὲ ἄπειρον, id eſt, *intra mundum nihil eſſe inane, extra autem infinitum.* Lamb. Jam *Corpus* & *Inane* demonſtraverat. His vero v. 11. olim poſita argumenta breviter recenſet, & unum addit à ſenſu deductum: Aſſeritque nihil per ſe exiſtere præter *Corpus* & *Inane:* Sic *Epicurus* in Epiſt. ad Herodotum, τὸ πᾶν ἐςι πῆ μὲν σῶμα, πῆδε κενόν. In Epiſt. ad Pythoclem, τὸ πᾶν σῶμα, καὶ ἀναφὴς φύσις. Et *Cicero* in 2. de Nat. Deor. Omnia, quæ ſecundum Naturam Corpus & Inane docet *Epicurus. Omnis, ut eſt per ſe, Natura,* i.e. Omnis Natura, vel *Omne* per ſe exiſtens: & ut Epicurus in Epiſt. ad Herod. Καθ' αὑτὰς φύσεις. Creech.

421. *Conſiſtit rebus*] Ita ex veteribus quibuſdam ſcripſi. vid. inf. verſ. 1017. vulgati & alii vet. libri; *Conſtitit in rebus.* Non male. vid. Indicem: *Conſtitit.* Gif. Alii *Conſtitit in,* imperitè. Creech.

421. *Et inane, Hæc in quo ſita ſunt*] Et Inane (inquit) in quo hæc corpora ſita ſunt, & per quod huc & illuc, horſum & illorſum feruntur. Nam inane neque facere quidquam, neque perpeti poteſt: ſed tantum corporibus motionis viam, & locum, & facultatem præbet. Itaque Epicurus inane appellat χώραν, id eſt, *locum, &* διάςημα, hoc eſt *ſpatium.* Lamb.

422. *Diverſa*] Alia ſurſum, alia ſeorſum, dextrorſum alia, *&c.* hanc enim vim habet τὸ *diverſus.* Virg. Æn. 2: 716.

Hanc ex diverſo ſedem veniemus in unam.

Saluſt. *diverſi abeunt.* Fab.

423. *Corpus enim, &c.*] Communis ſenſus (inquit) per ſe, hoc eſt ſine ulla ratione, *deliquat,* id eſt declarat, eſſe corpus. *Communem* autem *ſenſum* intellige hoc loco vel omnium animantium communem, vel ſenſum illum, qui eſt præter quinque ſenſus diſtinctos notiſſimos: qui de ſingulis rebus ſub ſuos ſingulos ſenſus cadentibus communiter judicat. Horat. ſatyr. 3. lib. 1. verſu 66.

Communi ſenſu planè caret, inquimus, eheu, &c. Lamb. Ipſa *Epicuri* verba: Τὰ μὲν σώματα ὡς ἔςιν, καὶ αὐτὴ ἡ αἴσθεσις ἐπὶ πάντων μαρτυρεῖ, καθ' ἣν ἀναγκαῖον τὸ ἄδηλον τῷ λογισμῷ τεκμαίρεσθαι· εἰ μὴ ἦν ὃ κενὸν, καὶ χώραν, καὶ ἀναφῆ φύσιν ὀνομάζομεν, ȣ̓κ ἂν εἶχε τὰ σώματα ὅπȣ ἦν, ȣ̓δὲ δι' ȣ̃ ἐκινεῖτο, καθάπερ φαίνεται κινȣ́μενα. Epiſt. ad Herod. Creech.

155. *Communis ſenſus*] Non intelligit eam animo-

Corpus enim per ſe communis dedicat eſſe
Senſus; quo niſi prima fides fundata valebit,
Haud erit occultis de rebus quo referentes
Confirmare animi quidquam ratione queamus.

Tum

INTERPRETATIO.

Corpus *autem eſſe ipſi ſenſus ſatis demonſtrant, quibus niſi firmiter credamus, nullum erit Criterion quo in deducendis de rebus ſenſui inevidentibus ratiociniis dirigeremur:*

VARIÆ LECTIONES.

423. *nam Corpora.* quæ corpora Gaſſ. *communis.* communes P. X. *dedicat.* Ita A. B. C. E. V. I. P. Y. Z. L. deliquat L. deducat. Q. indicat. Q. I.
424. *quo niſi.* cui niſi C. E. G. P. Q. Z. quoi. V. I. *fides* delet X.
425. *referentes.* ſe ferentes Z.
426. *animi.* animos C. E. Bm. P. Q. X. *quidquam.* quaquam Q. I.

NOTÆ.

nimorum noſtrorum facultatem, quæ vulgo *ſenſus communis* dicitur, ſed ſenſum omnium omnino hominum. Corpus eſt per ſe inquit, id enim ita eſſe omnes homines ſentiunt, certiſſimum veritatis criterium. Fab. Eleganter a Juvenale tranſſumta locutio. Sat. VIII. verſ. 73.

Rarus enim ferme ſenſus communis in illa
Fortuna. --- ---

ubi *illa fortuna* pro hominibus in illa fortuna conſtitutis dicitur; plane ut apud Heliodor. Æthiop. pag. 328. de Arſace illa nequiſſima: κοινόν τι χρῆμα ἐστι πρὸς πᾶσαν τύχην, καὶ πλέον ἐπίκουρος γίνεται τοῖς παρ' ἀξίαν ἔλαττόν τι πράττουσι. *Æqualis eſt enim & accommodata ad omnem Fortunam; quin etiam magis eſt auxilio iis, qui præter dignitatem quippiam ſunt paſſi.* Preig.

424. *Quo niſi &c.*] *Cui*, vel *qui*; id eſt *quo*. Gif. Hoc in primis tuetur & retinet mordicus Epicurus, ſenſus eſſe veros, neque umquam fallere: & à ſenſibus omnium rerum cognitionem, ac ſcientiam proficiſci: quod item Peripatetici comprobant. Ariſt. βιβ. α. μετὰ τὰ Φυσικά: Πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται· σημεῖον δ' ἡ τῶν αἰσθήσεων ἀγάπησις. id eſt, *Omnes homines ſciendi cupiditate ducuntur: cui rei argumento eſt, quod ab omnibus maximè ſenſus diliguntur.* Lucr. hoc eod. lib. 694.

Nam contra ſenſus ab ſenſibus ipſe repugnat,
Et labefactat eos, unde omnia credita pendent.

Idem eos uberius defendit lib. 4: 464.

Cetera de genere hoc mirando multa videmus, &c.

Plato verò in Phædone refellit ſenſus, his verbis: τί δὲ δὴ περὶ αὐτὴν τῆς φρονήσεως κτῆσιν, πότερον ἐμπόδιον τὸ σῶμα, ἢ οὔ, ἐάν τις αὐτὸ ἐν τῇ ζητήσει κοινωνὸν συμπαραλαμβάνῃ; οἷον τὸ τοιόνδε λέγω· ἆρα ἔχει ἀλήθειάν τινα ὄψις τε καὶ ἀκοὴ τοῖς ἀνθρώποις, ἢ τά γε τοιαῦτα καὶ οἱ ποιηταὶ ἀεὶ ἡμῖν θρυλλοῦσιν, ὅτι οὔτ' ἀκούομεν ἀκριβὲς οὐδὲν, οὔτε ὁρῶμεν; καί τοι εἰ αὗται τῶν περὶ τὸ σῶμα αἰσθήσεων μὴ ἀκριβεῖς εἰσι, μηδὲ σαφεῖς, σχολῇ γε αἱ ἄλλαι. πᾶσαι γάρ που τούτων φαυλότεραί εἰσιν. id eſt. *Quid verò quod ad prudentiæ poſſeſſionem attinet, utrum corpus ei impedimento eſt, an non, ſi quis id ſocium in quærendo adhibeat? Verbi gratia, hoc dico: utrum veritatis aliquid habet aſpectus, & auditus hominibus, an illa talia, quæ & poëtæ ſemper habent in ore, nos neque cernere quicquam perfectè, neque audire? Atqui ſi ex ſenſibus corporis hi non ſunt veri & perfecti, neque certi, multo minus alii. Omnes enim ſunt his deteriores.* Senſus enim ſi falſi fuerint, quid certum exiſtimare queas: quodnam nobis à natura datum inſtrumentum eſt? &c. neque enim ultra judicia ſenſuum datur progredi, niſi per additionem, applicationem, &c. quæ ſæpe fallaces, aut certe nihil ad ſenſum. Fab.

426. *Animi quidquam ratione.*] Sic recte Lambinus, ex vet. libris. vulgati: *animos*. Gif. *Animi ratione*, uſitatum Lucretio loquendi genus:

id

Tum porro Locus, ac Spatium, quod INANE vocamus,
Si nullum foret, haud uſquam ſita Corpora poſſent
Eſſe, neque omnino quàquam diverſa meare;
Id quod jam ſupera tibi paullo oſtendimus ante;

Prae-

INTERPRETATIO.

Tum porro, ſi non eſſet talis Locus aut ſpatium, quale Inane *vocamus, nullus eſſet Locus in quo ſita forent Corpora, nec omnino moverentur, ut modo luculentè demonſtravi.*

VARIÆ LECTIONES.

427. *Tum.* ſuperſcrib. *Tunc* in Z.
428. *Haud uſquam.* haud quaquam A marg. P. Q. X. *ſita.* cita *Pius* in not. *poſſent.* poſſet X.
429. *quaquam.* quoquam E. G M. V. X. Y. Z A marg. not. *Pii.*
430. *ſupera.* ſuperat X.

NOTÆ.

id eſt intelligentia. ſecutus autem ſum quattuor codices manuſcriptos: in his Bertinianum, & Memmianum. LAMB. *Animos* Nardius & alii: Quo ſenſu ipſi viderint. CREECH.

427. *Locus ac ſpatium*] χῶρος καὶ διάστημα, LAMB.

429. *Neque omnino quaquam*] Neque omnino per ullam regionem ſive hanc, ſive illam meare. ſecutus ſum autem duorum librorum manuſcriptorum, cum quibus Veneti antiquiores congruunt, ſcripturam. Nam ceteri habent *omnino quoquam. quaquam* autem adverbium eſt motus per locum. LAMB.

427. *Quaquam*] Quidam veteres: *quoquam.* & ita Marullus. GIF.

430. *Id quod jam ſupera*] Sic legendum: atque hanc ſcripturam agnoſcit Priſcianus libr. 14. & 18. confirmant quattuor libri manuſcripti, Faërni, Tettii, Bertinianus, Memmian. Veneti antiq. Pariſienſes, Vicetini, *Superà* (inquit Priſcanus) pro *ſuprà.* ſic enim antiqui protulerunt, & maxime Cicero:

Torvum draco ſerpit ſubter, ſuperaque retorquens
Seſe.

Idem ibid.

Hunc ſupera duplices humeros affixa videtur
Stella micans tali ſpecie talique nitore.

LAMB.

430. *Supera*] Supra, ut *infera* pro infra. Sunt autem formata ἀναλόγως; at illa altera decurtata ſunt. FAB.

431. *Præterea Nihil eſt, &c.*] His v. 10. docet Nihil eſſe per ſe exiſtens præter *Inane* & *Corpus.* Quicquid enim eſt, quantitate aliqua, magna aut parva donatur. Id vero ſi Tactile ſit, motumque impediat, *Corpus* cenſebitur: Epicurus apud Empiricum, κατ' ἀθροισμὸν σχήματος, καὶ μεγέθους, καὶ ἀντιτυπίας, καὶ βάρους, τὸ σῶμα νοεῖται). Si vero Intactile, motumque non impediat, vocabitur *Inane*: Nihil igitur eſt præter Corpus & Inane. CREECH.

431. *Quod poſſis dicere ab omni*] Sic habent omnes, quos quidem viderim, vulgati codices, & item duo manuſcripti: duo tamen item manuſcripti,

Quod dicere poſſit ab omni:

ex qua ſcriptura ſuſpicabatur M. Anton. Muretus legendum eſſe,

Quod dici poſſit ab omni:

quæ conjectura mihi non diſplicet. Sententia autem hujus loci hæc eſt: Quicquid eſt in rerum natura, id eſſe aut corpus, aut inane: nihil eſſe tertium. LAMB. Aii *Dici poſſit ab:* Alii *poſſit dicier:* eligat Lector. CREECH.

431. *Poſſit dicere*] Ita MS. ſed diverſimode legi in MSS. Lamb. & Gifan. oſtendunt. forte refingendum ita:

---- ---- *quod poſſit dicier omni*
Corpore ſejunctum.

uti ſuſpicatus quoque eſt Gifanius. HAV.

433.

Praeterea nihil eſt, quod poſſis dicere ab omni
Corpore ſejunctum, ſecretumque eſſe ab Inani:
Quod quaſi tertia ſit numero natura reperta.
Nam quodcunque erit, eſſe aliquid debebit id ipſum

INTERPRETATIO.

Præterea Nihil eſt quod dicere poſſis neque Corpus *eſſe neque* Inane, *quod ſit tertium rerum genus,* Omniſque *pars: Quodcunque enim eſt, vel majori*

VARIÆ LECTIONES.

431. *poſſis dicere.* poſcis G. dicier (vel dici) poſſit K.
433. Delet F. *quod quaſi.* quo quaſi H 1. Bm. Q. X. quæ quaſi tertia ſit. *Creech. numero natura.* Ita A. B. D. I. V. L. Q 1. Y. Z. Alii *rerum natura* ex gloſſa.
434. *eſſe aliquid.* eſſe aliud C. P. eſſe quid H 1. *id ipſum.* ad ipſum Q.

NOTÆ.

433. *Tertia ſit numero*] Ita vet. libri; in vulgatis: *rerum.* Gif. Sic habent quattuor libri manuſcripti,

Quod quaſi tertia ſit numero natura reperta:

quos ſecutus ſum. vulgati,

Quod quaſi tertia ſit rerum natura reperta.

dixit autem *tertia numero*, ut dicimus *tertium ordine.* Lamb. Quidquid eſt, inquit Lucretius, id vel corpus eſt vel Inane;

Præterea nihil eſt quod poſſis dicere ab omni
Corpore ſejunctum, ſecretumque eſſe ab Inani,
Quod quaſi tertia ſit numero natura reperta.

In verſu tertio MSS. Codd. quidam habent *quo*, non *quod.* Sed non eſt tanti. debuerat enim ex- debuerat enim expungi hic verſus, quippe qui ex concluſione ſeu orationis clauſula petitus & huc translatus ſit: mox enim legitur:

Ergo præter Inane & corpora, tertia per ſe.
Nulla poteſt rerum in numero natura relinqui.

Deinde & Latinitas vitioſa eſt: *Nihil eſt* quod poſſis *dicere ſejunctum, &c.* quod ſit quaſi *tertia natura reperta.* al. habent, *tertia ſit numero.* Sed nihilo melius. Fab. Nimis rigide hunc verſum hinc exulare jubet Faber; Sed, pro *quod quaſi*, *quæ quaſi.* non temere ſubſtituit Creechius. Alii: *quo quaſi.* Natura autem & hic & verſ. 447. & ſæpius dicitur, quæ alias ſimpliciter *res.* At legendum erit, prout plerique libri habent:

Quo quaſi tertia ſit numero natura reperta.

Preig.

Pro *Rerum*, Alii legunt *Numero.* Nec lis inter harum vocum Patronos facile componatur, cum qui *Rerum*, æquè ac qui *Numero* amat, v. 447. Autoritate ſeipſum tueri poſſit; Totum vero hunc verſum rejicit *Faber*, & exiſtimat illum ex concluſione ſeu Orationis clauſula petitum, & huc tranſlatum fuiſſe: Deinde dicit Latinitatem eſſe vitioſam: *Nihil eſt* quod poſſis *dicere ſejunctum*, &c. quod ſit quaſi *tertia Natura reperta.* Ita ille: Quid autem ſi legamus *Quod dici poſſit?* Quid ſi *quod poſſit dicier?* Quid etiam ſi legamus, *Quæ quaſi Tertia?* dum Cod. MS. B. aliique agnoſcunt *Quo?* Profecto iſta omnia incorruptum vetuſque Latium ſapiunt; nec *Illius* Authoritas tanta eſt, ut omnium Codicum fidei præferatur. Creech.

434. *Nam, quodcunque erit, eſſe aliquid, &c.*] Secutus ſum libror. manuſcr. & Vicetinorum auctoritatem, qui ita habent, ut ego excudendum curavi. cujus ſcripturæ hæc mihi ſententia videtur eſſe: In hoc univerſo nihil eſt præter corpus & inane. Quid ita? quidquid erit, vel erit ingenti mole ac magnitudine præditum, vel perparvum & perexiguum, dummodo ſit: quod quidem ſi tangi poterit, corpus erit: ſin tangi non poterit, erit inane. Sed libri typis excuſi, Pariſienſes, Veneti utrique, Florentini, Lugdunenſes, ſic:

Nam quodcunque erit, eſſe aliud debebit, &c.

cujus ſcripturæ ſi quis eam probabit, hæc ſententia videtur eſſe: Nihil eſt in univerſo præter corpus & inane. Nam ſi quid erit præterea, id ipſum aliud erit, id eſt, differet vel magnitudine, vel parvitate quantulacunque, dummodo

Augmine vel grandi, vel parvo denique, dum ſit;
Quoi ſi Tactus erit quamvis levis, exiguuſque,
Corporum augebit numerum, ſummamque ſequetur;
Sin Intactile erit, nulla de parte quod ullam
Rem prohibere queat per ſe tranſire meantem;
Scilicet hoc id erit Vacuum, quod Inane vocamus.
Praeterea, per ſe quodcunque erit, aut faciet quid,

Aut

INTERPRETATIO.

vel minori mole definitum eſt, quod ſi ullo modo tactile ſit, id profecto inter Corpora annumerari debet: Sin vero nullo modo tactile ſit, neque ex ulla parte res per ſe tranſeuntes impediat, Id profecto idem eſt quod Inane *dicimus. Præterea quodcunque exiſtit, aut ipſum poteſt agere;*

VARIÆ LECTIONES.

435. *Augmine.* agmine C. Q.
437, *Corporum.* corporis G. Q 1. Y. Z. corporeum M. H 2. not. *Pii. Alii* corporum adaugebit.
438. *Sin.* cum X.
439. *tranſire.* tranſere G. Y. Z. ſed in utroque corr.

NOTÆ.

ſit, id eſt dummodo id ipſum non ſit ita parvum, ut jam amplius non ſit. Quod quidem ſi tangi poterit, in corporibus numerabitur: ſin autem tangi non poterit, erit inane. Ergo nihil eſt præter corpus & inane. Lamb. *Eſſe aliud* Alii: in cujus inſanæ Lectionis interpretatione nollem *Lambinum* tot verba perdidiſſe. Creech.

436. *Tactus*] Intellige tactilitatem, in notione paſſiva ſcilicet. Fab.

437. *Corporum augebit*] Hæc veriſſima ſcriptura, ut & ſupra ſæpe. Marullus: *Corporeum*, Alii: *Corporis. &c.* Gif. Magna eſt hoc loco librorum typis excuſorum varietas: Florentini ſic habent,

Corporeum augebit numerum,

plane mendoſe. Pariſienſes, & Lugdunenſes alteri,

Corporum adaugebit numerum:

nonnulli, quibuſcum conſentiunt quattuor libri manuſcripti,

Corporis augebit numerum.

Vicetini & Lugdunenſes alteri,

Corporum augebit numerum:

& ita Memmianus: quam ſcripturam veram & rectam eſſe judicavi. Ex hac autem vera ceteræ vitioſæ natæ ſunt, dum alii offenſi poſtrema ſyllaba vocis *corporum*, in qua *m* non eliditur, ut neque olim interdum elidebatur, ex ea faciunt *corporis*: alii ex verbo *augebit*, faciunt *adaugebit*. veteres autem interdum è verſu non eliſiſſe litteram *m*, apparet ex verſibus Ennii, & ejuſdem Lucretii. Ennius lib. 10. Annal. p. 91.

Inſignita fere tum millia militum octo
Duxit dilectos bellum tolerare potenteis.

Lucretius lib. 2: 465.

Nam quod fluvidum eſt, è levibus atque rotundis
Eſt.

Idem lib. 3: 1095.

Sed dum abeſt quod avemus, id exſuperare videtur
Cetera.

Idem lib. 4: 1256.

Eicit enim ſulci recta regione, viaque
Vomerem, atque locis avertit ſeminis ictum.

Horat. ſat. 2. libr. 2: 28.

--- --- num veſceris iſta,
Quam laudas, pluma? cocto num adeſt honor idem. Lamb.

441.

Aut aliis fungi debebit agentibus ipſum,
Aut erit, ut poſſint in eo res eſſe, gerique:
At facere & fungi ſine Corpore nulla poteſt res:
Nec praebere locum porro, niſi Inane, Vacanſque.
Ergo praeter Inane, & Corpora, tertia per ſe
Nulla poteſt rerum in numero natura relinqui;
Nec, quae ſub ſenſus cadat ullo tempore noſtros,

Nec,

INTERPRETATIO.

vel ab aliis agentibus poteſt pati; aut id erit in quo Res poſſunt eſſe, fieri, & moveri: At nihil præter Corpus *poteſt agere vel pati, & ſolum* Inane *poteſt dare locum in quo res ſint, fiant, vel moveantur. Ergo nullum poteſt eſſe tertium Rerum Genus, ab* Inani *&* Corpore *disjunctum, quod vel ſub ſenſus noſtros unquam cadat;*

VARIÆ LECTIONES.

442. *fungi.* fingi X. *debebit.* debebat Q. X.
443. *poſſint.* poſſunt G. Y. Z.
444. *At facere & fungi.* Aut facere & fieri Q 1. Aut f. & fungi X.
445. *niſi.* nec Q. X.
446. *Ergo præter &c.* Hic verſus omiſſus eſt, verum ex MSS. adſutus Q.
447. *relinqui.* reliqui G.
448. *cadat.* cadet P.

NOTÆ.

441. *Præterea, &c.*] Iterum v. 9. docet nihil eſſe per ſe exiſtens præter *Corpus* & *Inane.* Quodcunque enim eſt; vel in aliud Agere, vel ab alio Pati poteſt. Id autem erit *Corpus.* Quodcunque enim, Agit vel Patitur, Tangitur aut Tangit: Vel eſt id in quo Res ſitæ ſunt, in quo etiam fiunt, & moventur: Id autem *Inane* eſt: Nullum igitur eſt Tertium rerum Genus, quod ſenſu (qui *Corpus* eſſe docet) vel Ratione (quæ *Inane* demonſtrat) deprehendere valeamus. Epicurus, τὸ δρώμενον, ἢ πάχον, σῶμά ἐστι· τὸ δὲ κενὸν οὔτε ποιῆσαι, οὔτε παθεῖν δύναται, ἀλλὰ κίνησιν μόνον δι' ἑαυτοῦ τοῖς σώμασι παρέχει. Creech. Diſtinguebatur male antea:

Præterea per ſe quodcunque erit, aut faciet quid,
Aut aliis fungi debebit agentibus ipſum;
Aut erit ut poſſint in eo res eſſe gerique:

Reſpondent enim tribus hiſce prædicatis, ut loquuntur, totidem verba, quæ ſequuntur: *Facere, Fungi, Locum præbere.* Verbum autem *Geri* hic manifeſto τῷ *Facere quid* opponitur, adeoque immerito in *Geni* & hic transformatur a Lambino. Preig.

442. *Aut aliis fungi debebit*] Ordo verborum hic eſt: aut ipſum debebit fungi id eſt pati, aliis agentibus. Lamb. *Fungi.* Vox Lucretiana pro *pati.* Fab.

443. *Aut erit, ut*] Id eſt, aut erit ejuſmodi, ut in eo res eſſe, & geri, ſeu gigni poſſint. Lamb.

443. *Gerique*] *Geri*, id eſt à natura adminiſtrari, tanquam ab imperatrice, & omnium rerum parente, & domina: vel, ſi legamus *geni*; geni, id eſt gigni, ut ſupra diximus. Quod autem Thraſo *geri* interpretatur moveri, digna mehercle interprete interpretatio, hoc eſt ridicula, atque inepta. Nam primum hoc dico, *geri* nuſquam in tota lingua Latina ſignificare moveri: deinde quod idem profert hæc verba Epicuri ex Diog. Laërtio, adverſus meam, ut ait, auctoritatem, τὸ κενὸν οὔτε ποιῆσαι, οὔτε παθεῖν δύναται, &c. ea vero me non fugerunt. à me enim relata ſunt ſupra ad illum locum,

Quod ſi non eſſet: nulla ratione, &c.

Sed quod iſte nunc ea profert, nihil ad rem. nam præbere locum corporibus, & tale aliquid eſſe ut in eo res eſſe, aut moveri poſſint, hæc ſunt propria inanis: & quod eſt hujuſmodi, ut in eo res,

 ſive

Nec, ratione animi quam quiſquam poſſit apiſci.
Nam quaecunque cluent, aut his Conjuncta duabus
Rebus ea invenies; aut horum Eventa videbis.
Conjunctum eſt id, quod nunquam ſine perniciali
Diſcidio potis eſt ſejungi, ſeque gregari:

Pon-

INTERPRETATIO.

vel quod cogitatione aſſequi poſſimus. Omnia enim alia quæ exiſtere videntur, inveniemus eſſe aut Conjuncta *Corporis & Inanis, aut illorum* Eventa. Conjunctum *autem id eſt quod non poteſt ſeparari à Re ſine ipſius Rei interitu.*

VARIÆ LECTIONES.

449. *animi apiſci.* panimi adipiſci X.
450. *cluent.* ciuent Z. *duabus.* duobus G. Z. ut & in Y. ſed ibi corrigitur.
452. *nunquam.* nuſquam V. Y. Z.
453. *gregari.* greagari Y. Z. ſed in utroque *a* deleta eſt.

NOTÆ.

ſive corpora moveri, aut eſſe poſſint, id eſt inane, & id corporibus locum præbere poteſt, ſive moveantur, ſive quieſcant. *Gerere* autem, ut docet Varro, valet ſuſtinere. ex quo imperatores *bellum* & *res gerere* dicuntur, tanquam onera. Sed quid agas cum iſtis, qui nihil præter os habent? Lamb. *Genique* P. & alii, improbè. *Gerique* eſt fieri & moveri, dum enim *Gerere* idem apud Lucretium, ac *Facere* aut *Adminiſtrare*, ut in v. 329.

Corporibus cæcis igitur Natura Gerit *res:*

immerito *Lambinus* Gif. ſuccenſet quod *Geri* interpretetur *Moveri.* Sine motu enim nihil Natura vel agit, vel adminiſtrat. Creech. Ita omnes libri, ut & inf. v. 472.

---- ---- *res in quo quæque geruntur.*

Et mox: v. 479.

Perſpicere ut poſſis res geſtas ---

Geri, id eſt moveri. Hanc rem ita confirmat Laërtius; ubi ait Epicurum docuiſſe: Τὸ καὶ κενὸν οὔτε ποιῆσαι, οὔτε παθεῖν δύναται, ἀλλὰ κίνησιν μόνον δι' ἑαυτοῦ τοῖς σώμασι παρέχεται. Hæc propter Lambini auctoritatem adnotavimus. vid. & inf. 2: 166. Preig.

449. *Nec, ratione animi quam*] Nec ulla tertia natura eſt, quam quiſquam *ratione animi*, id eſt intelligentia, *apiſci*, id eſt comprehendere, poſſit, verbo *apiſci* utitur & lib. 6: 1234.

Quippe etenim nullo ceſſabant tempore apiſci, &c. *ratione animi* autem, id eſt intelligentia, & cogitatione. quod loquendi genus Lucretio uſitatum eſt. Lamb. *Ratione animi*, Διανοίᾳ, cogitatione, intelligentia. Fab.

449. *Apiſci*] Apprehendere. Gr. ἅπτεσθαι. Fab.

450. *Cluent*] Videntur, nominantur, ſunt, aut dicuntur eſſe præter corpus & inane. Lamb. Cum vero plurima dicimus *Eſſe* præter Corpus & Inane, ut Bellum *eſt*, Pax *eſt*, Calor *eſt*, &c. Ne ex communi hoc uſu loquendi errores naſcerentur, monet ver. 10. haec Omnia *Conjuncta* tantum eſſe, vel *Eventa* Corporis & Inanis: *conjunctum* (σύμπτωμα ſive proprium accedens) eſt, quod non poteſt abeſſe ſine interitu ſubjecti: Quale eſt Calor in Igne, Humiditas in Aqua, &c. *Eventum* vero (συμβεβηκὸς ſive Accidens commune) quod poteſt abeſſe vel adeſſe ſine ſubjecti interitu; Quale eſt Bellum, Paupertas, Concordia, &c. Creech.

451. *Horum eventa*] Τούτοις συμβεβηκότα, quæ vulgo *accidentia* appellant: quæ ſic definiuntur: Συμβεβηκότα ἐστὶν, ἃ γίνεται, καὶ ἀπογίνεται χωρὶς τῆς τοῦ ὑποκειμένου φθορᾶς: id eſt, *Eventa ſunt, quæ adſunt, & abſunt ſine ejus, quod eis ſubeſt, interitu.* M. Tull. lib. 2. de Nat. Deorum: *Epicurus ita divídit, omnium quæ ſint, naturam, eſſe corpora, & inane, quæque his accidant,* Lamb. *Conjuncta, Eventa* Gr. συμβεβηκότα, καὶ συμπτώματα, Intellige autem accidentia. Ex illis vero quæ ſunt inſeparabilia (ἀχώριστα Stoicis,) ea *conjuncta* dicuntur Lucretio, alii *propria* vocant; ſed quæ *e-*

ven-

Pondus uti ſaxis, Calor ignibus, Liquor aquaï,
Tactus Corporibus cunctis, Intactus Inani.
Servitium contra, Libertas, Divitiaeque,
Paupertas, Bellum, Concordia, caetera, quorum
Adventu manet incolumis natura, abituque,

Haec

INTERPRETATIO.

Tale eſt Gravitas in Lapide, Calor in Igne, Humiditas in Aqua, Tactilitas in Corpore omni, & Intactilitas in Inani: Contra vero, Servitus, Libertas, Opes, Paupertas, Bellum, Concordia, reliquaque omnia quæ vel ad Rem adveniunt, vel à Re abeunt ſine interitu illius Rei,

VARIÆ LECTIONES.

454. *ſaxis.* ſaxi C. E. N P. *ignibus.* ignis C. E. G. P. N Q. X. Y. Z. *liquor.* licor G. *aquaï.* aquarum H 1. P. Q. X. aquæ Y.

456. *libertas.* paupertas G. Q. Y. Z. *divitiæque.* divi æque libertas G.

457. *paupertas.* libertas Q. Z. & bis eadem vox in Y.

458. *natura.* delet X.

NOTÆ.

venta dicuntur huic noſtro, ea vulgo *accidentia communia* vocitantur. Conjunctum, ut τὸ συμβεβηκὸς, notat aliquid extraneum, & à caſu, σύμπτωμα. Quod notio verbi attentius conſiderata ſuadet. Fab.

452. *Conjunctum eſt*] Declarat, & definit, quæ dicat conjuncta. Sunt igitur ea *conjuncta* (inquit) quæ rei alicui, ſive ſit corpus, ſive inane, ita adhæreſcunt, ut ſine ejus interitu ſeparari non poſſint: ut pondus conjunctum eſt ſaxis, neque ab iis ſegregari ullo modo poteſt ſalva ſaxorum natura. nam ſi pondus ſaxo demas, jam deſinat eſſe ſaxum. Lamb.

452. *Sine perniciali*] Intellige inſeparabilia, ut pondus à ſaxo ſeparari nequit, &c. ſed eventa poſſunt. Mox fuſius explicabit; & res nota eſt. Fab.

553. *Diſcidio*] Sic habet cod. Vaticanus, quem ſecutus ſum. *diſcidium* autem à verbo *diſcindo* ductum eſt: ut *exſcidium*, ſeu *excidium* ab *exſcindo.* Lamb.

453. *Potis eſt*] Poteſt. Priſcianus lib. xv. tradit, hic & hæc *potis* dici & hoc *pote.* Unde Perſius 1: 70.

Qui pote? vis dicam?

id eſt quomodo poſſibile eſt. Hinc fit comparativum *potior* & ſuperlativum *potiſſimus*: & adverbium *potiſſimum.* Pius. Neutraliter. De quo ad alium quemdam poëtæ noſtri locum. Fab.

453. *Seque gregari*] Quod interpoſitum gratia metri pro *ſegregari*, hoc eſt abinvicem ſecerni. Quale illud apud Virgilium libro nono Æneid. 288.

Inque ſalutatam linquo.

pro

Inſalutatam:

& eſt tmeſis, ut Æneid. 10: 794.

--- --- *Inutilis inque ligatus*
Cedebat. Pius.

454. *Pondus uti ſaxis, calor ignibus, liquor aquai*] Sic reſtitui ex auctoritate codicis Bertiniani, & vulgatorum Vicetinorum, cum in ceteris vulgatis omnibus legatur, *Pondus uti ſaxi, calor ignis,* Lamb.

454. *Saxis*] Ald. *Saxi.* non placet. Gif.

455. *Tactus corporibus*] Nam tactus ſenſus eſt maximè omnium corporis proprius. Lamb.

455. *Intactus*] Mira compoſitio, ſeu junctura. nam *intactus* contrarium quiddam eſt *tactus*, καὶ τὸ ἀναφὲς, quemadmodum *incultus* apud Salluſtium de bello Jugurth. *cultui* opponitur, & apud omneis probatos auctores Latinitatis, *injuſſus*, *juſſui*: quamquam hoc vix alibi præterquam in ſeptimo caſu reperitur, ut cum dicimus, *injuſſu*

 im-

Haec ſoliti ſumus, ut par eſt, EVENTA vocare.
Tempus item per ſe non eſt, ſed Rebus ab ipſis
Conſequitur ſenſus, tranſactum quid ſit in ævo,
Tum quae Res inſtet; quid porro deinde ſequatur:
Nec

INTERPRETATIO.

Eventa *Rerum, ut æquum eſt, ſolemus nominare. Tempus etiam non eſt Ens per ſe exiſtens, ſed ex ipſis rebus Mens noſtra colligit quid præteritum, quid præſens, quid futurum ſit;*

VARIÆ LECTIONES.

460. *per ſe.* perſonæ G. *ſed.* de Y. ſed corrigitur.
462. *porro deinde.* pars deinde D.

NOTÆ.

imperatoris de præſidio decedere, & apud Plautum Trinummo, 1: 2: 130. *inconſultu meo.* LAMB.

455. *Tactus, intactus*] Tactilitas & intactilitas. Ita enim intelligi debet ut ſupra. FAB.

460. *Tempus item per ſe non eſt*] Vult tempus eſſe ὂν ratione tantum, non re. Sed præſtat unam (ſunt autem plures) rationem adſcribere, per quam poſſit negare aliquis tempus eſſe: quam refert Ariſt. lib. 4. φυσικ. Ὅτι μὲν οὖν ὅλως οὐκ ἔστιν, ἢ μόγις, καὶ ἀμυδρῶς, ἐκ τῶνδέ τις ἂν ὑποπτεύσειε. τὸ μὲν γὰρ αὐτοῦ γέγονε, καὶ οὐκ ἔστι· τὸ δὲ μέλλει, καὶ οὔπω ἐστίν. Ἐκ δὲ τούτων, καὶ ὁ ἄπειρος, καὶ ἀεὶ λαμβανόμενος χρόνος σύγκειται. τὸ δ᾽ ἐκ μὴ ὄντων συγκείμενον, ἀδύνατον ἂν δόξειε κατέχειν ποτὲ οὐσίαν, &c. id eſt, *Non eſſe igitur omnino tempus, aut vix, & obſcure, ex his ſuſpicari quiſpiam poſſit. Nam alia quidem ejus pars præteriit, & non eſt: alia futura eſt, & nondum eſt. Ex his autem & infinitum, & quod ſemper ſumitur, tempus conſtat. At quod conſtat ex partibus, quæ non ſunt, fieri non poſſe videatur, ut eſſentiæ locum obtineat*, &c. Idem eodem lib. tempus definit eſſe numerum motionis ex eo quod eſt prius & poſterius. Tempus igitur (inquit Lucretius) per ſe non eſt, ſed ex rebus olim geſtis & præteritis, tempus præteritum cognoſcimus: ex iis rebus quæ hodie ſunt, ac fiunt, præſens: ex iis quæ ſunt futuræ, & quas futuras ſuſpicamur, aut divinamus, aut quas cogitamus, futurum. LAMB. Dixeris, eſſe aliud quid in rerum natura, quod nec agit, nec patitur; nec locum præbet gignundis rebus; Ergo minus vere ajebas modo, &c. Falleris, inquit Lucretius, nam tempus, cum nec agat nec patiatur, nihil eſſe poteſt; ergo, &c. nam ſine moto & movente non eſt. FAB. Qui Paupertatem, Bella, Pacem, &c. inter Eventa poni haud graviter ferebant, magnificentius de *Tempore* ſentiebant. Pythagoras, Heraclitus, Alii (vide Empiricum adv. Phyſ. lib. 21.) Corpus eſſe, Stoïci vero Incorporeum Aliquid eſſe docuerunt: His omnibus Epicuri ſententiam v. 5. opponit Lucretius, quam accipe Lector *Gaſſendi* verbis luculentius explicatam: Tempus eſt Eventum cogitatione duntaxat ſeu mente attributum rebus, prout concipiuntur in eo, in quo ſunt, ſtatu perſeverare, aut deſinere & longiorem aut breviorem exiſtentiam tueri; ac ipſam habere, habuiſſe, aut habituræ eſſe. CREECH.

461. *Conſequitur*] colligit, cognoſcit, percipit. GIF. & LAMB.

461. *Senſus*] Cogitatio: nam per memoriam amplectimur præterita, de futuris autem ratiocinamur. Item memoria ſublata tempus præteritum nihil eſt; futurum nondum eſt; præſens quoque, niſi de eo cogites, non magis eſt quam utrumque. FAB.

461. *Conſequitur*] συλλογίζεται, *colligit.* FAB.

463. *Porro*] *Pars* edidit *Fayus*, eodem judicio quo v. 476. *Clara* interpretatus eſt *notiſſima.* CREECH.

463. *Nec per ſe quemquam*] Idcirco eodem lib. Ariſtoteles ait tempus eſſe numerum eum, qui numerari poteſt, aut qui numeratur, non quo numeramus, id eſt, ἀριθμὸν ἀριθμητὸν, ἢ ἀριθμούμενον, οὐχ ᾧ ἀριθμοῦμεν. LAMB. Senſus eſt: Tolle

Nec per ſe quemquam Tempus ſentire fatendum eſt
Semotum ab rerum motu, placidaque quiete.
Denique Tyndaridem raptam, Belloque ſubactas
Trojugenas genteis quum dicunt eſſe, videndum eſt,

Ne

INTERPRETATIO.

(Res enim ipſæ aliquæ ſunt præteritæ, præſentes aliæ, & aliæ futuræ) *Nec quis unquam* Tempus *conceperit per ſe, & non conſideratis ſimul rebus aliquibus vel moventibus vel quieſcentibus.* *Denique cum dicunt Helenam raptam* eſſe, *Trojanas gentes Bello victas* eſſe, *cavendum eſt,*

VARIÆ LECTIONES.

464. *ab rerum.* a rerum X.
465. *ſubactas.* ſubactos X.
466. *cum dicunt.* ut dicunt E. N P. ut ducunt X.

NOTÆ.

le motum, tolle quietem, nulla temporis notio eſt. Iſtud autem *per ſe* jungi debet non cum *quemquam*, ſed cum *tempus.* Fab.

465. *Tyndaridem*] Helenam Tyndari filiam. Denique (inquit) cum dicunt vulgo: Helenam olim raptam eſſe, & Trojanos devictos eſſe: videndum eſt, ne forte hæc cogant nos fateri tempus *eſſe* per ſe, quod eſt falſum. Lamb. Helenam Tyndari filiam. Ceterum tam alio exemplo uti poterat: ut Philippi, Epaminondæ, Xerxis, &c. quam Helenæ; ſed hoc illuſtrius viſum eſt, καὶ ποιητικώτερον, Fab.

466. *Cum dicunt eſſe*] *Uti* vet. quidam libri. Gif. Secutus ſum codicem Bertinianum, & Memm. manuſcr. & Florentinos, & quoſdam alios impreſſos. Nam ceteri manuſcripti, & impreſſi habent, *ut dicunt eſſe*, planè, mea quidem ſententia, mendoſe. Suſpicatus ſum autem aliquando ex hac codicum varietate legendum, *qui dicunt eſſe:* quod ne nunc quidem diſplicet. Lamb. Haud ſcio an facile explicare poſſim, quid ſentiam, ſed ego, ut potero, dicam. Hæc objectio Latine fieri poſſe videtur, Græce non ita. Nam ſermonis Latini inopia cogit, ut utamur verbo *ſum, es, eſt*, in re temporis præteriti, ubi quid factum dicere volumus. Itaque ſi quis dixerit, *Victum eſt Ilium*, extemplo argutator aliquis reſponderit, *Victum eſt?* ergo eſt. quod falſum. At Græce hic luſus ſophiſmaticus in nebulam abiret; nam diceremus ἐνικήθη, κατεφλέχθη neque opus haberemus verbo ἐστὶ ad enunciationem illam formandam. Hunc locum ſic neceſſario intelligendum arbitror. Si fallor, hoc habeo ſolatii, me aliorum opinionem non ignorare. Certe quæ addit Lucretius, huic explicationi maxime favere videntur. Fab. Hæc *Faber*, quo nemo melius: verſu igitur 7. captioſum Sophiſma ſolvit, ex communi uſu loquendi, quo dicimus res præteritas geſtas *eſſe*, ductum: & huc ſpectare exiſtimo omnia illa, quæ de accommodandis tempori familiaribus ſermonis formis, Epicurus ſcribit in Epiſt. ad Herodotum: οὔτε διαλέκτους, ὡς βελτίους, μεταληπτέον, ἀλλ' αὐταῖς ταῖς ὑπαρχούσαις κατ' αὐτοῦ χρηστέον. Qui vero dixerit has eſſe nugas dialecticas, veriſſimum dixerit: Nec nugaretur Lucretius, niſi *Stoïci* (inter quos & Epicuræos immortale odium) futiliſſimi Hominum, hiſce argutiis ineptire coëgiſſent. Creech. Ego lacerum Poëtam non exiſtimo, (ut Creechius putat ad v. 469.) verum ita eſſe explicandum: Dicunt Trojugenas gentes *eſſe* ſubactas bello & Tyndaridem *eſſe* raptam; at cave ne, dum hæc audias, interpretoris, quaſi illud *eſſe* præſens etiam denotet tempus, quum (ex verſu 461. & 462.) probe inter tres temporis articulos ſit diſtinguendum; & tempus quidem *ſit*, ſed non *per ſe* (verſu 461.) neque ita ſemper idem; nam quidquid evenerit, ſive actum erit, poterit dici EVENTUM, ſed alia ratione rebus, alia ratione regionibus. id eſt: hoc eſt *eventum*, Rapta eſt Tyndaris & ſubacti ſunt Trojugenæ, eſtque hoc *Eventum Rei*, idque adhuc eſt & manet, diciturque in præſenti; at *Eventum Regioni* ſeu *Regionibus*, jam eſt eventum *Tempori*, ſeu *Temporibus;* atque adeo tranſactum, &

de

Ne forte haec per ſe, cogant nos Eſſe fateri:
Quando ea ſaecla hominum, quorum haec eventa fuêre,
Irrevocabilis abſtulerit jam praeterita aetas.
Namque aliud Rebus, aliud Regionibus ipſis
EVENTUM dici poterit, quodcunque erit actum.
Denique Materies ſi rerum nulla fuiſſet,

Nec

INTERPRETATIO.

Ne hic etiam communis loquendi uſus inducat nos concedere: Hæc eſſe per ſe; *quando omnes illos Homines, quorum hæc fuere Eventa, præterita ætas, quæ nunquam revocari poteſt, abſtulit***. Omnes enim res geſtæ ſunt Eventa, vel hominum ipſorum qui gerunt, vel Locorum in quibus geruntur. Denique ſi nulla fuiſſent Corpora,*

VARIÆ LECTIONES.

467. *Ne forte.* ne contra A. N. cuncta O. cogant cogitant Z marg. C. E. *eſſe fateri.* forte fateri A marg. C E. N. contra fateri H 1. Q. cuncta fateri P. Nec contra hoc cogeant per ſe nos forte fateri X.

468. *Quando ea.* Quando & A. B. D. *quorum.* corum G. *fuêre.* fuerunt G. Y. fuerit Z.

470. *aliud Rebus.* aliud Terris A mar. C. E. G. N. P. Q. X. Y. Z. *aliud r.* alid r. G.

NOTÆ.

de eo debemus dicere quod fuerit, non quod ſit. Quæ cuncta planiora, atque nullo modo obſcura erunt, ſi pro *regionibus* legere licet *temporibus*; quomodo Tempus opponitur Rebus, ſupra verſ. 440. HAV.

467. *Ne forte hæc per ſe cogant nos, eſſe fat.*] Sic habent quattuor libri manuſcr. ſine ulla varietate. Excuſi autem inter ſe diſſentiunt: In aliis ſic eſt,

Ne contrà hæc per ſe cogant nos forte fateri:

In aliis hoc modo,

Ne contrà hæc per ſe cogant nos eſſe fateri.

quam ego ſcripturam omnibus antepono, cum præſertim eam confirmet cod. Memmianus. In Pariſ. & Venetis antiquiorib.

Ne fortè hæc per ſe cogant nos cuncta fateri. LAMB.

468. *Quando*] Quoniam. LAMB.

468. *Sæcla hominum*] Genera hominum. LAMB.

468. *Quando & ſæcla*] Quaſi dicat, Quî tandem hæc ſint, cum illi homines non ſint amplius, quorum eventa fuerunt illæ ſeu hiſtoriæ, ſeu fabulæ? At eventorum natura nota eſt; ergo. &c. Hi vero duo verſus intra parentheſin includendi. FAB.

469. *Præterita ætas*] Poſt hunc verſum hiatum in Interpretatione reliqui, nec temerè: quis enim non videt omnes iſtos excidiſſe verſus, qui ſolutionem Sophiſmatis continebant? Lacerum verò Poëtam eſſe teſtor verſus quoſdam à veteribus laudatos, *Nonius* in voce *Torpor.*

--- *Tantus conduxerat omnia Torpor.*

Lucret. quas tamen voces in *Lucretio* hodiè ne quæras. CREECH. At vide ſup. ad v. 466. HAV.

470. *Namque aliud rebus*] Sic legendum, non ut vulgo, *aliud terris.* hoc enim ſignificat, quidquid actum eſt, eventum eſſe vel rebus, id eſt perſonis: vel regionibus. neque verò eſt quòd quemquam moveat ſyllaba *bus* brevis, quæ hic longa ſit. LAMB.

472. *Denique materies, &c.*] Sophiſma iterum aggreditur, & v. 12. demonſtrat *res olim geſtas* non per ſe conſtare, ſed Inanis & Corporis *Eventa* eſſe: quoniam ſi nullum Corpus & Inane olim extitiſſet: iſtæ res numquam fuiſſent geſtæ. CREECH.

472. *Res in quo quæque geruntur*] Si vulgatam ſcripturam ſequimur, ac probamus, intelligendæ ſunt res bellicæ, laborioſæ, ac præclaræ, quæ *geri* dicuntur ab imperatoribus, & regibus; vel, *geruntur* accipiendum eſt pro aguntur, ut ſit tralatio ab imperatore & principe res gerente. ſin *genuntur*

Nec Locus, ac Spatium, res in quo quaeque geruntur;
Nunquam Tyndaridis formae conflatus amore
Ignis Alexandri Phrygio ſub pectore gliſcens
Clara accendiſſet ſaevi certamina belli:
Nec clam durateus Trojaï Pergama partu
Inflammaſſet equus nocturno Grajugenarum;

Per-

INTERPRETATIO.

nec Locus & Spatium in quo res fierent, nunquam Ignis amore pulcherrimæ Helenæ excitatus, & creſcens in pectore Paridis Phrygii, ſplendida ſævi belli certamina accendiſſet: Nec ligneus Equus clam, & noctu e ſuo alvo Græcos iſtos Milites effudiſſet, qui Pergama Trojanorum Urbem igne vaſtarunt.

VARIÆ LECTIONES.

473. *geruntur.* genuntur L.
474. *formæ.* forma G. Y. Z.
476. *accendiſſet.* accediſſet G. *certamina.* certaminea Y. ſuperſcr. *a.*
477. *clam.* abeſt X. *durateus.* dira tegens Q. 1. dura tuens Q. 2. *Troiai.* Trojanis A. B. C. D. E. I. P. N. X. Y. Z.
478. *equus.* equos G. equos Z. ſed ſub *o* punctum eſt.

NOTÆ

tur malumus: (quod ego quidem magis probo) referendum eſt ad res naturaleis, quæ fortuito primordiorum concurſu & conflictu in ſpatio & inani gignuntur. Quoniam autem in omnibus libris *geruntur* ſcriptum reperi, & ex hac ſcriptura probabilem ſententiam elici poſſe arbitror, ita excudendum curavi. Lamb.

475. *Ignis*] Æſtus, cupiditas, libido, quæ eſt inſtar ignis & flammæ. ſic Horat. oda 14. libr. Epod. 13.

--- --- quod ſi non pulchrior ignis
Accendit obſeſſam Ilion, &c. Lamb.

475. *Alexandri*] Paridis, qui nomen παρὰ τὸ ἀλέξειν, hoc eſt ab *expellendo* deflectit, quod abacta armenta latronibus interemptis recuperavit: propterea cecinit Ovidius in Epiſt. circa fin.

Pene puer victis abducta armenta recepi
Hoſtibus: & cauſam nominis inde tuli.

Pius. Paridis, qui cur ita dictus ſit, docebit Euſtath. & Apollod. in III. Fab.

475. *Gliſcens*] Gliſcens ſub Phrygio Paridis pectore. *gliſcere*, creſcere eſt, & ita Feſtus, & Nonius Marcellus. Salluſtius: *Gliſcente vento.* Plaut. *Gliſcit proelium.* Virgil. lib. 12. Æneid. verſ. 9.

Haud ſecus accenſo gliſcit violentia Turno.

Cic. in Hortenſ. *Gliſcunt voluptates.* Lucr. lib, 4: 1062.

Inque dies gliſcit furor, atque ærumna graveſcit.

Idem lib. 3: 479.

Nant oculi? clamor, ſingultus, jurgia gliſcunt?

& lib. 5: 1060.

Cum metus, aut dolor eſt, &, cum jam gaudia gliſcunt. Lamb.

475. *Phrygio ſub pectore*] Sub pectore Paridis, qui Phryx fuit. Ita: *Tyrrhenam haſtam vibrabat*, Virg. id eſt, ipſe Tyrrhenus ὢν haſtam vibrabat, &c. hac figura delectabatur Virgilius. Fab. Creſcens, coaleſcens, ſed non id quod Gallice ſignificat, labi, inſinuare ſe, influere: alioqui grave in oratione vitium ſit; & tamen hunc errorem erravit Vir omni admiratione major in Phyſiologia, cum ſcripſit: *Videtur Epicurus exiſtimaſſe corpora illa minora, rotunda, lævia, gliſcentia, fuiſſe*, &c. item, pag. 672. *Horizontem quoque deflexum haberent, ac ſupra eum magis magiſque gliſcerent, donec conſiſtere omnino non poſſent.* Fab.

476. *Accendiſſet*] *Accendere bellum* Virg. etiam dixit. XII. Æn. 804. Claudian. I. in Ruff. 300. *accendit prælia.* II. in Ruff. 173. *accendit voce cohortes.* Preig.

Perſpicere ut poſſis Res Geſtas funditus omneis,
Non ita, uti Corpus, per ſe conſtare, nec eſſe:
Nec ratione cluere eadem, qua conſtat Inane:

Sed

INTERPRETATIO.

Hinc igitur facile colligas Res geſtas neque eſſe, neque per ſe exiſtere, nec eodem modo ſe habere quo Corpus *&* Inane.

VARIÆ LECTIONES.

479. *poſſis.* poſſit. Q.

480. *Non ita uti corpus &c.* Nec corpus per ſe conſtare neque eſſe G. Non ita ut c. p. ſ. c. neque eſſe X. Abeſt *ita uti* in Z.

481. *Nec.* neque Y. Z. *cluere.* luere G. Z. ſed man. rec. *cluere.* fluere Y. dicere Q. *conſtat.* conſtet. H 1. X.

NOTÆ.

477. *Nec clam*] Quod ſi non Paridis amor pellexiſſet Helenam Pergamum ad Trojanas arces, equus ille celeber, qui alvum armatis plenam gerebat, non Trojanis irrepſiſſet fatalis machina muris. Hanc hiſtoriam exequitur Maro libro Æneidos ſecundo: de quo Plautus in Bacchidibus, & de Epeo ejus artifice quædam: de quo Ovidius.

Sit licet antiquo manibus collatus Epeo.

Vitruvius captam Trojam affirmat tormento ligneo, cui nomen equus: unde Homero fabulandi datur occaſio. Ter ob equum periit Troja: cum Herculi Laomedom denegavit equos; cum eſt equo epejo capta dolo. Tertio cum Cinnae ter conſuli portas claudere voluiſſet, equus valvis interceptus claudendi facultatem ademit. Servius. De hoc equo varia in hiſtoriis lecta ſunt: ut Hyginus dicit, machinamentum bellicum fuit: ut alii porta, quam eis Antenor aperuit, equum pictum habuiſſe memoratur: vel certe domus Antenoris, quae equum pictum habuit, quo poſſet agnoſci. Aut equeſtri praelio victa eſt Troja, aut monte Hippio, poſt quem ſe abſconderant Graeci. Pius.

477. *Durateus*] Ligneus: dictio ex Graecia ſumpta. hic equus dictus eſt δούρειος, hoc eſt *ligneus*: unde nonnulli *duraus* hic legunt. ſed *durateus* ſcribendum auctore Homero, qui in octavo Odyſſeae δουράτεον vocat non ſemel. Ariſtophanes *durion* lingua communiore dictitavit: unde ſunt qui in Flacci Argonauticis legant,

—— *Manet immotis nox durica fatis.*

δουράτειός ἵππος καὶ δουράτεος ait Suidas, hoc eſt *durataeus* & *durateus* indiſcriminatum. Subdit. *Durius ligneus equus Graecorum: de quo Ariſtophanes.* μέγεθος ὅσον ὁ δούρειος. *de quo ſic inquit Lucilius poëta graecus.* Ὅυτως δούρειον ἵππον. ὅν εἰ Φρύγες εἷλκον ἅπαντες σὺν Δανάοισι σκαιὰς οὐκ ἂν ἐσῆλθε πύλας. Pius. *Durateus*, ſeu *durius equus*, id eſt ligneus: cujus opifex fuit Epius, ſeu Epeus. Lege Hom. Ὀδυσσ. θ. & Virg. libr. 2: Æneid. 401.

Inſtar montis equum, &c.

& 6. 515.

Cum fatalis equus, &c.

Feſtus, *Epeus nomen fabri, qui equum durateum fecit. equum Trojanum* interdum appellant ſcriptores: & ita ſemper M. Tullius: *equum Minervae* Horatius: *quaſi arte fabricatum*, *&* *ligneum.* quo nomine eum appellat Plautus in Bacchidibus. ſed de hoc equo plura diximus in commentar. Horatianis ad illum locum,

Ille non incluſus equo Minervae &c.

od. 6. libr. 4. Lamb. Ligneus. δόρατος, δούρατος, δόρυ δοῦρυ, lignum. *Dureus*, *Durius*, &c. δουρεῖος. Euripid. in Troad. rem explicat. Fab. Δουράτιος Hom. Odyſſ. 10. ex trabibus compactus. δουρεῖος Euripid. Troad.

Ὅθεν πρὸς ἀνδρῶν ὕστερον κληθήσε[ται]
Δουρεῖος ἵππος κρυπτὸν ἀμπίσχων δόρυ.

Creech. Adde Politian. Obſerv. cap. 5. Hav.

477. *Troiai Pergama*] Sic repoſui reclamanti-

477

Sed magis ut meritò poſſis Eventa vocare
Corporum, atque Loci, res in quo quaeque gerantur.
Corpora ſunt porro partim Primordia rerum,

INTERPRETATIO.

Sed potius eſſe Eventa Corporum, & Loci in quo iſtæ res geſtæ fiunt. Corpora autem ſunt vel Simplicia rerum principia,

VARIÆ LECTIONES.

483. *Corporum.* Ita A. B. *Reliqui* corporis. *gerantur.* regantur C.

NOTÆ.

bus quidem omnibus exemplaribus antiquis, ſed tamen certiſſima conjectura fretus. Nam primum vox *Trojanis*, quae eſt in libris vulgatis, non videtur huic loco convenire; deinde *Trojai*, id eſt Trojæ Pergama, olet neſcio quomodo antiquitatem. Sic enim Steſichorus οὐδ' ἵκεο Πέργαμα Τροίης, id eſt, *neque iſti ad Pergama Trojæ.* Lamb.

477. *Trojanis*] Ita omnes libri, Lambinus *Trojai.* etiam recte: ſed contra vet. libros. Gif. *Trojanis* Omnes Codd. præter B Creech. *Trojai Pergama.* Ita reſtituit Lamb. nec poſt fruges glandibus veſci debuit Gifan. præferendo *Trojanis*, ut enim Steſichorus dixit Πέργαμα Τροίης, ita etiam Euripides uſurpavit in Helena vſ. 390. Πέργαμα Δαρδανίας.

Ὤλεσεν, ὤλεσεν
Πέργαμα Δαρδανίας.

perdit, perdit Pergama Dardaniæ. quod ita jungitur, quum vox *Pergama* primò Joniis *arcem* ſignificaret. Imo inter Latinos, ex noſtri imitatione, *Urbem Patavi* dixit Virgil. Æneid. 1: 251. Hav.

477. *Partu*] Virg. Æn. 6: 516. *gravis attulit alvo.* & alibi. Fab.

479. *Res geſtas*] Si ſupra verſ. 473.

---- ---- *res in quo quæque geruntur*

ſcripſiſſet, nonne & hoc loco *res genitas* dicere debuiſſet? Preig.

481. *Eadem*] συνίζησις fit in *ea*, duæque vocales, quarum altera brevis eſt, altera longa, pro una ſyllaba habentur. Lamb.

483. *Corporum atque loci*] Sic ſupra ſæpiſſime; & ita Veteres libri noſtri. In aliis: *Corporis*; peſſime. Gif. *Corporis.* Sic habent quattuor libri manuſcripti: quibuſcum congruunt Pariſienſes, & Lugdunenſes. alii, *Corporum atque loci.* Neque verò hæc ſcriptura damnanda eſt, quod ſit à Thraſone quodam barbaro. confirmat enim eam vel ille verſus, qui non ita longè abeſt ſupra,

Non ita uti corpus per ſe, &c.

Et item is, qui eſt infra nihilo longius,

Stringere. nam ſolido vincunt ea corpore demum.

Lamb. Sed mox *Corpora* dicit v. ſeq. Hav.

483. *Gerantur*] Quidam libri hic: *rogantur.* Lambinus: *genantur.* male. Gif. *Res in quoquaque gerantur*] Etiam hoc loco legi fortaſſe poteſt *genantur*: verumtamen nihil muto. Lamb. *Gerantur*; *Genantur* Alii, Alii *Rogantur*: utrumque vitiosè. Creech.

484. *Corpora ſunt porro*] Corporum (inquit) alia ſunt primordia rerum, nempe corpora individua, ſimpliciſſima, & ſolidiſſima, id eſt ἄτομοι: alia, quæ ſunt ex atomis concreta, conflata; ut arbor, ſaxum, aqua, terra, & ſimilia. Hac de re ſic Laërt. in Epic. τῶν σωμάτων τὰ μέν ἐστι συγκρίσεις, τὰ δ' ἐξ ὧν αἱ συγκρίσεις πεποίηνται. Lamb.

484. *Corpora*] Corporum alia ſunt ſimplicia, alia concreta. Fab. *Corpora ſunt porro, &c.* Demonſtratis jam duobus Naturæ Principiis, Corporè viz. & Inani; & explicata etiam Inanis Natura, de Corpore fuſius diſputat: Corpora autem dividit in *Simplicia* & *Compoſita.* Sic Epicurus ad Herodotum, τῶν σωμάτων τὰ μὲν ἐστι συγκρίσεις, τὰ δ' ἐξ ὧν αἱ συγκρίσεις πεποίηνται. Docet inſuper v. 20. Corpora iſta ſimplicia, ſeu Compoſitorum principia, ſolidiſſima eſſe, perfectè plena, nullum *Inane* continere, ideoque nulla vi dividi aut diffringi poſſe: Fatetur interim opus eſſe validiſſimis argumentis, quibus perſuaderi poſſit, Corpora aliqua eſſe perfectè ſolida & plena, cum Aurum, Æs, Saxa, reliquaque omnia, quæ ſolidiſ-

Partim Concilio quae conſtant principiorum.
Sed quae ſunt rerum Primordia, nulla poteſt vis
Stringere; nam Solido vincunt ea corpore demum:
Et ſi difficile eſſe videtur credere quidquam
In rebus Solido reperiri corpore poſſe;

INTERPRETATIO.

vel ex iis ſimplicibus principiis Compoſita & concreta: *Simplicia vero iſta principia nulla vis valet diffringere, perfecta enim iſtorum ſoliditas nulli vi cedet. Quamvis, ut verum fatear, haud facile credimus aliquod eſſe in rerum natura perfectè ſolidum.*

VARIÆ LECTIONES.

484. Delet H 1. *concilio.* conſilio Q 1. *quæ.* qua Q. Y.
486. *ſunt.* ſint X.
487. *Stringere.* ſtringuere G. Y. Z. *vincunt.* evincunt C. P. Q. *corpore demum.* corpore damnum c. N. domum Q.
488. *Et ſi.* etſi B. C. D. L. P. *videtur.* videntur Z. *credere quidquam.* forſitan quicquam E. H 1. N. Q. fors ita P. quicquam difficile videatur forſitan e. X.

NOTÆ.

lidiſſima putamus, poroſa eſſe, & aliis Corporibus pervia ſentimus. Creech.

487. *Stringere; vincunt demum*] Ita malim ex quibuſdam vet. & omnibus vulgatis; id eſt: avellere, deminuere. ut inf. vſ. 607. In quibuſdam vet. *ſtinguere evincunt damnum.* Ita & inf. variatum fuit vſ. 667. & apud Nonium: *Glubere, deſtringuere.* vulg. *diſtinguere.* Gif. radere, vulnerare. Lamb. Virg. libr. Æneid. 9: 577.

> ---- ---- *hunc primo levis haſta Camillæ*
> *Strinxerat.*

Cod. Vatican. & Bertin. tamen habent *ſtinguere*, id eſt extinguere. de quo verbo infr. lib. 2. ad illum locum. *ſtinguique colorem.* Lamb.

487. *Nam ſolido vincunt ea corpore demum*] Sic habent omnes ferè libri vulgati, & tres manuſcripti, niſi quod quidam habent *evincunt:* & *damnum*, non *demum:* in quibus eſt Memmianus. Lamb.

488. *Credere quicquam*] Ita fere libri Vet. & vulgati. In aliis: *fors ita.* pro *forſitan.* Gif. Sic habent quattuor lib. manuſcr. Bertinian. Faërn. Tettian. Memm. & vulgati Florentini. Vaticanus autem & vulgati Veneti utrique & Pariſienſ. & Vicetin. & utrique Lugdun.

> ------ *Videtur fors ita quicquam.*

quam ſcripturam ſi quis probabit. *fors* accipiendum erit pro *forſitan*, ut particula *ita* conjungatur cum voce *ſolido.* neque verò aſſentior iis, qui *forſita* poſitum volunt pro *forſitan.* Lamb. *Forſitan* Nard. Et quidam Codd. *Fors ita* exhibent; monetque Lambinus, ſi iſta lectio admittatur *Ita* debere attribui *Solido.* Creech.

489. *In rebus,*] *In rerum natura:* Fayus, *In rebus ipſis concretis:* & idem dixiſſet *Lucretius*, ſi fuiſſet *Fayus.* Creech.

490. *Fulmen cœli &c.*] Lectio non improbanda, quam ipſe Lucret. confirmare videtur lib. ſexto. Baſ. tamen

> ---- *fulmen coeli per ſepta domorum*
> *Clamor ut it vocis.*

Quare etiam ſcribere poſſis:

> *Tranſit enim fulmen coelum: per ſepta domorum*
> *Clamor & it vocis:*

Præfero tamen vulgatam. Hav.

490. *Tranſit enim fulmen*] Sic libr. 6: 226.

> *Tranſit enim validè fulmen per ſepta domorum.*

Cur autem hoc fiat, docebit libro 6: 531.

> *Perfacile eſt jam animi ratione, &c.*

Lamb. Parentheſis eſt, quæ novem verſus amplectitur. Fab.

Tranſit enim Fulmen coeli per ſepta domorum,
Clamor ut, ac Voces: Ferrum candeſcit in igne:
Diſſiliuntque fero ferventi Saxa vapore:
Conlabefactatus rigor Auri ſolvitur aeſtu:
Tum glacies Aëris flamma devicta liqueſcit:

INTERPRETATIO.

Fulmen enim per parietes muroſque clauſarum domuum, ut & Sonus & Vox, tranſit. Ferrum in Igne candeſcit: Ferventia Saxa penetrabili calore diſſolvuntur. Rigidum Aurum liquefit flamma fractum; Æris glacies igne domita diſſolvitur.

VARIÆ LECTIONES.

490. *Fulmen.* flumen G. Z. ſed altera lect. m. rec. ſuperſcrib.

491. *Clamor ut ac voces.* Clamor ut it vocis. C. E. H 1. N. it ad voces G. Q. X. Y. Z. ad voces Q 1 ad vocis H 2. it ac voces O. *Pius* in notis. *igne.* igni G. Y. Z.

492. *fero.* fere c. P. ferro & Q 1. ferro ferventi X *ferventi.* Ita A. B. G. I. X. Y. Z. in quo *a* ſtudioſe eraſum eſt. *Gaſſ.* L. Q. ferventum H 1. Alii *ferventia.*

493. *Conlabefactatus.* Quin labefactatus A. C. E. N. Tum labefactatus M. P. Q. X. Cum lab. Q 1. Labefactatus G.

494. *Tum.* Cum Q 1. Y. aut X. *Æris flamma.* acri flamma. C. E. M. N. *P.* Q 1. acris f. X.

NOTÆ.

491. *Clamor ut, ac voces*] Sic legendum, & ita habent codices emendati. neque tamen rejicienda eſt ſcriptura alterorum Venetorum,

Clamor item, ac voces.

ſic lib. 6: 226.

Clamor ut, ac voces: tranſit per ſaxa, per æra.

Lamb. Quidam Codd. *Clamor item ac voces.* Nard. vero, *Clamor ut & vocis.* Creech. Sic ſupra verſ. 355.

Inter ſepta meant voces & clauſa domorum,
Transvolitant. --- --- Preig.

493. *Diſſiliuntque fero ferventi Saxa vapore*] Quattuor codices manuſcripti habent,

Diſſiliuntque fero, ferventi ſaxa vapore:

quæ ſcriptura ſi probabitur, duo erunt epitheta ἀσυνδέτως poſita: quod eſt uſitatum & Homero, & aliis poëtis. Horat. ſat. 3. libr. 1: 85.

--- --- *habeare inſuavis, acerbus.*

Idem Sat. 7: 7.

Confidens, tumidus, adeò ſermonis amari &c.

Memmianus autem,

Diſſiliuntque ferè ferventia Saxa vapore.

Unde licet legere,

Diſſiliuntque fero ferventia ſaxa vapore.

Lamb.

492. *Fero ferventi*] Ita vet. libri plerique. In quiquibuſdam: *fero ferventia*, ut in vulgatis. Gif. Duplex Epithetum eſt, quod nec clariſſimi poëtæ refugerunt. alii tamen lib. *ferventia* habent. Fab. *Ferventia.* Alii *Ferventi.* Nihil muto, at ſi per otium ridere liceat, *Nardius* ridendi materiam præberet: Ille enim ſuſpicatur Poëtam reſpicere Annibalem Alpes aceto rumpentem. Creech. *Fero.* Fortaſſe ſcribendum: *fere.* Preig.

493. *Conlabefactatus*] Sic optime in vet. quibuſdam. In quibuſdam: *cum labefactatus.* Quidam vulgati: *Tum.* Marullus, ut vulg. *Quin labefactatus.* malè. Gif. *Rigor auri*, id eſt durities auri, *æſtu*, i. e. calore, labefactatus, ſolvitur. Sic autem legendum, non, ut vulgò, *Quin labefactatus*, &c. *conlabefactatus* autem, id eſt victus, ut lib. 4: 701.

Omnia quod contrita, quod igni conlabefacta.

Permanat calor Argentum, penetraleque frigus,
Quando utrumque, manu retinentes pocula ritè,
Senſimus infuſo lympharúm rore ſupernè:
Uſque adeo in rebus Solidi nihil eſſe videtur.
Sed quia vera tamen ratio, naturaque rerum

INTERPRETATIO.

Calor item & frigus penetrabile argentum permeat; ſentimus enim utrumque, cum vas argenteum manu tenentes aquam vel frigidam vel calidam ſuperne infundimus. Tot argumentis conſtare videtur Nihil eſſe in rerum Natura perfectè ſolidum. Quoniam vero veriſſima ratio, rerumque Natura

VARIÆ LECTIONES.

495. *calor.* calore X.
496. *retinentes.* retinentis G. *utrumque.* utrimque Q. utramque X.
499. *vera tamen.* rara tamen. c. O. *P.* Q. X.

NOTÆ.

quamquam hîc quidam legunt *concalefacta*. Virgil. Æn. 8: 390.

Intravit calor, & labefacta per oſſa cucurrit.

Lamb.

493. *Rigor auri*] Aurum ſolidum, durum; *glacies æris*, eadem metaphora. πλὰξ, forte & aliter, aurum frigidum, æs frigidum. prius malo. Fab.

494. *Tum glacies æris*] Sic reſtitui, ſecutus quinque librorum manuſcriptorum auctoritatem: neque verò dubium eſt, quin hæc ſit recta & vera ſcriptura: vulgata contrà, quæ habet *glaces acri flamma devicta*, depravata & mendoſa. Nam quid ineptius, quàm propoſito exemplo uno de auro, deinde altero de argento, inculcare tertio loco exemplum de glacie? præſertim cum glacies non modo ſine acriore flamma, verum quavis flamma, & vel frigore remiſſo, vel ſolis tepore liqueſcere ſoleat? Nunc autem quemadmodum paullo antè dixerat *rigor auri*, ſic hoc loco glaciem æris per tranſlationem ſermonis poſuit. qua de re lege Adr. Turneb. Adverſ. lib. 6. cap. 14. Lamb.

494. *Æris*] Sic rectè Vet. libri. Marullus, & vulg. *acri*. Gif. *Glacies acri*: Nard. At ut rectè *Lambinus*, inter Aurum Argentum, reliquaque Metalla *Glaciei* quis locus? *Glacies æris*, durum & compactum Æs. Creech.

495. *Penetraleque frigus*] Virgil. Georg. 1: 93.

— — *penetrabile frigus adurat.*

& Æneid. lib. 10: 481.

Aſpice num mage ſit noſtrum penetrabile telum.

Lucret. hoc eod. lib. 536.

Nec penetralem ignem. Lamb.

496. *Utrumque*] Calorem & frigus. Hujus loci hæc ſententia eſt. Calor & frigus per argentum permanant, quoniam nos poculum argenteum manu tenentes, aqua frigida, aut calida infuſa, ſtatim utrumque ſentire ſolemus. Adhibebant autem frigidam veteres, atque adeò nivem ad refrigerandum vinum: calidam, ad tepefaciendum. Jam *utrumque* legitur in quattuor codicibus manuſcriptis, & item vulg. Pariſ. utriſque Venetis Florent. Lugdun. in aliis *utrimque*, minus rectè. ſic libr. 6: 948.

Frigus item tranſire per æs, calidumque vaporem
Sentimus: ſentimus item tranſire per aurum,
Atque per argentum, quom pocula plena tenemus.

Lamb. Quidam Codd. *Utrimque* improbè. Hic multa de calida frigidaque Aqua in vinum olim infundi ſolita garriunt Interpretes, quæ ſolis imperitis placebunt. Creech.

497. *Lympharum rore*] Aquis calidis, aut frigidis, minutim & guttatim roris inſtar infuſis: vel *rorem lympharum* tranſlate dictum intellige. Lamb. Ros pro quavis aqua; res nota eſt. Sed uti-

Cogit, ades, paucis dum verſibus expediamus,
Eſſe ea, quae Solido atque aeterno corpore conſtent,
Semina quae rerum, Primordiaque eſſe docemus:
Unde omnis Rerum nunc conſtet Summa creata.
  Principio quoniam duplex natura duarum

INTERPRETATIO.

contrarium ſuadent, commodum te præbeas & benevolum, dum quædam eſſe Corpora perfectè ſolida & indiſſolubilia, quæ Rerum ſemina & Primordia eſſe, & è quibus totam Mundi fabricam fieri docemus, brevi Carmine explicem ſimul, & probem: Primo igitur quoniam jam conſtat duas res exiſtere

VARIÆ LECTIONES.

500. *Cogit ades.* Cognita de paucis. c. H 1. P. Q. Cogn. de & O. cognita ades paucis H 2. ex vett. codd. *Pius* reſt. *expediamus.* expeditos X.

301. *Eſſe ea.* eſſe & P. Q. X. eſſe aq: Y. *conſtent.* conſtet G.

504. *duplex natura duarum.* dux n. duorum X.

NOTÆ.

utinam per otium ridere poſſem; Gifanius enim ad eam rem choragus foret. *Horat.* inquit, *maris rorem dixit pro aqua marina.* Verum ubi ille *ros maris* apud Horat. pro aqua marina? docebit Pareus ὑποφήτης Gifanii, homo ligneus lib. 3. inquit, od. 23. verſ. 16. Videamus itaque. En tibi ipſiſſima poëtæ verba.

Parvos coronantem marino
Rore deos, fragilique myrto.

Bene! aqua marina coronantur dii. ô me hominem nihili, qui olim putabam *rorem marinum* eſſe fruticem illum ſeu arbuſculam notiſſimam, quæ Gall. *romarin*, Ital. autem *Roſmarino*, dicitur. Græc. λιβανωτὶς. Sed tamen in hoc Ovid. ex 3. Artis. aquam etiam marinam eſſe dicent? dignum factis ſuis facerent.

Sylva nemus non alta facit: tegit arbutus herbam,
Roſmaris & laurus, nigraque myrtus olent.

Fab.

498. *Uſque adeo*] Epiphonema, ſeu acclamatio. Lamb.

499. *Rara*] Subintellige hæc narratio, & explicatio cum a raris ſit tacta. Alii ſcribunt *vera.* Pius.

499. *Vera ratio*] Ἀληθὴς λόγος. Lamb.

499. *Naturaque rerum*] Sup. ut jam eſt Compoſita *Fayus*: Imperitè: In ſequenti verſu quidam Codd. *Cognita de paucis*; nullo ſenſu. Creech.

500. *Ades*] Animo. Sic Cic. pro Milone: *Adeſte animis, judices, & timorem, quem habetis, deponite.* Idem pro Sylla: *Adeſtote animis, qui adeſtis corporibus.* admonendus eſt autem lector minus in litteris exercitatus, mendoſe legi in quibuſdam libr. vulgatis,

---- ---- *naturaque rerum*
Cognita de paucis,

cum ſit legendum ita, ut habent manuſcripti,

Cogit, ades, paucis. &c. Lamb.

500. *De paucis*] Lego ex antiquis exemplaribus *ades paucis* pro adſis & faveas cognita a me rerum natura, dum paucis verſibus explico, quod ex lectione tua percepi. *Ades* pro *adſis* uſurpari quis neſcit, vel ex illo Maronis exemplo Georg. 2: 44.

--- --- *Ades & primi legi littoris oram.*

Ovidiana Sappho 15: 96.

Huc ades, inque ſinus formoſe relabere noſtros.

Ovidius v. Triſtium. 3: 43.

Huc ades, & caſus releva pulcherrime noſtros.

Pius.

504. *Principio quoniam, &c.*] Jam probaverat duo eſſe Rerum principia diſſimilis prorſus Naturæ, *Corpus* viz. & *Inane*; iſta vero diſſimilia per ſe

Diſſimilis rerum longè conſtare reperta eſt,
Corporum atque Loci, res in quo quaeque geruntur;
Eſſe utramque ſibi per ſe, puramque neceſſe eſt:
Nam quacunque vacat Spatium, quod Inane vocamus;
Corpus eà non eſt: quâ porro cunque tenet ſe

INTERPRETATIO.

diverſæ plane & diſſimilis Naturæ, Corpus viz. & Inane; neceſſe eſt ut & Corpus & Inane per ſe, vel à ſe invicem ſeparata mutuò & diſtincta exiſtant. Quacunque enim patet ſpatium, ibi non eſt Corpus. Et quacunque Corpus exiſtit, ibi nullum eſt Inane: Corpora igitur prima ſunt perfectè ſolida,

VARIÆ LECTIONES.

505. *diſſimilis.* diſſimiles A. B. *conſtare.* præſtare Q. 1. *eſt.* abeſt X.
506. *corporum.*Ita A. B. Q. Reliqui *Corporis.*
507. *puramque.* puramque G. Z.
508. *quacumque vacat.* quocunque vocat. X.

NOTÆ.

ſe vel à ſe invicem ſeparata mutuò, & diſtincta exiſtere quis neget? Quacunque enim *Inane* eſt, ibi qui dicit *Corpus* eſſe abſurde dixerit, & vice verſa. Unde infert v. 8. Prima Corpora perfectè ſolida & plena eſſe, ibi enim exiſtunt ubi nullum eſt Inane. Creech.

505. *Diſſimilis rerum longe*] Longe diſſimilis. Fab.

506. *Corporum atque loci*] Ita vet. libri. Marullus & Lambinus: *Corporis.* peſſime. Gif. *Corporis &c.* Sic habent libri manuſcripti, & item impreſſi, Pariſ. Veneti antiqui. Florent. Alii excuſi, Veneti recentiores, Lugdun. Vicetini,

Corporum, atque loci;

quæ lectio non eſt rejicienda, ut ſuprà oſtendimus. Lamb.

506. *Res in quo quæque geruntur*] Videtur etiam hoc loco *genuntur* legendum, non *geruntur. genuntur* autem, id eſt gignuntur, ut ſupra diximus. infra paucis poſt verſib.

Præterea quoniam genitis in rebus inane eſt, &c.

Verumtamen receptam ſcripturam *geruntur*, non cenſeo loco movendam. Lamb.

507. *Eſſe utramque, &c.*] Quoniam duæ naturæ repertæ ſunt multum inter ſe diſſimiles, corpus & inane, in quo inani corpora prima ſunt & moventur, & res quæque gignuntur, ſeu geruntur: neceſſe eſt, hanc utramque naturam eſſe per ſe meram, & puram: id eſt, & corpora prima, quæ dicimus eſſe principia rerum, eſſe inanis expertia: & contra inane eſſe incorporeum, & ab omni corpore vacuum. Sed dicet aliquis in inani feruntur, & moventur corpora prima: ergo non eſt ullum purum inane. reſpondeo, ea ratione inane ſua natura, & per ſe purum, ac merum intelligi, quod ſedem, & locum, & viam præbet corporibus. Quod ſi aliter eſſet, id eſt, ſi nullum eſſet inane per ſe, & a corporea natura ſeparatum: corpora prima non haberent ubi conſiſterent, aut quà moverentur. quod autem corpora prima in inani, ſeu per inane moveantur, non iccirco minus inane purum intelligitur. Quin eo ipſo, quod in inani corpora prima moventur, ipſius inanis natura pura declaratur. Hoc enim vacui atque inanis proprium eſt, corporibus locum & viam ſuppeditare, & corpora in ſe recipere, & corporibus cedere: contra corporum proprium eſt obſtare, nullumque aliud corpus in ſe recipere. Lamb. Obſervanda Latinitas, *Utraque ſibi per ſe eſt:* arbitror autem iſtud *Sibi* jungendum eſſe cum *Se*; uti dicebant *meus mihi*, *tuus tibi*, *ſuus ſibi*, &c. pro eo qui maxime propius καὶ ἰδιαίτατος eſſet. Exempla è Plauto, Terentioque peti poſſunt. Fab.

508. *Quacumque vacat ſpatium*; & *eà vacuum, &c.*[Hoc ipſo refelles quod aſſerit Giſanius in illo ſuo Indice ad locum quemdam Ovidii in voce *ut*. Teſtimonia multa collegit Cioſanus ad Eleg. 1. lib. 1. Ponticorum. Fab.

509.

Corpus, eâ vacuum nequaquam conſtat Inane.
Sunt igitur Solida, ac ſine Inani Corpora prima.
Praeterea quoniam genitis in rebus Inane eſt,
Materiem circum Solidam conſtare neceſſe eſt:
Nec res ulla poteſt vera ratione probari

INTERPRETATIO.

& nullum continent Inane. Deinde quoniam in rebus concretis Inane continetur, neceſſe eſt materiam perfectè ſolidam iſtud Inane circumambire. Nec unquam quis probare poterit

VARIÆ LECTIONES.

510. *nequaquam.* ut quaquam Q. *conſtat.* conſtet G. *Inane eſt.* Inane P. inanes Q. X. *eſt.* Abeſt X.

513. *Materiem.* Materiam A. B. *Solidam.* Solide G. *eſt.* abeſt X.

514. *poteſt.* potes X.

NOTÆ.

509. *Corpus ea non eſt*] Corpus ea quidem parte non eſt, qua parte eſt inane: ſed tamen nihil vetat, quo minus per inane ferantur corpora prima. hæc igitur verba, *Corpus ea non eſt*, ſic intellige, ea parte, qua parte eſt inane, non eſt corpus, nempe ſpectata ipſius inanis natura per ſe, & ſeparatim, ut principio ſeparato. Pergit autem, & conatur oſtendere hoc argumento Lucretius, corpora prima eſſe ſimpliciſſima, & ſolidiſſima, utpote inani carentia: quemadmodum inane alterum principium molliſſimum eſt: utpote corporis omnis expers, & corporibus omnibus cedens. Lamb.

510. *Vacuum Inane*] Quod otioſum alias epithetum addidiſſe notat Turnebus Adv. v: 24. cum alias aër quoque *inane* vocetur. Virgil. Æn. lib. xii. verſ. 906.

Tum lapis ipſe viri vacuum per inane volutus.

quæ noſtri eſt imitatio. Hav.

511. *Sunt igitur ſolida, &c.*] Ergo (inquit) corpora prima, quæ ſunt primordia rerum ab inani ſeparata, eique plane adverſa, ab inani ſunt plane vacua. Lamb.

511. *Sine inani*] Id eſt, ἀμέτοχα κενοῦ, ſeu inanis expertia. Lamb.

511. *Præterea*] Altera ratio, per quam probat, corpora prima eſſe inanis expertia. Res genitæ (inquit) habent in ſe incluſum inane: alioqui non interirent, neque diſſolverentur. Quod ſi ob id intereunt, quia in eis eſt inane: materiam igitur aliquam ſolidam, & inanis expertem conſtare neceſſe eſt, ne res omnes ad nihilum redigantur. Lamb. v. 7. ſupponit in rebus concretis, quas *Genitas* vocat, varia ſpatiola inania intermiſta; & tum adjicit Corpora prima, ſeu ſimplicia, eſſe perfectè ſolida: Congeries enim iſtorum ſimplicium Corporum Inania illa continet, & quid Inane poteſt continere præter ſolidum, niſi quis fingat *Inane* poſſe Inania complecti? Et demum v. 2. monet iſta *Solida* nulla vi diffringi poſſe, ideoque indiſſolubilia eſſe, & æterna. Creech.

512. *Genitis in rebus inane eſt*] Alioqui nunquam diſſolverentur: Imo nunquam creatæ fuiſſent. Fab.

514. *Nec res ulla poteſt &c.*] Id eſt, nemo eſt, qui vera ratione probare poſſit, ullam rem ſuo corpore inane continere & celare, niſi id, quod continet & celat ipſum inane, ſolidum eſſe fateatur. At hoc ſolidum nihil aliud eſſe poteſt, quàm primorum corporum congreſſus. Lamb.

516. *Si non*] Pro *niſi.* quod amat Lucretius. Preig.

516. *Quod cohibet*] Id quod continet ipſum inane in ſe incluſum. Lamb.

518. *Concilium*] Coetus, congreſſus, σύμπληξις. Lamb.

518. *Quod inane queat rerum cohibere*] Ita libri vet. *inane rerum*, id eſt, in quo res geruntur. ſupra verſ. 440. Et ita ſemper loquitur. vulg. *rectum*. peſſime. Gif. Secutus eram olim libros excu-

S ſos

Corpore Inane ſuo celare, atque intus habere;
Si non, quod cohibet, Solidum conſtare relinquas.
Id porro nihil eſſe poteſt, niſi Materiaï
Concilium, quod Inane queat rerum cohibere.
Materies igitur Solido quae corpore conſtat,
Eſſe aeterna poteſt, cum caetera diſſolvantur.

Tum

INTERPRETATIO.

rem aliquam concretam inter particulas ſuas Inane continere, quin concedat eſſe aliquod ſolidum quod contineat: Illud autem quod continet Inane nihil aliud eſſe poteſt præter concilium primorum Corporum: Materies inſuper illa quæ eſt perfectè ſolida, indiſſolubilis & æterna eſſe poteſt, dum cætera ſint interitui obnoxia.

VARIÆ LECTIONES.

516. *Solidum.* ſolidam X. *relinquas.* re relinquas Z. ſed ſub *re* punctula ſunt.
517. *niſi.* nec Q. X.
518. *rerum cohibere.* tectum cohibere C. E. H 2. N. P.
520. *diſſolvantur.* diſſoluantur Q 1.

NOTÆ.

ſos Pariſienſeis, Venet. recentiores, Florent. Lugdunenſeis, in quibus ſcriptum eſt, *quod inane queat tectum cohib.* Nunc manuſcriptos omneis, quibuſcum conſentiunt Veneti antiq. & Vicet. qui habent, *quod inane queat rerum cohibere*, ſequi malui: cujus ſcripturæ rationem exputare non poſſum, niſi fortè dicamus, *inane rerum* dici à Lucretio alteram naturam rerum, quæ appellatur *inane.* ſupra enim dixit, duas eſſe naturas duntaxat in rebus, corpus & inane: & quæ iis accidunt. *inane rerum* igitur, id eſt, id principium, ſeu eam naturam, quæ eſt in numero rerum: vel inanitatem rerum, quomodo uſurpavit Perſius Sat. 1: 1.

---- ---- *quantum eſt in rebus inane?*

vel potius *inane*, quod eſt in omnibus rebus genitis, ut ſupra, non longe:

---- ---- *quoniam genitis in rebus inane eſt.*

Non placet autem quod ſycophanta quidam, & germanus Zoilus, *inane rerum* ſic explicat: *inane, in quo res geruntur.* id eſt *feruntur*, *ſeu moventur*, inquit ille. LAMB. *Inane queat rerum.* Hic vero naviter ridiculus eſt Giſanius. Sed jam à Lambino vapulavit. FAB. *Inane rerum.* Id Inane quod in rebus genitis eſt, ut v. 512. *Giſanius* Illud Inane in quo res geruntur vel moventur: abſurdè: Quidam Codd. pro *Rerum* habent *Tectum.* CREECH. Ita probatiores MSS. & editiones meliores, quomodo & ex veteribus membranis reſtituit Turneb. Adv. XIX. 15. HAV.

519. *Materies igitur, &c.*] Id eſt, corpora igitur prima æterna eſſe poſſunt, cum cetera, nempe genita omnia, intereant, aut diſſolvantur. Sic Diogen. Laërt. ταῦτα δὲ τὰ σώματά ἐστιν ἄτομα, καὶ ἀμετάβλητα, εἴπερ μὴ μέλλει πάντα εἰς τὸ μὴ ὂν φθαρήσεσθαι. id eſt, hæc autem corpora ſunt individua, & immutabilia, niſi velimus, omnia in id quod non eſt interire. LAMB.

520. *Eſſe æterna poteſt*] Μείωσις. vult enim dicere, *debet.* Exempla alibi. FAB.

520. *Diſſoluantur*] Tertia vocalis ſeparatur a ſequente metri gratia, ut in illo patet Hortiano, Od. 1: 23: 4.

Aurarum & ſylüæ metu:

pro *ſylvæ.* Eſt enim triſyllabum in Horatio. In hoc licentioſus eſt quam maxime Tibullus Græcos poëtas imitatus. PIUS. Vel dicendum eſt verſum eſſe ſpondiacum, vel fieri διαίρεσιν hoc modo, *diſſolüantur.* LAMB

521. *Tum porro &c.*] Alio v. 8. argumento ſoliditatem Principiorum confirmat: Ut enim, niſi Inane foret, Omne (quod olim abſurdum eſſe de-

Tum porro ſi nil eſſet, quod Inane vacaret,
Omne foret Solidum, niſi contra corpora caeca
Eſſent, quae loca complerent quaecunque tenerent:
Omne, quod eſt, Spatium vacuum conſtaret Inane.
Alternis igitur nimirum Corpus Inani
Diſtinctum eſt, quoniam nec Plenum naviter exſtat;

Nec

INTERPRETATIO.

Præterea ſi nullibi exiſteret purum Inane, *Univerſum foret Plenum*; *& è contra, niſi quædam eſſent Corpora, quæ ſpatia iſta, quæ occupant, penitus implerent*; *Totum illud quodcunque eſt extenſum purum Inane foret. Alternatim igitur Corpus Inani diſtinctum eſt, Cum univerſum non ſit omnino* Plenum.

VARIÆ LECTIONES.

521. *ſi nil eſſet.* ſiquidem nihil eſt H 1. Bm. Q1. X. Y. Z. *vacaret.* vocaret X. Z.
522. *niſi contra.* nec concta Q. X. *cæca,* certa. A. B. D. L. H 1. V. X. Y. Z.
523. *Eſſent.* Eſſe Q. *quæcunque.* quacunque H 1. not. *Pii.*
525. *Alternis.* Alterius Q 1.
526. *diſtinctum eſt.* Diſtinctum G. N. X. Y. Z.

NOTÆ.

demonſtraverat) eſſet Plenum: Sic niſi Plenum aliquod foret, ideoque perfecte ſolidum; Totum quacunque patet univerſum eſſet ſpatium Inane, quod non minus incongruum & abſurdum. Huc ſpectant *Epicuri* verba apud *Plutarchum* de Placitis Philoſ. lib. 1. cap. 3. ὅτι δὲ ἐϛιν Ἄτομ☉, σαφὲς· ἢ γὰρ ἐϛι ϛοιχεῖα ἀεὶ ὄντα, καὶ ἀπὸ τοῦ κενοῦ διοριζόμενα. ut emendat *Gaſſendus.* Creech.

522. *Certa*] Ita Vet. libri fere omnes, ut & mox. Marullus: *cæca.* & ita quidam libri, & omnes vulgati fere. Quod tamen inrepſit ex aliis locis. Vide *Cæcus* in Indice, & inf. vſ. 527. & IV. 85. Gif. Si legemus *corpora cæca*, ut habent omnes libri vulgati, *cæca* interpretabimur ſub aſpectum non cadentia, & oculorum obtutum effugientia, ἀόρατα. Sin, ut manuſcripti, Vaticanus, & Bertin. & Memm. *corpora certa* (quam lectionem nunc magis probo) dicemus, corpora finita non numero, ſed ratione. Lamb. *Cæca. Certa* rectius: ut & vſ. 527. Creech.

523. *Quæ loca complerent*] Quæ complerent ſpatia, ſeu διαϛήματα a ſe occupata, & poſſeſſa. Lamb.

523. *Quæcumque*] *Quacumque* veteres quidam. Gif.

524. *Omne quod eſt ſpatium, vacuum conſtaret inane*] Hæc veriſſima interjunctio. *Vacuum* Inane ſemper vocat. Gif. Parum admodum refert, utro modo diſtinguas, hocne modo,

Omne, quod eſt, ſpatium vac. conſt. inane.

an illo,

Omne, quod eſt ſpatium vacuum &c.

ego tamen priore modo malo. Nam per *omne* ſignificare videtur τὸ πᾶν, id eſt univerſum: *Omne* igitur *quod eſt*, inquit, id eſt univerſum, eſſet *ſpatium* vacuum, atque *inane.* neque præter inane quicquam eſſet in natura rerum. Hæc eſt hujus loci ſententia, quantumvis reclament licet ſimioli. Lamb.

525. *Alternis*] Alternatim. Lamb. Corpus Inani diſtinguitur, Inane autem corpore: miſcentur, temperantur, alternatim coaleſcunt; ſi ita licebit loqui. Fab.

526. *Quoniam nec plenum naviter*] quoniam nec plenum eſt duntaxat in natura rerum, nec inane. Lamb.

526. *Naviter*] Prorſus, ἀκριβῶς. Sed ne quis erret. non dicit Lucretius, id, quod eſt plenum, id eſt corpus ſoliduſſimum, & ἄτομον, non eſſe naviter plenum. nam contra ſupra probatum eſt, & id, quod eſt corpus ſeu plenum, eſſe ſine inani, &

merum

Nec porro Vacuum: ſunt ergo corpora caeca,
Quae Spatium Pleno poſſint diſtinguere Inane.
Haec neque diſſolvi plagis extrinſecus icta
Poſſunt: nec porro penitus penetrata retexi;
Nec ratione queunt alia tentata labare:
Id quod jam ſupera tibi paullo oſtendimus ante.

Nam

INTERPRETATIO.

nec omnino Vacuum. *Quædam igitur ſunt Corpora quæ ſpatium* Inane *poſſunt* Pleno *diſtinguere. Hæc autem Corpora nullis ictibus extrinſecus impactis diffringi poſſunt, nec ab ullis rebus inter partes inſinuantibus diſſolvi; nec ulla alia ratione labefactari, ut jam ſupra declaravimus.*

VARIÆ LECTIONES.

527. *cæca.* certa A. B. D. L. H I. Q. V. X. Y. Z. tota *Pius* in not. ſolida nempe, & plena, nullos meatus habentia.

528. *Pleno.* Pœna G. H I X. quæ ſpatium pœna poſſint diſtinguere Inanis V. penitus Y. ſed a priore manu fuit *pœna.* pœnitus I. *poſſint.* poſſunt N. Q. I. *inane.* inani Y. Z. X.

529. *icta.* ictu Q. ictus X.

531. *queunt.* queant H I. Q. X. *tentata.* in quibuſdam cod. Pii. ſcribitur *terebrata.* temtata X. *labare.* labore Q. X.

532. *ſupera.* ſupra O. X. Y. Z.

NOTÆ.

merum corpus: & inane, eſſe merum inane, ac ſine corpore: ſed docet, hoc univerſum neque eſſe prorſus plenum, & corpus merum, nec viciſſim prorſus inane, ſed corpore, & inani diſtinctum. Nam & in inani corpora prima aſſidue moventur; & inane corporibus locum præbet, ubi moveantur. Vel hoc dicit, nihil eſſe genitum, quod vel prorſus plenum, vel prorſus inane ſit. Lamb.

526. *Nec plenum naviter*] Nil eſt quod ſit plenum naviter, neque quidquam eſt quod ſit plane vacuum ſine omni pleni mixtione. Loquitur autem de rebus genitis ſeu concretis, non autem de principiis rerum. Quamquam principia dici non poſſunt plena; ſed ſolida. Fab.

527. *Corpora cæca*] Corrige *tota.* hoc eſt corpora ſolida: quæ undecunque penitus plena ſunt meatus nullos habentia. Pius.

528. *Pleno*] Recte, ut liquet è v. 526. quoniam vero in MS. Cod. neſcio quo *pœna* legitur, aliquis legendum conjicit, *Quæ ſpatium pœna poſſint diſtinguere Inanis*: i. e. efficiendo ne ſit Inane. Creech.

528. *Pleno poſſit diſtinguere inane*] Cum in Gottorp. cod. atque aliis nonnullis libris MSS. reperiretur: *pœna poſſint diſt. &c.* Voſſius legendum conjecit:

Quæ ſpatium pœna poſſint diſtinguere inanis.

ut *pœna inanis* q. d. *damno inanis*, ſignificet: *efficiendo ut ſit Inane.* Ex Voſſii autem MSS. quidam liber *penitus* habebat, unus autem pro *Inane Inanis.* Preig.

529. *Hæc neque diſſolvi, &c.*] Res omnes genitæ diſſolvuntur, atque intereunt vel injuria externa, & ictibus extrinſecus inflictis, vel interno aliquo vitio. Corpora prima autem (inquit Lucretius) neutro modo diſſolvi, aut labefactari, aut perfringi poſſunt, neque ullo alio modo. Lamb. Poſtquam ſoliditatem Corporum primorum demonſtraverat, eorum æternitatem adſtruit v. 12. Solida enim ſunt perfectè plena, nullum *Inane* continent, ideoque diſſolutioni minime obnoxia; Omne enim Corpus quod diviſibile exſolubileque eſt, tale eſt, propter Inane interceptum, partes diſſocians, & ingreſſum præbens virtuti externæ, ad eas ſejungendas; Id vero quod inexſolubile, indi-

Nam neque conlidi ſine Inani poſſe videtur
Quidquam, nec frangi, nec findi in bina ſecando:
Nec capere humorem, neque item manabile frigus,
Nec penetralem ignem, quibus omnia conficiuntur.
Et quam quaeque magis cohibet res intus Inane,
Tam magis his rebus penitus tentata labaſcit.

Ergo,

INTERPRETATIO.

Illud enim quod Inane *non continet conlidi, frangi, aut in partes findi, dividique non poteſt; neque Humorem, neque frigus, neque penetrabilem ignem, quibus omnia diſſolvuntur, admittere: Et quanto plus* Inanis *res aliqua continet tanto facilius ab his rebus tentata labefactatur, & diſſolvitur.*

VARIÆ LECTIONES.

534. *findi.* fundi G. X. Y. Z. ſcindi Am. P.
536. *penetralem.* petralem Z. *conficiuntur.* confitiantur X.
537. *Et quam.* & quo A. B. C. D. E. I. N. P. Q. X. Y. Z. & quoque Q. 1. *quæque.* quæcunque Q.
538. *Tam magis his rebus.* tam magis ictibus hæc F. *tentata.* Codd. Pii quidam habent *temerata.*

NOTÆ.

indiviſibileque eſt, tale eſt, quia omnino plenum ſolidumque, quod nullum Inane habeat ex quo partium ſeparationem timere poſſit. *Epicurus* ad Herodot. definit Atomum πλήρη τινὰ φύσιν, καὶ οὐκ ἔχουσαν ὅπη, ἢ ὅπως διαλυθήσεται. Creech. *Neque extrinſecus.* Quia plagæ nil poſſunt ſine Inani, quà ſcilicet penetrent. Fab.

530. *Nec penitus*] Quia, cum ſint ſolida, nullus locus plagis internis eſſe poteſt. Fab.

530. *Retexi*] ἀναλύεσθαι, reſolvi. Lamb. Diſſolvi, ita ut textura pereat. Notum eſt τὸ *Re* habere aliquando vim ἀνασκευαστικὴν, ut *refixit, revelare*, &c. Fab.

531. *Nec ratione alia*] Nulla enim eſſe poteſt, niſi ex utraque ſuperius poſita conſtaret. Fab.

531. *Tentata*] Sic dicimus Latinè, *morbo tentari.* idem lib. 6: 1114.

> *Atthide tentantur greſſus, oculique in Achæis*
> *Finibus.*

Idem hoc eod. lib. v. 632.

> *Quæ nondum clueant ullo tentata periclo.*

Horat. epiſt. 6. libr. 1: 28.

> *Si latus, aut renes morbo tentantur acuto.*

Lamb.

532. *Id quod jam ſupera*] Id eſt, ſupra. ſic autem habent quattuor libri manuſcripti, quibuſcum conſentiunt Pariſienſes. Lamb.

532. *Capere*] δέχεσθαι, recipere. Lamb.

535. *Manabile frigus*] Quod Virgil. dixit *penetrabile*: id eſt, quod facile in parteis intimas penetrat. ſed mirum nomen *manabile*, a verbo *manandi*, cum ſit abſolutum. tale eſt *interibile* ab *interire*, apud Arnobium libr. 2. *Quod & illis argumenta ſunt præſto, quibus eas paſſivas atque interibileis invenitur; & his contra non deſunt; quibus eſſe divinas immortaleiſque monſtratur.* Lamb.

536. *Nec penetr. ign.*] Id eſt, qui in res omneis, quibuſcumque adhæſerit, ſeſe cito inſinuat. Lamb.

536. *Conficiuntur*] Perficiuntur, conſummantur, abſolvuntur: juxta illud Ovidianum Metam. 1: 432.

> *Cumque ſit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes*
> *Res creat, & diſcors concordia fœtibus apta eſt.*

In alia ſignificatione *conficere* idem eſt quod enecare & occidere: unde ferarum confectores appellati, qui conficiunt beſtias.. hos multi *beſtiarios* appellant. Pius.

537. *Et quàm quæque magis*] Sic eſt legendum recla-

Ergo, ſi Solida, ac ſine Inani Corpora prima
Sunt, ita uti docui, ſint haec Aeterna neceſſe eſt.
Praeterea, niſi Materies Aeterna fuiſſet,
Antehac ad Nihilum penitus res quaeque rediſſent;
De Nihiloque renata forent quaecunque videmus.

Ac

INTERPRETATIO.

Ideoque ſi Corpora prima ſolida ſint nullumque Inane, ut probavi, contineant, indiſſolubilia & æterna ſint neceſſe eſt. Præterea niſi Corpora prima æterna fuiſſent, Res quæque ad Nihilum olim recidiſſent; Illæque omnes, quas videmus, res è Nihilo fuiſſent natæ:

VARIÆ LECTIONES.

540. *docui, ſint.* docuiſſent Y.
541. *niſi.* nec Q. X.
542. *rediſſent.* dediſſet X.
543. *Nihiloque renata.* nihiloque reducta. *Gaſſ.* Q. nihilo quæſita C. E. Bm. X. nihilo quoque nata A. B. D. I. & Priſc. exempl. Pii. nihilo quæ tanta M. De nihilo quæ ranta forent G. Z. de nihilo quaerant aforent Y. ſed ſup. *ae.* ſcrib. *e.*

NOTÆ.

reclamantibus omnibus exemplaribus, & libr. vulgatis. Sic enim loquuntur Latini: *quo magis, hoc,* vel *eo magis*: *quanto magis, tanto magis* vel *tam magis: quàm magis, tam magis,* ſeu *tanto magis.* Itaque cum hoc loco ita ſcriptum eſſet, *Et quo quæque magis,* & cætera, *Tam magis,* &c. ego & ab aliis locis admonitus, & conſuetudinis Latinorum memor, ſcripturam vulgatam emendavi. Lucretius libro ſecundo verſ. 197.

--- --- *nam quam magis merſimus* (al. *urſimus*) *altum*
Directa &c.
Tam cupidè ſurſum revomit magis.

Idem lib. 4: 249.

-- --- *& quanto plus aëris ante agitatur,*
Et noſtros oculos perterget longior aura,
Tam procul eſſe magis res quæque remota videtur.

Licet & alia ex hoc ſcriptore exempla colligere. ſic Virgil. Æneid. 7: 787.

Tam magis illa fremens & triſtibus effera flammis,
Quam magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ.

quem Virgilii locum Quintilianus ait eſſe ex illo verſum, *Quam magis ærumna urget, tam magis ad malefaciendum viget.* Idem Virgilius libro tertio Georg. 309.

Quam magis exhauſto ſpumaverit ubere mulctra,
Læta magis.

quo in proximo exemplo ſubintelligitur *tam.* Terentius Adelph. 4: 5: 63.

niſi quia quam
Miſerè hoc cupio eſſe verum, tam vereor magis.

Plaut. Bacch. 5: 1: 5.

--- --- *quam magis id repeto, tam magis uror.*

Idem Pœnulo 1: 2: 135.

Quam magis aſpecto, tam magis eſt nimbata, & nugæ meræ.

Lamb. Lambinus *quam.* contra libros omnes. Gif. *Quam. Quo* Omnes Codd. *Lambinus* tamen multis aliis exemplis monitus *Quam* edidit. Creech.

538. *His rebus*] Videtur legendum,

Tam magis ictibus hæc *penitus tentata labaſcit:*

Scio quidem eſſe, qui per iſta verba (*his rebus*) ignem, humorem, *&c.* intelligant; ſed hoc loco agitur de *plagis* in univerſum. Æſtu, humo-

At quoniam ſupera docui Nil poſſe creari
De Nihilo, neque quod genitum eſt ad Nil revocari:
Eſſe immortali Primordia corpore debent,
Diſſolvi quo quaeque ſupremo tempore poſſint;
Materies ut ſuppeditet rebus reparandis.

Sunt

INTERPRETATIO.

Cum verò ſupra demonſtraverim, Nihil è Nihilo fieri, *&* Nihil etiam ad Nihilum reverti; *Corpora prima debent æterna eſſe, in quæ Omnia quæ interierunt diſſolvantur, ut Materia ſuppetat rebus reficiendis apta:*

VARIÆ LECTIONES.

547. *ſupremo.* ſuperno Q 1. Diſſolvi neque ſupremo q. t. debent Q 1. Diſſolvi quæ neque ſuprſ. tempore res jam X.

NOTÆ.

more, frigore, *&c.* Tamen vide Emendationes. Fab. *Ictibus hæc* legit Faber, & addit, ſe quidem ſcire eſſe qui per iſta verba (*his rebus*) Ignem, humorem, &c. intelligant (Lambinum notat) ſed hoc loco agitur de plagis in univerſum. Ingenioſe fateor, at quis non videt *his rebus* aptiſſime reſpondere iſtis verbis v. 536.

--- -- *Quibus Omnia conficiuntur?* Creech.

541. *Præterea niſi &c.*] Præterea (inquit) niſi materia fuiſſet æterna, res omnes genitæ ad nihilum redactæ eſſent: & quæcumque videmus, ex nihilo renata eſſent. Lamb. Alio v. 11. pugnat argumento è communi illo Epicuræorum effato *De Nihilo Nihil*, & *in Nihilum Nihil*, deducto. Si enim prima rerum ſemina interirent ſeu diſſolverentur, in Nihilum reciderent: Nulla enim ſunt priora *Primis* principia in quæ reſolvi poſſint. Ideoque res quotidiè natæ è nihilo orirentur. Æterna igitur eſſe ſemina, vel res è *Nihilo* oriri, quo nihil abſurdius dici poſſe Philoſophi crediderunt, concedatur neceſſe eſt. Epicurus ad Herodotum, *ταῦτα δὲ τὰ σώματά ἐστιν ἄτομα, καὶ ἀμετάβλητα, εἴπερ μὴ μέλλει πάντα εἰς τὸ μὴ ὂν φθαρήσεσθαι.* Verſu autem 549. & duobus ſequentibus hanc Principiorum immortalitatem ſolidæ iſtorum ſimplicitati deberi breviter oſtendit. Creech.

543. *De nihilo quoque nata*] Ita recte quidam libri. In quibuſdam vet. *quæ nata*, *quæ tanta*, *quæ rata.* ſæpe *que* pro *quoque* poſitum eſt ob notas: & *r.* pro *n.* Nec mutanda ſcriptura eſt ex loco inf. verſ. 675. Similia vide inf. lib. 3: 710. 716. Gif. Sic reſtitui à codicibus manuſcriptis ad hanc ſcripturam quaſi manu ductus: in quibus ſcriptum eſt partim. *De nihiloque rata:* partim, *quæ ranta*: partim, *quæ nata.* ex qua poſtrema ſcriptura alii fecerunt, *De nihilo quæſita*, ut habent omnes fere vulgati codices: alii, *De nihilo quoque nata:* quæ tamen probabilis lectio eſt. alius neſcio quis, in cod. Bertiniano repoſuerat. *De nihiloque creata.* Sunt & qui legunt, *De nihiloque parata forent.* ſed ita legendum eſſe, ut excudendum curavi, evincit locus ſimilis infra eod. lib. 675.

De nihiloque renata vireſcat copia rerum.

Quod autem quidam ſycophanta negat ex illo loco hunc ſic eſſe ſcribendum, ego mendaci & perjuro non credo. Lamb. Quod neceſſario ſequitur. al. *de nihiloque renata.* Fab. *Quæſita.* Nard. vitioſe. Quidam *Nihilo quoque nata.* Alii *Nihiloque creata.* Gaſſendus *reducta.* Creech.

547. *Diſſolvi quo*] Id eſt, in quæ primordia res quæque genitæ ſui interitus tempore diſſolvi queant. Lamb.

547. *Supremo*] Ultimo. Horat. epiſt. ad Torqu. 1: 5: 3.

Supremo te ſole domi Torquate manebo.

Idem ad Alb. Tib. 1: 4: 13.

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.

Lamb

548

Sunt igitur Solida Primordia ſimplicitate,
Nec ratione queunt alia ſervata per aevom
Ex infinito jam tempore res reparare.
  Denique, ſi nullam finem Natura paráſſet
Frangendis rebus, jam Corpora materiaï
Uſque redacta forent, aevo frangente priore,

INTERPRETATIO.

Corpora igitur prima, ut ſimplicia ſunt, ſic etiam perfecte Solida, *& ſi non eſſent ſolida, nullo modo per infinitum, quod effluxit, tempus integra manſiſſent, aut res pereuntes inſtauráſſent. Denique ſi nullum terminum rebus diſſolvendis* Natura *ſtatuiſſet, Materiæ particulæ per tempus, quod præteriit, perpetuò fractæ ad eam uſque exilitatem redactæ forent,*

VARIÆ LECTIONES.

550. *ſervata.* renovata Y. *ævom.* Ita G.
552 Hiatus ad verſ. 565. C. M. N. *nullam.* nullum X.
553. *Materiai.* materieſque c. P. materieque H 1. materiam X. materiae Y. Z.
554. *redacta.* reducta Am. H 1. P. X. *redacta* Pius, in not. *forent.* fovent G. Y. Z. ſed in. Z. ſuperſcrib. & vulg.

NOTÆ

548. *Suppeditet*] Suppetat, ſatis ſit, ἐπαρκεῖν, vel parata ſit. nam *ſuppeditet*, hoc loco abſolutè accipiendum eſt, ut ſæpe alibi. Lamb.

549. *Sunt igitur ſolida*] Concludit hunc locum hoc modo: *Conſtant* igitur corpora prima *ſolida ſimplicitate*, id eſt, ſunt ſolidiſſima & ſimpliciſſima: atque ita ſunt æterna. quod ſi non eſſent ſolidiſſima, interirent tandem, neque æterna eſſent. Si corpora prima interirent: vel non haberent res naturales, ſemel peremtæ, unde reficerentur, vel ex nihilo reficerentur: quod fieri non poſſe probatum eſt. Lamb.

550. *Nec ratione queunt*] Lego *queant*, poſſint, poſſent. Fab.

552. *Denique ſi &c.* Perperam Marullus hunc ordinem contra veteres libros omnes mutaverat; quod & alii male ſunt ſecuti. Gif. Scio, hos quattuordecim verſus, qui deinceps ab hoc numerati ſequuntur, in codicibus vulgatis ordine converſo infra verſum, cujus principium eſt,

Innumerabilibus plagis, &c.

collocari. Ego tamen, quem ordinem in quinque codicibus manuſcriptis, & in Venetis antiquis, in Pariſ. in Vicetinis reperi, ſervavi. Lamb. Sic habent libri manuſcripti. ſententia autem hujus loci hæc eſt: Si non eſſent aliqua corpora ſolidiſſima, quæ numquam illa vi frangerentur; & ſi non eſſet tum rerum frangendarum finis, cum ad ea corpora perventum eſſet: jam *corpora prima*, id eſt primordia rerum, ita ad nihilum eſſent redacta, ut nihil ex illis conceptum & concretum ad juſtam magnitudinem pervenire poſſet, &c. Lamb. Nobilis quæſtio. Senſus eſt: Niſi finem certum frangendis ſeu diſſolvendis rebus natura ſtatuiſſet, ita jam deminuta corpora primordialia eſſent; nihil ut ex iis poſſet matureſcere; at nunc, uti ſeſe res habere videmus, finis aliquis rebus frangendis eſt, ultra quem nullus progreſſus datur. Itaque ſolidum aliquid & ἄθραυστον in Natura ſit neceſſe eſt, unde omnia revireſcant. Fab. Iterum v. 14. monet rerum omnium incremento ſtatutum eſſe certum & definitum tempus; Ideoque ſemina e quibus iſtæ res augentur certæ eſſe molis, indiſſolubilia etiam, nec frangi poſſe: Aliter enim per infinitum illud, quod abiit, tempus fracta & diſſipata in tam exiles minutias redacta fuiſſent; ut nullis unquam, ideoque non paucis Annis reficerentur, & in molem coaleſcerent. Et hæc omnia agnoſcet qui Res citius diſſolvi, quam refici poſſe cogitat. Creech.

556. *Finem*] Codices fideliores reſervant *florem*: quam lectionem maxime probo. *Florem* expone abſolutam creſcendi perfectionem. Prus.

Ita

Ut nihil ex illis â certo tempore poſſet
Conceptum, ſummum aetatis pervadere florem:
Nam quidvis citiùs diſſolvi poſſe videmus,
Quam rurſus refici. Quapropter longa diei
Infinita aetas anteacti temporis omnis
Quod fregiſſet adhuc, diſturbans, diſſolvenſque,

Nun-

INTERPRETATIO.

ut Nihil ex illis compactum matureſceret, ſummumque ætatis florem ſtato tempore attingeret. Citius enim Res quælibet diſſolvitur, quam reficitur: Ideoque quod per infinitum tempus præteritum diffractum & disjectum ſuit,

VARIÆ LECTIONES.

556. *pervadere florem.* pervadere finem A. B. c. I *Gaſſ.* L. P. Z. finis Y. H 1. fines Q 1. pervalde finis X. fine G. codd. fideliores *Pii* retinent *florem*, quam lect. *ipſe* probat.
558. *diei.* dies, & P V.
559. *Infinita.* Ita F. Q. V. Y. Z. infinitæ *Reliqui. anteacti.* antracti X. *omnis.* omne C. E. P.
560. *diſturbans.* diſturbens X.

NOTÆ.

Ita omnes fere. veteres quidam tamen *florem*; quod etiam rectum eſt, ſed ex aliis locis inrepſiſſe videtur. Vid. ſimilia inf. 3: 771. Gif. *Finem* Quidam libri manuſcripti, & nonnulli typis excuſi habent, *pervadere finem*: quos ego ſequor. *florem* tamen, quod in aliis libris reperitur, non improbo. ſic enim ſæpe alibi, ut infr. ſtatim 565.

--- quibus poſſint ævi contingere florem.

& lib. 3: 771.

--- cupitum ætatis tangere florem.

& 5: 845.

Nec potuêre cupitum ætatis tangere florem.

florem autem, id eſt ἀκμὴν juſtum & perfectum vigorem. Lamb. *Florem. Finem* G. Lamb. Aliique, iſtamque etiam vocem *Fayus*, qui aliorum errores ſemper approbat, tuetur: At *Finem* vel prorſus enervat argumentum, vel ſaltem infirmius reddit, & obſcurius. *Flos ætatis* ἀκμὴ, juſtus perfectuſque vigor. Creech.

557. *Nam quidvis citius diſſ.*] Facilius eſt diruere, quam ædificare. ſententia vulgata. Sic Iſoc. πρὸς Φίλιππον, Εἰδότες, ὅτι συστῆσαι μέν ἐστιν ἅπαντα χαλεπὸν, διαλῦσαι δὲ ῥᾴδιον. id eſt, *Scientes componere quidem in rebus omnibus eſſe difficile, diſſolvere vero, & diruere, facile.* Plutarch. περὶ τοῦ ἀκούειν, Ὥσπερ ὁ Λακεδαιμόνιος ἀκούσας, ὅτι Φίλιππος Ὄλυνθον κατέσκαψεν, ἀλλ' οὐκ ἀναστῆσαί γε τοιαύτην, ἔφη, πόλιν ἐκεῖνος ἂν δυνηθείη. id eſt, *Quemadmodum Lacedæmonius ille, cum audiſſet, Philippum Olynthum funditus evertiſſe: at talem urbem (inquit) de integro excitare non poſſit ille.* Lamb.

559. *Infinita ætas*] Infinitum tempus præteritum. Si legis *infinitæ*, junge cum diei. Pius.

559. *Anteacti temporis omnis*] Sic habent libri manuſcripti. Lamb.

558. *Quapropter longa diei*
Infinitæ ætas anteacti temporis omnis
Quod fregiſſet adhuc diſturbans diſſolvensque;
Nunquam relliquo reparari tempore poſſet.

Rem vero admirabilem, ſcilicet! *Ætas longa diei infinitæ anteacti temporis!* quid hoc? Si ſerio loquendum, & libere, dicam: Nugæ & mera ἀφροδία. Legendum enim,

--- quapropter longa dies, &
Infinita *ætas anteacti temporis omnis*, &c.

Notum illud:

Longa dies homini docuit parere leones.

T Et

Nunquam reliqüo reparari tempore poſſet:
At nunc nimirum frangendi reddita finis
Certa manet: quoniam refici rem quamque videmus,
Et finita ſimul generatim tempora rebus
Stare, quibus poſſint ævi contingere florem.

Huc

INTERPRETATIO.

in futuro tempore nunquam reficeretur. Jam vero certum eſſe terminum frangendis rebus à natura poſitum colligimus, quoniam videmus res refici, eaſque etiam finito ſingulis generibus ſtato tempore ætatis ſuæ florem attingere.

VARIÆ LECTIONES.

561. *Nunquam reliqüo.* nunquam reliquo A. B. D. Nunquam deliquo Y. ſed a pr. manu videtur fuiſſe *relicuo.* Id nunquam reliquo R. S. T. Nunquam id reliqüo L. relicuo G. V. Z. reliquum id nunquam X.

562. *reddita.* tempora Q. I.

563. *refici.* refice Y. Z. a pr. m. ſed correctum eſt. *videmus*, demus Y. Z. ſed in Z. ſuperſcrib.

564. *Et.* At Q. X.

NOTÆ.

Et hoc Lucretii in 4: 201.

--- *hæc puncto cernantur lapſa diei.*

id eſt *temporis.* Neque unquam aliter ſcripſere, qui pure & Romano ore locuti ſunt. FAB. *Faber* legit *Longa dies*, *&* *Infinita ætas*, & hanc emendationem hujus libri v. 234.

Infinita ætas conſumſe, anteacta Dieſque

egregiè confirmat. CREECH. Iterum hic adjectiva duplicat. HAV.

560. *Adhuc*] Εἰς τὸ νῦν in hunc uſque diem. FAB.

561. *Nunquam relliqüo*] Ita veteres quidam. FAB. In aliis quibuſdam: *Reliqüo id nunquam.* Vulg. *Id nunquam reliquo.* GIF. Sic habebant etiam noſtri libri veteres: quod cum in prima editione non obſervaſſem, admonuit me Adr. Turnebus. *relliqüo* porrò quattüor ſyllabarum eſt. LAMB. Ita MSS. uterque *Lugd. Bat.* niſi quod *relicuo* ſcribatur in Sec & quum ita quoque manu prima in primo exſtitiſſet, mutatum deinde atque interpolatum eſt. Ita quoque Turnebus Adverſ. 19: 15. & ipſe Lucretius 4: 973.

Reliqüas tamen eſſe vias in monte patentes.

HAV.

562. *At nunc nimirum*] Concludit, certum finem eſſe rerum frangendarum, ad quem cum perventum fuerit, tum res frangi deſinant. Ex quo efficitur, ut ſint quædam corpora minima, & ſolidiſſima, inanis expertia, quæ numquam frangi poſſint: ex quibus res quæque & reficiuntur, & ad ætatis florem, juſtamque magnitudinem perveniunt. LAMB.

564. *Generatim*] Itaque genera ſeu ſpecies non minuuntur, ἐδ᾽ ἀλλοιῦνται FAB.

565. *Contingere*] Conſequi, adipiſci. LAMB.

566. *Huc accedit*] Alia ratione probat, primordia rerum ſolidiſſima eſſe oportere, nempe quod, quamvis ſint talia, poſſint tamen in concilio, & congreſſu, id eſt in rebus gignendis, effici mollia, inanis interventu, ut ita ex iis fiat aër, aqua, vapores, & ſimilia. at ſi eſſent ſua natura mollia, non poſſent ex iis fieri ſilices, ferrum. adamas & ſimilia. LAMB. Alii *Hoc.* quod idem eſt. *hoc*, pro huc, *iſthoc*, pro iſthuc; titivillitia grammaticæ. ſententia eſt: Sed cum ſolida ſint prima corpora, unde mollities, ὑγρότης, & liquidum concretum, *&c.* Ex admiſtione Inanis. FAB. *Huc accedit uti, &c.* Atomorum ſoliditatem v. 12. confirmat. Quia enim manifeſtum eſt eſſe in rerum natura Corpora *dura* ac *mollia*, declarat, ſi Principia quidem aſſumantur *Solida*, poſſe ex illis fieri non modo res duras, ut perſpicuum eſt, verum etiam molles; quoniam quod concreſcit ex ipſis molleſcere poterat ex intermiſtione *Inanis.* Sin autem *Mollia* ſupponantur; tum poterunt quidem res effici

mol-

Huc accedit, uti Solidiſſima materiaï
Corpora cum conſtant, poſſint tamen omnia reddi
Mollia, quae fiant, Aër, Aqua, Terra, Vapores,
Quo pacto fiant, & qua vi cunque genantur,
Admiſtum quoniam ſemel eſt in rebus Inane.

At

INTERPRETATIO.

Obſerves inſuper, quod licet Corpora prima ſint perfectè ſolida, poſſunt Res molles, v. g. Aër, Aqua, Terra, Ignis, ex iis componi, quoniam eſt Inane Rebus admiſtum.

VARIÆ LECTIONES.

566. *Huc.* hôc A. B. que X *uti.* ut P. ſed in Not. *uti.*
567. *cum conſtant.* tum conſtent. Q 1. *conſtant.* conſtent C. E. N.
568. *Mollia quæ fiant.* Molliaque fiunt Y. Z. *fiant.* fiunt. G. H 2. N. P. X.
569. *cunque genantur.* quæque gerantur C. G P. X. quæque geruntur E. H 2. N. Pius in notis legit *fiant? geruntur?* interrogative.
570. *ſemel.* Ita c. G. P. Q. Y. Z. in not. tamen P. reponit *ſimul*, ut habent Alii. *eſt.* abeſt X.

NOTÆ.

molles; at nulla ratio ſuberit cur poſſint dici *duræ* effici; ſoliditate viz. quæ eſt fundamentum duritiei, nulla extante. *Gaſſendus.* Creech.

567. *Cum conſtant*] Sic legendum, & ita ſcriptum eſt in quattuor libris manuſcriptis: quibuſcum faciunt aliquot typis impreſſi, ut Pariſienſ. Veneti antiq. Vicetini. quod annotavi, ne quis ſemidoctus putet reponendum, *cum conſtent.* illo enim modo potius loquebantur antiqui. Lamb. Pro, *cum conſtent.* Ita ſcilicet loqui mos erat. Iſtud enim cum eandem vim habet ac τὸ *quamvis*; ſed *quamvis* apud Horatium, Ovidium, Saluſtium, cum primo modo junctum videas. exempla ex iis peti poſſunt, Fab.

568. *Aer, aqua, terra, vapores*] Vapor, ignis eſt. Dices, ergo elementa non ſunt prima corpora; non ſunt, neque adeo poſſunt. quid ita? quia concreta, quia συςήματα, &c. Elementa enim ſunt principia ſecundaria, ut vulgus loquitur. Fab.

569. *Quo pacto fiant*] Scribe interrogative: quomodo fiunt mollia ſcilicet cum e ſolidiſſimis principiis oriuntur? Et qua vi? Qua potentia? *Quæque gerantur.* Lego *geruntur?* per interrogationem. Mirum eſt, inquit poëta, ex ſolido corpore genita, fieri corpora meatibus plena. Interrogat quomodo hæc, quæ contradictionem inferre videntur, geruntur. Pius. Tmeſis, quocunque modo fiant, & quacunque vi gignantur illa; nempe aër, aqua, terra, vapores; proinde quaſi dicat, non eſt enim hujus loci docere, quomodo ex primordiis ſolidiſſimis fiant aër, aqua, & cetera mollia. mendoſe in aliis libris legitur,

Qua vi quæque gerantur.

legendum enim,

Qua vi cunque genantur.

quantumvis reclament quidam βδελυροὶ συκοφάνται. Lamb.

569. *Et qua vi cumque gerantur*] Quæque. ut & ſupr. verſ. 130. Lambinus *genantur.* male contra libros Vet. Gif. Iſthuc *cumque* jungi cum *pacto* debet, ut & cum *vi. Genantur* autem, optime Lambinus. At Gifanius qui male iſtud ab illo introductum queritur, nimius nugator eſt. Deinde quid diſcriminis inter τὸ *genere* & *gerere*, non viderat. Fab. *Quæque gerantur* Nardius. *Gerantur* Gif. & Pareus amant. *Genantur* tuetur Lambinus. Totum vero hunc verſum tanquam importunum, & malæ fidei poſſeſſorem, ex hoc loco amovendum eſſe cenſeo: At ſiquis retineat, cum *Lambini* explicatione abeat contentus. Hæc enim ille. Quocunque modo fiant, & quacunque vi gignantur illa, nempe Aër, Aqua, Terra, Vapores; proinde quaſi dicat, &c. Creech. Sic cum Gifanio legimus. Quicquid aliter poſt Lambi-

At contra, ſi Mollia ſint Primordia rerum,
Unde queant validi ſilices, ferrumque creari,
Non poterit ratio reddi. Nam funditus omnis
Principio fundamenti Natura carebit.
Sunt igitur Solidâ pollentia ſimplicitate,
Quorum condenſo magis omnia conciliatu
Arctari poſſunt, validaſque oſtendere vireis.
Denique jam quoniam generatim reddita finis
Cre-

INTERPRETATIO.

E contrà verò ſi Corpora prima eſſent Mollia, unde duri ſilices ferrumque oriretur nemo dixerit; Natura enim non haberet principia firma ſatis & rigida. Sunt igitur Corpora prima purè & perfectè ſolida, quæ quo arctius denſiuſque conjunguntur, eò rigidiores & duriores res fiunt. Denique quoniam terminus

VARIÆ LECTIONES.

573. *omnis.* omni. *Gaſſ. Creech.*
576. *condenſo.* condenſe c. O. condendo magis X.
577. Poſt hunc verſum collocatur verſ. 629. cum ſex ſequentibus G. P. Q. X.
578. *jam.* tam Q. 1. Abeſt N. *generatim.* generatam X. generain Y. Z. ſed ſuperſcrib. in Z. leg. *generatis.*

NOTÆ.

binum ſtatuant Viri docti. Preig. Ex conſenſu optimorum codicum MSS. *genantur*, quod mihi ſatis aptum videtur, hoc loco retinui. Hav.

570 *Semel*] Ita præclarè legunt MSS. quum etiam Ed. Baſ. hanc vocem in marg. ut ex MS. hauſtam agnoſcat. *Simul* enim, quod hactenus locum occupavit, plane hic eſt inconveniens. Veteres vero eleganter hac voce *ſemel* ſunt uſi. Lucan. III: 147. de Cæſare:

> ——— *ſemel omnia victor*
> *Juſſerat.*

& de Pompejo VIII, 705.

> *Pompejuſque fuit, qui nunquam mixta videret*
> *Læta malis: felix nullo turbante Deorum,*
> *Et nullo parcente miſer. Semel impulit illum*
> *Dilata Fortuna manu. pulſatur arenis, &c.*

& alibi. Quod ipſum verbum Tertulliano in Apologetico, & aliis auctoribus ſuo tempore reſtituimus. *Semel*, omnino, *eens voor al.* Hav. *Simul.* Cur *ſimul?* Nonne ſufficit *admiſtum* dixiſſe. Lege cum Lib. MSS. *ſemel.* quo ſenſu Lucanus etiam: alibi, & lib. VI. fine:

> ——— *Nequeunt animum ſibi reddere fata*
> *Conſumpto jam jure ſemel.* Preig.

572. *Unde queant validi*] Hunc verſum producit teſtem Nonius Marcell. in voce *ſilex.* Lamb. *Validi ſilices.* Huc reſpexit Servius ad Virg. Æn. VIII, 233. *Stabat acuta ſilex*, ita ſcribens: *Pene omnes* hunc ſilicem *dixerunt. Nam & Varro & Lucretius ita dixerunt. Tanta tamen eſt Virgilii auctoritas, ut perſuadeat nobis, etiam* hanc *ſilicem dici.* Hav.

573. *Nam funditus omnis Principio fundamenta*] Fundamentum cujuſque rei debet eſſe firmiſſimum, ac ſolidiſſimum. At ſi principia rerum eſſent mollia, fundamentum rerum naturalium eſſet infirmum, imbecillum, fragile, & caducum. Ergo primordia, ſeu principia rerum non ſunt mollia, ſed potius ſolidiſſima. Lamb. *Omnis.* Omni G. P. rectè. Creech.

578. *Denique jam quoniam*] In duobus cod. manuſcript. & in aliquot excuſis etiam hoc loco, ordine mutato, deinceps ſequebatur hic verſus, cum aliis ſex,

> *Porro ſi nulla eſt frangendi redd. fin.*

ego

Creſcendi rebus conſtat, vitamque tuendi,
Et quid quaeque queant per foedera Naturaï,
Quid porro nequeant, ſancitum quandoquidem exſtat;
Nec commutatur quidquam, quin omnia conſtant
Uſque adeo, variae volucres ut in ordine cunctae
Oſtendant maculas generaleis corpori ineſſe:
Immutabile materiae quoque corpus habere
Debent nimirum. Nam ſi Primordia rerum
Com-

INTERPRETATIO.

creſcendi, atque vivendi, pro diverſis ſuis generibus cunctis rebus certus conſtituatur, & Naturæ legibus ſtatutum ſit quid quæque res poſſunt, quid non poſſunt; Cum etiam nihil mutetur, cum certus ſit rerum ordo, & ita Omnia eundem tenorem ſervent, ut varia Avium genera peculiares quoſdam Colores & ſibi proprios conſtanter habeant; neceſſe eſt componi è Corporibus primis Immutabilibus. Si enim Prima Corpora

VARIÆ LECTIONES.

579. *Creſcendi.* creſcendis H 1. Q 1. Y. Z. *tuendi.* vitamque tenendi c. H 1. A mar. G. O. P. X. Y. Z. tenendo Q. elegantius *tuendi* not. *Pii.*

580. *Et.* Sed X.

581. *Quid.* Quod Q 1. *ſancitum.* ſanctum Y. ſed corr.

582. *commutatur.* communicatur Q. X. comitatur Y. Z. ſed corr. in Z. *quin omnia.* quando omnia C. A. B D. F. Bm. I. N. Q. X.

583. *adeo.* ad adeo X. *ut.* & X.

584. *Oſtendant.* oſtendunt P. *generales.* genitales Q 1. *corpori.* corpore C. E. N. P. Q. X. Y. Z. corpori atiam eſſe K.

585. *Immutabile q. m* Immobiles quoque materiai X. Immutabiles materiæ quoque Y. Z.

NOTÆ

ego ſecutus ſum pleroſque typis excuſos, neque tamen meum eſſe puto hunc vel illum ordinem probare, aut improbare. Lamb. His v. 15. Aliam ſubjicit rationem *Lucretius* ductam ex multiplici Naturæ conſtantia, ut in provehendis ſemper Animantibus ad certas uſque virium, incrementi, ac vitæ metas, in imprimendis ſemper iiſdem ſingulorum generum diſcriminibus & notis; quæ præſtitura ſanè non eſſet, niſi Principiis uteretur certis, & conſtantibus, atque adeo diſſolutioni, mutationique non obnoxiis. Unde enim Seminibus quotidiè mutatis iſta tam pertinax conſtantia, profectò non eadem Hominibus, aliiſque Animalibus conſtaret forma; Quædam immenſis viribus & longævitate fruerentur, dum Alia ejuſdem generis puſilla nimis eſſent, & breviſſimæ ætatis: frequenter albos Corvos, & aliquando nigros Cygnos videremus. Creech.

579. *Vitamque tuendi*] Quidam libri habent *tenendi*, minus rectè: quamvis non me fugiat, Latinè dici *vitam retinere*, & ſimplex pro compoſito interdum uſurpari ſolere. Lamb. Rebus etiam inanimatis vitam hoc loco, ut ſupra *ævi*, *ætatiſque finem* ac *florem* cuique ſuum tribuit. vid. verſ. 556. 565. Preig.

580. *Fœdera naturai*] Senec. in Medea non minori elegantia *fœdera mundi* dixit. Sic enim ille verſ. 335.

Bene diſſepti fœdera mundi
Traxit in unum Theſſala pinus
Juſſitque pati verbera pontum.

& verſ. 606.

Vade qua tutum populo priori:
Rumpe nec ſacro, violente mundi
Fœdera ſancta.

 addc

Commutari aliquâ poſſent ratione revicta,
Incertum quoque jam conſtet, quid poſſit oriri,
Quid nequeat; finita poteſtas denique quoïque
Quanam ſit ratione, atque alte terminus haerens;

Nec

INTERPRETATIO.

aliqua ratione mutari poſſint, incertum jam foret quid oriri poſſit, quid non poſſit; qua etiam ratione quodcunque eſt, finitam habeat poteſtatem, limitemque potentiæ in ipſa ipſius rei Natura poſitum.

VARIÆ LECTIONES.

587. *revicta.* revincta C. E. N.
590. *atque.* utque A. B. R. *hærens.* hæreat A. B. R.

NOTÆ.

adde Claud. I. in Ruff. in princ. Preig.

582. *Nec commutatur quicquam*] Et quando nulla res genita ſuam naſcendi condicionem mutat, aut à ſuo naturali ordine diſcedit, immo vero conſtantiſſime legem à natura deſcriptam, ratumque ordinem ſervat, uſque adeo, ut corvi nigri ex corvis naſcantur, & è cycni cycnis candidi gignantur: nimirum dicendum etiam eſt, prima corpora, ex quibus cetera conſtant, & quidem multo magis, eſſe immutabilia. legendum autem eſt, *quin omnia conſtant*, potius quam: ut vulgo, *quando omnia conſtant.* Lamb.

582.] *Quin conſtant.* Imo conſtant. in al. *quando.* male. Fab. & Creech. *Conſtant.* Suam naturam, ſuumque ordinem ſervant,

Uſque adeò, ut variæ volucres, &c. Lamb.

583. *Variæ volucres*] Varios colores habentes. Propertius:

Aut variam plumae verſicoloris avem.

Pius.

583. *In ordine*] Ex ordine, vel ordine, ἐφεξῆς, vel ἑξῆς, una ſerie, perpetuò. Plaut. Terent. Virgil. Fab.

584. *Oſtendant*] Sic habent libri manuſcripti. nam vulgati habent *oſtendunt*, mendoſe. Lamb.

584. *Maculas generaleis*] Sic legendum, non *genitales.* & ita mox: *generatim.* Gif. Id eſt ſui cujuſque generis proprias. quidam legi volunt *genitaleis*, id eſt a natura inſitas, atque à primo ſtatim ortu tributas: non probo. Lamb.

584. *Corpori ineſſe*] MSS. *Corpore.* Fortaſſe etiam *eſſe.* ut ſupr. verſ. 367. & inf. verſ. 658. Gif. Alias *corpore ineſſe*, id eſt, in corpore eſſe. Lamb.

585. *Materiæ*] Primordiorum. Fav.

587. *Revicta*] Ita veteres. Alii: *revincta.* Gif. Id eſt viciſſim victa, & ſuperata. ſic reſtitui ſecutus libros manuſcriptos, & nonnullos typis excuſos, in his Pariſ. Venet. antiq. Vicetin. Lamb.

590. *Utque alte terminus hereat.*] Vide ſupra verſ. 78. & inf. v. 91. Gif. Id eſt terminus firmus, ac ſtabilis, & qui nullis viribus convelli poteſt. hic verſus, & ſuperior, ſupra poſiti ſunt non longè à principio. Lamb. *Terminus hærens.* Ita MSS. omnes; quomodo cum etiam omnes membranæ quas Lamb. inſpexit habeant, merito damnes licet Gifanii,

--- --- *utque recte terminus hæreat.*

vel, quod Faber & Creech receperunt,

--- --- *atque alte terminus hæreat.*

ſumptum a termino qui finem agri cujuſque ſignat. Olympius Nemeſianus Ecl. I.

Sub te ruris amor, ſub te reverentia juſti
Floruit; ambiguos ſignavit terminus agros.

Hav.

591. *Generatim ſæcla*] Id eſt genus omne animantium quodque ſuam naturam, &c. referre poſſent: *generatim-ſæcla*, hic & paſſim Lucretius dixit; ut *ſemper-lenitas* apud Ter. & *ſemper-deus* apud Virg. & ſimilia. Preig.

591. *Sæcla*]. Id eſt animantium genera. Lamb. Pro ſingularibus cujuſque generis. Fab. Simpliciter hoc loco pro omni animantium genere poſuit. Statius Lucretium imitatus lib. XI. pag. m. 497. pro hominibus; vel potius hominum, ut apud inferos, ſimulacris:

--- --- *Interea longum ceſſante magiſtro,*
Creſcat opus, totiſque exſpectent ſæcula ripis.

Preig.

592.

Nec toties poſſent generatim ſaecla referre
Naturam, motus, victum, moreſque parentum.
Tum porro, quoniam extremum quoïuſque cacumen
Corporis eſt aliquod, noſtri quod cernere ſenſus

INTERPRETATIO.

Nec Animalia pro diverſis ſuis generibus Naturam, Motus, Victum, moreſque parentum, tam conſtanter repræſentarent. Præterea cum extremus cujuſque Corporis apex eſt aliquod quod noſtri oculi videre

VARIÆ LECTIONES.

591. *toties.* totiens Y. Z. *poſſent.* poſſint Q I.

592. *Naturam.* Natura X. *victum.* vultum, *Creech.* Tranſponit G. *mores v. m. p.* ut & Y. Z.

593. *Quoniam extremum quoïuſque.* quoniam eſt extremum quoque. C. E. G. P Bm Q. V. Y. Z. eſt eximum, quodque X.

594. *Corporis.* Corporum Q. *Corporis eſt aliquid quod.* corporis illius quod noſtri C. E. G. N. V. P. Y. Z. *eſt aliquod.* illud quod X.

NOTÆ.

592. *Natur. motus, v.*] Quod fieri uſus docet, & iterum Lueretius lib. 4. non longè ab extr. Lamb.

592. *Motus*] Geſticulationes referunt filii quæ ſunt in parentibus. Cauſa eſt quod ſicuti aves colorem in pennis eundem referunt; ſimiliter mores parentum filii repræſentant. quoniam natura primi principii eſt immobilis. cum idem ſit ipſum in filio: quod fuit in patre: neque mutari queat: neceſſarium eſt igitur eadem genitiva ſigna ineſſe filio: quæ inerant patri. De ſimilitudine Plinius hæc graphice conſcribit libro ſeptimo naturalis hiſtoriæ. Similitudinum quidem in mente reputatio eſt: & in qua credantur multa fortuita pollere, viſus, auditus, memoriaque hauſtæ imagines ſub ipſo conceptu. Cogitatio etiam utriuſlibet animo ſubito transvolans effingere ſimilitudinem aut miſcere exiſtimatur. Ideoque plures in homine quam in cæteris omnibus animalibus differentiæ. quoniam velocitas cogitationum animique celeritas, & ingenii varietas multiformes notas imprimit, cum cæteris animantibus immobiles ſint animi: & ſimiles omnibus ſinguliſque in ſuo cuique genere. Hæc Secundus. Ariſtoteles vero libro de generatione animalium ſecundo de ſimilitudinibus & earum cauſis enixiſſime diſputat opiniones priſcorum confutans: qui hoc aſcribebant ſemini ex toto corpore defluenti. Pius.

592. *Victum*] Sic Codices, at *Vultum* non incommodè ſubſtituatur. Creech.

593. *Tum porro quoniam, &c.*] Hoc dicit; Quoniam uſque ad eum apicem, ſeu ad id punctum, & *cacumen*, quodvis corpus minui poteſt, ut id jam cernere nequeamus: nimirum id cacumen, quod jam ſub aſpectum non cadit, partibus caret, & minimum eſt, id eſt, non poteſt eſſe minus, quam eſt. Verum ut totius hujus loci ſententiam uſque ad verſum,

Quapropter qui materiam, &c.

facilius conſequamur, ſciendum eſt, Peripateticos & Epicureos cum in aliis multis, quæ ad hanc diſputationem non pertinent, tum in his maximè inter ſe diſſidere: primum quod illi volunt omne corpus in parteis infinitas ſecari poſſe, neque ullas corporis parteis uſque adeò parvas eſſe poſſe, ut non poſſint fieri minores: id eſt, infinitum nihil eſſe quidem re & uſu, ſeu functione, & (ut vulgo loquimur) actu; ſed τῇ δυνάμει, id eſt *poteſtate*: quod item ſenſit Empedocles: Epicurei autem contra, cujuſque corporis cenſent *minimas* eſſe parteis, id eſt ejuſmodi, quibus nullæ poſſint eſſe minores, ad quas cum deventum ſit, diviſioni nullus jam amplius ſit relictus locus: deinde quod illi negant inane, ut & Empedocles, & tamen motum recipiunt: Epicurus autem & inane ponit,

Jam nequeunt, id nimirum ſine partibus exſtat,
Et Minima conſtat natura; nec fuit unquam
Per ſe ſecretum, neque poſthac eſſe valebit;
Alterius quoniam eſt ipſum pars, primaque, & ima:
Inde aliae, atque aliae ſimiles ex ordine partes
Agmine condenſo naturam Corporis explent.

Quae

INTERPRETATIO.

non valeant; id profecto nullas habet partes, & Minimum *eſt, nec unquam extitit, nec olim unquam exiſtet ab omnibus aliis ſeparatim; quoniam eſt pars prima ultimaque rei alterius; & partes aliæ huic plane pares ſeriatim conjunctæ Corpus conſtituunt.*

VARIÆ LECTIONES.

596. *Et Minima.* de minimo Am.
597. *ſecretum.* concretum. c. O. P *poſthac.* poſthec X.
598. *quoniam eſt ipſum pars primaque & ima* O. quoniam (eſt N) ipſum: primæ quoque & imæ C. quoniam ipſum ſunt primaque & ima c. G. H i. O. ipſum: primæ quoque & imæ E Bm. quoniam ipſum primaque & una Z. q. ſunt i. primaque & ima X.
600. *Agmine.* augmine C. P.

NOTÆ.

ponit, ac mordicus retinet, & ſine inani motum eſſe non poſſe contendit. Horum duorum verſuum ſcripturam vulgatam paullum immutavi, partim veterum codicum auctoritate fretus, partim conjectura ductus: quam adjuvat locus, qui ſequitur infra verſu 750.

Cum videamus, id extremum quojuſque cacumen
Eſſe, quod ad ſenſus noſtros minimum eſſe videtur.

Sæpe autem in hac voce, & *quojus*, & *quoi*, peccatum a librariis eſt, cum in hoc ſcriptore, tum in aliis. Venit nunc unius loci in mentem, qui eſt hoc eodem in libro, infrà non longè, verſu 617.

Quoi quoniam ratio reclamat vera, &c.

pro quo libri aliquot vulg. habent, *Quod quoniam*, &c. LAMB. Nunc aget de MINIMO, (Epic. ἐλάχιστον vocabat) ultra quod nulla detur fractio, contra Peripateticos. Inde probabit atomos ſuas. Cacumen autem vocat Lucretius punctum illud corporis, ad quod ubi deventum eſt, nulla ſectio detur. FAB. Alio v. 16. utitur argumento, ſubtili equidem, & quod pauci perceperint: *Semina* ſecundum Epicurum ſunt aliqua quantitate prædita, quod verò quantum eſt *Extremum* habet: Id autem Extremum *Minimum* eſt quod poteſt concipi; neque unquam exiſtit ab aliis partibus ſejunctum & ſeparatum, atque ex iſtis *Minimis* tota cujuſque *Seminis* moles conſtruitur: Cum vero partes conſtituentes à ſe invicem ſeparatæ exiſtere nequeant, a ſe invicem divelli non poſſunt: Quodcunque enim Corpus ab alio disjungi poteſt, ſine illius ope & auxilio ſuum *Eſſe* tueri valet. Ideoque quodlibet *Semen* ſimplex neceſſe eſt, & indiſſolubile: quoniam conſtat partibus conceptu minimis, & quas nulla vis poteſt disjungere, quoniam nulla eſt vis quæ in Nihilum valeat redigere: *In Nihil* enim *Nihil.* Alii legunt:

--- *Quoniam eſt extremum quodque cacumen*
Corporis illius, quod noſtri &c.

CREECH. Neſcio cur veterum lectionem immutaverit Lamb. & qui eum poſtea ſecuti ſunt editores, cum illa quæ in MSS. etiam L. B. inveniatur & omnib. fere impreſſis, ferri poſſit,

Tum porro quoniam eſt extremum quodque cacumen
Corporis illius, quod noſtri &c.

quomodo & Ed. Baſ. niſi quod ita diſtinguat:

----- *Corporis: illius, quod &c.* HAV.

593. *Quojuſque cacumen*] Ex *quojuſque* fecerant

Quae quoniam per ſe nequeunt conſtare, neceſſe eſt
Haerere, ut nequeant ulla ratione revelli.
Sunt Igitur Solida Primordia ſimplicitate:
Quae minimis ſtipata cohaerent partibus arctè.
Non ex ullorum conventu conciliata,
Sed magis aeterna pollentia Simplicitate:

Unde

INTERPRETATIO.

Quæ partes quoniam per ſe & ſeparatim nequeant exiſtere, ita ſibi invicem hærere debeant, ut nulla vi diſtrahi & divelli poſſint. Corpora igitur prima ſolida ſimplicitate gaudent, cum conſtant è partibus Minimis arctiſſimè unitis, non compacta ex principiis variis in Cœtum coëuntibus, ſed potius indiſſolubili puraque ſimplicitate pollentia,

VARIÆ LECTIONES.

601. *nequeunt.* nequeant Q.
602. *Hærere.* Ea eſſe Q I. *ut nequeant ulla.* unde queant nulla A. B. C. E. K. N. P. unde queant ulla G. I. L. & Y. Z. ſed in Z. vulg. Lectio in marg. adſcribitur manu eadem. Aërens (Hærens X.) unde queant nulla Q.
605. *ullorum.* illorum G. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

rant *quodque.* ut ex *quoi*, *quod.* verſ. 617. Vide & inf. II. 17. III. 998. Gif.

596. *Nec fuit umquam per ſe ſecr.*] Id eſt, neque id corporis cacumen, quod jam oculi noſtri cernere nequeunt, fuit umquam à ſuo toto ſecretum, aut per ſe: neque poſthac eſſe poterit: quoniam ipſum, alterius pars eſt. Lamb. Sed νῷ & δυνάμει tantum. Fab.

598. *Alterius quoniam eſt ipſum*] In aliis vett. libris:

Alterius quoniam ſunt ipſum primaque & ima.

In quibuſdam: *Alternis.* Omnia, niſi fallor, mendoſe. Gif. Secutus ſum cod. Bertin. & Memm. & quoſdam typis excuſos. Lamb.

598. *Primaque & ima, &c.*] Id eſt & prima, atque ultima, deinde aliæ, atque aliæ partes corpus conſtituunt. Lamb. Non contemnendum, quod unus ex Voſſii codd. habet: *primaque & una.* Preig.

600. *Agmine cond.*] Quidam legi volunt, *Augmine condenſo, &c.* Lamb. Alii leg. *augmine*, melius. Intelligit autem moleculas, quas alibi *glomeramina* vocavit. Fab.

600. *Naturam corporis*] Quidam veteres: *corporum.* Gif. Tandem corpus conſtituunt. Fab.

601. *Neceſſe eſt hærere, ut nequeant ulla*] Sic reſtitui, primum injecta mihi mendi ſuſpicione ex veterum codicum ſcriptura, quæ eſt, *Unde queant ulla*, cum vulgati habeant *Unde queant nulla:* deinde conjectura auguratus ita eſſe legendum, ut ego excudendum curavi; cum præſertim hanc ſcripturam ad oram codicis Memm. annotatam reperiſſem. ſententia autem verborum apertiſſima eſt. neceſſe eſt (inquit) ita hærere, ut nequeant, &c. Lamb. Vet. libri quidam; *unde queant ulla.* Forte: *ut nequeant ulla.* & ita Lambinus. Gif.

604. *Quæ minimis ſtip.*] Atqui ſtatim negabit, prima corpora ullis partibus eſſe prædita. Et certè ſi partibus conſtant: ergo poſſunt dividi. reſpondet ipſe huic objectioni verſu proximo. Lamb.

504. *Minimis partibus*] Quod tamen falſum. unde mox addit *non ex ullorum conciliatu, ſed magis æterna pollentia ſimplicitate*; Itaque eſt *correctio* ſeu *emollitio* audacioris dicti. *Magis* autem ſignificat *potius*; idque ni foret, ſenſus abſurdus eſſet. Catull.

Id, Manli, non eſt turpe, magis miſerum eſt.

Fab.

605. *Non ex ullorum*] Eſt διόρθωσις, ſeu ἐπιθεράπευσις, per quam declarat, quod ſuperiore verſu dixerat, proinde ac ſi ita dicat: ſed ne erres, audi quo pacto ſit hoc intelligendum, quod

V dixi,

Unde neque avelli quidquam, neque deminui jam
Concedit Natura reſervans ſemina rebus.
Praeterea: niſi erit Minimum, Parviſſima quaeque
Corpora conſtabunt ex partibus Infinitis;
Quippe

INTERPRETATIO.

unde nihil avelli aut deteri permittit Natura, reſervans rebus producendis & reparandis Semina. Præterea niſi foret Minimum, *parviſſima quæque Corpora partes Infinitas continerent,*

VARIÆ LECTIONES.

607. *Neque deminui.* nec diminui H. 1. P. diminui quid A mar. C. E. deminuitam G. nec diminui tam X. Y. Z. ſed corr.

NOTÆ.

dixi, prima corpora minimis partibus ſtipata artè cohærere: non enim hoc ſentio, prima corpora ex ullarum rerum cœtu atque congreſſu eſſe concreta, cum ſint ſimpliciſſima: ſed hoc ſignificare volui, ea eſſe ſolidiſſima, & ita compacta, & ſtipata, ut neque frangi, neque diſſolvi ullo modo poſſint. Lamb.

606. *Non ex ullorum*] Gottorp. cod. *illorum.* Lego: *illarum* ſc. partium. Id puto ſenſus poſtulat. Preig.

606. *Sed magis*] ἀλλὰ μᾶλλον, ſed potius. Lamb.

607. *Neque deminui jam*] Sic cod. Bertinianus & Memmianus & Veneti antiq. quos ſecutus ſum. atque ita legendum. Lamb.

608. *Reſervans ſemina rebus*] Nam ſi daretur fractio ad infinitum, neceſſario ſpecies deminuerentur. Fab.

609. *Minimum*] Id eſt aliquid, quo aliud minus eſſe non poſſit. Lamb. Modò ſtatuerat Semina ex partibus conceptu minimis componi, Talia verò minima eſſe v. 13. notiſſimo illo, quo omnes fere Philoſophi utuntur, Argumento confirmat; In his verſibus explicandis non tam Interpretis quam Patroni partes agit *Gaſſendus*, & Lucretii ſententiam corrigit & emendat, potius quam explicat. Siqua enim ſit in hoc argumento vis, ſiquid ipſa verba valeant, *Minima* hæc, è quibus ſua Principia componit, Lucretius planè *Mathematica* eſſe voluit.

Quæ nullis jam prædita partibus extent.

verſu 619. Semina enim Epicuri magnitudine, & & figura, ideoque partibus prædita eſſe quis dubitat niſi qui in Illius Philoſophia Hoſpes ſit, neque Epicurum περὶ γωνίας Ἀτόμου ſcripſiſſe noverit? Hoc igitur voluit *Lucretius:* Semina prima ſunt indiſſolubilia & æterna, non quia partibus carent, ſed quia perfecta ſoliditate pollentia nulla vi diffringi, aut divelli poſſint: Si vero quis roget, Quales ſunt iſtæ partes e quibus Semina prima tanquam compoſita concipiuntur? Reſp. Eas nullas habere partes, & eſſe Mathematicas: Niſi enim talia minima darentur, nulla eſſet inter Rem maximam & minimam inæqualitas, quoniam utraque res infinitas partes pariter contineret; ideoque utraque eſſet Infinita: *Epicurus* Epiſt. ad Herodotum, οὐδεῖ νομίζειν ἐν τῷ ὡρισμένῳ σώματι ἀπείρους ὄγκους εἶναι, ἔτι γὰρ σαφῶς, ἐπειδὰν ἅπαξ τις εἴπῃ ὅτι ἄπειροι ὄγκοι ἔν τινι ὑπάρχουσιν, ἐςὶ νοῆσαι πῶς ἂν ἔτι πεπερασμένον τοῦτο εἴη τὸ μέγεθος. Creech.

610. *Ex partibus infinitis*] Quod abſurdum; nam ubi ad ἐλαχιςότατον devenero, tum licebit Peripateticis porro pergere; unde fiet ut bis milleſima pars in totidem partes æque dividi poſſit, ac univerſa corporis moles. Fab.

611. *Quippe ubi*] Id eſt, quippe cum, ſeu, quippe quia. Lamb. Quandoquidem. Fab.

611. *Dimidiæ partis pars*] Suſpecta mihi eſt littera poſtrema. Nam cur *dimidiæ partis partem* potius, quam ipſam illam partem dimidiam dixit? deinde: *quotam dimidiæ partis partem* potiſſimum velit intelligi non addit. Quid ſi legamus: *dimidiæ partis par* pro quavis parte dimidia. Dimidia quæque pars habet *par ſuum*; *par* autem *dimidiæ* cujuſque *partis*, nihil aliud quam partem dimidiam efficit. Preig.

612. *Perfiniet*] Ita & cum vet. quibuſdam malui. In aliis: *præfiniet.* Gif. *Perfiniet ulla.* Sic habent duo

Quippe ubi dimidiae partis pars ſemper habebit
Dimidiam partem, nec res perfiniet ulla:
Ergò rerum inter ſummam, minimamque quid eſcit?
Non erit ut diſtent: nam quamvis funditus omnis

INTERPRETATIO.

dimidia enim pars ſemper haberet dimidiam partem, & ſic in infinitum: Quænam igitur eſſet inæqualitas inter Rem maximam & minimam? Nulla omnino foret: licet enim Univerſum

VARIÆ LECTIONES.

612. *perfiniet.* præfiniet G. N. P. Q. Z.

613. *minimamque.* minimumque P. in not. *quid eſcit?* quid eſſet? D. E. M. quid eſſet C. N. P. Q. X. quod eſcit, K. quod eſſet, P. in not. Q 1. quod eſcit Z. ſed man. rec. adſcribitur in Marg. lege *eſſet.*

614. *Non erit.* Nil erit B. C. E. Bm. N. P. Q. X. Nihil erit G. Y. Z. *ut diſtent.* ut diſtet C. E G. N. P. Q. ut diſcit Bm. ut diſcet X. aut diſtet G. *funditus.* funditur Q.

NOTÆ.

duo libri manuſcripti, quos ſequor: alii, *præfiniet.* Lamb.

613. *Eſcit*] Ita ex Vet. libris reſtitui. Vide Indicem. Quidam Vet. codex: *Quod eſcit.* Gif. Secutus eram initio lectionem vulgatam, *quid eſſet?* cujus hanc ſententiam eſſe ſcripſeram, Ergo quid intereſſet inter ſummam rerum, & minimam? nihil ſcilicet. Sed cum aliquot in lib. manuſcriptis ſcriptum reperiſſem, *minimamque quid eſcit?* atque hanc ſcripturam judicio lectoris ingenioſi permiſiſſem: eam non longo poſt tempore in editione ſecunda, quæ ſine commentariis prodiit, repræſentavi, & ſecutus ſum. *eſcit* autem, ut docet Feſtus, valet *erit.* quemadmodum *ſuperſcit*, eodem auctore & doctore, *ſupererit.* Ennius, p. 60.

Dum quidem & unus homo Romæ totæ ſupereſcit.

Nonnulli tamen *eſit.* & *ſupereſit*, &c. & ſine *c* ſcribendum exiſtimant. Lamb. Erit; è veteri Latio. Hujus loci emendatio Lambino, non Giſanio, debetur. Arbitror autem corruptos eſſe veteres codices, & Feſtum ipſum; neque enim temporis futuri terminatio eſt scit, ſed scet, ut à *lego*, *leget*, *condo*, *condet*, &c. Inde eſt quod apud Feſtum alibi legas, obescet, oberit. Fit autem à Græco ἔω *ſum*, unde ἔσκω, & ἔσκον toties apud poëtas pro *erat.* Ita ex *eo*, *eſco*, ut à *floreo*, *floreſco*, &c. Pro *erit* autem dicendum fuit more veterum *eſit*, ἔσει: unde in xii. Tab. *nec eſit* pro *non erit.* Feſt. in *Nec.* At in futuro modi ſubjunctivi dici oportuit, *eſſe*, *is*, *it*, ut a *prohibeo prohibeſſo* (id eſt *prohibuero*) ab *expugno*, *expugnaſſo* (id eſt *expugnavero.*) Fab. Seu *Eſcet*, ut Feſtus, *Obeſcet* pro *Oberit*: ſeu *Eſit*, ut veteres pro *Erit*; & hanc lectionem probat ſequens verſus: Alii *Eſſet.* Creech. Sic habent omnes Editiones. *Rerum ſummam* quam dicat, nequaquam obſcurum eſt. Verum quo illud adjectivum *minimam* referendum ſit, non patet. Scribe:

Ergo rerum inter Summam Minimumque quid
eſcit?

unaquæque res ſeu corpus habet *ſummam* ſuam, ac *minimum ſuum*; *Summam* Lucretius τ̀ συγκεφάλαιον, *Minimum* τοὐλάχιστον vocat. Lambinus vocem *minimam* æque ac *ſummam* pro ſubſtantivo accepiſſe videtur. Sed nullo exemplo; & ipſe Lucretius neutro genere jam *Minimum* diſerte dixerat, id quod in quaque re minimum eſſe cum Epicuro ſtatuit, in illo verſ. 609.

Præterea niſi erit Minimum.

Preig. Satis hæc ſunt ſpecioſa, ſed quum Poëta verſu 612. dixerit *partem dimidiam*; non video cur hic *ſummam* & *minimam*, ſcil. partem, vituperemus, quibus videlicet tribus tota res abſolvitur. Poſſis ita etiam legere, ducibus MSS.

Ergo, rerum inter ſummam minimamque quod
eſcit,
Nil erit ut diſtet.

i. e. nihil diſtabunt, omnia erunt ſimilia. Hav.

614. *Non erat, ut diſtent*] Οὐκ ἔσται ὅπως διαφέρωσι, id eſt non poterit fieri, ut ſumma & minima res diſtent: non diſtabunt, niſi (inquit) erit aliquid minimum, nihil intererit inter rem ſummam, & minimam. nam ratione eorum, qui quodvis corpus infinitè dividi poſſe volunt, etiam res minima, æque ut res maxima, in parteis infinitas,

Summa ſit Infinita, tamen Parviſſima quae ſunt,
Ex infinitis conſtabunt partibus aequè.
Quoi quoniam ratio reclamat vera, negatque
Credere poſſe animum, victus fateare neceſſe eſt,
Eſſe ea quae nullis jam praedita partibus exſtent,
Et Minima conſtent natura. Quae quoniam ſunt,
Illa quoque eſſe tibi Solida, atque Aeterna fatendum.

De-

INTERPRETATIO.

ſit infinitum, res tamen parviſſima infinitas partes pariter continebit; At cum vera ratio repugnet, nec permittat Animum tam abſurda amplecti, neceſſe eſt ut hoc argumento impulſus fatearis: Eſſe ea Corpora quæ nullas habent partes, & quæ Minima *planè ſunt. Si vero talia concedas, Illa etiam ſolida eſſe atque æterna fateberis.*

VARIÆ LECTIONES.

617. *Quoi quoniam.* Quod quoniam. C. E. G. N. P. X. Y. *ratio.* non Q. X. *vera.* natura X.
618. *animum.* animi C. E. H 2. N.
620. *conſtent.* conſtat G. conſtant. H 1 X. Y.
621. *Solida, atque.* ſolidant Z. ſed ſuperſcr. *ſolidat. fatendum.* fatendum eſt Q 1.

NOTÆ.

finitas dividetur, & æque ex partibus infinitis conſtabit. Lamb. Οὐχ οἷόν τι ἐςαι ἄςε διαφέρειν, &c. Fab.

617. *Quoi quoniam ratio*] Ita vet. quidam libri ſupra verſ. 593. *quojuſque.* In quibuſdam libris: *quod.* Gif. In uno cod. manu exarato reperi ſcriptum *Qui quoniam*, non ſine litura. nam audaculus aliquis ex voce, *Quoi*, conatus erat facere *Quod*, ut eſt in pleriſque libris vulgatis, ita tamen ut adhuc appareant rectæ & veræ ſcripturæ impreſſa veſtigia. Lamb.

617. *Negatque Credere poſſe animum: victus, &c.*] Cum in quattuor codicibus calamo exaratis reperiſſem ſcriptum *negatque*, conſentenbus quibuſdam excuſis, & item manuſcriptis *animum*, non, ut in vulgatis, *animi*; ego ſic reſtitui, exiſtimans hanc eſſe veram, & germanam ſcripturam. Quod ſi quis mutata diſtinctione, legi malet:

--- *negatque*
Credere poſſe : animi victus fateare neceſſe eſt, &c.

non repugnabo. *animi victus* autem ita dictum intelligetur, *ut falſus animi*, *æger animi*, *excruciatus animi*, *ſaucius animi*, & ſimilia. Sententia autem horum verſuum hæc eſt: Cui (inquit) quia vera ratio reclamat, & quia negat ſe credere poſſe, neceſſe eſt, ut tu animi, ſeu animo victus, fateare eſſe corpora quædam, quæ nullis partibus conſtent: vel ut nos excudendum curavimus: Cui quia vera ratio reclamat, negatque animum credere poſſe, neceſſe eſt ut tu victus, &c. Lamb.

618. *Credere poſſe Animum, victus*] Aliqua priſca exemplaria *victum* habent. *animi victus* pro *victus animo* conſueto poëtæ loquendi more. *victus.* ſuperatus argumentis veræ philoſophiæ. Pius. Hæc eſt antiqua & vera ſcriptura, quam Marullus mutavit temere. Ita & inf. alicubi loquitur. Gif. Rectè, dum Alii legant

Credere poſſe: Animi victus, &c. Creech.

622. *Denique ſic minimas &c.*] Sic omnes libri. recte. Id eſt: Si omnia porro ſemper ſecantur, nihil regigni poterit. Quia omnia ſegmenta ſemper habebunt aliquas partes cum rerum principia non habeant, ut verſ. 747. Gif. Denique niſi (inquit Lucret.) natura res omneis creatas in parteis minimas (*minimas* autem *parteis* appellat eas, quibus aliæ non poſſunt eſſe minores, & ad quas cum perventum eſt, res dividi poſſe deſinunt) dividi ac reſolvi cogeret: nihil ex illis partibus reparare poſſet, quælibet harum partium rurſus conſtaret ex

parti-

Denique ni Minimas in parteis cuncta reſolvi
Cogere conſuêſſet rerum Natura creatrix,
Jam nihil ex illis eadem reparare valeret:
Propterea quia, quae multis ſunt partibus aucta,
Non poſſunt ea, quae debet Genitalis habere
Materies, varios Connexus, Pondera, Plagas,
Concurſus, Motus, per quae res quaeque geruntur.

Porro,

INTERPRETATIO.

Praeterea niſi Natura rerum effectrix Cauſa res omnes pereuntes in Minima ſemper diſſolveret, nihi- ex iis reparare poſſet; Ea enim Corpora quæ habent partes, & non ſunt Minima, non poſſunt habere eas affectiones, quas rerum ſemina habere debent, varios viz. Connexus, gravitatem, ictus concurſus, & motus, ſine quibus nullæ res produci poſſunt.

VARIÆ LECTIONES.

622. *Denique ni.* Denique ſi B. C. K. E. N. P. Q. X.
625. *quæ multis.* quæ ullis B. a. I. K. quæ nullis C. E. G. N. P. Q. X. Y. in Z. *nulli.* ſed ſuperſcr. *nullis.*
627. *Materies, varios.* Materies varios: Q 1. Materies vagos Q 2. *connexus.* conexus G. *ondera.* pondere Q X.
628. *per quæ.* per quas c. H 1. N. P. X. Z. *geruntur:* genuntur Y.

NOTÆ.

partibus infinitis. at quæ multis, aut omnino aliquibus partibus conſtant, non poſſunt eas res habere, quas materies habere debet, plagas, pondera, connexus, &c. *ni minimas* autem repoſui, hanc ſcripturam ſententia ipſa poſtulante, cum libri vulg. habeant *ſi minimas*, planè mendosè. quam ſcripturam qui tuentur, cæcutiunt. Nam Epicurus, & eum ſecutus Lucretius, volunt aliquid eſſe in rebus minimum. Itaque infra paucis poſt paginis, veteres Philoſophos reprehendit Lucretius, primum quod motum conſtituant, exemto inani: deinde quod faciant non eſſe finem rebus ſecandis, neque eſſe quicquam in rebus minimum. Lamb. Explicata de Minimo *Mathematico* ſententia, ad *Minimum* ſuum *Phyſicum* redit Poëta, quod propter ſoliditatem non vero propter exilitatem indiſſolubile fingit, & æternum: quod v. 7. iterum confirmat: Niſi enim ad extremam reſolutionem Natura perveniret, niſi omnes, etiam minutiſſimas, moleculas explicaret; inepta foret rerum materies innumeris illis quibus debet ſubjici mutationibus, atque formis; moleculæ enim ex variis partibus connexae, & Inane inter ſe, ex ſententia Epicuri, continentes, non æquabili pondere, non uniformi motu donarentur; Aliorum ictibus malignè obſquerentur, ideoque minimè connecti poſſint. Creech. *Denique ni.* Ita ſententia ipſa poſtulante edidit *Lambinus.* *Denique ſi*, Nardius, Giſanius, Pareus. quos omnes meritò negligimus, reclamat enim v. 625. Creech.

625. *Propterea quia quæ ullis ſunt partibus aucta*] Nos ita. Lambinus: *multis.* In omnibus libris: *nullus.* Ex hiatu uendum. Sic & variatum ſup. verſ. 602. Gif. *Multis ſ. p.* Sic legendum eſt, reclamantibus omnibus exemplaribus, in quibus eſt *nullis ſunt partibus.* hoc enim ſignificat Lucretius: omnia in minimas parteis reſolvi ſolent natura, non infinitas. hæ autem partes minimæ, ſunt corpora prima, & primordia rerum, quæ in nullas jam amplius parteis ſecari poſſunt. Hujuſmodi autem corpora ad res gignendas ſunt aptiſſima. quod contra ſi eſſent multis partibus aucta, & ſi in multas parteis ſecari poſſent: ea, quæ materies genitalis habere debet, habere nullo modo poſſent, videlicet varios connexus, pondera, plagas, &c Licet etiam legere,

Propterea quia quæ ſunt ullis partibus aucta, &c.

Porro, ſi nulla eſt frangendis reddita finis
Corporibus, tamen ex aeterno tempore quaedam
Nunc etiam ſuperare neceſſe eſt Corpora rebus,
Quae nondum clueant ullo tentata periclo:

At

INTERPRETATIO.

Inſuper, ſupponamus nullum frangendis Corporibus finem à natura ſtatutum eſſe, concedendum tamen eſt quædam exiſtere Corpuſcula ab æterno indiſſoluta & infracta:

VARIÆ LECTIONES.

629. Deeſt cum ſex ſequentibus Bm. X. Tranſpoſiti ſunt in G.

630. *tamen.* tunc priſc. exempl. *Pii. tempore quædam.* corpore quædam D. tempore quæque C. E. G. N. P. Y. Z.

632. *nondum.* nodum O. non dura Q 1. *clueant.* pereant H 2. cieant X. Z. ſed in Y. ſuperſcr. i. e. *coëant. tentata.* tractata Q 1.

NOTÆ.

verumtamen ſic ut edidi, legi malo. Quod autem φορτικώτατοι quidam legi volunt,

Propterea quia quæ ullis ſunt partibus aucta.

taleis verſus ſibi habeant: Lucretio verò politiſſimo ſcriptori ne affingant. Lamb. *Multis.* Optime à Lambino reſtitutus hic locus eſt, invitis omnibus MSS. Fab. *Quæ multis* Rectè Lambinus contra omnes libros. Codd. *Quæ nullis:* vitiosè. Gif. Par. *Quæ ullis:* quos qui ſequitur Lucretium, & ſenſum communem deſeret. Creech.

626. *Non poſſunt ea*] Subaud. *habere.* non poſſunt habere, quia concreta ſunt, determinata, affecta, *&c.* Itidem ut metalla ſe habent ad lapidem chymicum, ut vocant; ſunt enim mortua. Fab.

628. *Geruntur*] Id eſt, à natura adminiſtrantur: vel ut videtur hîc legendum *genuntur*, i. gignuntur, ut ſæpe alias. Lamb. Lambinus: *genuntur*, contra veteres libros. Gif. *Genuntur*, Lambinus, Gaſſendus, eamque lectionem contra Gifanii & Parei ſtrepitus v. 626. probè defendit, & tuetur. Creech.

629. *Porro ſi nulla eſt*] Quod eſt falſum Epicureorum ſententia: ſed Peripatetici volunt eſſe verum. Sciendum eſt autem, hæc duo, nullum eſſe finem rebus frangendis, & res in minimas parteis non reſolvi, ratione, & ſententia unum eſſe, vel ſe mutuo conſequi, atque inter ſe congruere. nam ſi res non reſolvuntur in minimas parteis: ergo nihil erit minimum: ergo erit aliquid minus: ex quo conſequetur, ut res omnes in parteis infinitas dividi poſſint. Lamb. Ut iſti volunt, non Epicurus. Fab. Ultimum, quo utitur, argumentum v. 7. jam probatis nititur: Olim demonſtraverat, vel Semina quædam ab æterno indiſſoluta & infracta eſſe aut nullas res omnino naſci, vel è Nihilo oriri potuiſſe: Res naſci ipſi ſenſus demonſtrant, & Nihil è Nihilo oriri fatentur omnes; ſi verò nullum eſſet *Solidum* quod frangi & diſſolvi nequeat, ubi inveniremus Corpora illa ab æterno indiſſoluta & Infracta? Cum enim fragiles moleculæ infinitis occurſibus ictibuſque obnoxiæ ſint, fieri non poteſt, ut tam diuturno tempore non ſint exſolutæ. Creech.

629. *Porro ſi nulla eſt, &c.*] Hi 7. verſus non inveniuntur in B. v. 630. pro *Tempore* Fayus legit *Corpore*; & pro *quædam* Alii *Quæque.* utrumque imperitè. Creech.

630. *Quædam*] Sic legendum, non *quæque*, nec *quæquam*: quæ duæ ſcripturæ vitioſæ, natæ ſunt fortaſſe ex illa depravata *quaquam:* quæ reperitur in duobus manuſcriptis, depravata eſt autem ex recta *quædam*, cum à librario *d* littera eſſet inverſa. Sed hujus loci ſententiam explicemus. Demus (inquit) nullum eſſe rerum frangendarum finem, quod tamen eſt falſum. verùm tamen demus. certè nihilo minus neceſſè eſt aliqua corpora *ſuperare*, id eſt ſupereſſe, & προσγίνεσθαι rebus gignendis, quæ corpora nullo periculo fuerint tentata. alioqui conſumta materia, & rebus ætate confectis, & corruptis, vel nihil renaſceretur, vel res ex nihilo reficerentur. quod eſt ἀδύνατον. Lamb.

630. *Tamen*] Pro *tandem.* Plaut. Terent. Fab.

632. *Clueant*] Sint. Fab. An ex MSS. ductu ſcribendum?

Quæ

At quoniam fragili natura praedita conſtant,
Diſcrepat aeternum tempus potuiſſe manere
Innumerabilibus plagis vexata per aevom.
Quapropter qui Materiem rerum eſſe putârunt
Ignem,

INTERPRETATIO.

At ſi omnia Corpora fragili eſſent natura, aut dividi frangique poſſent: nemo crederet iſta integra manere potuiſſe, cum per infinitum tempus innumerabilibus ictibus percuſſa forent. Quapropter illi Philoſophi qui docuerunt Ignem *eſſe Rerum principium,*

VARIÆ LECTIONES.

635. Inſeruntur verſus omiſſi ad verſum 552. C. M. N. *ævom.* Ita Y. Z. ſed in Y. ſuperſcrib. *um.*

636. *rerum.* ſummam Q. I.

NOTÆ.

Quæ nodum cieant nullo t. p. id eſt, quæ denſam & ſtipatam efficiant materiam. Non tamen temere mutandum, ſæpe enim *cluere* a Poëta pro *eſſe* dicitur. HAV.

633. *At quoniam*] Argumentum eſt à repugnantibus. Si quis dicat, corpora prima eſſe fragili natura prædita, negetque eſſe ſolidiſſima, hæc pugnant inter ſe, & illa eſſe fragilia, & eadem ab æterno tempore ad hunc diem integra & ſalva remanere potuiſſe, cum aſſiduis ictibus fuerint verberata ac vexata. atqui ſalva & incolumia remanſerunt: alioqui res ex nihilo reficerentur. ergo corpora prima, ſunt ſolidiſſima, neque fragili natura prædita. Eſt igitur in rebus aliquid minimum: & frangendarum rerum modus, & finis eſt aliquis. LAMB. *Et quoniam.* Falſa ſuppoſitio ex aſſertione Peripatetica. FAB.

636. *Quapropter*] Cum tractatum ſit copioſiſſime principia prima eſſe æterna: indiviſibilia: immobilia: quæ tamen corpora cogunt habentia varios connexus: pondera: concurſus: motus: per quas res quæque geruntur: illi maxime falluntur: qui principium rerum omnium ignem eſſe putarunt: cujus opinionis & princeps & auctor habetur Heraclitus: ſed fallitur: quod evidentiſſimis rationibus demonſtrabitur. Quod autem Heraclitus ignem crediderit eſſe principium rerum docet Macrobius & omnes eruditi. hic eſt ille Heraclitus: qui tenebris quibuſdam ſenſus ſuos diligenter involvit: qui propter obſcuritatem deſertus eſt: ob quam caliginem σκοτεινὸς, hoc eſt *tenebricoſus* eſt dictus a Græcis: de quo Hieronymus primo contra Jovinianum: *Heraclitum quoque, cognomento σκοτεινὸν, ſudantes philoſophi vix intelligunt.* Extat elegantiſſimum poëma græcum: quo lector admonetur volumina Heracliti ne temere attrectet; quoniam primo obtutu offundent ſe ei caligo & tenebræ. verum dein cum ſenſum perceperit inveniet lumen ſole ſplendidius. Græcanicos ſubſcripſi verſus:

Μὴ ταχὺς Ἡρακλείτου ἐπ' ὀμφαλὸν εἴλεε βίβλον
  Τοὐφεσίου. μάλα τοι δύσβατος ἀτραπιτός.
Ὀρφνὴ καὶ σκότος ἐστὶν ἀλάμπετον. ἢν δέ σε μύστης
  Εἰσαγάγῃ, φανεροῦ λαμπρότερ' ἠελίου.

Hic eſt ille Heraclitus: quem Plato Cratylo aſſerit cenſuiſſe cuncta fluere ſemper: nihilque conſiſtere: unde fortaſſe manavit illud ejuſdem Platonis ſexto de republica. *Multo magis quam ſol Heraclitius extinguuntur.* Adde quod ait Symmachus in epiſtolis: *Heraclitum phyſicum ſummam laudis arbitratum eſſe uni placere.* Innuit quoque Cicero libro tertio de Natura Deorum ignem eſſe principium, ſic: *Sed omnia veſtri, Balbe, ſolent ad igneam vim referre, Heraclitum ut opinor ſequentes: quem ipſum non omnes interpretantur uno modo: qui quoniam quid diceret intelligi noluit, cum omittamus.* PIUS. Nunc aliquot ſuis rationibus, quæ principiorum inſtar ſunt, confirmatis, ac ſtabilitis, incipit aliorum, eorumque clariorum, philoſophorum opiniones refellere, ac labefactare: atque ab Heraclito initium facit: qui dicebat (ut ſcribit Laërtius) πάντα ἐκ πυρὸς συνεστάναι, καὶ εἰς τοῦτο ἀναλύεσθαι τὰ πάντα, ἀραιώσει, καὶ πυκνώσει γινόμενα, ῥεῖν τὰ πολλὰ ποταμοῦ δίκην· πυκνούμενον τὸ πῦρ ἐξυγραίνεσθαι καὶ ὕδωρ γίνεσθαι· συνιστάμενον ἀέρα γίνεσθαι ὕδωρ· πηγνύμενον τὸ ὕδωρ, εἰς γῆν τρέπεσθαι, καὶ ταύτην ὁδὸν ἐπὶ τὸ κάτω εἶναι· πάλιν τε αὐτὴν τὴν γῆν χεῖσθαι, ἐξ ἧς τὸ ὕδωρ γίνεσθαι· ἐκ δὲ τούτου τὰ λοιπὰ ὁμοίως, &c. αὕτη δ' ἐστὶν ἡ ἄνω ὁδός. id eſt, *Omnia ex igne conſtare,*

&

Ignem, atque ex igni Summam conſiſtere ſolo,
Magnopere à vera lapſi ratione videntur,
Heraclitus init quorum dux praelia primus,
Clarus ob obſcuram linguam magis inter inaneis,

Quamde

INTERPRETATIO.

& Univerſum ex ſolo Igne *conſiſtere, videntur plurimum errare. Hujus verò opinionis præcipuus fautor eſt* Heraclitus, *Philoſophus ille, quem vani ineptique Græci,*

VARIÆ LECTIONES.

637. *ſolo.* coelo X.
638. *Magnopere.* Magno opere G.
639. *Heraclitus* &c. Heraclitus (Scoteinos) quiti, quorum &c. Q. ſed a Correctore vox *Scoteinos* deleta eſt, & pro *quiti* repoſitum *init* invenitur. *init.* quiete X.
640. *Clarus.* clarius Q. X. *Clarus ob obſcuram linguam.* clarius obſcurans linguam c. O. P. ſed in Not. corr. ex Vet. Exempl. deeſt *ob* G. *inanes.* humanos X.

NOTÆ.

& in ignem reſolvi. Cum autem omnia rarefactione, & condenſatione fiant, fluere magna ex parte fluminis inſtar: Ignem, cum denſatur, humeſcere, & ita aërem fieri: aërem, cum cogitur, & congregatur, aquam fieri: aquam concretam in terram verti: atque hanc eſſe viam ad locum infimum. contrà terram ipſam fundi: ex qua fieri aquam: ex aqua autem reliqua ſimiliter, &c. hæc autem via eſt ad ſupremum locum. De eodem ſic Vitruv. lib. 2. cap. 2. *Heraclitus Epheſius, qui propter obſcuritatem ſcriptorum à Græcis σκοτεινὸς eſt appellatus, ignem principium rerum poſuit.* eadem ferè ſunt apud Plutarch. de Heracl. lib. 1. περὶ τῶν ἀρεσκ. quem locum mox teſtem producemus. Lamb. *Quapropter qui, &c.*] Poſitis, & ſtabilitis Epicuri Principiis, Aliorum ſententias convellit; omnia argumenta in duo diſtribuens Capita, impugnat primum eos, qui *Elementum unicum*, ac deinde eos qui *plura* aſſumunt: Inter priores deligit *Heraclitum*, v. 70. qui Ignem conſtituerit; reputat nempe quicquid contra illum argumentatus fuerit, contra cæteros valiturum; quandoquidem nihil opponi adverſus Ignem valeat, quod non pari jure & de Aëre, & de quolibet alio concludatur. Et certè ad rem attendenti illa Opinionum varietas merus eſſe ludus videtur; quatenus cum earum Authores diverſa ſupponant, circulatione tamen utuntur, qua in idem cadant recidantque Omnes. Sortiatur enim quis Elementum quodcunque tandem lubuerit, Is nihil aut minus conſequatur, aut amplius, quam quivis alius, à quo aliud occupatum fuerit; Siquidem uno habito, illud condenſans ac rarefaciens ſtatim habebit cætera: adeo ut nihil plane interſit, ſive hoc ſive illud primum uſurpetur. *Gaſſendus.* Creech.

638. *Lapſi ſunt a vera ratione*] Erraverunt a via militari: per calles & ſemitas Heracliti fallaces & laciniofas. Pius.

639. *Heraclitus*] Blythonis, vel Heraciyontis filius, Epheſi natus, circa LXIX. Olympiad. floruit: ἔδοξεν αὐτῷ πάντα ἐκ πυρὸς συνεστάναι, καὶ εἰς τοῦτο ἀναλύεσθαι. Creech.

640. *Clarus ob obſcuram*] Ex quo dictus eſt σκοτεινὸς, ut teſtatur Vitruvius, & item M. Tull. lib. 2. de Finibus, his verbis: *Epicurus ita loquitur, ut non intelligatur. quod duobus modis ſine reprehenſione fieri poteſt: ſi aut de induſtria facias, ut Heraclitus cognomento σκοτεινός: aut cum rerum obſcuritas, non verborum, facit, ut non intelligatur oratio.* Idem lib. 3. *Sed omnia veſtri, Balbe, ſolent ad igneam vim referre, Heraclitum, ut opinor, ſequentes: quem ipſum non omnes interpretantur uno modo. qui quoniam quid diceret, intelligi noluit, eum omittamus.* Lamb. Notiſſimum illius cognomentum, σκοτεινὸς, & αἰνικτὴς, de quo Laërtius. Fab. *De induſtria, & conſulto occulte dixit Heraclitus.* Cicero de Finibus lib. 2. & in 3. de Nat. Deor. *Intelligi noluit:* Inde Σκοτεινὸς, *Tenebricoſus* dictus: Author

Quamde graveis inter Graïos, qui vera requirunt.
Omnia enim Stolidi magis admirantur, amantque
Inverſis quae ſub verbis latitantia cernunt:
Veraque conſtituunt, quae bellè tangere poſſunt

INTERPRETATIO.

non vero graves & docti, & qui verum investigant, propter obſcuram dictionem admirantur: Inepti enim maximè ſuſpiciunt amantque illa quæ ſub obſcuris vocibus teguntur, & pro veris iſta habent quæ concinnè compoſita,

VARIÆ LECTIONES.

641. *Quamde graves inter Graïos.* Quande Gravis graios inter N. quam gravior Grajos inter C. *Pius in notis.* quam de Grajis qui inter Grajos P. Q. 1. ſuperſcr. manu ſecunda in Y. *quam gravis eſt inter.* quam de gravis Grajos inter H 2. Quam deceat Grajos inter qui vera loquuntur Q 1.

643. *Inverſis.* immerſis *Gaſſ.* verſis X.

644. *Veraque.* Votaque X. *belle.* bella Q. X.

NOTÆ.

Author Homericarum Allegoriarum: ὁ γοῦν Σκοτεινὸς Ἡράκλειτος ἀσαφῆ, καὶ διὰ συμβόλων εἰκάζεσθαι δυνάμενα θεολογεῖ τὰ φυσικὰ, &c. Menagius ad Laërtium Vit. Heracliti. Naturam viz. imitabatur: Φύσις γὰρ καθ' Ἡράκλειτον κρύπτεσθαι φιλεῖ. *Themiſtius* Orat. XII. CREECH. Inde *tenebroſus* appellatus a Tertulliano de Anima c. II. *Ut merito Heraclitus ille tenebroſus vaſtiores caligines animadvertens apud examinatores animæ, tædio quæſtionum pronunciarit, terminos animæ nequaquam inveniſſe omnem viam ingrediendo.* HAV.

640. *Inanes*] Obſcurus enim hic Scriptor, & qui intelligi noluit, multos habuit interpretes, Sectatores etiam plurimos Ἡρακλειτείους dictos. *Laërtius* Vit. Heracliti. CREECH.

641. *Quamde Grajis qui inter Grajos*] Hæc eradenda ſunt & in eorum vicem iſta ſubſtituenda.

Quam gravior Grajos inter, qui vera requirunt.

Senſus eſt. hic Heraclitus qui credidit ſe aliquid eſſe dum tenebris lucem involveret: hoc eſt philoſophiam obſcuritati: plus auctoritatis habet in cœtu illorum, qui ſunt inanes, & philoſophicæ frugis ignari, quam retulerit gratiam novitatis inter illos, quorum finis eſt veritatem inquirere. Ordo talis eſt: Heraclitus eſt clarior inter inanes, quam ſit gravior inter illos, qui nudam veritatem indigitant. PIUS. *Quamde gravis.* Ita ex vet. libris & Feſto reſtitui, etiam ita reſtituendo. *Quamde*, id eſt, *quam*, & *gravis* pro *graves.* GIF. *Quamde graveis inter Grajos.* Secutus ſum quinque librorum manuſcript. auctoritatem; quibuſcum conſentiunt nonnulli typis excuſi. Denique hanc ſcripturam agnoſcit Pompejus Feſt. his verbis: Quamde *pro* quam *uſos eſſe antiquos cum multi veteres teſtimonio ſunt, tum Livius in primo:*

Jupiter ut muto fretus magi, quamde manu ſtat:

& ſecundo,

Quamde tuas omneis legiones, ac populareis:

Et Lucret. l. 1: 640.

Clarus ob obſcuram linguam magis inter inaneis,
Quamde graveis inter Grajos, &c.

Sententia autem hæc eſt: *Clarus ob obſcuram linguam inter* Græcos vanos, atque *inaneis*, *magis*, quam *inter graveis*, eos dico, qui veri ſtudio ducuntur. LAMB. *Quamde*, quam, ut alii probavere. Addo ego & olim dictum fuiſſe, *quodde*, à Græco ὅτι δὲ. (nam *quod* Latinorum natum eſt ex ὅτι) Verſum itaque Lucilii apud Nonium lego, *Quodde tuas laudes culpas, nil proficis hilum.* Dicebant etiam *quode* pro *quò* movendi adverbio. Plaut. Moſt. *quod' ego eam an ſcis?* FAB. Nardius vero legit; *Quam de* Grajis inter &c. imperitè. CREECH.

641. *Qui vera requirunt*] Virg. Aen. VI. verſ. 100.

Obſcuris vera involvens. PREIG.

Aureis, & lepido quae ſunt fucata ſonore.
Nam cur tam variae res poſſent eſſe, requiro,
Ex uno ſi ſunt Igni, puroque creatae.

Nil

INTERPRETATIO.

& grato & tinniente ſono veluti fucata aures delectant. Unde enim iſta rerum varietas, ſi ex ſolo ſimplicique igne Omnia creata ſint?

VARIÆ LECTIONES.

645. *fucata.* furata Q.

647. *Ex uno ſi.* Ita L. & Turneb. Adv. xix. 15. ubi & *ex uro* in MSS. legas. in G, Y. Z. eſt quoque *ex uro*, ſeb ſuperſcrib. *ex vero* in Y. *ex uno* in Z. Alii *ex vero, puroque creatæ.* vereque creatæ G.

NOTÆ.

643. *Inverſis quæ ſub verbis*] Verba inverſa, verba immutata: id eſt ab ea re, in qua propriè locum habent, ad aliam tranſlata: & ita interdum obſcura. nam talis inverſio parit ferè obſcuritatem. Cic. Partit. *Genus loquendi alterum ſua ſponte fuſum, alterum verſum, atque mutatum.* Idem in Bruto hujuſmodi verborum immutationes *τρόπȣς* ait à Græcis appellari. alii per *inverſa verba* ſignificari putant, verba præpoſtere pronuntiata, ut *vola, lavo.* Terent. Heaut. 2: 3: 131.

--- *inverſa verba tua, cervices everſas tuas.*

quem locum declarans Turnebus, *inverſa verba* (inquit) *id eſt inflexa, tropoque immutata, quibus plerumque amatores uti ſolent, verbi gratia, cum amicam appellant, vitam, animam, cor, mel merum, delicias & ſimilib. nominibus.* Lamb. Notus Terentii locus. ex eo probat Turneb. *inverſa verba* eſſe inflexa & tropo mutata. quod verum eſt. Fab. *Inverſa verba*, inflexa & tropo immutata. *Inverſi mores* apud Horatium mores à recta Virtutis norma deflectentes. *Immerſis* Gaſſendus. Creech.

644. *Belle*] Eloquenter, generaliter, amœne. Hic eſt ordo. Leves philoſophi exiſtimant illa verba fucata eſſe vera, quæ poſſunt belle tangere aures, hoc eſt captare modulatione ſua interiora animi, & mentem demulcere: juxta illud Perſianum 1: 35.

Tremulo ſcalpuntur ubi intima verſu.

Bellum feſtivum & elegans dicimus. Varro. *Græci belliores quam Romani noſtri.* Catullus.

Nec qui cum bella puella cubet.

Tibullus 1: 10: 71.

Non tibi ſed juveni cuidam vult bella videri.

Bellatula in eodem ſignificatu dictum a Plauto, Pius.

645. *Et lepido quæ ſunt fuc. ſon.*] Virgil. Georg. 2: 465.

Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.

Et

Lana nec Aſſyrio mutabit vellera fuco.

Pius. Tranſlatio ab oculorum ſenſu ad auditum. *Fucata* enim oculis cernuntur: ſoni auditu ſentiuntur. Virg. Georg. 4: 334.

--- *Mileſia vellera Nymphæ*
Carpebant hyali ſaturo fucata colore.

Lamb. *Fucata.* Audax tranſlatio, ſed tam egregiæ Audaciæ quis non indulgeat? Creech.

646. *Nam cur tam varia &c.*] Primum v. 10. contra Heraclitum proponit argumentum: Concipi non poteſt quomodo tanta varietas rerum, imò quomodo unica res varietate quadam partium prædita, ex uno quodam ſimplici ac uniformi principio conſtet; Eſto *Ignis*, at niſi quidpiam aliud admiſceas, nihil unquam habebis præter *Ignem:* quoniam quomodocunque tandem partes illius tranſmutatæ, commiſtæque inter ſe fuerint, perinde ſemper futurum ſit propter eandem omnium Naturam. Et ne evadat Condenſationis Rarefactioniſque beneficio, (*ἀραιώσει ϗ πυκνώσει ἐκ τȣ̃ πυρὸς πάντα* Laërtius Vit. Heracliti) monet: intelligi quidem poſſe ex condenſatione partium ca-

li-

Nil prodeſſet enim calidum denſerier Ignem,
Nec rareſieri, ſi partes Ignis eandem
Naturam, quam totus habet ſuper Ignis, habere.

Acrior

INTERPRETATIO.

Non enim hanc veritatem efficeret condenſatio aut rarefactio Ignis, ſi modò partes ignis ejuſdem ſint naturæ cum Toto cujus partes ſunt:

VARIÆ LECTIONES.

648. *Nil.* Nihil Y. Z. ſed corr. Deeſt *enim* A. B. *denſerier.* denſarier C. H 2.
649. *eandem.* eadem G.
650. *ſuper ignis.* ſuus ignis C. D. E. H 2. M. N. Priſca exemp. *Pii.* ſunt qui legunt *ſepar ignis. Pius* in not. *habere.* Ita G. Z. vide Not. ad 4: 211. *Alii* haberent.

NOTÆ.

lidarum *Ignis* evadere quidpiam Calidius, ex rarefactione quidpiam minus calidum; at evadere frigidum, imò & frigidiſſimum, qualia in Rerum natura multa experimur, qui intelligi poſſit? Creech.

647. *Ex uno ſi ſunt*] Sic legendum eſt potius quam, ut vulgò, *Ex vero ſi ſunt, &c. uno* autem, id eſt ſolo. ſequitur deinceps *puroque*, id eſt meroque. Lamb. *Ex vero.* Lamb. *uno*, id eſt ſolo. Fab. Quid moverit viros doctos, cur a Lambini Lectione, *Ex uno ſi ſunt igni*, receſſerint, non video, Niſi forte auctoritas alicujus Libri defecerit. At vero jam Cod. Gottorp. (monſtrante nuperrima Ed. Lond.) habet ejus veſtigia: *Ex uro ſi.* Quod idem Gottorp. Cod. habet in hoc verſu: *vereque creatæ*, non eſt contemnendum. Preig. Imo & Lugd. Bat. Codd. ut ex V. L. noſtris patet, confirmant editam a nobis lectionem *ex uno*, ſed cum iidem conſtanter *puroque* retineant, ego quoque retinui. Hav.

648. *Nil prodeſſet enim*] Hæc eſt hujus argumenti vis: dicit Heracl. ignem eſſe principium rerum: hanc autem varietatem rerum ex condenſatione, & rarefactione exiſtere. id fieri non poteſt. (inquit Lucret.) nam ignis condenſatus, ac rarefactus vel deſinit ignis eſſe, vel ignis naturam retinet: ſi ignis eſſe deſinit, ignis igitur non eſt principium. ſin ignis naturam retinet: hoc tantum efficiet condenſatio, & rarefactio, quod contractis partib. ignis erit acrior: disjectis, & diſſipatis, remiſſior. Itaque in natura rerum nihil erit præter ignem. Lamb.

648. *Denſerier*] Sic habent lib. manuſcr. & aliquot typis impreſſi. *denſeri* autem uſurpabant veteres pro *denſari*, & *denſere* pro *denſare*: quod ſuprà jam indicavi. Lamb.

648. *Nil prodeſſet enim*] Quaſi diceret, Quod enim ait Heraclitus, ut ſuo dogmati conſulat, ignem, dum denſatur, humeſcere, *&c.* nil agit; quanto enim impenſius denſabitur ignis, tanto & ignis amplius fuerit; quin rarefactio nil efficiet; nam, ignis quantumvis rarefactus, ignis tamen eſt. Fab.

650. *Super ignis*] Corrige ex priſcis exemplaribus. *ſuus ignis*, hoc eſt in ſe coactus & ſtipatus. Sunt qui legunt *ſepar* pro *ſeparatus.* Syllabæ menſus ne annuam facit. Pius.

650. *Quam totus habet ſuper ignis*] Ita vet. libri, manu formiſque deſcripti; alii vulg. *ſuus.* quod Marullus eſt commentus. Vide Indicem *ſuper.* Gif. Lib. vulgati habent, *quam totus habet ſuus ignis:* manuſcripti autem, *quam totus habet ſuper ignis:* quam ſcripturam & in prima editione, & in ſecunda annotavi. hanc nunc ſequor. *Super* autem hîc pro *ſuperus* ſive *ſuperior* accipi debet. Lamb. Lambinus de igni ſupero ſeu ætherio intelligit; (nam & *infer* & *ſuper* olim dicebant, uti ex Catone Cenſorio cap. 149. conſtat.) Eadem Gifanii mens eſt. Sed iſtud *Totus* ne quid tale putem efficit. Quare exiſtimo hoc loco Super eſſe adverbialis formæ, ita ut *totus ſuper ignis*, ſit *reliquus ignis*, ſeu alii ignes. Exemplum cuperes. En tibi, nec longe abeo. Virgil. 3: 489.

O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago.

imago quæ reliqua es. Fab. Ita Codices, *Super* i. e. *Superior.* Lambinus: Et hæc interpretatio forſan admitti poteſt ex v. 782. At *Totus*, ne quid tale putet *Faber*, efficit: Hæc ille: „ Exiſtimo hoc loco *Super* eſſe adverbialis formæ, „ ita ut *Totus ſuper Ignis*, *ſit reliquus ignis*, ſeu

X 2 „ Alii

Acrior Ardor enim conductis partibus eſſet:
Languidior porro disjectis, diſque ſupatis.
Amplius hoc fieri nihil eſt, quod poſſe rearis
Talibus in cauſis, nedùm variantia rerum

INTERPRETATIO.

Condenſato enim Igne (i. e. conſtipatis Ignis partibus) intenſior fit Calor; rarefacto autem i. e. disjunctis & ſeparatis ignis partibus) remiſſior; Nihil aliud oriri poſſe quis concipiat, ideoque multo minus tantam

VARIÆ LECTIONES.

651. *conductis.* conjunctis. c. P. *eſſet.* pro eo *eſſe* legendum velit *Pius.*

652. *Diſque ſupatis.* Delet *dis* in *diſque* Z. ſed manu ſecunda ſuperſcr. *deque* ſeque paratis c. P. quæ ſuperatis G. Q. atque ſupatis H 2. diſque ſipatis *codd.* MSS. *Pii.* C. E. N. Q 1. & ſeparatis. X. ſeque paratis O.

NOTÆ.

„ Alii Ignes. Exemplum cuperes, En tibi, nec „ longè abeo. Virgil. Æneid. 3: 489.

„ *O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis Imago*:

„ Imago quæ reliqua es. Servius verò ad Virg. *Super* valdè, vehementer: Alii legunt *Suus*, & iſta vox non incommodè reſpicit *Partes* in v. 649. Creech. *Super ignis.* Cæleſtem cum Lambino putant Turneb. Adv. xix. 15. & Voſſ. de Analogia lib. II. c. 25. quo pacto per hyphen deberet ſcribi, ſed recta videtur Fabri explicatio, hic pro illo igni, qui eſt reliquus, poni. Hav.

651. *Conductis partibus*] Id eſt contractis, & congregatis. συνηγμένων τ̃ μερῶν, ut ſupra. Lamb. Condenſatis. συναθροισθέντων. Fab.

651. *Eſſet*] Scribendum *eſſe*: ſubintellige *videmus*: par eſt credere cum videamus majorem eſſe partibus ardorem ignis concretis quam ſeparatis: immo neceſſe eſt concedas quod peto. Pius.

652. *Seque paratis*] *Que* conjunctio interpoſita eſt gratia metri. In codicibus manuſcriptis legitur *diſque ſipatis*, hoc eſt diſſipatis & diviſis. Pius.

652. *Diſque ſupatis*] Id eſt *& diſſupatis*, ſeu *diſſipatis.* tmeſis. ſic repoſui commotus ſcriptura primum trium librorum veterum aliquantum illa quidem depravata, ſed tamen germanæ & rectæ proxima. ſic enim illi, *desjectis*, *diſque ſuperatis*: deinde Bertiniani, & Memmiani; in quorum altero ſcriptum eſt planè, *diſque ſupatis*; in altero, *deque ſupatis.* Fuit tamen cum putarem legendum, *diſque paratis. diſparare* autem idem ferè valet quod diducere, & disjungere Cæſ. lib. 7. de bello Gallico: *Diſparandos, diducendoſque ad ſuos curaret.* Vitruv. lib. 2. cap. 2. *Ex his ergo congruentibus cum res omnes coire naſcique videantur, & ea infinitis generibus rerum, natura eſſent diſparata, &c.* Lamb. Et diſſipatis. *Supare*, jacere eſt. unde *inſipare* pro injicere, *obſipare* pro objicere, (ut *obſipa puellis eſcam*, objice Varr.) id eſt παράβαλλε, Ariſtophani. Exempla autem hujus diviſionis, ſectionis, tmeſeos in verbis & nominibus afferam. apud Lucil. eſt, *deque petigo*, pro depetigoque; Noni. *deque totondit agros.* Enn. at vero apud eundem plane mirabile eſt, *Cere comminuit brum*, pro Cerebrum comminuit: apud Varr. R. R. lib. 2. cap. 9. *conſue quoque faciunt.* at lib. 1. cap. 9. *perſerve ita ſit*, pro ita perferveſit. lib. 3. cap. 4. *Excande me fecerunt cupiditate.* ita in quibuſdam precationibus, *ob vos ſacro*, pro obſecro vos, & *ſub vos placo*, pro ſupplicio Feſt. Ita Enn. p. 77.

Annibal audaci dum pectore de me hortatur,

pro dehortatur me. Ex Calpurnio. Exempla bene multa apud Lucretium reperies, quibus emolliendis hæc erunt. Fab.

654. *Talibus in cauſis*] Si tales cauſas ponas, quales & Heraclitus & alii induxerant. Notanda Latinitas. Fab.

654. *Nedum variantia rerum*] Id eſt, tantum abeſt, ut tanta rerum variantia eſſe poſſit. *nedum* negationem continet, & in extremo membro periodi, aut ſententiæ ponitur. *variantia* autem, id eſt varietas, nomen eſt ex participio factum,

va-

Tanta queat denſis rariſque ex ignibus eſſe.
Atque Hi; ſi faciant admiſtum rebus Inane,
Denſeri poterunt Ignes, rarique relinqui:
Sed, quia multa ſibi cernunt contraria, muſſant,

Et

INTERPRETATIO.

Rerum varietatem ex condenſatis & rarefactis Ignibus produci. Hi inſuper Philoſophi, ſi Inane *Rebus admiſtum concederent, tum Ignem condenſari & rarefieri poſſe haud ineptè ſupponerent: quia verò hanc opinionem multis difficultatibus laborare ſentiunt, affirmare non audent,*

VARIÆ LECTIONES.

655. *Tanta* &c. Tantaque accenſis, rariſque Q. Tantaque ex accenſis X. *queat.* quidem Q 1.
656. *Atque Hi ſi.* Id quoque ſi E. C. G. N. P. Q. X. Y. Z. *faciant.* faciunt Q 1. X. *admiſtum inane.* admiſto inani E H 2. *inane.* inani N.
658. *muſſant.* muſant H 2. mu. G. Z. muſæ X. Y. & ſuperſcrib. *pro Poëtis.* amuſæ V. multi C. E. N. ineſſe c. O. P. Q. eſſe A. B. I.

NOTÆ.

varians: cujus generis ſunt illa apud eundem, *retinentia, repetentia:* & apud M. Tull. *decentia, negantia, repugnantia, cohærentia:* & hæc omnibus uſitata, *diſtantia, affluentia, abundantia, convenientia,* &c. Lamb.

456. *Atque hi ſi faciant*] Vulgati: *Id quoque* &c. Gif. Sententia horum verborum perſpicua eſt. hoc enim ſignificat Lucret. *atque ſi hi faciant*, id eſt, ſi ponant, & ſtatuant, *inane rebus admiſtum eſſe:* procederet eis ex animi ſententia, quod volunt: & poſſent ignes nunc denſari, nunc rarefieri. Nunc autem cum denſationem, & rarefactionem fingant ſine inani: longè aberrant à vero. nam ut nihil rarum eſſe poteſt ſine inani; ita nihil denſari, quod careat inani. Lamb. *Facient.* Ponent, ſupponent; *fac ita eſſe.* τίθει. &c. Fab. Inſtat v. 10. Phyſicos Heracliti fautores ad condenſationem & rarefactionem Ignis confugere non poſſe, prout *Inane* non admittunt, ſine quo nihil rarum fiat aut denſum, ut ſuprà demonſtraverat v. 396. Aliqui legunt *Id quoque ſi faciant.* Creech.

658. *Contraria eſſe*] Sic ex veteribus ſcripſi; in quibus erat: *ineſſe, imeſſe, muſſant, muſſe, mu.* Vulg. *multi.* Ita ſupr. verſ. 367. *corporum eſſe.* quidam: *corporum ineſſe.* quidam *corporis eſſe.* Gif.

658. *Contraria, muſſant*] Secutus ſum libros manuſcriptos, aut eorum certè veſtigia: quorum alii habent, *contraria ineſſe:* alii, *muſſe:* alii, *mu:* alii, *muſſant:* quod retineo. *muſſant* autem, id eſt tacent, muti ſunt, hærent, neque habent quod dicant. eodem verbo uſus eſt idem ſcriptor libr. 6: 1177.

--- *muſſabat tacito medicina timore.*

& Virgil. 11. Æneid. 345.

Flent mœſti, muſſantque patres.

Idem 12: 657.

--- *muſſat rex ipſe Latinus.*

Idem valet apud Græcos μύζειν. Homer. Ιλ. δ. 20.

Αἱ δ' ἐπεμύξαν Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη.

Eſt enim verbum natum & factum ex littera μῦ, *mutorum* propria, utpote quam ſolum proferre poſſunt. ex eadem μύω, μυστήρια, *mutio, tis, tit,* & proverbium, *Ne* μῦ *quidem facere audere.* Lamb. Ita omnino legendum; ſed παγγελοίως fecit Gifanius, qui legerit, *ſed quia multa ſibi cernunt contraria eſſe.* ô verſum admirabilem! Verum metrum omitto. Nonne videre oportuit loco τοῦ *eſſe*, debuiſſe ibi verbum aliquod fuiſſe, cum id orationis vinculum probet; ET *fugitant*; ergo *muſſant. & fugitant*, &c. Fab. Rectè *Lambinus*, & ibi verbum aliquod debere eſſe ad vinculum orationis, *Et*, probat. *Et fugitant.* Negligamus autem illos qui amant *Multi: Contraria ineſſe.* Vel *Amuſæ.* ἄμουσοι. Nævius: *Odi* Summuſſos, *proinde aperte dice quid ſit.* Terentius *Muſſare* pro *Tacere* poſuit; *Sile, cœla, occulta, tege, tace.* Muſſa. Feſtus in voce *Summuſſi.* Creech. Voſſius ex *Muſæ* quod in Cod. quodam ſuo repe-

X 3 rerat

Et fugitant in rebus Inane relinquere purum, &c,
Ardua dum metuunt, amittunt vera viaï:
Nec rurſum cernunt exempto rebus Inani,
Omnia denſeri, fierique ex omnibus unum
Corpus, nil ab ſe quod poſſit mittere raptim,

Aeſti-

INTERPRETATIO.

Inane eſſe aſſerere non ſuſtinent, & dum difficilem metuunt, veram Philoſophiæ viam non ingrediuntur. Nec inſuper intelligunt Inani è Rebus ſublato res cunctas conſtipari, omniaque Corpora in Corpus unum coaleſcere, quod nihil ex ſe cum impetu emittere valeret,

VARIÆ LECTIONES.

659. *fugitant.* fugiunt C. E. N. X. fugiant P. Q. *purum, &.* purum A. B. C. D. E. N. P. Y. Z.

660. *vera viaï.* In Y. manu pr. fuit *ver aulai* ſed corr. in Z. eſt *ver aula.*

661. *exemto rebus Inani.* inane G. Y. Z. exemtum rerum inane P. exempto rerum inane P. exemptum rebus inane Q. X.

662. *denſeri.* denſari C. N.

663. *nil.* nihil Y. Z. *quod.* quid X. *raptim.* raptum K. H1. O. Q1. natum C. D. E. H2. N. Q. raptis G. X. V. Y. Z.

NOTÆ.

rerat, fecit *amuſæ* i. e. ἄμουσοι, quales a ſcriptis ſuis arcebat Heraclitus, juxta illud Epigramma, quod apud Diog. Laërt. exſtat:

Ἡράκλειτος ἐγώ· τί με ὧν κάτω ἕλκετε, ἄμουσοι;
Οὐχ ὑμῖν ἐπόνουν, ἀλλὰ μ᾽ ἐπισταμένοις.
Εἷς ἐμοὶ ἄνθρωπος τρισμύριοι· οἱ δ᾽ ἀνάριθμοι
Οὐδείς· ταῦτ᾽ αὐδῶ καὶ παρὰ Περσεφόνῃ.

Sum Heraclitus ego: quid me vexatis inepti?
Non vos, ſed doctos tam grave quærit opus.
Unus homo eſt nobis id quod Ter mille: ſed unus
Vix ſunt innumeri: & Manibus hæc recito.

ſic in ipſum qui ſolebat omnes alios ἀμούσους vocare, retorqueret hoc convicium Lucretius, & ex vero, ſi audiamus Diog. Laert. Μεγαλόφρων δὲ γέγονε παρ᾽ ὁντιναοῦν καὶ ὑπερόπτης· ὡς καὶ ἐκ τοῦ συγγράμματος αὐτοῦ δῆλον, ἐν ᾧ φησί. Πολυμαθίη νόον οὐ φύει. *Fuit autem præ cæteris elato animo, omneſque alios contemnente, ut ex ipſo ejus opere patet, ubi ait: Multifaria ſcientia mentem non juvat.* Rurſus: ἤκουσέ τε οὐδενὸς ἀλλ᾽ αὑτὸν, ἔφη διζήσασθαι, καὶ μαθεῖν πάντα παρ᾽ ἑαυτοῦ. *Neminem audivit; verum ſemet inveſtigandæ veritati dediſſe omniaque ex ſemet didiciſſe, ait.* Quod dictum tamen in ſenſum longe meliorem accipit Caſaubonus, & poſtea Menagius. Preig.

659. *Et fugitant*] Sic habent lib. manuſcripti. hoc verbo ſæpe utitur, ut libro ſexto, 1236.
--- *fugitabant viſere ad ægros.* Lamb.

669. *Ardua dum met.. am. v. v.*] Sic fere M. Tull. Acad. libro quarto: *Alterum eſt, quod fallacibus & captioſis interrogationibus circumſcripti atque decepti quidam, cum eas diſſolvere non poſſunt, deſciſcunt à veritate.* Talis ferè ſententia eſt apud Ariſtotel, libr. η. ἠθικ. Νικομ. κεφ. β. non longè admodum ab extr. Lamb.

660. *Vera viaï*] Notavimus alibi hoc loquendi genus, *vera viai, promta cæli, ultima naturai,* & cetera. Lamb.

662. *Denſeri*] Sic legendum, & ita habent libri veteres omnes. Lamb.

662. *Mittere raptim*] Libri ſcripti habent partim *raptis*, partim *raptim*: cum quibus concordant Veneti antiq. & Pariſienſes: ceteri excuſi omnes *natum*, præter Vicetinos, in quibus legitur *raptum*, ego *raptim* puto rectam eſſe ſcripturam, eamque eſſe depravatam ab imperitis librariis, qui ſcripſerant *raptiz*. per *z*, in extr. ſyllaba, *z* pro *m*: ex quo factum eſt poſtea *raptis.* ſi quis tamen malit *raptum*, non rejicio. *natum* puto eſſe ſuppoſitum, & adulterinum. *raptim* autem interpretor celeriter: quomodo & alibi uſurpatur. Lamb. Ita veteres quidam. In aliis vett. *raptis*, non recte, ut

Aeſtifer Ignis uti lumen jacit, atque vaporem:
Ut videas non è ſtipatis partibus eſſe.
Quod ſi forte ulla credunt ratione poteſſe
Igneis in coetu ſtingui, mutareque corpus;
Scilicet ex ulla facere id ſi parte reparcent,

Oc-

INTERPRETATIO.

ut ardens ignis Lucem emittit & Calorem, unde apparet illum non è partibus penitus, & ſine intermixto Vacuo, ſtipatis conſtare. At verò ſi credant Ignes cum coëant, ullo modo extingui poſſe, igneamque naturam deponere, ſi inquam id omnino fieri affirmant,

VARIÆ LECTIONES.

666. *ulla credunt.* mia Y. *ſed ſuperſcrib.* minus credunt. mia G. X. Z. una Q. X. *ratione.* rationi A.

667. *cœtu.* cœtus C. G. Y. Z. *ſtingui.* ſtringi N. P. Q 1. *mutareque.* maſſareque C. E. N. P Q. muſareque G. Y. Q 1. miſſareque Q 2. ſanguinis areque Z.

668. *ex ulla.* ex nulla X. Y. Z. *ſed in* Z. *m. ſec.corr.* ex ima Am. C. P. ex una O. ex ulla P. *in not.* ex nulla Q. *reparcent.* reporcent A. *codd. Pii.* receptent C. D. E. M. N. H 2. *codd. Pii.* pararent c. P. parcere porcent *codd. Pii.* parcere parent Q 1. parte reportent Q 2. parte receptant (*ſed ſuperſcr. vulg. lect.*) in Z.

NOTÆ.

ut opinor. Vulgati: *raptum* & *natum.* Gif. *Raptim.* Alii *Raptis: Ab ſe raptis*, id eſt, Ab ſe conſtipatis. Alii *Natum.* Alii *Raptum.* Sed *Raptim* ſequenti verſui maximè convenit. Creech.

664. *Lumen jacit atque vap.* Lumen jacit & calorem. ſic libro ſecundo de ſole verſu 149.

At vapor is, quem ſol mittit, lumenque ſerenum.

Lamb. Calorem, jam antea. Varro.

— ut ciconiæ
Quarum bipennis fulminis plumas vapos
Peruſſit alte —

Ita *vapore flammeo*, Pacuv. apud eundem in de R. R. lib. 1. cap. 2. Ita *vapore ſolis*, apud Curtium, ubi de Cydno & Ciliciæ terræ ingenio. Ovidii locum in 1. Amor. Eleg. 11. videor emendare poſſe. Ibi Cupidinem alloquens, ſcribit,

Non poſſunt, licet ipſe velis, ceſſare ſagittæ;
Fervida vicino flamma vapore nocet.

Legendum, *nativo*, non *vicino*; nam propter illud *licet ipſe velis*, debuit dicere, *nativum eſt flammæ, ut ſemper urat*; hoc ei naturale eſt. Fab.

666. *Quod ſi forte ulla credunt*] Quidam libri: *una.* quidam: *dicent.* Gif. Altera pars: *Si vero Ignis ita ſtinguatur* (al. male *ſtringatur*) &c. Fab.

Porro quia poſſet quoddam patere effugium, Si quis diceret Ignem extingui, & converti in aliud Corpus, eapropter urget v. 10. fieri id non poſſe, niſi admittatur abire Ignem in Nihilum: Quia res ſimplex & inconcreta, quale debet eſſe illud Elementum, ſi prima quidem, & unica rerum materies fuerit, mutari non poteſt, quin omnino pereat. Nam res quidem compoſita ſic mutari poteſt, ut deſinens eſſe quod erat, relinquat partem ſuperſtitem, quæ, veteri ſtatu amiſſo, novum ſubeat; verum quod incompoſitum eſt, naturam ſuam deperdere, quin planè intereat, non poteſt. Creech.

666. *Poteſſe*] Poſſe. *poteſſe* autem integrum eſt, & eo utebantur veteres, ut Plautus, & Ennius, & Lucilius, & ſimiles. unius Lucilii verſus in præſenti proferam, ex libro quinto:

Nam ſi, quod ſatis eſt homini, id ſatis eſſe poteſſet:
Hoc ſat erat: nunc cum hoc non eſt, qui credimus porro
Divitias ullas animum mi explere poteſse?

Lamb.

667. *Ignis in cœtu ſtingui, mutareque*] Sic vet. libri noſtri, niſi quod pro *muſare*, feci: *mutare.* vul-

Occidet ad Nihilum nimirum funditus Ardor
Omnis, & ex Nihilo fient quaecunque creantur.
Nam quodcunque ſuis mutatum finibus exit,
Continuò hoc mors eſt illius, quod fuit ante;

Pro-

INTERPRETATIO.

in Nihilum penitus recideret Iſte Omnis Ignis, & res, quæ producuntur; è Nihilo orirentur: Illud enim, cujus Natura mutatur, deſinit eſſe id quod ante fuit:

VARIÆ LECTIONES.

669. occidet. occidit Q. X. *funditus.* funditur G. Y. *ſed corr.* in Y. *ardor.* arbor Z. *ſed corr.*
670. ex deeſt G. *Omnis & ex Nih.* Omne ex nihilo X. *fient.* fiunt E.
671. mutatum. mutuatum G. Q. Y. *finibus.* ſedibus Q. 1.

NOTÆ.

vulgati: *cœtus ſtringi maſſareque.* Et ſupra verſu 582. &c. variatum. Gif. Secutus eram initio libros vulgatos. in quibus ita impreſſum eſt,

Igneis in cœtus ſtringi, maſſareque corpus:

quæ ſic declarabam, *igneis ſtringi*, id eſt denſeri, & contrahi, &, quod ſubſequitur, *maſſare*, id eſt ſolidare, & conſtringere corpus. Dicebat autem Heraclitus, ut refert Plutarchus. ὅτι τὸ παχυμερέστατον τοῦ πυρὸς, εἰς αὑτὸ συστελλόμενον γίνεται γῆ· ἔπειτα ἀναχαλωμένη γῆ ὑπὸ τοῦ πυρὸς ὕδωρ ἀποτελεῖ)· ἀναθυμιώμενον δὲ ὕδωρ ἀὴρ γίνεται, &c. id eſt, *Id ignis quod ſit craſſiſſimis particulis præditum, cum in ſe contrahitur, terram fieri: deinde terram, cum ab igni laxatur, aquam: exhalantem autem aquam, & extenuatam, aërem.* In ſecunda autem editione ſic excudendum curavi,

Ignes in coetu ſtingui, mutareque corpus.

quam ſcripturam nunc item amplector, & retineo. Ejus autem ſententia non eſt obſcura: Igneis *in cœtu ſtingui*, id eſt, igneis in congreſſu, & concretione rei genitæ exſtingui, & corpus igneum mutare, &c. Lamb. Alii *Stringi:* imperitè. *Mutareque*, Alii *Maſſareque* i. e. *Solidare* & *Conſtringere:* at *Mutare* probabit qui v. 671. legit. Creech.

668. *Facere id*] Igneis mutare corpus. Lamb.

668. *Pararent*] In exemplaribus legitur *receptet*, hoc eſt concedat. ponit inconvenientia quæ ſequerentur ſi corpus ignis in maſſam conflaretur. Sunt qui legunt *parcere porcent.* quidam *parte reporcent.* *Porceo* ſignificat *prohibeo:* de quo Marcellum lege in dictione *porcet.* Pompejus. *Porcet quoque dictum ab antiquis quaſi porro arcet: & pro ee quod eſt continet ponit. a quo porcæ in agris pulvini & areolæ: in quibus ſulcatim grana cujuſque generis ſeruntur:* de quibus lege Plinium, Varronem, & Columellam quoque. Pius. *Reparcent.* Ita ex vet. omnibus reſtitui. quidam *reporcent* malunt teſte Pio. Marullus & Vulgati: *receptent. Pararent* quidam vulgati, male. Gif. Dabunt, concedent, probabunt. codices veteres hoc loco depravatos eſſe initio putabam, in quibus lectori ſignificaram legi *reparcent*: non etiam probaram, ſed fallebar. Itaque & in ſecunda editione *reparcent* edendum curavi: & nunc item hanc ſcripturam probo, Turnebo aſſentiens: atque hoc verbo utitur & Plautus in Truculento 2: 4: 25.

Utinam à principio rei item parſiſſem meae,
Ut nunc reparcis ſuaviis.

Sic autem compoſitum eſt *reparco*, ut *refero*, *retego*, *recludo*, *revelo*, *refigo*, & ſimilia. *reparco* enim idem valet quod non parco, largior: ut *refero*, *aperio*, &c. Al. *reporcent.* male. *Reparco* autem eandem habet vim propter illud ſuum *Re*, quam multa alia verba, ut *relino*, *refigo.* nam *relino* non eſt iterum *lino*, ſed id quod litum erat detergo, picem ſeu ceramentum abrado, &c. Ita *repercutere nummum*, Tertullian. At Latine *parco id dicere*, ſignificat, *nolo dicere*, caveo ne dicam. *parce pias ſcelerare manus.* Virgil. Æn. 3: 42. Itaque *reparco facere*, ſignificabit *libenter facio*, aut quid tale. Ceterum τὸ *facere*, in hoc verſu pro τιθέναι, accipio; ut cum dicimus, *fac ita eſſe*; *pone illum eſſe victum*, &c. Fab. Turnebum cui hic aſſentitur Lambinus, vid. Adv. lib. VII. cap. II. ubi ad ver-

Proinde aliquid ſuperare neceſſe eſt incolume olli,
Ne tibi res redeant ad Nilum funditus omnes,
De Nihiloque renata vireſcat copia rerum.
Nunc igitur, quoniam certiſſima corpora quaedam

Sunt,

INTERPRETATIO.

In omni autem rerum diſſolutione debet aliquid ſupereſſe integrum & illæſum, vel Res in Nihilum reciderent, & è Nihilo productæ vigerent. Jam vero cum ſint quædam Corpuſcula,

VARIÆ LECTIONES.

673. *aliquid.* Aliquod Am. *olli.* ollis A. B. C. D. E. L. N. P. Y. Z.
675, *vireſcat.* viveſcat G. Y. Z. de nihilo nata revireſcat X.

NOTÆ.

verſum etiam præcedentem monet *ſtringi, maſſareque corpus* ſcripturam depravatam eſſe ex illa antiquorum Codd. *ſtingui muſareque* &c. *Maſſare* verbum infandum Lucretio, neque ei unquam eloquendum dicit. Clodio Thuſco tamen, ut & Servio *Maſſare.* facere eſt. ut monent Marginalia noſtra. Preig.

671. *Nam quodcunque*] Hi duo verſus iterantur infra eod. libr. & lib. 3. Lamb.

672. *Mors eſt*] i. e. reſolutio, diſſolutio. Virg. IV. Georg. vſ. 225.

Scilicet huc reddi deinde, ac reſoluta referri
Omnia: nec morti eſſe locum.

Ubi Servius hunc Poëtæ locum in partes adducit; cujus Grammatici verba quoniam vitioſe circumferuntur, emendata reponere placet: *Locum morti: i. e. perditioni. Nihil enim eſt quod perire funditus poſſit, cum ſit τὸ πᾶν, id eſt omne in quod redeant univerſa reſoluta. Res autem hæc, quæ mors vocatur, non eſt mors: quippe quæ nihil perire facit, ſed reſolùtio; unde mors* (ita lege cum Maasvicii Edit. non ut vulgo *mirè*) *pleriſque bene interitus dicta eſt, quaſi interveniens, & miſtarum rerum connexionem reſolvens. Lucretius:*

Continuo hoc mors eſt illius quod fuit ante connexum. ut ultimum illud Servii ſit explicatio, non principium novi verſus. Hav.

672. *Hoc*] In quod mutatum eſt ſcilicet. Fab.

673. *Proinde aliquid ſuperare, &c.*] v. 18. concludit, ſi extincto Igne generari quidpiam debeat, neceſſarium eſſe ut ſuperſit aliquid, quod deperdita Ignis forma rei iſtius generatæ formam induat: Perſpicuum eſt autem hoc eſſe communem materiam: quam Lucretius ſupponit eſſe incorrupta Corpuſcula, quæ adjectione, detractatione, tranſpoſitione ſui varia, nunc formam ignis, nunc alicujus aliûs rei exhibere valeat. Quod autem illa Ignea ex natura ſua non ſint, meritò arguit ex eo, quod additio, detractio, tranſpoſitio nihil operaretur; cùm ex ipſa Ignis Natura remanente Incolumi nihil fieri præter Ignem poſſet: Deinde ſententiam Epicuri exponit: Quædam viz. Corpuſcula nulla forma, quam ſenſus percipere valeant, prædita, rerum eſſe principia, & ex iis diverſimodè coëuntibus tam Ignes, quam reliqua omnia oriri. Creech.

673. *Superare*] Supereſſe, περιγίνεσθαι, ut ſupra. 673. Lamb.

673. *Ollis*] Illis. ſic loquebantur antiqui, ut, *olla centuria*, & *ollus letho datus eſt*, ex Varrone libro ſexto de ling. Lat. Virgil. etiam uſurpat interdum, ut lib. I.

Olli ſubridens hominum ſator atque Deorum;

& M. Tull. libris de Legibus. Lamb. Illis. Virg. ſæpe. ſed ille locus (*olli ſubridens hominum ſator atque deorum Oſcula libavit gnatæ*) improſpere à Dionyſio allatus eſt; *Olli* enim ſignificat *Tunc. Illi*, pro *illic* apud Terent. & Plaut. alioqui nunquam dixiſſet Virg. *illi gnatæ ſuæ.* Fab.

676. *Corpora*] Primordialia. Fab.

681. *Quædam decedere, abire*] Sic repoſui à tribus codicibus manuſcriptis, & excuſis Pariſienſibus & Venetis antiquis admonitus, atque adjutus: in quibus ſcriptum reperi, *deſcendere, abire. decedere, abire*, autem dictum eſt ἀσυνδέτως: cui opponitur id quod ſtatim ſequitur, *atque alia attribui*, id eſt, alia accedere. Lamb. *Deſcedere.* Ita ex veteribus legendum. In quibus omnibus eſt: *deſcendere.* Hinc Marullus: *diſcedere.* Lambinus: *decedere.* vide & ſimile infr. III. 76. Gif. Alii legunt *Adire, atque alio.* Creech. Quod Ed.

Baſ.

Sunt, quae conſervant naturam ſemper eandem,
Quorum abitu, aut aditu, mutatoque ordine, mutant
Naturam res, & convertunt corpora ſeſe;
Scire licet non eſſe haec Ignea corpora rerum.
Nil referret enim quaedam decedere, abire,

Atque

INTERPRETATIO.

quæ eandem ſemper ſervant naturam, & quorum diſceſſu, aut conventu, aut mutato ordine, Rerum concretarum Naturæ mutantur, certi eſſe poſſumus hæc corpuſcula non eſſe Ignea: Nihil enim referret quædam decedere, alia advenire,

VARIÆ LECTIONES.

678. *abitu, aut.* habitu atque X. *ordine mutant.* ordine ſeſe E.
679. *corpora ſeſe.* corpora rerum E. H 1.
681. *decedere.* deſcedere A. diſcedere M. C. H 2. deſcendere G. H 1. P. Q. X. Y. *a pr. manu, ſed corr.* Z. *abire.* adire, C. E. H 2. N.

NOTÆ.

Baſ. habet *adire*, inſulſum non videtur, quum ipſe Auctor ſupra verſu 678. dicat:

Quorum abitu, aut aditu m. o. m. Hav.

683. *Si tamen*] Quidam libri veteres, & omnes vulgati *tantum*. Gif. Sic emendavi fretus auctoritate duorum codicum manuſcript. aliis invitis, in quibus eſt, *Si tantum:* ſententia quidem hanc ſcripturam poſtulat. Hoc enim ſentit Lucret. *Nil referret*, id eſt, nil prodeſſet, ſeu nihil attineret, quædam ex igne decedere, & quædam ad eum accedere, & quorundam ordinem mutari, ſi nihilominus omnia naturam ignis retinerent. Lamb. Ita Lambinus ex quibuſdam Codd. Alii Codd. *Si tantum:* unde Alii *Si tandem* libenter legunt. Creech. Nuperrima Lond. Ed. in variantib. lect. notat: *ſi tandem* quidam. *Tantum* alii. Prius illud ex MSS. & Marginalia noſtra referunt, ſed pro *ardoris arboris.* Lege igitur:

Si tamen ardoris, &c.

mire enim id genus vocibus ludere ſolet Auctor; idque ſæpius, licet non ubique notamus. Preig.

684. *Omnimodus*] Scribo *unimodus.* hoc enim ad omnes ignes ſe haberet uno modo: eſſet unicum principium ad ſingula, etiam ſi cuncta crearet. *Unimodus* dicitur ſimplex: *omnimodus*, omnifarius: *multimodus* multiplex. Si legis *omnimodus* interpretare ignem non tantum calidum futurum: ſed habiturum omnem proprietatem: cum diverſæ naturæ gignantur ab eo per Heraclitum: ſed cum ignis omnimodus eſſe nequeat: ſequitur ut principium rerum eſſe nequeat. Pius Ita ex veteribus ſcripſi. In quibuſdam tamen: *omnimodus. unimodus.* Gif. Id eſt, omnibus modis ignis eſſet. Atque ita legebat Turnebus noſter: & ita habent libri aliquot manuſcripti alii. *omnimodus*, manente eadem ſententia. vulgati plerique habent *unimodus:* quibuſcum conſentit Memmianus, quæ lectio etiam probabilis eſt. Lamb.

684. *Crearent*] Nempe ignea corpora: quodcumque crearent corpuſcula, & primordia rerum ignea, id eſſet ignis *omnimodus*, ſeu *unimodus*, ſeu *omnimodis*, id eſt omnino, & omnib. modis. Lamb.

688. *Neque ullæ*] Sic habet codex Vaticanus, quam ſcripturam ſecutus ſum. ita enim loquebantur antiqui: Plaut. ex Varronis libro ſexto de ling. Lat.

--- --- gannit odioſus totæ familiæ.

Terent. Heaut. 2: 3: 30.

--- --- hoc ipſa in itinere alteræ
Dum narrat, fortè audivi.

M. Tull. de divinat. libro ſecundo: *Sed ſi eadem hora aliæ pecudis jecur nitidum atque plenum eſt, aliæ horridum, & exile, quod declarari poſſit habitu extorum?* ſic idem Lucret. libro tertio: 931.

Aut aliæ cujus deſiderium inſideat res.

Idem

Atque alia attribui, mutarique ordine quaedam,
Si tamen Ardoris naturam cuncta tenerent.
Ignis enim foret omnimodis, quodcunque crearent.
Verum, ut opinor, ita eſt: ſunt quaedam Corpora, quorum
Concurſus, Motus, Ordo, Poſitura, Figurae,

Effi-

INTERPRETATIO.

quorundam etiam ordinem mutari, ſi modo cuncta naturam haberent Igneam; quodcunque enim ex Igne naſceretur, omnino eſſet Ignis: Ita vero ſecundum meam ſententiam ſe res habet, ſunt quædam Corpora quorum Concurſus, Motus, Ordo, Situs, & Figuræ

VARIÆ LECTIONES.

682. *alia.* alio C. E. P. N. Y. Z. *quædam.* quodam H 2.

683. *Si tamen.* ſi tandem *quidam.* tantum *Alii. ardoris.* arboris G. Z. *ſed correct. tenerent.* teneret X.

684. *omnimodis.* Omnimodus C. D. P. Omni' modis L. unimodus c. *Pius* in notis. *crearent.* crearet A. B. C. D. E. N. P. X. Y. Z.

NOTÆ.

Idem lib. 6: 392.

Et potius nullæ ſibi turpis conſciu' rei, &c.

Lamb. *Ullæ rei.* Ita dicebant, *totæ*, *illæ*, *ipſæ*, *alteræ*, &c. in dandi caſu. Fab.

689. *Rei*] Olim ut Priſcianus docet lib. 1. ſcripſerunt *reji* & *eji*, unde paſſim producitur. Hav. Vid. Turn. Adv. xix. cap. 12. Preig.

690. *Adjectu*] jactu ad ſenſus: appulſu, ſeu conjectu, qui ad noſtros tactus perveniat. nam *adjicere telum*, eſt plus quam jacere: nempe ita jacere, ut ad eum locum, quem jaculator petit, perveniat. Cæſ. lib. 2. de bello Gall. *Et quia non longius hoſtes aberant, quam quo telum adjici poſſet; prœlii committendi ſignum dedit.* Idem libro 4. *Atque ita montibus anguſtis mare continebatur, ut ex locis ſuperioribus telum in litus adjici poſſet:* ſic Lucret. dixit *adjectum odoris:* lib. 4: 677.

Nunc age, quo pacto nareis adjectus odoris
Tangat, agam.

& *lumina adjicere*, lib. 5: 568.

Nam quibus è ſpatiis cumque ignes lumina poſſunt
Adjicere, &c.

& M. Tull. *adjectæ voces*, lib. 2. de nat. Deor. *Extra autem eminent quæ appellantur aures, & tegendi cauſa factæ tutantur ſenſus, & ne adjectæ voces laberentur atque errarent, priuſquam ab his pulſus eſſet.* Lamb. Εἰσβολῇ, jactu, ut dicimus, telum adjicere. Fab.

690. *Tangere tactus*] Id eſt ad tactus noſtros pervenire, eoſque afficere. pulchre dictum, *tangere tactus.* Lamb. Bene. Nam omnis ſenſus neceſſario tactus eſt. Fab.

691. *Dicere porro, ig.*] *Porrò* autem (inquit Lucr.) *dicere* unum eſſe rerum principium, *ignem*, nihilque omnino in natura rerum eſſe præter ignem, *quod idem* Heraclitus facit, *valde* delirum *eſſe videtur.* Lamb.

Dicere porro ignem res omnes eſſe, neque ullam
Rem veram in numero rerum conſtare, niſi ignem, &c.

In ſecundo verſu lego, non *rem veram*, ſed *naturam:*

--- *neque ullam*
Naturam in numero rerum conſtare, &c.

Quippe concoqui iſtud non poteſt, *Nulla* res vera *in numero rerum conſtat.* Non enim hîc de iis agitur quæ ſint & exiſtant vere & ὄντως; quod fuſius explicare non eſt neceſſe. Ceterum apud Lucretium τὸ *natura* paſſim ponitur pro re creata, id eſt producta, genita, αἱ φύσεις in lib. *de Mundo.* Fab. His 11. v. Criterium ſenſus advocat, ut non conſtare omnia ex ignea natura confirmet, fatetur *Heraclitus* Ignem ſibi ope ſenſuum notum eſſe; monet *Lucretius* ſenſus non minus percipere plura alia diverſæ omninò ab Igne Naturæ, quam ipſum Ignem; Eandem autem ſemper, aut nullam unquam fidem ſenſui adhibendam eſſe; Et

 deinde

Efficiunt Ignes, mutatoque ordine mutant
Naturam; neque ſunt Igni ſimulata, neque ullae
Praeterea reji, quae corpora mittere poſſit
Senſibus, & noſtros adjectu tangere tactus.
Dicere porro Ignem res omneis eſſe, neque ullam
Rem veram in numero rerum conſtare, niſi Ignem,
Quod facit Hic Idem, perdelirum eſſe videtur.
Nam contra Senſus ab Senſibus ipſe repugnat:

INTERPRETATIO.

Ignes conſtituunt, & quæ mutato ſuo ordine mutant naturam Ignis; hæc autem Corpora habent neque naturam Ignis, neque alicujus ullius rei, quæ ex ſe queat emittere Corpuſcula, & iſtorum adjectu Senſuum noſtrorum organa movere: (i. e. quæ Senſibus percipi poſſint.) Denique affirmari res omnes eſſe Ignem, nihilque eſſe in tota Rerum ſumma præter Ignem, quod hic idem Heraclitus *affirmat, ineptiſſimum videtur: Senſuum enim ope contra Senſus utitur,*

VARIÆ LECTIONES.

688. *ſimulata.* ſimilata D. E. H 2. N. P. X. *neque* nec Q 1.
689. *poſſit.* poſſet Q 1.
690. *adjectu,* attactu Q 1.
691. *Dicere porro* &c. Dicere porro ſequi rem res omnis: neque ullam Q. *ſed adſcribebatur vulg. Lectio.* Dicere porro ſi quæ rem res omnis e. n. u. X: *neque.* nec Q 1. *ignem.* ignenem Z. *ſed ſuperſcr. vera Lectio.*
692. *Rem veram.* naturam *Faber. niſi.* nec Q. *Ignem.* ignis *Pius* in not.
693. *Hic idem,* hoc idem C. O. P. *perdelirum.* perdelirus Q. X.
694. *ab.* a X.

NOTÆ.

deinde Epicuri ſententiam de Criterio breviter exponit. Creech.

691. *Res Rem*] Scribendum anſam dantibus priſcis exemplaribus *ignem.* Si dicas res omnes ignem eſſe falleris. hic eſt ordo. perdelirum eſſe videtur dicere res omnes ignem eſſe: & eſt perdelirum ſentire rem nullam conſtare veram in numero rerum niſi ignem. Pius. *Rem veram. Naturam.* Quippe iſtud concoqui non poteſt. *Nulla res vera in numero Rerum conſtat.* Faber: Delicias Stomachi! *Res veras* nos jejuni non contemnimus. Res aliquas præter Ignem *apparere* nunquam negavit Heraclitus: at *Eſſe* nunquam conceſſit: Hanc opinionem convellit *Lucretius*, ideoque probare debuit Res eſſe *veras*, & quas ſenſus *verè* cognoſcant, v. 697. Creech.

693. *Hic idem*] Heraclitus. Fab.

693. *Perdelirum*] Valde delirum & fatuum. *Delirare* ſignificat a recta ratione diſcedere. metaphora deducta eſt a *liris*, hoc eſt *ſulcis*: qui ſunt in agro. unde errores & exorbitantia *deliramenta* dicuntur. Pius. Qui pro *delirum* ſcribi volunt, *delerum* quaſi à λήρου, falluntur. Nam *delirus* vox eſt terræ Italiæ, Varr. Fab. *Deſipere eſt*, & ſimilia in promptu habet Lucretius; ut ματαιάζουσιν Epicurus apud Diog. Laërt. lib. x. ſegm. 67. quales loquendi modos ante oculos habuiſſe videtur Sanctus Apoſtolus in Ep. ad Rom. cap. I. verſu 21. ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν. Certe Lactantius aſſiduus ille Lucretii perſcrutator, lib. vi. de Opificio dei: *Epicuri ſunt omnia quæ delirat Lucretius.* Preig.

694. *Contra ſenſus*] contra eos ſenſus, qui alia ſentiunt præter ignem. Lamb.

694. *Ab ſenſibus*] Pro ſenſib. per quos ignem cognovit. Lamb.

694. *Nam contra ſenſus ab ſenſibus ipſe repugnat*] Sic locum hunc explicandum puto. Pugnare, ſeu ſtare ab aliquo, eſt pugnare pro aliquo, partes

Et labefactat eos, unde omnia credita pendent:
Unde hic cognitus eſt ipſi, quem nominat Ignem.
Credit enim Senſus Ignem cognoſcere verè,
Caetera non credit, nihilò quae clara minus ſunt:
Quòd mihi cum vanum, tum delirum eſſe videtur.
Quò referemus enim? Quid nobis certius ipſis
Senſibus eſſe poteſt, quô vera ac falſa notemus?
Praeterea, quare quiſquam magis Omnia tollat,

Et

INTERPRETATIO.

& illorum fidem evertit quibus Solis tutò credimus; & à quibus hunc, quem vocat, Ignem exiſtere fit certus. Credit enim Senſus verè percipere Ignem, Alia vero non putat, quæ tamen Senſibus non ſunt minus obvia quam ipſe Ignis; Quod mihi vanum videtur & ineptum, Cui enim fidemus, & à quo certius quam ab ipſis Senſibus vera & falſa cognoſcemus. Deinde, cur aliquis reliqua omnia quæ apparent negaret eſſe,

VARIÆ LECTIONES.

696. *quem.* qui C. E. P. Q X.
698 *nihilo quæ.* quæ nihilo G. Y. Z.
699 *mihi.* niſi X. *cum.* tum Q 1. X.
700. *Quo.* quid C. E. H 2. N. P. *Quid.* quod C. E. H 2. P.
701. *quô.* quî A. B. P. Q. Y. Z. *Recte* quô, *refertur enim ad præcedens* Quid certius.

NOTÆ.

tes alicujus tueri, *&c.* Heraclitus autem qui ſenſus eſſe certos dicebat, planiſſime contra ſenſus agebat, cum diceret omnia eſſe ignem; Nam id ſi verum foret ſenſus noſtri ignem ſentirent, quem tamen in pomo, in aqua, in marmore, ligno, *&c.* non ſentiunt. Fab.

695. *Unde omnia cr.*] Id eſt, in quibus omnium rerum fides nititur, & fundatur, ut ſuprà dictum eſt, & infrà pleniùs dicetur. Lamb. *Unde.* ex quibus ſenſibus. Fab.

695. *Quem nominat ignem*] Sic habent tres libri manuſcripti, Vatic. & Bertin. & Memm. Lamb.

697. *Credit*] Heraclitus credit, ſenſum, verbi gratia, tactum, ignem cognoſcere: & in hoc non fallitur. quid enim me docuit ignem eſſe calidum? tactus. Lamb.

698. *Cetera non credit*] *Non credit*, ſenſum cetera cognoſcere, quæ nihilo minùs perſpicua ſunt, quàm ignis? verbi gratia, aërem, aquam, terram: quæ etiam ſenſibus cognoſcuntur. Lamb. Senſus noſtros cognoſcere, aëra, aquam. Fab.

700. *Quo referemus enim*] Legendum ex priſcis exemplaribus, *Quid.* Et hic eſt ſenſus: quid afferemus certius & verius eſſe quam ſunt illa: quæ ſenſu corporeo percipimus. *Referemus.* In medium pro exemplo adducemus. *Certius.* Cognitius & exploratius. *Ipſis ſenſibus.* quam ſint illa quæ ſenſibus noſtris percipimus. *Qui.* Scribe *quis* pro quibus hoc eſt ſenſibus. Pius. *Quò referemus enim*] Sic habent quattuor libri manuſcript. quibuſcum congruunt vulgati, Veneti antiq. & Vicet. probabantque hanc ſcripturam Jovianus Pontanus, & Franciſc. Puccius. quò referemus enim, niſi ad ſenſus ſcilicet, tanquam arbitros & judices? ſic ſuprà, 425.

Haud erit occultis de rebus quò referentes
Confirmare animi quicquam ratione queamus.

Libri vulgati autem ſic,

Quid referemus enim, &c.

mea ſententia minus rectè. Lamb.

701. *Qui vera*] Sic ex Vet. libris malim. Marullus: *quo.* & ita vulgati. Gif.

702. *Præterea quare quiſquam, &c.*] v. 4. ſupponit, Si Aquam, ſi alia, tam multa inſpexerimus,

Et velit Ardoris naturam linquere ſolam,
Quam neget eſſe Ignis, Summam tamen eſſe relinquat?
Aequa videtur enim dementia dicere utrumque.
Quapropter qui Materiem rerum eſſe putarunt
Ignem, atque ex Igni Summam conſiſtere poſſe:
Et qui principium gignundis Aëra rebus

Conſti-

INTERPRETATIO.

& ſolum Ignem exiſtere aſſereret, potius quàm Ignem non eſſe, omnia vero alia eſſe affirmare ſuſtineret? Par enim dementia utrumque aſſerere. Quapropter Qui Ignem eſſe rerum Principium, & Univerſum ex Igne conſtare crediderunt, qui ex Aëre omnia fieri tradiderunt,

VARIÆ LECTIONES.

703. *velit.* velut Q. X. *ſolam.* ſolem C. O.

704. *Summam.* deeſt G. Z. ignem Y. *tamen.* tantum Q 1.

705. *Æqua.* neque Q. X *ſequebatur dein, ut & in* G. & in X. *verſus hic:* neque ignem neque aëra, neque humorem principia eſſe. *In margine* Q. *ita legebatur,* Ignemque, aëra terram, humorem principia eſſe. *in* Y, *legitur* (*verum in Marg. adſcribitur eſſe Capitulum, i. e. ſummarium*) Neque ignem, neque aëra, neque umorem principia eſſe. *Legitur & in* Z. *ubi non deletur.* *Tres ſeqq. deſunt.* X.

NOTÆ.

mus, tetigerimuſve, aliam planè nobis naturam apparituram, quam Ignem; unde docet non eſſe majorem rationem, cur aſſeramus omnia eſſe Ignem, quàm negato Igne quidvis aliud. *Gaſſendus.* Creech.

704. *Ignis*] Hodie *ignes.* ut ſupra: *Efficiunt ignis.* niſi repetas: *naturam.* Quod non puto. Gif. *Quam neget eſſe ignis.* Repete ἀπὸ κοινοῦ *naturam.* Nonnulli tamen legi volunt *igneis*, ſeu *ignis*, in accuſandi caſu. Lamb. *Quam neget eſſe ignes.* Satius enim fuerit, cetera ponere & ignem tollere, quam contra; Major enim, ſi nihil aliud, Naturæ amplitudo ſit; quamquam ex illorum poſitionibus nil tale ſtare poſſit; nam manca foret natura. Fab.

704. *Summam tamen*] Quidam legunt *aliam tamen:* à quibus diſſentio. Lamb.

705. *Æqua videtur enim*] Par dementia videtur, id eſt, æquè delirum ac ſtultum videtur, ſolum ignem ponere & concedere, ceteris omnibus negatis ac ſublatis: atque ignem negare, ceteris omnibus rebus poſitis & conceſſis. Lamb.

706. *Quapropter qui Materiem, &c.*] Denique v. 7. tam de Igne, quàm de quovis alio ſingulari Elemento, de quo eadem dici proportione valeant, concludit; Omnes viz. delirant qui vel Ignem, ut *Heraclitus*, vel Aëra, ut *Anaximenes Mileſius*, vel Aquam, ut *Thales Mileſius*, vel Terram, ut *Pherecydes*, rerum omnium Principium ſtatuerunt. Creech.

707. *Conſiſtere poſſe*] Supra verſ. 637. *conſiſtere ſolo.* Preig.

708. *Et qui principium gign. aëra*] Ut Anaximenes Mileſius: de quo ſic M. Tull. in Lucullo: Anaximenes infinitum aëra dixit eſſe, ex quo omnia gignerentur. & Plutarchus τῶ περὶ ἀρεσκ. Ἀναξιμένης ὁ Μιλήσιος ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀέρα ἀπεφήνατο. ἐκ γὰρ τούτου τὰ πάντα γίγνεσθαι, καὶ εἰς αὐτὸν ἀναλύεσθαι. id eſt, *Anaximenes Mileſius principium rerum aërem pronuntiavit. Ex hoc enim oriri omnia, & in eum reſolvi.* Archelaus item Athenienſis aëra infinitum principium rerum dixit, ut refert Plutarchus eodem loco: Ἀρχέλαος ὁ Ἀπολλοδώρου Ἀθηναῖος ἀέρα ἄπειρον, καὶ τὴν περὶ αὐτὸν πυκνότητα, καὶ μάνωσιν. Lamb. *Et qui principium.* Anaximenem Mileſium præter ceteros intelligit. Videndus omnino libellus Plutarchi de placitis Philoſophorum; in quo haec & plura. Fab.

709. *Aut humorem quicunque*] Aut quicunque aquam putarunt eſſe principium rerum: ut Tha-

les

Conſtituêre: aut Humorem quicunque putârunt
Fingere res ipſum per ſe: Terramve creare
Omnia, & in rerum naturas vertier omneis:
Magnopere à vero longèque errâſſe videntur.
Adde etiam qui conduplicant primordia rerum,
Aëra jungentes Igni, Terramque Liquori:

INTERPRETATIO.

aut putarunt Aquam eſſe unicum Rerum principium, aut Terram conſtituere omnia, & in omnes rerum Naturas verti poſſe, plurimum mihi videntur à vero aberrâſſe: Ut & illi etiam qui duo Elementa ſtatuunt rerum principia, Aërem viz. & Ignem, aut Terram & Aquam,

VARIÆ LECTIONES.

709. *putarunt.* putantur G.
710. *ipſum.* ipſas c. *Gaſſ.* O. P. ipſam Q. *Terramve.* terramque X.
711. *vertier.* verti Y. Z. *ſed in* Z. *emend.*
712. *Magnopere a vero* &c. Magno opere a. v. l. derraſſe G. Y. *longe.* longi Y. longiq. Z. *longeque erraſſe.* longe dormiſſe Q I. longeque emiſſa X.

NOTÆ.

les Mileſius, de quo Marcus Tullius libro primo de natura Deorum, & in Lucullo: & Vitruvius libri ſecundi capite ſecundo, & procœmio libri octavi. Lamb. *Aut humorem.* Uti à Thalete factum eſt. Fab.

710. *Terramve creare omnia*] Ariſtoteles libro primo τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ ſcribit nullum ex phyſicis principium rerum terram poſuiſſe. Lamb. *Terramve.* Quod mirandum: eſt enim tellus elementum iners & brutum, quodque alienam opem, unde excitetur, expectat. Neque ullum omnino nominatim reperio qui id de terra dixerit; nam quod Pherecyden ajunt ejus opinionis auctorem fuiſſe, haud ſcio an de uno Pherecyde intelligi debeat, cum & alii multi, qui Theogonias ſcripſerunt, à terra originem rerum repetierint. Locum Ariſtotelis alii notavere; itaque deſcribendo parcam. Fab.

712. *Longeque erraſſe*] Quidam codices: *longe deerraſſe.* Haud ſcio an verius hic. Gif. Codices duo manuſcripti habent. *longè deerraſſe videntur.* Lamb. *Longè deerrâſſe* quidam Codd. & an hoc ſit verius adhuc dubitat *Giſanius.* Creech.

713. *Adde etiam qui conduplicant; &c.*] Inter Poſteriores *Empedoclem* deligit, v. 116. adverſus quem quatuor Elementa aſſerentem quicquid objicit, etiam adverſus cæteros, duo, vel tria aſſerentes intelligi objectum poteſt. Nimirum ſi ne quatuor quidem ſunt reputanda ſufficere, longè minus pauciora ſufficient; Non ſufficere autem quatuor, imo & longè plura corporum genera, ad tantam rerum varietatem, quanto in Mundo cernitur, ex infra dicendis clariùs percipietur. Interea verò concipere potes, uti ex una litera non niſi unam faciem habes, ut *A*; ex duabus, niſi duos, *Am*, *Ma*; ex tribus niſi ſex, ut *Amo*, *Aom*, *Mao*, *Moa*, *Oam*, *Oma*; ex quatuor, niſi viginti quatuor, ut *Amor*, *Amro*, *Mora*, *&c.* ita ex uno Corpore ſimplici, quantumvis verſetur, non poſſe unquam fieri niſi unum, ex duobus commiſtis niſi duo, hoc eſt, unum compoſitum, quod prout erit rarius aut denſius, aut habebit amplius ex uno, quàm ex altero, ad unius magis, quam ad alterius naturam accedat: Ex tribus pari ratione, niſi ſex: Et quatuor, niſi viginti quatuor. Et commuta ſitus, commuta gradus, verſa, ac reverſa quàntum voles omnia; ſemper tamen erunt eadem genera; ac omnino denique ad varietatem rerum innumerabilem, neceſſaria eſſe Elementa ſeu Principia varietate Innumerabilia. *Gaſſendus.* Creech. Verbi gratia, Archelaus, qui aërem & eam, quæ circumfuſa eſt, denſitatem, & eam, quæ circumdata eſt, raritatem, id eſt ignem, & aquam vult

Et qui Quatuor ex rebus poſſe omnia rentur,
Ex Igni, Terrâ, atque Animâ procreſcere, & imbri:
Quorum Acragantinus cumprimis EMPEDOCLES eſt:

Inſu-

INTERPRETATIO.

& qui è quatuor Elementis Igne, Terra, Aëre, & Aqua omnia produci tradiderunt: Inter quos eminet Empedocles Acragantinus, Philoſophus ille,

VARIÆ LECTIONES.

716. *Terra atque anima.* Terra, vento procreſcere Bm. X. Terra atque omnia Q.
717. *Acragantinus.* Agrigentinus A. B. D. Agragantinus G. Y. Z. *ſed in* Z. *corr.* Agrigentinus.

NOTÆ.

vult eſſe principia rerum. *Conduplicant.* Quales fuerunt, Xenophanes, qui terram & aquam ſtatuit; Parmenides, Ignem & terram; Oenopides Chius, & Ignem & aërem; Hippo Rheginus, ignem & aquam. Quae omnes opiniones ſtare poſſunt; niſi argutari libeat. Sed non ſemper veteribus aequi ſumus. FAB.

714. *Aëra jungentes Igni*] Oenopides Chius, *Terramque liquori*, Xenophanes. Armenides autem Ignem Terræ junxit; Hippo Rheginus, atque Archeläus Ignem junxerunt Aquæ, & Onomacritus Ignem, Aquam & terram ſimul poſuit rerum Primordia. *Fayus.* CREECH.

714. *Terramve liq.*] Ut Parmenides. LAMB

716. *Ex igni, terrâ &c.*] Apud Servium ad Ecl. Virg. VI. vſ. 31. ut & ad I. Æn. verſ. 127. legas,

Ex igni, terra, atque anima naſcuntur, & imbri.

pro *procreſcere.* Sed ita Grammatici nonnunquam teſtimonia veterum Poëtarum adducentes, aliquod verbum pro inſtituto ſuo & commodo mutant, ſuæque orationis filo accommodant. Hunc locum reſpicit Lactant. Inſt. Div. II. c. 13. *Empedocles, quem neſcias, utrumne inter Poëtas, an inter Philoſophos numeres, qui in Rerum Natura verſibus ſcripſit, ut apud Romanos Lucretius & Varro, quatuor elementa conſtituit, id eſt: ignem, aërem, aquam, & terram: fortaſſe Triſmegiſtum ſecutus, qui noſtra corpora ex his quatuor elementis conſtituta eſſe dixit a Deo.* HAV.

716. *Atque anima*] Atque ex aëre Virg. in Sileno: 32.

Namque canebat uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animæque mariſque fuiſſent, LAMB.

716. *Imbri*] Poſt hoc verbum octodecim verſuum hyperbaton eſt, uſque ad, *Hic tamen,* &c. FAB.

717. *Agrigentinus*] Quidam libri: *Agragantinus*, quidam: *Agragentinus.* GIF. *Acragantinus.* Duo cod. Manuſcript. habent, *Agrigentinus:* Bertin. & Memm. *Agragantinus:* Vatic. *Agragentnus. Acragas* fluvii & oppidi nomen eſt. dictum autem oppidum a fluvio eſt. LAMB. Acragas in meridiana Siciliæ parte, hodie *Grigenti, Gergenti,* &c. FAB.

717. *Empedocles*] Vixit Olympiad. LXXX. Epicharmo æqualis. Laërt. Gyraldus, & nos in poëtis Græcis, qui mox Gallico ſermone prodibunt. FAB. Metonis filius, ut aliis placet Archinomi, ut aliis Exeneti, ſed omnes fatentur Acragantinum eſſe: floruit Olymp. 84. eleganti Carmine de rerum Natura ſcripſit, docuitque omnia è quatuor Elementis *Igne, Aqua, Aëre & Terra* componi, & in ea iterum reſolvi. Ἐμπεδοκλῆς Μέτωνος Ἀκραγαντῖνος Τέσσαρα μὲν λέγει στοιχεῖα, Πῦρ, Ἀέρα, Ὕδωρ, Γῆν: δύο δὲ ἀρχικὰς δυνάμεις, φιλίαν τε καὶ νεῖκος, ὧν ἡ μὲν ἐστιν ἑνωτική, τὸ δὲ διαιρετικόν. Plutarchus de Placit. Philoſ. lib. I. c. 3. CREECH.

718. *Triquetris*] *Triquetra* Sicilia vocatur a Latinis quoniam habet tria promontoria. Dicitur enim *triquetra* ut placet Quintiliano quaſi *triquadra. Trinacria* ſeu *Trinacris* quod habeat tria ἄκρα, hoc eſt promontoria, vocatur a Græcis: & ut inquit Plinius *a triangula ſpecie.* Ovidius lib. IV. Faſtor. circa medium:

Trinacris a poſitu nomen adepta loci.

PIUS. Siculis. Sicilia enim dicta eſt *Triquetra* à tribus promontoriis, Peloro, Pachyno, Lilybæo, *Triquetram* dictam eſſe *quaſi Triquadram* à *tribus*

Inſula quem Triquetris terrarum geſſit in oris :
Quam fluitans circum magnis amfractibus aequor
Ionium glaucis adſpergit virus ab undis :

Angu-

INTERPRETATIO.

quem nutrivit Inſula tribus Promontoriis nobilis, & quam Ionium mare magnis & ſinuoſis flexibus circumfluens à cæruleis aquis ſalem ſpargit,

VARIÆ LECTIONES.

719. *amfractibus æquor.* ac fractibus longi G. ac fractibaequor Z. *ſed in Marg. corrigitur in* amfractibus.

720. *Ionium glaucis.* Ionio & Libycis H 2. priſc: codd. *Pii.* *Adſpergit virus.* adſpergit littus, A. B. C. D. E. B m. I. N. P. Q. X. aſpargit virus G. Y. Z. *ſed in* Z. *corr. in* aſpargens.

NOTÆ.

tribus ſedibus indicat Quintilianus lib. I. cap. 6. dicitur & Θρινακία à Græcis, quaſi τρινακρία ; ſeu à *Thrinaco* quodam Siciliæ tyranno. Horat. Satyr. 6. lib. 2. v. 55.

--- militibus promiſſa, Triquetra
Præmia Cæſar, an eſt Itala tellure daturus?

Lamb. Notandum genus dicendi, *Quem inſula geſſit in oris triquetris terrarum.* pro, inſula triquetra geſſit, *&c.* Sicilia autem triquetra dicitur quaſi τριχέδρα; eſt enim ad figuram τοῦ Δ. accedens, & tria ἄκρα habet, Pelorum ad Septentrionem, Pachynum Orientem verſus, Lilybæum, ad Meridiem & Occidentem. Fab. His v. 18. Siciliam, Empedoclis patriam deſcribit, illumque egregia laude ornat. Creech. Ad locos quos collegit Lamb. addi poteſt Juſtin. lib. IV. c. 2. *Siciliæ primo Tinacriæ nomen fuit.* Plin. Nat. Hiſt. III, 8. *Trinacria pluribus, aut Triquetra a triangula ſpecie.* Iſidorus Orig. XIV. 6. & alii. Hav.

718. *Geſſit*] Vide Ind. Gifanii : *Gerere.* Sed cave credas. Preig.

719. *Amfractibus*] Circuitionibus fractis. Cicero, *Longo amfractu circumſcripta oratio.* idem, *Solis amfractu.* Virgil. lib. II: 522.

Eſt longo amfractu valles accommoda fraudi.

am enim in junctura ſignificat plerumque circum, ut *anquirere, ambire, ambuſtus, ancilia, hoſtiæ ambaruales.* Lamb.

720. *Ionium glaucis aſpergit littus ab undis*] Ita hunc locum interpungendum putavi, ex quibuſdam libris. Quidam : *virus ab undis.* Quidam: *Ionio.* Gif. *Ionium glaucis aſp. virus ab u.* Hic verſus variè ſcriptus eſt in veteribus exemplaribus, & vulgatis codicibus. Nam libri Faer. & Tett. & Bertin. habent,

Jonium glaucis aſpergit virus ab undis,

aut *in undis.* Vatic. & Memm. *litus ab undis.* quibuſcum conſentiunt Ald. antiq. Pariſ. Vicetini. Veneti autem recentiores, & utrique Lugdunenſes, & Florentini,

Ionio & Libycis aſpergit litus ab undis.

ego hanc ſcripturam proximam adulterinam eſſe puto : illam ſuperiorem, germanam, eamque jam in ſecunda editione ſecutus ſum. *Virus* autem ſignificat cujuſque rei humorem & virtutem naturalem, ut docet Nonius. Lamb. Majorem enim Siciliae partem mare Ionium alluit. *aſpergit* autem poſitum pro *adfundit.* Fab. *Ionio.* Magnam enim Siciliæ partem Mare Ionium alluit: Quidam legunt,

Ionio, & Lybicis aſpergit littus ab undis.

Alii *Ion. g. a. Littus ab undis.* Optimi Codd. *Virus.* *Virus* autem non Humores, ut Lambinus & Faber ſentiunt, ſed *Salem* denotat ; Sic lib. V. 475. *tetrum virus,*

Linquit enim ſupera tetri primordia Viri
Aſpera -- -- Creech.

Sic lib. II. verſ. 475.

--- --- Tetri primordia viri

& Lib. V. verſ. 270.

Percolatur enim virus, &c.

Lucanus lib. X. verſ. 124.

--- Tyrio quorum pars maxima ſucco
Cocta diu, virus non uno duxit aheno.

Adde Virg. III. Georg. 281. 419. Preig.

Anguſtoque fretu rapidum mare dividit undis
Aeoliae terrarum oras à finibus ejus:
Hîc eſt vaſta Charybdis, & hîc Aetnea minantur
Mur-

INTERPRETATIO.

& à cujus finibus violentum æquor anguſto freto dividit Italiam. Hic eſt ſæva Charybdis, & hîc mons Ætna terribili murmure minatur

VARIÆ LECTIONES.

722. *fretu.* fretus Q 1. *undis.* imas Q 1.
723. *Æoliæ.* Haeliæ G. Y. Z. *ſed in* Y. *ſuperſcrib.* Aeoliæ. Italiæ *Reliqui. terrarum.* Ita a. B. C. E. G. I. N. P. Q. Y. Z. Terrai *Lamb. & Alii.*

NOTÆ.

720. *Virus*] Recte; adſtipulantibus optimis membranis ut & L. B. non *littus.* ſignificare vero ſalſedinem & amarorem maris dudum docuit Turneb. XIX. 15. HAV.

721. *Fretu*] *Freto.* figura loquendi priſcorum. qui *lauru*, pro *lauro* dicebant & multa hujuſmodi. hunc locum citat Priſcianus in MS. ſic. *Multa præterea vetuſtiſſimi etiam in principalibus mutabant ſyllabis: gumgrum pro chongrum, chumchim pro comchim: huminem pro hominem, proferentes, funtes pro fontes, frundes pro frondes. unde Lucretius in primo libro.*

Anguſtoque fretu rapidum mare dividit undis.

pro freto. Gellius libro. XII. cap. 20. Noctium Atticarum. *Marco Ciceroni mollius teretiuſque viſum eſt in quinta in Verrem fretu ſcribere quam freto: peranguſto inquit fretu diviſa. Erat enim craſſius vaſtiuſque peranguſto freto dicere. Itidem in ſecunda ſimili uſus modulamine. Manifeſto inquit peccatu: ſicuti* Ennius *rectos cupreſſos* dixit contra receptum vocabuli genus p. 135. hoc verſu.

Capitibus nutantes pinos: rectoſque cupreſſos.

Firmior ei credo & viridior ſonus eſſe vocis viſus eſt *rectos* dicere cupreſſos quam *rectas.* Contra vero idem Ennius *ære fulva* dixit. & Homerus κέρα βαθεῖον. PIUS. Producit hunc verſum teſtem Priſc. libr. 1. aitque *fretu* poſitum eſſe pro *freto*: ut *Acherunta* pro *Acheronta*, & *frundes* pro *frondes.* & ita M. Tull. Verr. 5. *Sicilia peranguſto fretu diviſa.* Sicilia autem erat olim Italiæ continens, & agro Brutio annexa: poſt vi maris, quod nunc *Siculum* dicitur, abſciſſa, atque abrupta eſt ad *Rhegium*: quod a verbo ῥήγνυμι, id eſt *frango.* dictum eſt. Sed tamen *fretus, us,* in uſu eſt. idem Lucr. lib. 6: 363.

Nam fretus ipſe anni permiſcet frigus, &c.] Arnob. lib. 1. Adverſ. Gent. *Et tamen, ô iſti, qui pollutas res noſtras vitiorum criminamini: ſtribiligines & vos iſtas libris illis in maximis atque admirabilibus non habetis? Nonne aliud hæc utria, aliud dicitis hos utres? cœlus, & cælum? non item filus & filum? non item crocus & crocum? non item fretus & fretum?* &c. LAMB. *Fretu*, Ita hunc locum legerunt veteres magiſtri; quos inter Priſcianus. quin & eadem flexione uſus Cicero eſt. FAB. Pro *freto*, ut docet Voſſ. de Anal. lib. II. c. 17. Imitatus hunc locum nobilis Geographus Pomponius Mela lib. II. c. 7. *Id anguſtum & anceps alterno curſu modo in Thuſcum, modo in Ionium pelagus perfluit, atrox, ſævum, & Scyllæ Charybdiſque ſævis nominibus inclutum.* HAV.

721. *Rapidum mare*) Fretum Siculum, Italiam ab inſula diſpeſcens. FAB.

723. *Italiæ terrai oras*] Sic legendum, non *Italiæ terrarum.* ſic enim loquuntur Latini, *Italia terra, Campania terra, Gallia terra, &c.* Verumtamen alteram ſcripturam non damno. LAMB. *Italiae terrarum oras*] Ita omnes libri Vet. Lambinus: *terrai*, bene quidem, ſed libros poſco. GIF. *Italiæ Terrai. Terra Italia, terra Gallia, terra Umbria, terra Græcia, terra Apulia*; ſic fere ſemper veteres. Exempla paſſim apud Plautum & Varronem, Lucretio σύγχρονον. FAB. Ita Lambinus, *Italia* enim *Terra, Campania terra, Gallia Terra*, apud Veteres occurrunt; *Terrarum* Codd. Quidam è MSS. legit *Æoliæ*, ea enim, quam Jocaſtes Æoli filius ad fretium Siculum habitabat, pars olim dicta eſt *Æolia*: CREECH. *Italiæ. Hæliæ* ex Gottorp. codd. refert nuperrima Lond. Ed. in Var. Lect. *Æoliæ* ex MSS. Marg. noſtra: addita hac notula: *Sic & in iiſdem* MSS. TERRARUM *repperi*; ut & ed. *Gifanii.* Additur: *Ea, quam Jocaſtes Æoli filius ad*

Murmura flammarum rurſum ſe conligere iras,
Faucibus eruptos iterum ut vis evomat igneis;
Ad coelumque ferat flammaï fulgura rurſum:

Quae

INTERPRETATIO.

ſe Iras flammarum collecturum, ut immani impetu ejectos faucibus ignes eructaret; Ignitumque fulgura in ſublime, uſque ad Cœlum, iterum eveheret.

VARIÆ LECTIONES.

724. *rurſumſe conligere iras.* rurſum collidit ſe iras Q1. rurſumque ſe conligere iras X. rurſum colligere iras Z. *ſe* deeſt G. D.

725. Deeſt *ut* B. Q. *eruptos.* eructos Q *&* *Cod. Pii antiqui pro* eructatos G. *ut vis evomat.* vis ut omniat ignis G. Y. vis ut omneat Bm. vis ut omniat ignes Z. vis ut vomat L. V. ut *abeſt* X.

726 *ferat.* ferant A. B. P. *flammai.* flammarum Q. flammari X. *flamme* Y. *ſed ſuperſcrib.* flammarum. *rurſum.* ſurſum F. V. curſum Q.

NOTÆ.

ad Fretum Siculum inhabitabat, pars dicta ÆOLIA. Nanſii, Voſſii an alterius cujuſdam viri docti ſit, non liquet. PREIG. *Æoliæ terrarum.* Ita ſcribi debere docent conſtanter MSS. Lugd. Bat. quorum auctoritate ita repoſuimus. adde Creichium. HAV.

722, *Ejus*] Siciliæ nempe, quæ circa tempora Joſuæ, uti in Epiſtolis nuper oſtendimus, vi Superi maris à reliquo Italiæ corpore divulſa fuit. FAB.

723. *Hic eſt vaſta Charybdis*] In freto Siculo ad oram Siculam; nam erravit Ovidius qui ad oram Italicam ſtatuit; in eum errorem à Virgilio inductus eſt, quem non ſatis attente legerat, immemor deſcribi à Marone navigationem à Græcia in Italiam; tunc enim Charybdis ad latus ſiniſtrum jacet. FAB. *Vaſta charybdis.* quæ fuit aquarum vorago. Homer. Οδ μ. 104.

--- *δῖα χάρυβδις ἀναῤῥοιβδεῖ μέλαν ὕδωρ.*

Virg. lib. 3.

--- *ter gurgite vaſtos*
Sorbet in abruptum fluctus.

LAMB.

723. *Etnæa min.*] De Ætna, & ignibus, ac murmuribus Ætnæ, lege l. 6. Lucret, ibi:

Nunc ratio quæ ſit &c. LAMB.

724. *Murmura flammarum, &c.*] Unius vocabuli *ſurſum* ingrata iſta repetitio, ac per *iterum* reciprocatio, mirum ſi nullius paulo Elegantioris aures offenderit. Præſertim quum multa ſuppeditent variantes, quas præ manu habemus, lectiones. Tentemus aliquid; Lego:

Et hic Ætnæa minantur
Murmura flammarum ſurſum ſe conligere iras,
Faucibus eruptos vis omnis ut evomat igneis,
Ad coelumque ferant flammai fulgura curſum.

ſurſum-iras, ut apud Terent. *Semper-lenitas. Minantur* hoc eſt monent, neque fulgura *in* vel *ad Coelum curſum ſuum ferre* minori elegantia dicuntur, quam lib. VI. verſ. 325.

---- *Magnum conamen eundi Sumere.* PREIG.

724. *Rurſum ſe conl.*] Nam Ætna aliquando vicinas urbeis cineribus & favillis obruiſſe dicitur: aliquando tantam vim cineris & favillarum ejeciſſe, ut vicini biduum tenebris ſepulti viderentur. M. Tull. de nat. Deor. lib. I. *Nos autem tenebras cogitemus tantas, quantæ quondam eruptione Ætnæorum ignium finitimas regiones obſcuraviſſe dicuntur, ut per triduum nemo hominem homo agnoſceret: cum autem tertio die ſol illuxiſſet, tum, ut revixiſſe ſibi viderentur.* idcirco dixit *rurſum.* Alii legunt *ſurſum:* quibuſcum non pugnabo. LAMB. Propter tot exempla antiquarum cladium quas Ætnæ incendium importaverat. FAB.

725. *Faucibus*] *Crateribus:* ſic enim eas *fauceis* appellant Græci. idem Lucr. lib. 6: 701.

In ſummo ſunt ventigeni crateres, ut ipſi
Nominitant, nos quæ fauceis perhibemus, &
ora. LAMB.

725. *Eruptos*] Emiſſos. notandum participium *eruptos*, ab abſoluto verbo *erumpo.* LAMB. Notandum, inquit Interpres, *eruptos* ab abſoluto verbo. Tamen exempla alibi ſunt, quæ vel u-

 nus

Quae quom magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio, viſendaque fertur,
Rebus opima bonis, multa munita virûm vi:
Nil tamen hoc habuiſſe Viro praeclarius in ſe,
Nec ſanctum magis, & mirum, carumque videtur.

Car-

INTERPRETATIO.

Quæ Inſula licet multas propter cauſas hominibus admirabilis, & digna quæ viſatur, ſit, bonarum omnium rerum plena, & Incolarum multitudine munita, nihil tamen auguſtius, admirabilius, aut præclarius hoc Philoſopho continuiſſe unquam videtur.

VARIÆ LECTIONES.

727. *videtur.* videntur C, P. Y. *in notis* P. videtur.

729. Poſt hunc verſum ſequuntur 732. 733. poſtea 730. 731. deinde hiatus uſque ad 786. G.

731. *carumque.* clarumque F.

NOTÆ.

nus Virgilius multa dabit. *Erupti nubibus ignes, Proruptus corpore ſudor.* Deinde, quod nec Lamb. nec Gifan. cogitarunt, *erumpo* & *prorumpo*, ab origine prima non minus activa fuerunt, quam *abrumpo* & *corrumpo.* Fab. Sic Virgilius Æn. 3: 199. & 7: 459.

---- *Erupti nubibus Ignes.*
---- *Proruptus Corpore Sudor.* Creech.

725. *Iterum vis*] Ita vet. libri elegantiſſime. Vulgati: *ut vis.* Gif.

726. *Ferant*] Hoc elegantius. Et ita quidam libri. In aliis: *ferat.* Gif.

727. *Fulgura*] Fulgores. nam apud hunc poëtam *fulgur*, & *fulgor* pro eodem ponuntur. Lamb. Sæpe alibi pro fulgores. Fab.

727. *Magna modis mult. miranda*] *Magna*, *miranda*, duo epitheta ἀσυνδέτως poſita. Lamb.

727. *Videtur*] Sic legendum, non, ut in vulgatis, *videntur.* Lamb.

727. *Cum videtur, cum fertur*] Ita loquebantur pro, *cum feratur*, *videatur*, &c. ſæpe alibi Lucretius. Fab.

729. *Rebus Opima bonis, &c.*] Multis Codd. hic verſus deſideratur: *Fayus:* Ille viz. Summæ induſtriæ & perſpicacitatis Vir multos evolvit libros, quos neque Lambinus, neque Gifanius, neque alii viderunt. Creech. Iſidorus Orig. xiv. 9. *terris frugifera, auro abundans.* Hav.

730. *Nil tamen hoc habuiſſe*] Vide apud Diog. Laërt. multa de Emped. quæ hoc loco referre longum ſit. Non poſſum tamen mihi temperare, quin verſus ejus graviſſimos, quibus poëtas inſectatur, qui membra humana Diis affinxerunt, pon m, à me apud Ammonium repertos, commentario περὶ ἑρμηνείας, τμήμ. δ. ubi oſtendit. Deos eſſe meras energias natura, & eſſentia ſua, non ex poteſtate & habitu proficiſcenteis, ut humanas. ſic autem ille tandem: Διὰ ταῦτα δὲ ὁ Ἀκραγαντῖνος σοφὸς ἐπιῤῥαπίζων τοὺς περὶ Θεῶν, ὡς ἀνθρωποειδῶν ὄντων, παρὰ τοῖς ποιηταῖς λεγομένους μύθους, ἐπήγαγε προηγουμένως μὲν περὶ Ἀπόλλωνος, περὶ οὗ ἦν αὐτῷ προσεχῶς ὁ λόγος, κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ περὶ τοῦ θείου παντὸς ἁπλῶς ἀποφαινόμενος.

Οὔτε γὰρ ἀνδρομέῃ κεφαλῇ κατὰ γυῖα κέκασται,
Οὐ μὲν ἀπαὶ νώτων γε δύω κλάδοι ἀΐσσουσιν,
Οὐ πόδες, οὐ θοὰ γοῦν', οὐ μήδεα λαχνήεντα,
Ἀλλὰ φρὴν ἱερὴ, καὶ ἀθέσφατος ἔπλετο μοῦνον,
Φροντίσι κόσμον ἅπαντα καταΐσσουσα θοῇσι.

id eſt, *Propter has cauſas Agrigentinus ſapiens inſectans & exagitans poëtarum fabulas, quæ de Diis narrantur, tanquam humana forma præditis, ſubjecit præcipue quidem de Apolline, de quo inſtitutus ei erat ſermo, ſed eodem modo de omni eſſentia divina ſimpliciter & abſolutè pronuntians*, Οὔτε γὰρ, &c. Quorum verſuum hæc fere ſententia eſt: Deos neque caput humanum habere, neque brachia ex humeris apta, neque pedes, neque genua, neque inguina hirſuta, ſed mentem ſacram & divinam duntaxat, & cogitationibus celeribus univerſum mundum moventem. Lamb.

731.

Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, & exponunt praeclara reperta;
Ut vix humana videatur ſtirpe creatus.
Hic tamen, & ſupera quos diximus, inferiores
Partibus egregie multis, multoque minores:

Quan-

INTERPRETATIO.

Carmina etiam illius divina adeo luculenter exponunt, & explicant egregia ejus dogmata & inventa, ut illum vix humana ſtirpe natum jure exiſtimemus: Hic tamen, aliique quos ſupra memoravimus, Philoſophi illo longè inferiores, & multo minores,

VARIÆ LECTIONES.

735. *ſupera.* ſupra *Alii.* H 1. verſus uſque verſum 785. deſunt in Z.

NOTÆ.

731. *Carumque*] Pluriſque faciendum: τιμιώτερον; repetendum enim ἀπὸ κοινοῦ *magis.* alii libri habent, *clarumque.* Lamb. Al. *carum.* id erit Græc. τίμιον. ſed malim *clarum.* Fab. *Carumque.* Pluris faciendum, τιμιώτερον: *Clarumque* Alii legunt, & probat *Faber*, quaſi Lucretius dixiſſet, Nihil habuit *præclarius,* & *magis clarum.* Creech.

731. *Videntur*] Scribe *videtur*; hoc eſt Sicilia ejus Carmine. Pius.

732. *Quinetiam*] Ὁμηρικὸς Ἐμπεδοκλῆς, καὶ δεινὸς περὶ φράσιν γέγονε, μεταφορικός τε ὤν. καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς περὶ ποιητικὴν ἐπιτεύγμασι χρώμενος. Ariſtot. ἐν τῷ περὶ ποιητικῶν. Laërtius. Creech.

733. *Vociferantur*] Oſtendunt, probant. Ita Ariſtoph. αὐτὸ χρῆμα βοᾷ, quod alii imitati ſunt. Fab. Quia ſublime & grandiloquum dicendi genus in poëſi ſua ſecutus eſt Empedocles. Hujus fragmenta collegit in Poëſi Philoſophica Henricus Stephanus. Hav.

733. *Reperta*] Εὑρήματα. *Inventa,* ſeu *inventiones.* Fab.

734. *Ut vix hum.*] Immortale divini viri teſtimonium, tanto magnificentius, quod ob illo profectum, qui hoc in loco contra ejus ſententiam ire parat. Nec abſimile apud Jamblichum de Pythagora. is p. 120. Ed. Kuſter. Ταῦτά τε οὖν λέγουσι πρὸς πίστιν, καὶ ἄλλα τοιαῦτα· ὡς δὲ τούτων ὁμολογουμένων. καὶ ἀδυνάτου ὄντος περὶ ἄνθρωπον ἕνα ταῦτα συμβῆναι, ἤδη οἴονται σαφὲς εἶναι, ὅτι ὡς περὶ κρείττονος ἀποδέχεσθαι χρὴ τὰ περὶ ἐκείνου λεχθέντα, καὶ οὐχὶ ἀνθρώπου. id eſt: *Hæc igitur, aliaque id genus commemorant, fidei conciliandæ: cumque iſta in confeſſo ſint, nec fieri poſſit, ut in unicum hominem congruant; hinc jam liquere autumant. quod dicta de illo, non tanquam de homine, ſed tanquam de Numine quodam accipienda ſint.* Hav.

735. *Hic tamen & ſupra &c.*] v. 8. Egregium fuiſſe Philoſophum *Empedoclem* fatetur, *Heraclito,* & Aliis quos ſupra refutaverat, maximis licet viris, & quibus tutius quam ulli Deorum oraculo credamus, majorem: hunc tamen principia rerum non rectè ſtatuiſſe plurimis argumentis demonſtrare aggreditur. Creech.

735. *Inferiores*] Empedocle. Lamb.

736. *Egregie multis*] Valde, impenſe, &c. Rhetor ad Herennium lib. III. *Nec egregie magnam eſſe utilitatem audacter pronuntiaverunt.* Paulo poſt: *At ſi quid videmus aut audimus egregie turpe aut honeſtum.* Itaque *egregie turpe* idem ferme fuerit, quod paulo poſt *unicam turpitudinem* vocavit. Notanda hæc fuerant ab Interpretibus. Fab.

736. *Ex adyto tanquam cordis*] Ex animi receſſu: ex animi penetralibus. ἄδυτον vox Græca, compoſita à privativa particula α, & δύω, quod valet *ingredior.* Sunt enim ἄδυτα eæ templi partes, quæ ſunt abſtruſæ, & quas intrare profanis non licet. Dixit autem, *tanquam ex adyto*, ut ſit εἰκών. Lamb. Lucanus IX. Pharſ. verſ. 565.

Ille deo plenus tacita quem mente gerebat,
Effudit dignas adytis e pectore voces.

Preig.

 738.

Quanquam multa benè, ac divinitus invenientes,
Ex adyto tanquam cordis reſponſa dedêre
Sanctius, & multò certa ratione magis, quam
Pythia, quae tripode ex Phoebi, lauroque profatur,
Principiis tamen in rerum fecêre ruinas,

Et

INTERPRETATIO.

quamvis plurima feliciter & divinitus commenti quaſi ex adyto pectorum reſponſa dederint Sanctiora, & certiora, quam Pythia, quæ ex lauro & tripode Phœbi fatur, in rerum principiis graviter lapſi ſunt; magnique viri magno caſu ceciderunt:

VARIÆ LECTIONES.

737. *bene.* bone O.
740. *Tripode ex Phœbi.* tripode a Phœbi P. *in not.* Q 1. tripodis Phœbi Q 2. X. tripodia Phœbi Y.
742. *caſu.* niſu Q 1.

NOTÆ.

738. *Reſponſa dedere*] Sic M. Tull. 2. de Finibus loquens de Epicuro: *In alio libro, ubi breviter comprehenſis graviſſimis ſententiis quaſi oracula edidiſſe ſapientiæ dicitur.* Lamb.

740. *Ex Phœbi*] Quidam veteres: *dio.* Gif. Cod. Memm. habet, *tripode ex dio.* de tripode Apollinis, & de lauro, lege interpretem Ariſtoph. ad illum locum, in Pluto vſ. 39.

Τί δῆθ' ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων;

ubi ille, *laurum*, inquit, *gerebat Pythia, & tripodes ipſi coronati erant.* & Diodorum Siculum l. 16. pag. 523. Lamb.

741. *Fecere ruinas*] Sic Ariſt. l. 1: φυσικ. Ζητοῦντες γὰρ οἱ κατὰ φιλοσοφίαν πρῶτοι τὴν ἀλήθειαν, καὶ τὴν φύσιν τῶν ὄντων, ἐξετράπησαν. id eſt, *Primi illi philoſophi veritatem & naturam rerum quærentes, everſi ſunt, ſeu graviter ceciderunt.* nam verſum proximè ſequentem, *Et graviter magni magno cecid. ibi caſu*, puto eſſe declarationem, ſeu ἑρμηνείαν, hujus verſus, καὶ ἐπεξήγησιν. Sed cur non dixit *magnum cecidere ibi caſum*, ut l. 3: 380. *Senſiferos motus movere?* Lamb. Κατεσχλίησαν. corruerunt, ceciderunt. Fab.

742. *Ibi*] Circa illam quæſtionem, illud argumentum. Fab.

743. *Primum, quod motus, &c.*] Aggreditur refutationem primò v. 4. Quod tam Empedocles, quam cæteri plurium Elementorum aſſertores *Inane* perindè, ac ſuperiores rejiciant, & Motum tamen, Raritatem Mollitudinem, quæ ſine *Inani* eſſe nequeunt, admittunt. Creech.

746. *Admiſcent in eorum Corpus,*] *Admiſtum rebus:* & *Admiſtum in rebus*: Sæpe Lucretius: Quidni igitur legamus. *Corpore?* Creech.

747. *Deinde quod omnino finem, &c.* Secundo v. 7. quod velint omne Corpus eſſe infinitè dividuum, ſecus quam Lucretius antè oſtenderit, & nunc eodem, quo uſus eſt Argumento v. 593. probat. Alia Plutarchus de Placit. Philoſ. lib. 1. cap. 13. Εμπεδοκλῆς πρὸ τῶν τεσσάρων στοιχείων θραύσματα ἐλάχιστα οἱονεὶ στοιχεῖα, πρὶν στοιχείων, ὁμοιομερῆ, ὅπερ ἐστὶ στρογγύλα: Ηράκλειτος ψηγμάτιά τινα ἐλάχιστα, καὶ ἀμερῆ εἰσάγει. cap. 17. Εμπεδοκλῆς δὲ ἐκ μικροτέρων ὄγκων τὰ στοιχεῖα συγκρίνει, ἅπερ ἐστὶν ἐλάχιστα, καὶ οἱονεὶ στοιχεῖα. Et lib. 4. Empedoclem cum Epicuro jungit: Εμπεδοκλῆς δὲ, καὶ Επίκουρος, καὶ πάντες ὅσοι μετὰ συναθροισμὸν τῶν λεπτομερῶν σωμάτων κοσμοποιοῦσι. Creech.

748. *Pauſam*] Id eſt quietem, finem, παῦλαν, παῦσιν. Lucill. ſat. l. 1.

Hæc ubi dicta dedit, pauſam facit ore loquendi.

Ennius apud Var. l. 9. de ling. Lat.

--- --- *pauſam fecere fremendi.*

Lucret. l. 3: 872.

Inter enim jecta eſt vitai pauſa.

& l. 4: 1109.

Parva fit ardoris violenti pauſa parumper.

Plaut. Ruden. 4: 6: 1.

Aliquando oſculando melius eſt uxor pauſam fieri.

Ar-

Et graviter Magni magno cecidêre ibi caſu:
Primum, quod motus, exempto rebus inani,
Conſtituunt, & res molleis, raraſque relinquunt,
Aëra, Solem, Ignem, Terras, Animalia, Frugeis:
Nec tamen admiſcent in eorum corpus Inane.

Dein-

INTERPRETATIO.

Primò quòd Motum poſſe eſſe dicunt, licet nullum ſit inane; Deinde quod res Molles raraſque quales ſunt Aër; Ignis, Terra, Animalia, Fruges, agnoſcunt, non tamen iſtarum rerum Corpora aliquod Inane *continere concedunt.*

VARIÆ LECTIONES.

743. *quod.* quo B. I. Q. 2. X. qui Q. 1.
746. *corpus.* corpore C 2.
747. *Deinde quod omnino.* denique & omnino H 1. denique quod Q. Denique quod finem omnino non poſſe ſecandis Q. 1.

NOTÆ.

Arnob. lib. 5. Adverſ. Gent. *Sed quid terrenis obvolviſſe vos ſordib. Deûm loquimur matrem, cùm ab Jovis ipſius maledictis nullam pauſam facere vel exigui temporis quiveritis?* A. Gell. l. 9. c. 13. ex Q. Claud. Quadrigario: *Is maximè prœlio commoto, atque utriſque ſummo ſtudio pugnantibus manu ſignificare cœpit, utrique ut quieſcerent pugnare. pugnæ pauſa facta eſt.* Lamb. Finem; A. Gellius l. 9. cap. 13. *Pauſa pugnæ facta eſt*; Ennius p. 168.

Hæc ubi dicta dedit, Pauſam facit ore loquendi.

Creech.

748. *Faciant*] Supponant, conſtituant. Fab.

748. *Fragori*] Id eſt frangendis corporibus. Lamb.

748. *Neque pauſam ſtare fragori*] Itaque fractionem dari ad infinitum: quam non admittebat Epicurus. Ceterum (*non eſt finis ſecandis corporibus,*) &, (*pauſa fragori non ſtat*) idem ſignificant. Fragor autem à *frago*, unde *frageſco* apud Accium duobus locis, pro *frangor*, ut à *tago*, *tagax*, *attigo*, &c. Fab.

749. *Nec prorſum in rebus minimum*] *Minimum* intellige, quo nihil minus eſſe poteſt, & ad quod cum perventum ſit, tum fiat cujuslibet corporis ſecandi finis, ut ſuprà diximus. Ad hunc locum pertinent ea quæ à Cicer. diſputantur ſub Varronis perſona, l. 1. Acad. quæſt. *Ex materia putant Peripatetici omnia expreſſa atque effecta; quæ tota omnia accipere poſſit, omnibuſque modis mutare, atque ex omni parte: eoque etiam interire non in nihilum, ſed in ſuas parteis, quæ infinite ſecari ac dividi poſſint, cùm ſit nihil omnino in rerum natura minimum, quod dividi nequeat.* Idem l. 1. de Finib. diſputans adverſus Epic. *Ne illud quidem phyſici eſt, credere aliquid eſſe minimum, &c.* Vult igitur Epic. aliquid eſſe in rebus minimum, nempe corpora prima: quæ ſcilicet jam ſecari aut dividi non poſſunt, eorumque ſententiam nunc refellit Lucret. qui negant quicquam in rebus eſſe *minimum.* lege, ſi tibi commodum eſt, quæ hac de re ſupra diximus. Lamb.

750. *Cum videamus id extremum*] Confer hunc locum cum illo ſuperiore 593.

Tum verò quoniam extremum quojuſque cacumen, &c.

Lamb.

750. *Conjicere ut poſſis*] Locus eſt aliquantum obſcurus: quem ſic declaro. *Conjicere ut poſſis ex hoc* extremo cacumine, *quod jam cernere* non potes, & quod ad ſenſus noſtros videtur eſſe *minimum*, id *extremum* eſſe *in rebus minimum*, quod extremum ipſæ res habent. Secutus autem ſum ſcripturam duorum codicum manuſcr. cum quibus congruunt Pariſienſes, & Veneti antiq. Nam cæteri codices habent.

Conjicere ut poſſis ex hoc, quæ cernere non quis, &c.

quam ſcripturam ſi quis probabit, ita erit explicanda: Conjicere ut poſſis ex hoc extremo, quod ex-

Deinde quod omnino finem non eſſe ſecandis
Corporibus faciunt, neque pauſam ſtare fragori;
Nec prorſum in rebus Minimum conſiſtere quidquam:
Quom videamus id extremum quojuſque cacumen
Eſſe quod ad ſenſus noſtros Minimum eſſe videtur:
Conjicere ut poſſis ex hoc, quod cernere non quis,
Extremum quod habent, Minimum conſiſtere rebus.

Huc

INTERPRETATIO.

Deinde quod Corporibus frangendis nullum terminum, neque finem diviſioni ſtatuunt: Nec in rebus eſſe aliquod Minimum concedunt. Cum videamus illud eſſe extremum rei cujuſque apicem quod noſtris ſenſibus Minimum *apparet; & inde facile poſſimus colligere id extremum rerum, quod nos videre non valemus, eſſe in Rebus* Minimum.

VARIÆ LECTIONES.

748. *faciunt.* facient H 1. Y.
749. *minimum.* nimirum Q. *quidquam.* quire Q 1.
750. *videamus.* videas X.
751. *Minimum.* nimium Q 1.
752. *conjicere.* conicere Q Y. *poſſis.* poſſet Q. *quæ.* quod Q. *quod.* quæ A. C. E. I. N. X.
753. *Minimum conſiſtere.* minimum in conſiſtere, *Gaſſ.* L. *Deeſt* minimum D. nimium. Q 1. *rebus.* abeſt Y.

NOTÆ.

extremum habent ea, quæ cernere non quis, eſſe aliquid minimum in rebus. LAMB.

752. *Quod*] *Quæ* Gifanius. Et in ſequenti verſu inter *Minimum* & *Conſiſtere* Lambinus legit *In.* Qui probant *Quæ* ita explicant: Conjicere ut poſſis ex hoc extremo, quod extremum habent ea quæ cernere non potes, eſſe aliquid *Minimum* in rebus. CREECH.

753. *Quæ cernere non quis*] Ita omnes veteres fere, quod omnino rectum eſt. Quidam veteres Marullus, & Vulgati: *quod.* GIF.

753. *Extremum*] Extremum illud eſſe τὸ ἐλάχιστον, de quo antea in rebus ὄντως conſiſtere. FAB.

753. *Minimum in conſ. r.*] Id eſt, minimum conſiſtere in rebus, ſeu minimum eſſe in rebus. Sic autem ſæpe loquitur Lucretius, κατ' ἀναστροφήν. LAMB.

754. *Huc accedit item, quod jam*] Sic reſtituendum exiſtimavi certiſſimis conjecturis ductus. alii libri habent, *quoniam primord.* LAMB.

754. *Quoniam primordia*] Id eſt. *quod.* ὅτι, Lambinus: *quod jam.* GIF.

754. *Huc accedit item*] Tertiò v. 6. quòd mollia, ac proinde mutabilia, & in Nihilum abitura Elementa faciunt: prima enim Corpora, ſi mutarentur, in Nihilum recidunt: *At è Nihilo Nihil*, & *in Nihilum Nihil* ſupra demonſtratum eſt. CREECH.

755. *Mollia*] Ignem, aquam, terram, aëra; FAB.

755. *Nativa*] Ergo pereunt; quare principia eſſe nequeunt. FAB.

756. *Atqui*] Gryphii Ed. *at qui.* ut & Heinſiana collatio altera. In Marg. autem Ed. Gryphianæ, nec non Heinſ. collatione prima, cod. MS. Bodlejano, & Ed. Pii: *utqui.* Forſan ſcripſit Lucretius: *utque*; & verſ. 754. illud *quoniam* retineri poterit, quod ex Lambini conjectura in *quod jam* mutatum; Gifanio autem idem valet, quod ὅτι, apud Græcos, ſed ſoli procul dubio.

Opti-

Huc accedit item, quod jam primordia rerum
Mollia conſtituunt, quae nos nativa videmus
Eſſe, & mortali cum corpore funditus; atqui
Debeat ad Nihilum jam rerum Summa reverti,
De Nihiloque renata vireſcere copia rerum:
Quorum utrumque quid à vero jam diſtet, habebas.
Deinde inimica modis multis ſunt, atque venena

Ipſa

INTERPRETATIO.

His addas, quod principia Rerum mollia conſtituunt. Mollia verò generationi & interitus penitus ob noxia eſſe cognoſcimus: Talia verò ſi ſint Principia, jamjam in nihilum recidiſſet tota rerum ſumma, & è Nihilo renata vigeret: Quantum autem utrumque horum à veritate abſit ſupra explicatum eſt. Deinde Illa quæ ſtatuunt principia ſunt multis modis contraria,

VARIÆ LECTIONES.

754. *quod jam.* quoniam A. B. C. E. I. N. P. Q. X. Y.
757. *Mollia.* talia conſtituunt Bm.
756. *mortali.* immortali X. *atqui.* at qui C. H2. ut qui c. H1. Bm. O. P. Q. X. Y. *in notis tamen Pius reponit*, atqui.
758. *vireſcere.* vigeſcere A. B. C. E. N. Q. V. X. Y.
759. *quid.* quod X. *habebas.* habebis P. E. N. Q. X.

NOTÆ.

Optimum enim ſenſum hi tres verſus fundent, ſi ita diſtinguas:

Huc accedit item (quoniam primordia rerum
Mollia conſtituunt, quæ nos nativa videmus)
Eſſe & mortali cum corpore funditus, utque
Debeat ad Nihilum jam rerum ſumma reverti,
De nihiloque, &c. PREIG.

758. *Vigeſcere*] Ita hic malui ex quibuſdam in Vet. nam *vireſcere* (quod in quibuſdam libris eſt) videtur inrepſiſſe ex loco ſupr. verſ. 675. GIF. *Vireſcere.* ſic ſuprà,

— — de nihiloque vireſcat copia rerum.

non diſſimulabo tamen, in quibuſdam libris legi *vigeſcere.* LAMB. *Vigeſcere:* Gif. Nard. Alii. Quibus non repugno. CREECH.

759. *Quid à vero, jam, diſtet, habebas*] Ordo eſt: *quorum utrumque*, nempe & rerum ſummam ad nihilum reverti, & ex nihilo res gigni, aut renaſci, quantum *à vero diſtet*, *jam habebas*, id eſt jam cognoviſti, vel paullo antè didiciſti. Sic autem reſtitui. mendosè enim legitur in vulgatis codicibus, & in nonnullis manuſcriptis, *habebis.* Eſt autem hic ſermo implicatus,

Quorum utrumque quid à vero: jam diſtet; habebas.

ſic enim dictum oportuit, ſi verſus pateretur:

Quorum utrumque quid à vero diſtet, jam habebas:

ut paullo antè diximus. quomodo interdum etiam loquuntur Græci, & verò liberius, & ſæpius. Soph in OEd. Tyr.

Μὴ νῦν ὀναίμην, ἀλλ᾽ ἀραῖος, εἴ σέ τι
Δέδρακ᾽, ὀλοίμην, ὧν ἐπαιτιᾷ με δρᾶν.

Nam hoc ordine verba collocari debuerunt,

Μὴ νῦν ὀναίμην, ἀλλ᾽ ἀραῖος ὀλοίμην,
Εἴ σέ τι δέδρακα ὧν ἐπαιτιᾷ κακῶν.

Sic iterum Lucr. libr. 2: 250.

Sed nihil omnino recta regione viai
Declinare, quis eſt, qui poſſit cernere, ſeſe?

Idem lib. 6: 175.

Fecit, ut antè, cavam, docui, ſpiſſeſcere nubem. LAMB.

759. *Habebas*] Quidam veteres, & noſter, & Lambini quidam libri *habebis.* Et ita quoque vulgati. GIF. Didiciſti. ut apud Plaut. Ter. *habes*, i. e. didiciſti. *Do.* pro doceo. *Accepi*, pro didici. FAB.

Ipſa ſibi inter ſe; Quare aut congreſſa peribunt,
Aut ita diffugient, ut tempeſtate coörta,
Fulmina diffugere, atque imbreis Ventoſque videmus.
  Denique Quatuor ex rebus ſi cuncta creantur,
Atque in eas rurſum res omnia diſſolvuntur,

Quî

INTERPRETATIO.

& ſibi invicem prorſus lethalia. Quapropter vel peribunt cum conveniant, aut ita diſſipabuntur ut fulmina, imbres, ventique contraria orta tempeſtate diſſipantur. Denique ſi è quatuor Elementis res cunctæ fiant, & in ea iterum reſolvantur,

VARIÆ LECTIONES.

762. *Coorta.* coacta a. B. C. D. E. Bm. Creech P. Q. X. Y.
763. *Fulmina.* flumina H 2. *diffugere.* diffugiunt Q 1.
765. *rurſum.* rurſus Y. *ſed corr. omnia.* omnes Q. *diſſolvuntur.* diſſoluuntur N.

NOTÆ.

760. *Deinde inimica modis multis ſ. atque venena*] *Deinde* (inquit Lucret.) hæc, quæ Empedocles, & qui ejus ſententiam ſequuntur, principia rerum eſſe volunt, *ſunt* inter ſe *inimica*, & quaſi *venena*, id eſt mortifera, & letalia. aqua enim cùm ſit humida, & frigidiſſima, cum igne maximè pugnat ſicco, & calidiſſimo: aër cùm ſit humidiſſimus, & calidus, cum terra pugnat aridiſſima, & frigida. præterea ignis cum aëre & terra pugnat: aër cum aqua: aqua cum terra. Sic autem Catull. Ruſum quendam *vitæ venenum* dixit. Lamb. Quartò v. 4. quòd Elementa contraria, ac proinde ſe mutuò peremptura, aut nunquam certè inter ſe coalitura inducant. Horum enim Elementorum fautores, veluti Patres familiâs ſingulis ſuas qualitates attribuunt, Calorem & Siccitatem alteri, alteri vero Humiditatem & Frigus, Humiditatem & Calorem Tertio; Quarto denique Siccitatem & Frigus: Ita hæc Elementa in mutuam perniciem armant, ab iis tamen nihil præter Pacem, Concordiam, & Fœdera exſpectant. Creech.

760. *Ipſa inter ſe ſe ſunt venena*] Alia aliis adverſa, Varro lib. 1. R. R. *Ejus enim ſalivam fructuis eſſe venenum.* Paulo autem ſuperius, plane ut Lucretius: *Quædam enim pecudes culturæ ſunt inimicæ ac veneno.* Alibi item c. 45. *venenum enim gelum radicibus tenellis.* ut alio neſcio quo loco, *talparum venenum.* Sed *venena formoſarum mulierum* in admirandis illis Afranii verſibus, longe aliud dicas. Fab.

762. *Ut tempeſt. coörta*] Sic legendum, non *coacta*, nam ſic loquuntur Latini M. Tull. Verr. 3. *Tantæ ſubitò tempeſtates coortæ ſunt.* Lucret. lib. 2: 552.

Sed quaſi naufragiis magnis, multisque coortis.

& lib. 4: 929.

Uſque adeò tetra nimborum nocte coorta.

Cæſar libr. 4. non longè ab extr. *Tanta tempeſtas ſubitò coorta eſt.* idem lib. 5. non longè à princip. *Qui nuntiarant, ſuperiore nocte maxima coorta tempeſtate propè omnes naveis afflictas.* Idem eod. lib. *Maximo coorto vento.* Lamb. *Coacta.* Sic recte omnes libri. Male ergo Lambinus: *coorta.* Gif. Male Gifanius, cui placeat legi *coacta.* male, inquam, nam etſi dixerit Virgilius, *in nubem cogitur aër*; non continuo dicemus *tempeſtas coacta.* Fab. *Coörta. Coacta* MSS. rectius: *Coacta* verò non τῇ *Tempeſtate*, ſed τῷ Fulmina conjungas. Creech. *Coacta* etiam complures Libri tam MSS. quam excuſi in nupera Lond. Ed. indicant, ſed & Marg. noſtra habet addita notula: *recte ſic MSS. & alii Libri. male Lamb. COORTA.* Nos tamen Lambino ac Fabro hic facile accedimus. Preig.

764. *Denique quatuor ex rebus &c.*] Quintò v. 18. quod aut dicere debent Elementa amiſſis naturis mutari in res, quæ deinde rurſus in ipſa mutentur, quo caſu, non ipſa potius rerum, quàm Res ipſorum principia ſunt: Aut naturis ſervatis acervos ſolùm quoſdam ex iis fieri, quo caſu nulla unius ſpeciei, uniuſque nominis res orire-
tur:

Quî magis illa queunt rerum Primordia dici,
Quam contra res illorum, retroque putari?
Alternis gignuntur enim, mutantque colorem,
Et totam inter ſe naturam tempore ab omni:
Sin ita fortè putas, Ignis, Terraeque coire

Cor-

INTERPRETATIO.

quam ob rationem illa quatuor dicantur rerum Principia potius quam è contrà, mutatoque prorſus ordine Res ipſæ illorum quatuor Primordia? Alternis enim ex ſe invicem gignuntur, formam, totamque naturam inter ſe viciſſim mutant. At vero ſi Ignem, Terram,

VARIÆ LECTIONES.

667. *retroque.* retræque *Pii* quidam Cod.
768. *Alternis.* Æternis Q. X.
769. *omnia.* omnes P. *ſequitur dein in* X. *hic verſus:* Fulmina diffugere atque imbres ventoſque cohire. *ut & in* Y. *verum ibi eadem manu deletur.*

NOTÆ.

tur; ſed tantum Ignis, Aëris, Aquæ, & Terræ, rudis quædam & indigeſta moles; ut ex Auri, Argenti, Stanni, Æriſque ramentis nihil unquam præter Auri, Argenti, Stanni, Æriſque acervum efficies. Concludit denique Rerum principia ſenſibili aliqua qualitate prædita ad rerum generationem prorſus inepta fore. Creech.

766. *Qui magis illa qu.*] Mutat genus; dixit enim *quattuor ex rebus*, deinde *in eas res*; nunc: *Qui magis illa*, id eſt illæ res, & illa elementa, ex quibus omnia naſci, & in quæ omnia diſſolvi volunt Empedocles, & qui eum ſequuntur. Quòd ſi quis vocem *illa*, referet ad voces *cūncta*, & *omnia*, videbitur legendum *Quo minus*, &c. Lamb.

767. *Retro*] Interpretare rurſum retrocedendo & viciſſim ſuccedendo: ex cadavere fiet *retro* hoc eſt rurſus elementum. Quidam corrigunt, *retraque putari:* cui ſi arrides, expone conventiones aut decreta ex illis principiis. Scimus enim pacta & conventiones Græcos *retras* appellare: unde Laconum leges illæ notiſſimæ dictæ. nunc idoneo verbo res ex ſucceſſione elementorum per vices genitæ vocantur *retræ* tanquam leges decretæ ex primis legibus elementariis; prior expoſitio ſimplicior. Pius. *Retroque putari.* Ita ut principia dici queant. Fab.

768. *Mutantque colorem*] Ita ſæpe *ſilum* pro qualitatibus legas. (eſt autem vox pictoriæ artis *ſilum*) ita & χροιὰν uſurpant Græci. Fab.

771. *Roremque liquorum*] Elementum aquæ liquidum. Quidam legunt: *roremque liquentem.* Pius. *Roremque liquorum.* Veteres fere libri: *liquoris.* Gif. *Liquoris* habent tres lib. manuſcr. alii, *liquorum.* Lamb.

772. *Nil in concil. naturam ut*] Id eſt, ut nihil eorum in congreſſu naturam immutet. Lamb.

772. *Concilio*] Congreſſu, cœtu, mixtione. pæne peculiaris Lucretio vox eſt in ea notione. Fab.

772. *Ut mutet*] Voſſii cod. alter ut & Marg. noſtra: *& mutet.* F. *& mutat.* ut conſtructio ſit: *ſi ita forte putas, &*, juxta illam opinionem tuam *nil naturam mutat* &c. Preig.

774. *Non exan. q. corp.*] Id eſt, non quicquam corpore exanimo conſtans, ſeu non quicquam exanimum. Lamb. *Cum corpore.* Ita libri. Lambinus: *quid.* Gif.

775. *In cœtu*] Quidam veteres: *cœtum.* Gif. *In cœtu var.* Id eſt in concilio & congreſſu varii acervi. *cœtus* idem ſignificat quod *coitus*: immo verò *coitus* & *cœtus* idem ſunt. Lamb.

777. *Atque ardor cum rore m.*] Sic repoſui non dubiis conjecturis ductus. nam libri omnes habent, *& quodam cum rore man.* plane mendoſè. ſententia autem perſpicua eſt: Si quatuor illæ res (inquit) ita congregabuntur, & coibunt, ut naturam ſuam non mutent: primùm nihil ex illis creari poterit, deinde videbitur aër cum terra confuſus, & *ardor*, id eſt ignis, *cum rore*, id eſt cum aqua: quod natura non patitur. Sic ſuprà *ardorem* pro igni poſuit vſ. 669.

 Oc-

Corpus, & Aërias auras, Roremque liquorum,
Nil in concilio naturam ut mutet eorum:
Nulla tibi ex illis poterit res eſſe creata,
Non Animans, non Exanimo quid corpore, ut Arbos:
Quippe ſuam quidque in coetu variantis acervi
Naturam oſtendet, miſtuſque videbitur Aër
Cum Terra ſimul, atque Ardor cum Rore manere:

At

INTERPRETATIO.

Aërem & Aquam, ita miſceri putas, ut naturam ſuam integram conjuncta ſervent; Nulla profecto res ex iis componi poſſet, neque res animata, neque inanimata v. gr. Arbor: Quælibet enim pars compoſiti è rebus tam diverſis compacti propriam ſuam Naturam oſtendet, Aër cum terra, Ignis cum Aqua miſtus apparebit.

VARIÆ LECTIONES.

772. *ut mutet.* & mutet Y.

774. *Non animans. In antiquo ſic erat, adſcribitur a manu docta* Q. Non animas ex non animo, non corpore corpus. *Fuit itaque ſic in* Q 1. *vel* Q 2. non animus H 1. Y. non animam c. O. P. *non exanimo.* non ex animo E. N. P. *quid corpore.* cum corpore A. B. C. D. E. P. Q. X. Y quoque corpore *Gaſſ.*

775. *Quidve.* quiſque Q. Y. quodque P. *in not.* quiſquam Q 1. X. *cœtu.* cœtum C. P. Q. Y. *in not.* P. *repon.* cœtu.

776. *oſtendet.* oſtendit H 1. Q. X. *videbitur aër.* vocabitur aër *Gaſſ.*

777. *ſimul atque ardor cum rore manere.* ſimul & quodam cum rore C. E. P. Q. X. Y. atque ignem cum rore, *Pius in notis. manere.* manare Y. *ſed ſuperſcr.* manere.

NOTÆ.

Occidet ad nihilum nimirum funditus ardor.
& infra eod. lib. 901.
Verum ſemina ſunt ardoris multa, &c.

Lamb. *Atque ardor.* Ita Lambinus non dubiis conjecturis ductus, ſententia enim ipſa poſtulat. *Ardor* pro Igne v. 669. Creech.

779. *Cæcam*] Id eſt latentem, & obſcuram. Idem lib. 2: 126.
Quod tales turbæ motus quoque materiai
Significant clandeſtinos, cæcoſque ſubeſſe.

Lamb. Non *obſcuram* & *latentem*, ut Alii, ſed *Senſibus non apparentem.* Creech.

780. *De numero nequid*] Subintelligatur *ſit.* ne ex numero illorum principiorum ſit aliquid quod invicem repugnet & generationem impediat. Nam elementa niſi eſſent tenuiſſima, ignis aquæ repugnaret, & alterum ſuccumberet. ſed cum ſint ſimplicia valde, non poſſunt exercere vires ob tenuitatem adverſatrices. Quidam codices non *de numero* habent: ſed *dimminuat* hoc ſenſu. Sint primordia tenuiſſima, ne quid id eſt aliqua virtus intrinſeca diminuat, hoc eſt corrumpat quod contra pugnet, id eſt elementum contrarium tollat, & obſtet aqua, verbi gratia, igni; ne poſſit ad generationem coire, altero naturali vi in alterum obruendum nitente. Pius. *Emineat ne quid, quod.* Vera lectio procul dubio. Pro qua Heinſiana collatio prima, ut & Marg. noſtra ſuppeditant *demineat.* In Pii ac Gryph. Edd. erat: *de numero nequid.* Quo ſenſu? neſcio. niſi forte ſcribendum, *de numero ne quidquam, contra* &c. Preig.

781. *Quominus proprie*] Ita ut illud concretum non ſit aqua, ignis, *&c.* ſed proprietatem ſuam ſpecificam habeat. Fab.

781. *Proprie quodc.*] Forte: *proprium*, id eſt, ſuæ propriæque naturæ: non mixtum ex omnibus elementis. Gif.

782. *Quin etiam rep. &c.*] Sic item Ariſtot. ait

enim

At Primordia gignundis in rebus oportet
Naturam clandeſtinam, coecamque adhibere,
Emineat ne quid, quod contra pugnet, & obſtet,
Quò minus eſſe queat propriè, quodcunque creatur.
  Quin etiam repetunt à coelo, atque ignibus ejus,
Et primum faciunt Ignem ſe vertere in Auras
Aëris; hinc Imbrem gigni, Terramque creari

INTERPRETATIO.

At Rerum concretarum principia debent eſſe nulla ſenſibili qualitate prædita, ne forſan aliquid appareat, quod faciat ut res compoſita non ſit unius ſpeciei, uniuſque nominis, ſed rudis & indigeſtæ partium componentium moles. Adde quod Hi Philoſophi Elementorum tranſmutationem à Cœlo ejuſque Ignibus deducunt, & primò dicunt Ignem mutari in Aëra; ex Aëre verò Aquam, & ex Aqua Terram gigni,

VARIÆ LECTIONES.

780. *Emineat.* demineat H 1. Q. Y. deminuat Q 2. de numero nequid C. N. P. denumerat Q X.
782. *Quin.* quando Q. X. *Ignibus ejus.* ignibus ipſis, *Gaſſ.*
784. *Imbrem gigni.* ignem gigni H 1. Q. X.

NOTÆ.

enim elementa inter ſe commutari, & alterum ex altero gigni. Sed ea (ut dixi) appellat elementa non principia. Inter principia autem & elementa multum vult intereſſe. *repetunt* autem, id eſt initium ducunt. Lamb. Agit de circulatione ſeu permutatione elementorum; quamquam Peripatetici rectè diſtinguunt elementa & principia. Fab. Sexto v. 21. quod admittentes mutuam Elementorum tranſmutationem, admittere debent communem, atque adeò priorem materiem, quæ varias eorum formas ſucceſſive induat: Empedocles enim, ejuſque Sectatores docuerunt Elementa mutuas prædas agere, modò Ignem partem aliquam Aëris abripere, modò Aërem quaſdam Ignis particulas detrahere, & idem facere alia Elementa. Πυκνούμενον τὸ πῦρ ἐξυγραίνεσθαι, καὶ Ἀέρα γίνεσθαι· συνιστάμενον Ἀέρα γίνεσθαι ὕδωρ, πηγνύμενον τὸ ὕδωρ εἰς γῆν τρέπεσθαι, καὶ ταύτην ὁδὸν ἐπὶ τὸ κάτω εἶναι. Πάλιν δὲ αὐτὴν τὴν γῆν χεῖσθαι, ἐξ ἧς τὸ ὕδωρ γίνεσθαι, ἐκ δὲ τούτου τὰ λοιπὰ ὁμοίως: αὐτὴν δὲ εἶναι τὴν ἄνω ὁδὸν. dicebant: Laërtius de *Heraclito*, & eadem de Empedocle affirmari poſſunt. Urget autem *Lucretius*, mutentur principia, & in Nihilum recident, Ideoque cum Elementa mutari omnes fatentur, Iſta non ſunt rerum Primordia: è *Nihilo* enim *Nihil.* Quædam igitur eſt materia Immutabilis è qua diverſimode mota & diſpoſita modò Aër, modo Aqua, modò Ignis, modò Terra conficitur. Creech.

783. *Ignem ſe vertere*] Heſychius tamen Ἀγέννητα: στοιχεῖα παρὰ Ἐμπεδοκλεῖ. Quod ſi non fallitur Grammaticus, fruſtra diſputat *Lucretius*: Falli autem non patitur *Plutarchus*, qui toties affirmat Empedoclem agnoſcere στοιχεῖα τῶν στοιχείων Principia Elementorum, & de his primis Principiis intelligendus eſt Heſychius. Inter *Empedoclem* igitur & *Epicurum* probè convenit, niſi quòd *Empedoclis* ſententia ſit operoſior, ſimplicior *Epicuri*: Empedocles enim ex primis ſuis principiis Elementa componit, & ex iis Elementis conſtituit res omnes; Epicurus autem è primis Principiis res cunctas immediatè conficit. Creech.

783. *Auras*] Spiritale elementum aëris. infra. vſ. 801.

Ordine mutato & motu facere aëris auram. Pius.

786. *Calorem*] Id eſt ignem, ut ſupra. *ardorem* dixit. Lamb.

787. *Mutare, meare*] Priſci codices: *mutando meare.* hoc eſt ire & redire per ſuperiorum corporum tranſmutationem. Pius. Sic habent quinque libri manuſcripti, quibuſcum vulgati conſentiunt,

Ex Imbri, retroque à Terra cuncta reverti,
Humorem primum, poſt Aëra, deinde Calorem:
Nec ceſſare haec inter ſe mutare, meare
De Coelo ad Terram, de Terra ad Sidera Mundi:
Quod facere haud ullo debent primordia pacto.
Immutabile enim quiddam ſuperare neceſſe eſt,
Ne res ad Nihilum redigantur funditus omnes.
Nam quodcunque ſuis mutatum finibus exit,

Con-

INTERPRETATIO.

& vice verſa illa omnia è Terra iterum generari. Primò Aquam, Inde Aëra, demum Ignem; Et hanc tranſmutationem continuam, & perpetuam eſſe è Cœlo ad Terras, & à Terris iterum ad Cœlos. At verò Rerum Principia nullo modo mutari debent: Debet enim eſſe aliquid in Rebus immutabile, nè res cunctæ in Nihilum penitus reciderent: Quodcunque enim mutatur id interit,

VARIÆ LECTIONES.

785. *Ex Imbri.* ex igni H I. Q. X. Y. *à Terra.* in Terram H I.
786. Quadraginta priores verſus non apparent in Z.
787. *mutare.* mutando C. N. E. Bm. Priſci codd *Pii.*
788. *De Cœlo.* a cœlo G. H I. X. *ſidera mundi.* ſidera cœli *quidam codd.*
789. *pacto.* facto G. H I. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

Pariſ. & Vicet. alii habent, *inter ſe mutando, meare*, &c. quam ſcripturam tamen non improbo: ſed antiquam ei antepono. *mutare inter ſe* autem ſic dictum, ut *amare inter ſe, &c.* LAMB. Marullus *mutando*, contra vet. libros omnes. GIF. *Mutare, meare.* Ovid. Metam. xv. verſ. 244.

--- --- *Omnia fiunt*
Ex ipſis & in ipſa cadunt. reſolutaque tellus
Aëraque humor habet, dempto quoque pondere rurſus
In ſuperos aër tenuiſſimus emicat ignes:
Inde retro redeunt, idemque retexitur ordo.

HAV.

788. *Ad ſidera mundi*] Quidam libri habent *ad ſidera cæli:* & ita Virg. Georg. 4: 58.

Hinc ubi jam emiſſum caveis ad ſidera cæli
Nare per æſtatem liquidam ſuſpexeris agmen, &c.

idem lib. 16. Æneid. 176.

--- --- *cæli cui ſidera parent.* LAMB. Cœli, jam alibi. ita Virgil. Manil. ſæpiſſime. FAB. *Ad Siderà Cœli*, quidam Codices: Mutatur viz. hic verſus ab iis qui *Mundum* pro *Cœlo* ſæpiſſime poni ignorârunt. CREECH.

790. *Superare*] περιγίγνεσθαι, *ſupereſſe, reliqua eſſe.* LAMB. Perpetuo remanere, ſupereſſe. FAB.

792. *Nam, quodcunque fuit, &c.*] Hic verſus cum eo qui deinceps ſequitur, jam ſupra poſitus eſt. Ad hunc autem locum, atque ad ſententiam pertinent, quæ ſcribit M. Tull. lib. 3. de nat. Deor. his verbis: *Præterea omnia hæc tum intereunt, cum in naturam aliam convertuntur: quod fit, & cum ex aqua oritur aër, & cum ex aëre æther, & cum eadem viciſſim retrò commeant.* LAMB.

794. *Quæ paullo dix.*] Sic habent tres libri manuſcripti, non, ut alii, *quod paullo dix.* Sed quæ ſunt illa? ignis, aër, aqua, terra. LAMB.

795. *In commutatum veniunt*] Id eſt, in commutationem. *Venire* autem *in commutationem*, nihil aliud eſt, quam in naturam aliam converti & eſſe commutabilia. LAMB. In commutationem, *&c.* id eſt commutantur. Hujuſmodi verbalia in *us* amabant veteres. Virg. Æn. 12: 95. *ô nunquam fruſtrata vocatus, Haſta, meos.* Varro alicubi dixit, *agitatus*, Cato, *factus*, (*in ſingulos factus, à chaque façon*, vel *pour chaque façon.*) c. 67. *factoribus det in ſingulos factus olei ſextarios.* Ita *occaſus*

pro

Continuo hoc mors eſt illius, quod fuit antè.
Quapropter, quoniam quae paullo diximus antè,
In commutatum veniunt, conſtare neceſſe eſt
Ex aliis ea, quae nequeant convertier unquam:
Ne tibi res redeant ad Nilum funditus omnes.
Quin potius tali natura praedita quaedam
Corpora conſtituas, Ignem ſi forte creârint,
Poſſe eadem demptis paucis, pauciſque tributis,
Ordi-

INTERPRETATIO.

& deſinit eſſe id quod ante fuit. Quoniam igitur Elementa, de quibus modo diſputavimus, aliquando commutantur, neceſſe eſt ea conſtare ex iis quæ nunquam mutari poſſunt; ne res omnes ad Nihilum penitus redirent: Prudentius igitur agnoſcas quædam eſſe Corpora talis naturæ, ut ſi forte Ignem *conſtituant, eadem tamen paucis ablatis aut paucis additis,*

VARIÆ LECTIONES.

794. *quæ.* quod Q.
795. *veniunt.* verum Q.
796. *unquam.* uſquam C. E. G. N. P. Q. X. Y. Z. *etiam ſatis commode.*

NOTÆ.

pro occaſione. Enn. *occaſu' juvat res.* Ita *conciliatus* in hocce libro. Et ſane multo melius quam poſteriores Latini; aliud enim eſt *commutatus*, aliud *commutatio*: Illud paſſionem ſignificare debet, hoc vero vel actionem, vel agendi modum. Fab.

795. *Conſtare neceſſe eſt Ex aliis ea, quæ*] Ordo eſt: neceſſe eſt ea, nempe ignem, aërem, aquam, terram, conſtare ex aliis, quæ nunquam commutari poſſunt. Lamb.

796. *Convertier*] i. e. converti. Virgil. 4: 493.
--- *Magicas invitam accingier artes.* Pius.

797. *Quin potius tali, &c.*] Hos quatuor verſus, qui deinceps ſequuntur, quidam legunt cum interrogationis nota, hoc ordine, & ſenſu: Cur non potiùs conſtituas quædam corpora tali natura prædita, ut, ſi fortè ignem crearint, poſſint eadem paucis detractis, pauciſque additis, &c. aërem facere? Sed fortaſſe præſtat ſine interrogatione pronuntiare, & conjungere cum verſu ſuperiore, hoc modo: Ne tibi res omnes ad nihilum redigantur, immò potius, ut quædam corpora tali natura prædita, id eſt immutabilia, & quæ nequeant ullo tempore converti, *conſtituas:* id eſt ſtatuas & exiſtimes poſſe, ſi fortè ignem crearint, eadem *paucis demtis*, id eſt detractis, & *paucis tributis*, id eſt additis, atque attributis, ordine & motu mutato facere aërem. Lamb. Ἀλλὰ μᾶλλον, ſed potius. Fab.

801. *Facere aëris auras*] Sic habent libr. manuſcripti, melius, quam quidam vulgati, *aëris auram.* ſic & paullo poſt, 803.
At manifeſta palam res indicat (*inquis*) *in auras Aëris, &c.* Lamb.

802. *Sic alias aliis rebus mutarier omnes.*] Aliquid ulceris hîc lateat neceſſe eſt: Latini enim ſermonis conſuetudo poſtulabat, ut ſcriberetur: *Sic alias aliis rebus res mutarier omnes.* At, inquies, error in metro fuerit: ſcilicet; gloſſema enim in veræ & germanæ lectionis locum invaſit. Neque dubitandum putem quin pro *mutarier* olim ſcripſerit Poëta *vertier:*
Sic alias aliis rebus res vertier omnes.
Frequenter enim uſurpat τὸ *vertere* in ea ſignificatione. ita in hoc ipſo libro: 711.
--- *& in rerum natura vertier omnes.*
Lib. II: 307.
Naturam rerum mutare & vertere motus.
Iterum, 873.
Præterea cunctas itidem res vertere ſe ſe,
Ibid. 821. --- *in ignes omnia verſat.*
& 926. --- *in pullos animales vertier ova.*
Sic

Ordine mutato, & motu, facere Aëris auras:
Sic alias aliis rebus mutarier omneis.
At manifeſta palam res indicat, inquis, in auras
Aëris

INTERPRETATIO.

mutato ordine, aut motu, Aërem poſſe conſtituere; & eodem modo cæteras res omnes in alias poſſe verti. At dices, Manifeſtum eſt Res omnes in Aëris auras

VARIÆ LECTIONES.

801. *auras.* auram Q. X.
802. *rebus mutarier.* rebus res vertier F.
803. *At* Ac Q. X. *auras.* auram Q. X, *inquis.* Z. *ſuperſcrib.* ignis.

NOTÆ.

Sic, IV: 136.

Et cujuſque modi formarum vertere in ora.

Omitto cetera exempla quæ legenti occurrent. Illud autem *rebus res*, ut *rerum res*, *rem res*, præterquam quod neceſſarium eſt hoc loco, niſi Lucretium, lectiſſimæ & terſiſſimæ dictionis ſcriptorem, βαρβαρίζειν dicemus, tam crebro uſurpatum ab eo eſt, id ut amaſſe videatur. Exempla fidem fecerint.

Multarum rerum in rebus primordia miſta.
Res putet immiſtas rebus latitare —
Scire licet non eſſe in rebus res ita miſtas.
Multarum rerum in rebus communia debent.
Poſtremo ante oculos rem res finire videtur.

Sed hoc ſatis: neque alia exempla huc congeſſiſſe attinet. Fab. Faber legit, nec abſurdè,

Sic alias aliis rebus res vertier omnes.

Creech.

803. *At manifeſta palam*, &c.] Alia objectio. *At res omnes* (dicit aliquis) *è terra creſcunt*, & terra ipſa nihil ferè gignere poteſt, niſi *imbribus* irrigetur, & ſolis calore foveatur. Ergo ignis, aër, aqua, terra, ſunt principia rerum. Lamb. Objectio eſt: Omnia è terra creſcunt: quod nemo neget; Sed tamen niſi benignus aëris tepor, lux ſolis & opportuni imbres accedant, nihil quidquam terra ex ſeſe progignet; ergo fatendum eſt, aquam, ignem, &c. eſſe principia. Ad eam objectionem reſpondet, ea non magis eſſe principia quam vinum, triticum & alia, queis vitam ſuſtentamus. Fab. Tandem v. 20. Objectionem proponit & ſolvit: Plantæ, cæteraque Animalia Nutritionem & Incrementum ſuum quatuor Elementis debent: Omnia enim è terra creſcunt, quod nemo neget; ſed tamen niſi benignus Aëris tepor, Calor Solis, & opportuni imbres accedant; Nihil quidquam Terra ex ſeſe progignet: Ergo fatendum eſt Aquam, Ignem, &c. eſſe Principia. Reſpondet v. 809. Ea non magis Principia eſſe quam Vinum, Triticum, & alia quibus vitam ſuſtentamus. Quæ enim nutriunt non ſunt illicò Principia, ſed Illa potius ex quibus ipſa ſic contexuntur ut rebus alimento ſint. Creech.

806. *Focillant*] Recreant, fovent, muniunt contra aritudinem. Dicimus *focillo*: unde *focillare* paſſim: & *focillor*: qua forma deponentis uſus eſt Varro lib. II. de Vita patrum. reperitur & *foculare* unde *focula* pro nutrimentis foventibus & inſtaurantibus vires: qua dictione Plautus uſus eſt in Perſa. Legendum tamen eſt hoc pacto.

Imbribus & tabe membrorum arbuſta vacillant:

ut ſic hic ſenſus. niſi tempeſtas ſit fauſto tempore exoriens *arbuſta vacillant*: nutant & diruuntur tabe membrorum: ruentibus videlicet eorum flagellis. Sic Priſcianus legit lib. VII. p. 768. loquens. *Vetuſtiſſimi tamen etiam in quibuſdam Latinis: quæ nominativum in es productum terminant, pares cum genitivo habent ſyllabas: in hac declinatione ſolebant producere ablativum more quintæ declinationis vel ſupra dictorum Græcorum: ut a mole, fame, tabe: quod adhuc etiam profertur. Virgilius in* VI: 421.

— — Offam objicit: ille fame.

Lucanus in X: 158.

Non mandante fame multas volucreſque feraſque
Ægypti poſuere deos.

Juven. in XV: 102.

Mem-

Aëris è Terra res omneis creſcere, alique;
Et niſi tempeſtas indulget tempore fauſto,
Imbribus, & tabe nimborum arbuſta vacillant:

Sol-

INTERPRETATIO.

è Terra ſurgere, & nutriri, & niſi opportuno tempore pluvias benignè largitur tempeſtas, & defluenti imbre arbores irrigatæ vacillent;

VARIÆ LECTIONES.

804. *e terra.* & terra Y.
805. *fauſto.* fuſco Q1.
806 *tabe.* tabi D. E. N. tabes C. P. *vacillant.* vacillent B. D. E. X. Y. Z. focillant c. M. O. P. fucillant Q1. *nam quod ſequitur v.* 811 exſolvatur, *non docet & hic* vacillent, *uti, mox poſſint eſſe legendum, hoc enim ad priorem pertinet verſum. Vide Fabri notas. Totum hunc verſum Pius ex Priſciani lib. 7. reſtituit:* & tabe membrorum arbuſta vacillent.

NOTÆ.

Membra aliena fame lacerabant, eſſe parati
Et ſua.
Lucretius.

Imbribus & tabe membrorum arbuſta vacillant.

Pius. *Et tabe nimb..* Ita & vet. libri, & Priſcianus lib. VII. Sic inf. III. 503. Quidam veteres Marullus, & Vulgati: *focillant*, male. Vid. & inf. VI. 553. Gif. *Et tabe nimborum arb. vacillant.* Hanc ſcripturam agnoſcit Priſcian. lib. 7. confirmant quattuor codices manuſcripti, Vatican. Faërnus, Tettianus, Bertinianus:, quibuſcum conſentiunt Veneti antiq. & Lugdunenſes alteri. neque eſt quod quiſquam putet legendum *tabi*, veritus, ne ſecunda ſyllaba *tabe*, brevis ſit: Nam fortaſſe eadem ratione producitur, qua ſecunda vocis *fame.* Virg. lib. VI Æn. 420.

--- --- *medicatis frugibus offam*
Objicit; ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit.

tabe nimborum autem, id eſt liquore nimborum, quod totum valet imbribus. Lamb. *Tabe nimborum.* Hic vero turpiſſime, ſi unquam alias, ſe dedit Giſanius; quod à Lambino animadverſum non fuiſſe miror. *Tabes nimborum*, inquit in Indice, *id eſt nimbi noxii & peſtiferi, elegante metaphora. Tabes veteribus nihil aliud quam peſtis valet ſeu pernicies. Vide Feſtum*, inquit. Eum certe κατὰ κωμικὸν elephanti corio circumtectum eſſe oporteat, qui talia ſcribat. Lucretius ex ſenſu illius qui contra ipſius principia aliquid objiciebat, dicit, ni tempeſtas fauſto tempore & imbribus indulgeat, ni arbor quandoque uberrimis pluviis ita recreata ſit, ut folia graventur, ni ſol foveat, ni calorem tribuat, &c. fruges, arbuſta, animantes creſcere nequibunt. Ibi, ut vides, omnia fauſta, commoda, opportuna adſcribit Lucretius: ibi autem homo noſter de peſtilentibus & noxiis imbribus narratum advenit. Deinde falſum illud eſt quod apud Feſtum legitur, *Tabem* nil aliud quam peſtem apud veteres valere: ſed ex pluribus ſignificationibus cum unam modo annotaſſet Feſtus, exiſtimavit Giſanius nullam aliam præterea eſſe; cum tamen hic Lucretii locus (ſi vel tantillulum modo eum intellexiſſet,) ſatis oſtendere potuerit aliud omnino cogitandum fuiſſe. Tabes enim humorem, fluorem, ſeu liquefactionem ſignificat; unde in VI. 737. *tabificis radiis ſol omnia luſtrans*; & *tabida nix* apud Livium, quæ jam μαραίνεται, & τηκεδὼν apud Diodorum lib. I. ubi de Nili incremento agit, idem eſt, pag. 36. edit. Rodomannianæ. Τὸ δὲ πλῆθος τῆς σεσωρευμένης χιόνος ἐν τοῖς βορείοις μέρεσι περὶ μὲν τὰς τροπὰς μένειν πεπηγὸς, ἐν δὲ τῷ θέρει διαλυομένων ὑπὸ τῆς θερμασίας τῶν πάγων, πολλὴν τηκεδόνα γίνεσθαι, καὶ διὰ τοῦτο, &c. Ibi πολλὴν τηκεδόνα χιόνος, ſignificat, multam tabem nivis. Inde itaque factum ut *trahere* & *tabeſcere* pro diffluere, minui &c. uſurpent veteres. Unde & μεταφορικῶς in Andromacha Ennii, p. 241. *Quid fit? ſeditio tabetne, an numeros augificat ſuos?* Fab. Si hæc, quæ Faber attulit, non placeant, *Fayum* lege, & egregium Interpretem admirabere: quidam le-

Solque ſua pro parte fovet, tribuitque calorem:
Creſcere non poſſint Fruges, Arbuſta, Animantes.
Scilicet: & niſi nos Cibus Aridus, & tener Humor
Adjuvat, amiſſo jam corpore, vita quoque omnis
Omnibus è nervis atque oſſibus exſolvatur:

Adju-

INTERPRETATIO.

niſi Sol etiam Ignibus ſuis fovet, & calorem præbet, neque fruges, neque arbores, neque Animalia creſcunt. Concedimus. Et niſi nos Alimentum ſiccum & liquidum reficeret, defluente & tabeſcente Corpore vita omnis cunctis noſtris nervis, & oſſibus exſolveretur:

VARIÆ LECTIONES.

808. *non poſſint.* Ita G. L. Y. Z. ne poſſint A. B. c. O. P. uti poſſint C. D. E. N. *Alii* non poſſunt.

810. *Adjuvat.* adjuvet C. E. P. adjuverint Q. *jam corpore.* jam tempore Bm. P. Q. X. jam robore *quidam Codd. Pii.*

811. *atque.* ac X.

NOTÆ.

gunt *Focillat*, quæ vox *Lucretii* ſententiæ non abſurdè convenit. Creech. Eleganter: vide notas Fabri, qui adducit Diodori locum, quem plane expreſſit Lucanus lib. x. verſ. 225.

> *Adde quod omne caput fluvii quodcunque ſoluta*
> *Præcipitat glacies, ingreſſo vere tumeſcit*
> *Prima tabe nivis.*

ubi *tabes nivis* eſt diſtillatio nivis. Diodorus ſimiliter de Nilo agens, vocat τηκεδόνα χιόνος. Hav.

806. *Vacillent*] Ita recte MSS. Alii minus rectè *focillant.* ſignificat gravatos inflexoſque arborum ramos præ pondere guttarum. Vide Var. Lect. Hav.

808. *Ne poſſint fruges*] Ita vet. libri. *Ne* autem pro *non* quod ſententia poſtulat. Gif. *Non. Uti* Fayus, qui vim & argumenta Poëtæ optimè intellexit. *Nè* pro *Non* è Codd. *Giſanius.* Creech. *Non poſſint.* Turnebus Adv. xix. 15. probat quod in antiquis inſtrumentis ſe inveniſſe ait, *non poſſunt*, idque nulla addita nota recepit Creichius. Atqui ſi quid mutandum, melius ita reponas ſupra verſ. 805. *Ut niſi tempeſtas* &c. *poſſint* enim, cui *exolvatur* mox reſpondet, mutari non debet. Vide Var. Lect. Hav. *Non poſſunt.* Sic Angl. ſed nullo fundamento. Ego Omnino *poſſint* retinendum puto. ſic ſolet Lucretius. v. gr. 1: 674.

> *Jam tibi res redeat ad nilum funditus omnis.*

Mox etiam: *exſolvatur* &c. &c. Cæterum *Imbribus* verſu præced dativus caſus eſt: & *Indulgere Imbribus* eleganter Tempeſtas dicitur, & quidem *tempore fauſto*, quaſi dicat juſto. Nam Tempeſtates pro vario rerum procreandarum uſu variæ ſuo quæque tempore *adeſſe* debent, ut loquitur alibi Lucretius. Adeoque & illa, quæ imbres afferre, ſive imbribus locum præbere poteſtatemque facere ſolet. Quod monendum fuit, nequis Fabri illa Paraphraſi: *ni tempeſtas fauſto tempore & imbribus indulgeat.* a vero hujus loci ſenſu abducatur. Cujus editio etiam male poſt vocem *fauſto* diſtinguit. *Tabe* autem, non *tabi*, ut & *vacillant* pro *vacillent*, retinendum omnino putamus. Ibi cæſura ſufficit. Hic ſenſus nimis eſt manifeſtus. Preig.

810. *Adjuvat*] Poſt alias editiones, etiam Fabri illa, Salmurienſis, *adjuvet* præferebat, male. quidni enim ſibi conſtet Poëta? præceſſit enim: *niſi indulget, vacillant, fovent*, &c. Preig.

Amiſſo tam corpore] Sic loquitur M. Tull. epiſt. quadam ad Gall. libr. 7. *Vireis & corpus amiſi.* iterum Lucr. inf. eod. lib. 1039.

> *Nam veluti privata cibo natura animantum*
> *Diffluit amittens corpus, &c.*

Lamb *Amiſſo corpore.* Quemadmodum dicebant *facere corpus*, uti apud Phædrum optimum & puriſſi-

Adjutamur enim dubio procul, atque alimur nos
Certis ab rebus, certis aliae atque aliae res.
Nimirum quia multimodis communia multis
Multarum rerum in rebus Primordia multa
Sunt, ideo variis variae res rebus aluntur.

Atque

INTERPRETATIO.

Proculdubio enim nos reficimur à certis rebus, & aliæ res à certis rebus nutriuntur, quoniam in multis rebus communia multarum rerum ſemina diverſimode miſcentur, atque ideo diverſæ res à diverſis rebus nutriuntur.

VARIÆ LECTIONES.

812. *procul atque.* atque procul Z.
814. *Multimodis.* a. B. C. D. E. N. P. X. Z. multa modis *Alii.*
815. *multa.* Ita G. Z. *Alii* miſta.

NOTÆ.

riſſimum ſcriptorem, ita & illum *corpus amittere* dicebant, cui ſuccus corporis defluit, φθίνεται, τήκεσθαι. Contrarium eſt σωματοποιεῖν. de quo aliquid olim dixi. Fab. *Vires* & *Corpus amiſi* Cicero. Pro *Corpore* B. exhibet *Tempore.* Creech.

812. *Adjutamur*] Frequenter & multipliciter adjuvamur. Senſus eſt: cum non uno alamur cibo, & alimento hoc eſt monophagia: ſed vario & diverſo hoc eſt polyphagia: hoc indicat corpora non ab uno principio, ſed multiplici eſſe compacta. *Adjuto* eſt adjuvo. Marcus Tullius ex poëta priſco.

O Tite ſi quid ego adjuto curamque levaſſo.

Gellius hoc verbo utitur. Pius.

814. *Nimirum quia multa modis, &c.*] Sic legendum, & ita ſcriptum eſt in duobus cod. manuſcriptis, non, ut in vulgatis, *multi modis.* Cur alius aliis animantibus ſit cibus, copioſè & ſuo loco diſputat lib. IV: 637.

Nunc aliis alius cur ſit cibus, &c.

Lamb.

815. *Miſta*] Gottorp. Cod. *multa.* ut & Cod. MS. Voſſ. quod non ab aliis forſan proſcriptum, quam quibus verſu præced. illud :*multa modis* nimiis placuit pro *multi modis*; quod omnes fere libri habent. Poëta autem manifeſto captat hoc loco omnimodam vocis hujus multiplicationem, & valde exaggerat quod dicit; nimirum quia *multa multarum rerum primordia in rebus multis multimodis communia ſunt.* Illud *miſta* autem ex verſ. 822. transſumere in promptu fuit. in *multis* autem *rebus* ita ſe rem habere dixit, quod tamen ex ipſius hypotheſi in rebus quibuſvis, omnibus & univerſis ſe ita habet; quemadmodum paulo inferius:

--- *Paſſim noſtris in verſibus ipſis*
MULTA elementa vides multis communia verbis.

dicere contentus eſt, quum vere potuiſſet dicere: QUÆVIS *elementa*; *nullum non elementum.* Ne ullum quidem quod non multis verbis commune ſit reperias. Preig.

816. *Multimodis*] Sic omnes vet. fere, & omnes Vulgati; recte. ut inf. verſ. 894. quidam veteres tamen :*multa modis*. non male. Gif.

818. *Contineantur*] Collatio MSS. Voſſ. prima: *continuentur.* Non male. ſed nihil muto. Preig.

823. *Quin etiam paſſim noſtris in verſibus ipſis*] Utitur eadem ſimilitudine, atque adeo iiſdem verſibus lib. 2. Lamb. Ea, qua ſæpe utitur, ſimilitudine v. 7. ſententiam ſuam egregie illuſtrat. Eædem litteræ vario tantum ordine diſpoſitæ innumera componunt verba & forma, & ſono plurimùm diverſa: Quid igitur dubitemus eadem ſemina, quæ longè plura quàm literæ ſunt, quæ diverſas etiam habent figuras, Ignem, Terram, Aquam; omnem denique varietatem poſſe conſtituere? Creech.

Atque eadem magni refert Primordia ſaepe
Cum quibus, & quali poſitura contineantur:
Et quos inter ſe dent motus accipiantque.
Namque eadem Coelum, Mare, Terras, Flumina, Solem
Conſtituunt; eadem Frugeis, Arbuſta, Animanteis:
Verum aliis, alioque modo commiſta moventur.
Quin etiam paſſim noſtris in Verſibus ipſis
Mul-

INTERPRETATIO.

Sæpe etiam magni refert cum quibus, & quo ordine eadem ſemina conjungantur, & quos motus dent, & recipiant viciſſim. Eadem enim ſemina conſtituunt Cœlum, Mare, Terras, Flumina, Solem, Fruges, Arbores, Animalia; At diverſis Principiis diverſiſque modis conjuncta moventur. Quin etiam in hiſce noſtris Carminibus vides

VARIÆ LECTIONES.

818. *contineantur.* ſuperſcrib. in Y. *continuentur.*
819. *quos.* quo X. *ſe.* ſeſe X.
820. *namque.* nam Q. *terras.* terras & Z.

NOTÆ.

824. *Elementa*] Literas, characteres, quæ & Gr. ϛοιχεῖα. Fab.

825. *Inter ſe vorſus*] Ita hic veteres quidam. Gif.

826. *Sonitu diſtare ſonanti*] *Sonitu ſonanti* ſic dictum, ut libr. III. *anxius angor* (niſi forte ibi legendum eſt, *anxius ægror*) apud Plautum *amœnitas amœna*, Captivis: *pretio pretioſo*, Epidico: *nitoribus nitidis*, Caſina: *pulchram pulchritudinem*, Milite glor. *acrem acrimoniam*, apud Nævium in Lycurgo ex Nonio. Lamb. *Sonitu ſonanti.* Ita *cavas cavernas* Virg. Ennius autem, *cupienter cupit*; & alia id genus. Fab.

827. *Tantum elementa queunt*] ἐπιφώνημα, ſeu acclamatio. Lamb.

828. *At rerum*] Marg. *Et rerum.* quod non caret elegantia. Preig.

829. *Unde*] Ex quibus. Senſus eſt: Primordialia corpora debent ſuppeditare plura, ex quibus, &c. Fab. Aliquando legi *Poſſumus*: Sed jam nihil muto admonitus v. 778.

At Primordia gignundis in rebus oportet
Naturam clandeſtinam, cœcamque adhibere.

Creech.

830. *Nunc & Anaxagoræ*] Nunc contra Anaxagoram accingitur. *Anaxagoras* (ut ſcribit M. Tull. lib. 2. Acad. quæſt.) *materiam infinitam dixit eſſe, è qua omnia gignerentur; eamque, particulas ſimileis inter ſe minutas, primò confuſas, poſtea in ordinem adductas a mente divina.* Hic librum ſuum ſic orſus eſt: ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν· νοῦς δ᾽ αὐτὰ διῆρε, καὶ διεκόσμησε id eſt, *Simul erant res omnes: mens autem ea diſtinxit, & in ordinem redegit.* Quæ videntur eſſe à Moſe ſumta. Lamb. Refutata Heracliti, Empedoclis, & aliorum Philoſophorum de Rerum Principiis ſententia, *Anaxagoram* v. 92. impugnat: *Anaxagoras* autem Clazomenius Hegeſibuli vel Ebuli filius, viginti annos ante Xerxis trajectionem natus, Teſte *Laërtio*: Ille docuit Materiam infinitam eſſe, è qua omnia gignerentur, eamque particulas ſimiles inter ſe minutas, primò confuſas, poſtea in ordinem adductas à Mente Divina: Cicero Acad. Quæſt. l. 4. Librum ſuum de Rerum Natura ſic orſus eſt, ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν, νοῦς δ᾽ αὐτὰ διῆρε, καὶ διεκόσμησε. Plutarchus lib. 1. c. 3. Ex partibus verò inter ſe ſimilibus res omnes componi aſſeruit, ex Oſſiculis Oſſa, Sanguinem ex Sanguinis Guttulis, &c. ἔλεγε ἀρχὰς τὰς ὁμοιομερείας, καθάπερ γὰρ ἐκ τῶν ψηγμάτων λέγομεν τὸν χρυσὸν συνεστάναι, οὕτως ἐκ τῶν ὁμοιομερῶν μικρῶν σωμάτων τὸ πᾶν συγκεκρίσθαι; Laërtius: Fuſius. Plutarchus C. 3. de Placit. Philoſoph. l. 1. Ἀναξαγόρας ὁ Κλαζομένιος ἀρχὰς τῶν ὄντων τὰς εἶναι ὁμοιομερείας ἀπε-

Multa Elementa vides multis communia verbis:
Cum tamen inter ſe Verſus, ac verba neceſſe eſt
Confiteare & re, & ſonitu diſtare ſonanti:
Tantum Elementa queunt permutato ordine ſolo:
At rerum quae ſunt Primordia, plura adhibere
Poſſunt, unde queant variae res quaeque creari.
Nunc & Anaxagorae ſcrutemur Ομοιομερειαν,
Quam

INTERPRETATIO.

multas literas multis verbis communes, Cum tamen non potes non concedere verſus ipſos, & vocabula & re & ſono plurimum differre. Tantum Literæ poſſunt mutato ſolum & variato ordine; At rerum Semina, cum ſint longe plura quàm verborum elementa, pluribus principiis pluribuſque etiam Modis conjungi poſſunt, ideoque ex iis rerum ſpectabilis varietas oriri. Nunc expendamus Anaxagoræ *ſententiam,* Homœomerian

VARIÆ LECTIONES.

824. *verbis.* bellis G. Q. X. Y. Z. ſed in Z. *ſuperſcr. v. lectio.* rebus Q. 1.
828. *At.* Atque Q. Y.
829. Ὁμοιομέρειαν. Homoiomeriam *videtur fuiſſe a pr. m. in* Y. Latinis literis in Pleriſque imprimitur.

NOTÆ.

ἀπεφήνατο, ἐδόκει γὰρ αὐτῷ ἀπορώτατον εἶναι πῶς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος δύναταί τι γίνεσθαι, ἢ φθείρεσθαι εἰς τὸ μὴ ὄν· τροφὴν γοῦν προσφερόμεθα ἁπλῆν, καὶ μονοειδῆ, οἷον τὸν Δημήτρειον ἄρτον τὸ ὕδωρ πίνοντες, καὶ ἐκ ταύτης τῆς τροφῆς τρέφεται θρὶξ, φλὲψ, ἀρτηρία, νεῦρα, ὀστᾶ, καὶ τὰ λοιπὰ μόρια. Τούτων οὖν γινομένων, ὁμολογετέον ἐστὶν, ὅτι ἐν τῇ τροφῇ τῇ προσφερομένῃ πάντα ἐστὶ τὰ ὄντα, καὶ ἐκ τῶν ὄντων πάντα αὔξεται· καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ τροφῇ ἐστι μόρια αἵματος γεννητικὰ, καὶ νεύρων, καὶ ἄλλων τῶν ἃ ἦν λόγῳ θεωρητὰ μόρια: οὐ γὰρ δεῖ πάντα ἐπὶ τὴν αἴσθησιν ἀνάγειν, ὅτι ἄρτος καὶ τὸ ὕδωρ ταῦτα κατασκευάζει ἀλλ' ἐν τούτοις ἐστὶ λόγῳ θεωρητὰ μόρια. ἀπὸ τοῦ οὖν ὅμοια τὰ μέρη εἶναι ἐν τῇ τροφῇ τοῖς γεννωμένοις, ὁμοιομερείας αὐτὰς ἐκάλεσε, καὶ ἀρχὰς τῶν ὄντων ἀπεφήνατο· καὶ τὰς μὲν ὁμοιομερείας, τὸ δὲ ποιοῦν αἴτιον, τὸν Νοῦν τὸν τὰ πάντα διαταξάμενον. Creech. *Anaxagoræ.* Ad ea, quæ collegit Creichius, addi poteſt locus ex commentario Nicetæ ad Gregorii orationem in laudem Baſilii p. 519. edit. Leunclav. In quibuſdam vero codicibus aliter olim fuiſſe ſcriptum, diſcimus ex Servio, qui ad vſ. 625. Æn. iv. ita legit:

Nunc ad Anaxagoræ veniamus homoeomeriam.

docens reſpectu illius doctrinæ dixiſſe Virgilium

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor!

De iis in quibus magiſtrum Anaxagoram ſecutus eſt Euripides videri poteſt Schottus Nodor. Ciceron. lib. 11. c. 15. Hav.

830. Ὁμοιομέρειαν] Hoc nomen ſcriptum eſt litteris Latinis in aliquot lib. manuſcriptis. nos vulgatos ſecuti, Græcis excudendum curavimus, non pugnaturi, ſi quis Latinis ſcribat. Ὁμοιομερῆ autem dicuntur, quorum partes appellantur nomine totius: ut os, ſanguis, lapis. Nam quamvis hæc ſint inter ſe diſſimilia, conſtant tamen ſingula partibus ſimilibus, ὁμοιομέρειαν igitur, quam Anaxagoras principium rerum eſſe dixit, licet interpretari vel *ſimilium partium naturam*, vel *partium ſimilitudinem.* Lamb. Ὁμοιομέρειαν. Græca excudendum curavimus, contra quam Anglicæ Edd. ſaltem nuperrima; ut ſibi conſtet Poëta, qui id genus plura coacervat circa finem libri quarti: Imprimis quoniam rem ipſam patria dicere lingua nequit, ut ipſe fatetur, adeoque nec ſcribere, ut par eſt, Latine voluit. Nec video, cur Lucretio potius quam cæteris auctoribus Latine ſcribentibus Græcorum vocum Græcam ſcripturam denegemus. Preig.

832. *Egeſtas*] Hoc refer ad copulandas diver-

ſæ

Quam Graji memorant, nec noſtra dicere lingua
Concedit nobis patrii ſermonis egeſtas:
Sed tamen ipſam rem facile eſt exponere verbis,

Prin-

INTERPRETATIO.

Græcè dictam, quam Latini ſermonis inopia una propriaque voce notari non patitur. Sed quid Ipſe *voluit,*

VARIÆ LECTIONES.

831. *Graji.* Grai G. Y. Z. Graji Q. 1. *& ita nos, atque paſſim Lucretius, ſi Indicem inſpicias,* Græci *Reliqui.*

NOTÆ.

ſæ naturæ dictiones: in qua quidem re belliores ſunt Græci quam Romani noſtri. Livius, cum de Androgyno loquitur, tradit Græciam copulandis dictionibus aptiſſimam. Nec tamen concedo linguam Latinam eſſe Græca pauperiorem in neceſſariis; quod non æquis auribus admitteret Cicero. modeſtiores fuerunt Latini: Græci licentiores: ut qui *entelechian* dixerunt eſſe *animam*: noſtri non minus perfecti *habitiam* dixiſſent: ſed peregrinis favemus: & in nos legem ſancimus iniquam. *hemicyclon* quod illi dicunt, idem munditer Apulejus *ſemirotundum.* Quod illi διδυμοτόκον Ovidius concinnius *gemelliparam:* nec minus exculte *noctilucam* Horatius: & eum magnus Albertus imitatus libro de animalibus XXIII. Audi quam ingrati in noſmet ſimus: & alienis faveamus: idque Homine Græco Theodoro Gaza latiniſſimo a nobis ſtante. *Sed enim ſufficit*, inquit, Theodorus *lingua Latina ſingulis Græcæ orationis ſive vocabulis ſive ſententiis: quamquam nonnulli quæ Latine exprimere nequeunt: hæc inopiæ linguæ tribuunt Latinæ: ſuamque pauperiem vitio dare linguæ locupletiſſimæ audent: quos ſatis convinci a Marco Tullio puto, cum ille linguam Romanam ne copia quidem verborum a Græca ſuperari autumet. Exclamat ille aliquantulum quidem importune. O inopem interdum linguam Græcam: ſed non ſine cauſa: quoniam nonnulli ita contendunt: ut Graecis nihil deeſſe, Latinis permulta deſiderari pronuncient.* Hæc ille Græcorum omnium doctiſſimus: qui, ut maxima veritatis vis eſt: latiniſſimus latinitatem tuetur adverſus nos Græculos ne dicam graculos propugnans: qui incedunt ſuffarcinati cum libris cum ſportulis: & operto capitulo in thermopolio calidum bibunt: meræ alaudæ: ne dicam meropes: quando pauciſſimi ſunt illa vetere Græcia digni. Hieronymus quoque magnorum maximus ad Sunniam & Fretelam: *Nec quis*, ait, *Latinam linguam anguſtiſſimam putet quod non poſſit verbum de verbo transferre: cum etiam Græci pleraque noſtra circuitu transferant: & verba Hebraica non interpretationis fide, ſed linguæ ſuæ proprietatibus nitantur exprimere.* Rufinus tamen lib. 1. contra Hieronymum: *Unde & nos propter paupertatem linguæ & rerum novitatem: & ſicut quidam ait: quod Græcorum & ſermo latior & lingua felicior ſit.* Sed cuidam hoc Rufinus aſcribit ut apud ſe ſuſpectum. Seneca Controverſiarum libro ſexto. *Græcas ſententias in hoc refero: ut poſſitis æſtimare primum quam facilis Græcæ eloquentiæ in Latinum tranſitus ſit: & quantum omne quod bene poteſt dici commune omnibus gentibus ſit: deinde ut ingenia ingeniis conferatis: & cogitetis Latinam linguam facultatis non minus habere, licentiæ minus.* Fronto tamen apud Gellium. II. Noctium Atticarum ait. *Non inficias imus quin lingua Græca prolixior fuſiorque ſit quam noſtra.* Frontoni Cicero reclamat his Thuſculanarum quæſtionum ſecundo. *Hæc duo Græci illi, quorum copioſior eſt lingua quam noſtra, uno nomine appellant. Itaque induſtrios homines illi ſtudioſos vel potius amantes doloris appellant: nos commodius laborioſos. aliud eſt enim laborare, aliud dolere.* O verborum inops interdum quibus abundare te putas Græcia, aliud inquam eſt *dolere*, aliud *laborare.* Terentianus tamen alienis magis favet ſic: *Quo probarem planius & ſimul quam multa Græcis noſtra non reſpondeant: quæque reſpondent ab ipſis eſſe nobis tradita.* Pius.

834. *Principium rerum*] Sic reſtitui, cum in omnibus libris vulgatis legeretur, *Principio &c.* atque hoc idcirco nunc annotavi, quòd Thraſo ille, quem ſæpe deſcribo, meam emendationem

ſecu-

Principium rerum quam dicit OMOIOMEPIAN :
Oſſa videlicet de pauxillis atque minutis
Oſſibus : ſic & de pauxillis atque minutis

Viſce-

INTERPRETATIO.

eum Homœomeriam *eſſe rerum principium docuerit, explicare non eſt difficile. Oſſa viz. ex minutis parviſque Oſſibus, ſic Viſcus ex minutis parviſque*

VARIÆ LECTIONES.

834. *Principium.* Principio X. Z.

835. *De.* Ita Q1. X. Y. Z. *quo modo præcedens conſonans abſorbetur in ſcandendo, uti mox inferius verſ.* 836. oſſibus. *ſic & verſ.* 838. coëuntibus guttis. *& ſæpius alibi. Editi habent* è.

836. *ſic & de.* hic & de G. Y. Z. & ſic de E. N. etſi de M. & de X.

NOTÆ.

ſecutus, tacitam præteriit. quamquam quid in hoc queror, cùm idem fecerit in aliis innumerabilibus. Lamb.

834. *Homoiomerian*] Sic libri veteres litteris Latinis; quod novum non eſt. Sic inf. *harmonia.* IV. 1242. Gif. *Homoiomeriam.* Quænam dicantur ὁμοιομερῆ mox explicabit; Ea autem ſunt, quorum vel minimæ partes nomen totius ſui habent, ut lapis, ut aurum, ut ſanguis, *&c.* Latine *ſimilaritatem* dicere poſſemus. Fab.

835 *Oſſa &c.*] Servius lib. IV. Æneid. 625.

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor.

ſecundum Anaxagoram qui homiomeriam dicit. i. omnium membrorum ſimilitudinem eſſe in rebus creandis. Ergo ſicut ex oſſibus : ſic ex ſanguine & medullis. Nam omnia pro parte ſui tranſeunt in procreationem. De homiomeria Anaxagoræ lege Ariſtotelem lib. I. de generatione animalium. Pius.

836. *Oſſibus, ſic & de*] Ita veteres noſtri. Marullus; ut Vulgati: *Oſſibus etſi de.* contra veteres libros omnes. Gif. Sic habent duo cod. manuſcr. quæ ſcriptura perſpicuè recta eſt. Nam vulgati vitioſè habent, *Oſſibus, & ſic de, &c.* Lamb.

836. *Pauxillis atque minutis,*] Pauciſſimis, & parviſſimis, Optimus Interpres *Fayus :* Os viz. maximum ex pauciſſimis, & parviſſimis Oſſibus conficitur! lib. III. v. 330.

Scire licet perquam pauxillis eſſe creatam
Seminibus, quoniam fugiens nil ponderis aufert.

Creech.

837. *Viſcus*] *Viſceris* facit in patrio caſu. hoc carmen citat Servius. Marcellus. *Viſcus poſitum pro viſcere. Lucretius. Viſceribus. viſcus & reliqua Virgilius Georgicon libro primo :* 139.

Tum laqueis captare feras & fallere viſco
Inventum.

i. e. tractis viſceribus. Lucil.

An quod pane & viſcere privo.

Iidem carnem inter corium & oſſa *viſcus* appellabant. *Viſcerari* priſci dicebant viſcus populo dividere: quare *viſceratio*, carnis diſtributio. Romani prope ſolenniter Latinis in Albano viſcerationem dabant: de qua Gellius, Livius, Servius meminerunt. Seneca: *Viſceratio ſine amico leonis ac lupi vita eſt. Viſceratim*, per viſcera. Pius. Vir induſtrius, ſed quem, propter ordinem florentiſſimum, non appellabo, in eo libro, quem homini Germano ſurripuerat, negat *viſcus* unquam pro omni carne ſumi quæ ſub cute ſit: atque in eo ceteros imperitiſſimos eſſe & nugaciſſimos dicit; vellem probaſſet: Id certe, qui illi favent, ſi probare volent, Lucretium, Virgilium, Ovidium, atque adeo omnes bonos ſcriptores adverſatores, ſaxo, habebunt. Fab.

837. *Sanguen*] Sanguis. antiqui pro *ſanguine*, voce notiſſima, hoc *ſanguen* dicebant. Author Priſcianus libro VI. advocat ſuper hac re teſtimonia priſcorum. lege commentaria noſtra in Plautum. Eſt & *ſanguen* arbor : quæ *virga ſanguinei* vulgo. A Columella *ſanguinaria* herba dicitur a ſanguine ſiſtendo : quam *polygonon* Græci dicunt. Gellius. lib. III. *Eumque inter mortuos defatigatum vulneribus, atque ſpirantem quod ſanguen defluxerat cognovere.* Sunt tamen non Gellii verba, ſed Catonis. Pius. *Sanguenque creari.*

Viſceribus Viſcus gigni; Sanguenque creari,
Sanguinis inter ſe multis coëuntibus guttis:
Ex Aurique putat micis conſiſtere poſſe
Aurum: & de Terris Terram concreſcere parvis:
Ignibus ex Igneis: Humorem ex Humoribus eſſe:
Caetera conſimili fingit ratione, putatque.
Nec tamen eſſe ulla parte Idem in rebus Inane
Con-

INTERPRETATIO.

Viſceribus, Sanguinemque ex multis Sanguineis guttis confluentibus componi: Aurum quoque docet ex parvis auri particulis, Terram e parvis Terris, Ignem ex Ignibus, Aquam ex Aquis, & ſimiliter reliqua omnia fieri, & conſtitui. Hic inſuper idem Anaxagoras *docet nullum eſſe* Inane,

VARIÆ LECTIONES.

839. *micis.* nucis Q.

841. *Ignibus ex Igneis, Humorem ex humoribus eſſe.* Ita ignibus exiguis humorem humoribus eſſe C. ignem ex ignibus humorem ex h. e. c. P. Q 1. Q. V Q. Y. Z ignibus ex ignis humorem humoribus eſſe G. V. Q 2. Y. Z. *ubi* ignis *pro* igneis, *neque contra illorum auctoritatem præfero* ignem, *quod plerique habent vulgati.* ſic ignem inter ſe parvis coëuntibus naſci Ignibus, exiguis humorem humoribus eſſe E. N.

843. *parte idem.* idem parte G. Y. Z. *neque.* nec Q 1.

NOTÆ.

ari. Profert hunc verſum Non. Marcell. in voce *ſanguen*, & in voce *viſcus.* profert & Fl. Soſipater Chariſius lib. 1. his verbis, *Sanguis maſculino genere dicitur: & facit, hunc ſanguinem. Sed Cato de habitu ait, ſanguen demittatur*, & Lucr.

Viſceribus viſcus gigni, ſanguenque creari.

Utitur eodem nomine & Ennius l. 11. Annalium:

O pater, ô genitor, ô ſanguen diis oriundum.

Et idem Ennius apud M. Tull. l. v. de finib.

Non refugiat timido ſanguen, atque exalbeſcat metu?

teſtatur & Priſcianus lib. vii. Denique A. Gellius lib. iii. cap. 7. hæc Catonis verba profert: *Eumque inter mortuos defatigatum vulneribus, ægreque ſpirantem, quod ſanguen defluxerat, cognovere.* Probus quoque grammaticus in Catholicis hunc locum ſpectavit, cum ſcripſit, *Lucretium poſuiſſe hoc ſanguen, novo more, cum ſit hic ſanguis.* Iterum Lucret. paullo infra,

--- --- *ſanguen an oſſa?*

Lamb. *Sanguen.* Ita omnino primi Latini loquebantur. Nam *ſanguis* natu junius eſt; itaque à ſanguen ſanguinis, ut à flumen fluminis, &c. Fab. *Sanguenque.* Servius citat ad Virg. Æn. 1. verſ. 215. adjiciens: *Sanguen autem ideo dixit, quia ſanguinis facit, ut carmen carminis. Si enim ſanguis diceret, par eſſet nominativus genitivo, ut anguis, pinguis.* Exſtat apud eundem ad lib. 1. Georg. verſ. 139. ubi quæ præcedunt legas, *idem ipſe*, non, ut eſt vulgatum, *item ipſe.* Hav.

839. *Ex aurique putat micis*] Sic hac de re Laërt. Καθάπερ ἐκ τῶν ψηγμάτων λεγομένων τὸν χρυσὸν συνεστάναι, οὕτως ἐκ τῶν ὁμοιομερῶν μερῶν μικρῶν τὸ πᾶν συγκεκρίσθαι, καὶ νοῦν ἀρχὴν κινήσεως. &c. id eſt, *Quemadmodum ex auri micis, quæ appellantur, aurum conſtare: ita ex multis partibus ſimilibus parvis univerſum concretum eſſe: & mentem, motionis principium eſſe.* Lamb. Granis, particulis, &c. ut mica thuris, χόνδρος. ut mica ſalis. auri micas Hiſpani *pipitas* vocant, id eſt grana, ψήγματα χρυσοῦ, Lat. *ramenta auri*, quaſi *raſimenta.* Fab.

841. *Ignibus ex ignem*] Ita ex vet. libris ſcripſi. Qui tamen habebant: *ex ignes*, ſeu *ignis. Ignem* ego malui. *Verſum:*

Sic ignem inter ſe, &c.

quia ab libris veteribus aberat, circumſcripſi. In quibuſdam libris vet. *humorem humoribus.* Gif.

Ad-

Concedit, neque corporibus finem eſſe ſecandis:
Quare in utraque mihi pariter ratione videtur
Errare, atque Illi, ſupera quos diximus ante.
Adde quod imbecilla nimis Primordia fingit,
Si primordia ſunt, ſimili quae praedita conſtant
Natura, atque ipſae res ſunt; aequèque laborant,
Et pereunt, neque ab exitio res ulla refraenat:

Nam

INTERPRETATIO.

neque eſſe aliquod Minimum ; *ideoque mihi videtur æquè errare ac Illi omnes quos ſupra refutavimus. Adde quod nimis infirma fingit rerum principia, ſi ejuſdem planè ſunt* Naturæ *ac Res ipſæ, ſi æquè interitui obnoxia, nulloque modo ab exitio ſecura:*

VARIÆ LECTIONES.

844. *neque.* nec Q 1. *eſſe.* ineſſe Q. X.
846. *Illi, ſupera quos.* illis vix a quo G. viri illi quos Q 1. illis jura quod X. illis vira quod Y. illi ſiura quo Z.
847. *imbecilla.* imbecilia Y. Z.
848. *ſunt.* ſint Q 1.
849. *ſunt; æquèque.* ſunt hæ quæ æque Q 1. quæque Q 2.

NOTÆ.

Admonueram in prima editione, verſum hunc, qui reperitur in omnibus libris vulgatis,

Sic ignem inter ſe parvis coëuntibus naſci.

abeſſe ab aliquot lib. manuſcript. eum autem, qui deinceps ſequitur, ſic legi in nonnullis vulgatis,

Ignem ex ignibus, humorem ex humoribus eſſe;

in manuſcriptis autem ſic,

Ignibus ex ignis, hum. ex hum. eſſe.

Unde ortam mihi ſuſpicionem, verſum

Sic ignem, &c.

non eſſe Lucretianum: proximum autem ſic eſſe legendum,

Ignibus ex ignem, humorem ex humoribus eſſe.

Itaque in ſecunda editione verſu illo deleto, ſic edendum curaveram,

Ignibus ex ignem, humorem ex humoribus eſſe.

atque hanc ſcripturam ſycophanta omnium hominum impudentiſſimus ſibi arrogavit, ut & alias innumerabileis. eam igitur ego nunc, ut meam, vindico. Sententia autem ita aperta eſt, ut declarationem non requirat. Jam verò *ignibus ex*, ἀναστροφὴ eſt, pro *ex ignibus.* Quod ſi quis malet legi, ut in vulgatis.

Ignem ex ignibus, hum. &c.

equidem non pugnabo. ſed antiquam ſcripturam malo. Lamb. Quidam ſcribunt

Sic Ignem inter ſe parvis coëuntibus naſci
Ignibus, exiguis Humorem Humoribus eſſe.

Hic de *Lambino*, *Giſanio* & *Pareo* quorum nec Scripta, nec Nomina profectò unquam vidit, multa commentus eſt, & nugatur *Fayus.* Creech. Amat Lucretius præpoſitionum poſtpoſitionem. ut jam ſuperius notavimus. Quod Græcorum in primis Poëtarum morem redolet. Quodque non ſatis animadverterunt, qui hic turbas excitarunt, & quaſi illud: *Ignibus ex* pro *Ex ignibus*, ferri non poſſet, in alia omnia abierunt. Preig.

842. *Putatque*] Hoc loco poſitum pro λογίζεται, unde *rationes putare.* Fab.

843. *Nec tamen eſſe ulla, &c.*] Quod Epicuro non placuit Anaxagoræ Opinio, ideo Lucretius ipſam ſtudioſè inſectatur, & Initium facit v. 4. à duobus Argumentis adverſus ſuperiores, *Heraclitum*, *Empedoclem*, & alios allatis: Uno, quod Inane in Natura detur: Altero quod nullum Continuum infinitè dividuum ſit. Creech.

843. *Ulla parte idem*] Marg. noſtra. *ulla idem parte.* etiam rectè. Preig.

845. *Quare in utraque mihi pariter*] In utraque ratione nempe & in eo, quod tollit inane,

Nam quid in oppreſſu valido durabit eorum,
Ut mortem effugiat lethi ſub dentibus ipſis?
Ignis? an Humor? an Aura? quid horum? Sangüis? an Os?
Nil

INTERPRETATIO.

Quid enim eorum cum valido morſu premit Mors ſub ipſis lethi dentibus mortem evitare poſſit? An Ignis, Aër, Aqua? Quid horum? an Sanguis, an Oſſa?

VARIÆ LECTIONES.

852. *effugiat.* efficiat G. Y. Z. *ſub dentibus.* ſub cœtibus E. P. ſub motibus, *Muretus.* ſub dentibus *priſc. codd. Pii. effugiat.* efficiat Q. *dentibus.* cœtibus Q.

853. *Ignis.* Ignibus G. Z. *aura* aqua Q1. *ſangüis? an os?* ita meliores MSS. Q2. Y. Z. *ſed manu eadem ſuperſcrib.* ad nos. *Alii varie. Plurimi,* Sanguen? an oſſa? ſanguiſne, anne os? A. ſanguis, anne os? B. ſanguis an? anne os? C. E. N. ſanguis ad nos O. ſanguis omos Q. ſanguinis anne os? H 2 P. *in not.* Q 1. ſanguis an oſſa? D. ſanguis an? os an? *Creech.* ſanguinis ad nos P. ſanguis ὁμοίως. *codex Pii.* ὁμοιῶς *legi velit Pius.*

NOTÆ.

& in eo, quod vult corpora in parteis infinitas ſecari poſſe: *pariter atque illi*, id eſt æquè, atque illi, ſeu ita ut illi, videtur errare. Lamb.

847. *Adde quod imbecilla*] Cùm primordia rerum debeant eſſe validiſſima, atque ab omni injuria tuta. Lamb. Quæ tamen ſolida eſſe deberent. Fab. Tertiò v. 12. arguit, quod cum Anaxagoras vellet conſtare ſimilia ex ſimilibus, & Principia eſſe ejuſdem planè cum Compoſitis naturæ, ſequeretur, ut Compoſita, ſic ètiam Principia interire poſſe: Et nulla certè ratio eſt, cur, ſi major quædam Carnis portio corruptioni obnoxia ſit, non ſit quoque obnoxia minor, cùm etiam, tametſi conſiſtas in aliqua minima, non appareat, quamobrem illa, dum Caro ſit, pati aliquid, deſtruique non poſſit: At ſi Principia corrumpantur, in *Nihilum* recident, quod abſurdum & impoſſibile eſſe olim demonſtratum eſt. Creech.

848. *Si primordia ſunt*] ἐπανόρθωσις, ſeu διόρθωσις. Lamb. *Si* Correctio; ἐπανόρθωσις, Si tamen vocare principia debemus, &c. Fab.

848. *Simili atque*] Itaque eſſe principia non poſſunt. Alioqui crearent aliud principium, quod ridiculum. Fab.

850. *Neque res ulla refrænat*] Subaudi, Illa principia. Fab.

851. *In oppreſſu valido*] In acri oppreſſione. Lamb.

852. *Cætibus*] In congreſſu perniciei. tale apud Plautum Amph. 2:2:25. *Primo cætu vicimus.* priſcum tamen exemplar *dentibus* habet: per *dentes* corruptionis aſſiduas mutationes intellige: quæ res genitas prementes cogunt eſſe obnoxias perniciei: unde Vetuſtas ab Ovidio dicitur *edax.* Pius. *Dentibus.* Sic veteres libri. Optiṁe. Quidam veteres: *rentibus*, *cætibus* male. Gif. Sic habent libri manuſcripti. quæ ſcriptura ſi emendata eſt, tralatio ducta eſt à feris: quæ quidquid invadunt, *dentibus* dilacerant, & diſcerpunt. In pleriſque libris vulgatis legitur,

Leti ſub cœtibus ipſis:

in nonnullis,

Lethi ſubeuntibus ipſis:

planè mendoſè. aſſenſus ſum aliquando viro cuidam doctiſſimo, qui putabat hoc loco legendum eſſe,

Leti ſub motibus ipſis.

cujus conjecturam poſſum confirmare exemplo ex libro 2:957.

Et quaſi jam leti dominantem in corpore motum.

Ego tamen à vetere ſcriptura diſcedere non ſum auſus. Confirmare eam poteſt Arnobius lib. 2. Adverſus Genteis: *Hæc cum ita ſe habeant, & cum ab ſummo traditum teneamus auctore, non eſſe animas longè ab hiatibus mortis & faucibus conſtitutas, &c.* tale eſt illud Ciceronis, *Urbs ex faucibus Fati erepta:* & illud Craſſi, *Eripite nos ex faucibus eorum.* & iterum illud Arnobii eodem libro, *Ab Orci*

Nil, ut opinor, ubi ex aequo res funditus omnis
Tam mortalis erit, quàm quae manifeſta videmus
Ex oculis noſtris aliqua vi victa perire.

At

INTERPRETATIO.

Nihil ut puto. Omnis enim res æque obnoxia eſſet interitui ac ea quæ noſtris oculis apparent vi aliqua fracta aut diſſipata interire:

VARIÆ LECTIONES.

854. *ubi.* ibi X. *ex æquo.* ex quo Q 2. ex æquore Y.
855. *quæ.* nos X.
856. *victa.* cuncta B m. Q. X.

NOTÆ.

ci faucibus vindicari. Lamb. Mors omnia abſumit, τρώγει, devorat, Catull. inde & *Cancros* & *fauces* Orci legas; ita hic *dentes* lethi. Fab. *Sub dentibus.* Alii *Sub Cœtibus:* Quidam libri *Subeuntibus:* Muretus legit *Sub Motibus:* At *Dentibus* aptiùs convenit *Oppreſſu valido* in verſu præcedenti. Creech.

853. *Sanguinis ad nos*] Corrigendum, *ſanguinis an ne os:* ſenſu tali: quid eorum durabit cum venerit hora diſſolutionis & exitii ignis: an aqua: an anima hoc eſt aër: an oſſa quæ membrorum ligamenta ſunt in homine: quæ terræ repræſentant elementum: nihil ex his certe corruptioni poterit obſtare. per ignem intelligit elementum: quod in homine eſt: per humorem aquam, per auram aërem, per os terram. Reperio in codice viri docti Codri Bononienſis grammatici: cujus mihi legendi copiam fecit Bartholomeus Blanchinus, facundus & eruditus municeps meus, Muſarum ſacerdos intimus: *ſanguis* ὁμοίως: qua dictione ſignificatur *ſimilis.* poſſet quoque legi ὁμοιῶς pro *ſimiliter.* Pius. Mirè corrupti ſunt hoc loco codices tum manuſcripti, tum typis excuſi: eorumque omnium varietatem longum ſit proponere. alii enim habent, *ſanguinis ad nos?* alii, *ſanguinis, an ne os?* alii, *ſanguis, omos?* alii *ſanguis* ὁμοίως? alii aliter. Ego eam ſcripturam ſecutus ſum, & quæ proximè accedit ad veterem, & quam reperi aſcriptam ad oram cujuſdam libri manuſcripti. M. Anton. Muretus putabat eſſe legendum,

Quid horum? ſanguis, an oſſum?

Oſſum autem ab antiquis uſurpatum eſt pro *oſſe*, teſte Soſipatro Chariſio lib. 1. *Oſſo.* Varro ad Ciceronem 13. *Olivo & Oſſo.* Idem: *Oſſe* ſcribebant, non *Oſſo*, quamvis Gell. lib. 33. dixerit, *Calvariæque ejus ipſum oſſum expurgarunt, inauraruntque.* Idem Muretus exiſtimat apud Terent. in Eunucho 2: 2: 34. legendum,

Viden', oſſum, & cibus quid faciat alienus?

ſed non eſt ita. nam ex librorum manuſcript. veſtigiis legendum, ut conjecit Langius,

Viden' os ſuum, & cibus quid faciat alienus?

os ſuum autem, *cibus alienus*, ἀντίθεσις eſt. Jam quod quidam hoc loco legi voluit, *ſanguiſne, an ne os?* τετύφωται. Lamb. *Sanguis anne os.* Sic reſtitui ex veſtigiis vet. librorum, quæ ſunt: *ſanguis onos, ſanguis an os, ſanguinis ad nos.* Vulgati: *ſanguis an, anne os.* Lambinus: *ſanguen an oſſa.* Non male, ut inf. ſed a libris nolim diſcedere. Gif. *Sanguis an oſſa. Sanguis, anne os?* Gif. *Sanguis an? anne Os?* Nard. Codd. *Sanguinis ad nos*; *Sanguinis onos: Sanguis* ὁμοίως Aliqui legunt *Sanguis, an Oſſum?* Oſſum enim Veteres agnoſcunt. His adderem *Sanguis an? Os an?* Creech. Qui receptam Lectionem *ſanguis an oſſa* hic ſollicitare in animum induxerunt ſuum, næ illi ad verſ. 860. plane cæcutiiſſe videntur. Preig. Non; in ſcandendo *ſanguis* divelli debet; & hic Poëta in ſing. numero loquitur, ibi, quantum poteſt, in plurali. Hav.

856. *Aliqua vi victa perire*] Vi victa: comploſio, ut apud Virgilium Georg. 1: 74.

Siliqua quaſſante legumen.

& Æn. 2: 250.

--- *ruit Oceano nox.*

& Æn. 4: 380.

--- *neque te teneo, neque dicta refello.*

vel dic eſſe παρήχησιν. Lamb. Φροῦδα οἴχεσθαι, ἀφανῆ γίνεσθαι. Fab.

At neque recidere ad Nihilum res poſſe, neque autem
Creſcere de Nihilo, teſtor res ante probatas.
Praeterea quoniam Cibus auget corpus, alitque:
Scire licet, nobis Venas, & Sanguen, & Oſſa,
Et Nervos alienigenis ex partibus eſſe:
Sine Cibos omneis commiſto corpore dicent
Eſſe,

INTERPRETATIO.

At Res neque in Nihilum recidere, neque è Nihilo oriri poſſe allata olim argumenta fidem faciunt. Præterea quum Alimentum nutrit, & auget noſtra Corpora, certi eſſe poſſumus Venas: Sanguinem, Oſſa & Nervos è partibus diſſimilibus componi: Si autem contendant Alimentum è commiſto Corpore

VARIÆ LECTIONES.

857. *At.* ut X. *recidere ad.* neque cedere jam ad C. E. H 2. N. neque recidere jam ad c. H 1. reccidere L. Z. decedere Q 1. recedere Q. X. Y. *ſed in Y. a. pr. m. fuit* recidere. *quod producere ſolet Poëta.*

860 *Scire licet, nobis.* ſeu vel ut in nobis, C. E. H 2. N. *Sanguen* Sanguin Y. Z.

861. Deeſt hic verſus C. E. G. U. P. X. Y. Z.

862. *Sine.* Sin *Editi. ſed* ſine *pro* ſin *recte Voſſius ex codd. ſuis* Y. Z. *quomodo eſt in* Q. X. *quod, licet ſola hæc Lucretii auctoritas mihi adſit, tamen & probo, & forſan apud alios, ſi MSS. inſpiciantur, exſtare exiſtimo. Cur enim minus in* ſine *ultimam ſyllabam protrahat Poëta, quam mediam (ut verſ. 846.) facit, in* ſupera. *commiſto,* commiſtos, *Pius* in not. *corpore.* core Y.

NOTÆ.

857. *Recidere*] Dilabi: cadere rurſus: quidam *decidere* legunt, offenſi menſura ſyllabica. ego nihil immuto: quoniam ſcilicet exemplo Homeri & Maronis potuit addere alterum conſonantem ut pro nutu ſyllabæ uteretur ambigua quantitate: Pius. *Reccidere.* Sic legendum, non *recidere*, aut *recedere. recidere* autem dictum eadem ratione, qua *reppulit* (Virg. lib. 4: 214.

--- connubia noſtra Reppulit)

rettulit, *redducere*, *repperit*, *ſubbigit*, & ſimil. Cic in Mario:

Subbigit ipſe feris transfigens unguibus anguem.

reſſerre apud Hor. pro *referre*, in epiſt. ad Piſon. vſ. 135.

Unde pedem reſſerre pudor vetat, aut operis lex:

ubi vulgò legitur *proferre.* Utebantur enim hac machina veteres ad productionem brevium ſyllabarum, in verbis compoſitis, ut primam litteram verbi ſimplicis geminarent. *recidere* autem *ad nihilum*, id eſt, ut alibi loquitur, *reverti ad nihilum.* Sic locutus eſt & M Tull. Phil. 7. in extr. *Hunc tuum tantum apparatum, tamque præclarum, ne ad nihilum recidere patiare.* Lamb.

857. *Neque autem*] Elegantia Lucretiana: ſic inf. verſ. 1078.

Nec quod inane autem eſt, &c.

& paſſim. ſic 1009.

Et quod inane autem eſt. Preig.

858. *Teſtor res*] Ad fidem & probationem argumenti ſatis ea fuerint, quæ ante allata ſunt. Fab.

859. *Præterea quoniam Cibus &c.*] Talis eſt vis hujus argumenti: Corpus cibo augetur, & alitur: cibus autem, quo alimur, non eſt unus, neque unius generis. alimur enim, verbi gratia, pane, carnibus, piſcibus, radicibus, caſeo, fructibus, & baccis arborum, aqua, & vino, & ſimilibus. atqui hæc ſunt alienigena & diſſimilia inter ſe. ergo neque venæ, neque ſanguis, neque cetera ſingula conſtant partibus ſimilibus: cùm omnia hæc, atque adeò ſingula, cibis illis omnibus alantur, & creſcant. Quod ſi dicant cibos omneis conſtare corpore miſto: ergo alienigenis partibus conſtabunt. Lamb. Venæ, ſanguis & oſſa variis cibis aluntur; at cibi ejuſdem generis eſſe non poſ-

Eſſe, & habere in ſe Nervorum corpora parva,
Oſſaque & omnino Venas, parteiſque Cruoris;
Fiet, uti Cibus omnis & aridus, & Liquor ipſe,
Ex alienigenis rebus conſtare putetur,
Oſſibus, & Nervis, Veniſque, & Sanguine miſto.
Praeterea quaecunque è Terra corpora creſcunt:
Si

INTERPRETATIO.

conſtare, & continere minutos Nervos, Venas, Oſſa, & Sanguinis guttas; inde ſequetur: Alimentum, quo utimur, ſive ſiccum ſive liquidum, ex partibus diſſimilibus, ex Oſſibus, Nervis, Venis, & cruore mixto conſtare. Præterea ſi omnia Corpora quæ è Terris oriuntur

VARIÆ LECTIONES.

863. *Eſſe &.* *Eſſet* Y.
864. *Oſſaque.* Oſſa X.
867. *Veniſque.* ſanieque C. E. M. G. N. U. Y. Z. ſaniſque Q. ſanguiniisque X. *miſto.* miſta G. X. Z. miſti Q 1.

NOTÆ.

poſſunt: Ergo neque ſanguis, neque venæ, *&c.* ſimilaria ſunt. Itaque Anaxagoræ homoiomeria carere poſſumus. Fab. Quartò v. 9. præclarè diſputat, Ex variis alimentis quæ diſſimilibus prorſus conſtant partibus Corpora noſtra nutriuntur, unde partes noſtri Corporis diſſimilibus conſtare ſequitur, ſingulæ enim partes, Oſſa, Nervi, Venæ, &c. diverſis & diſſimilibus Alimentis nutriuntur. Si autem dicant iſta Alimenta continere particulas Nervorum, Oſſium, &c. fateantur neceſſe eſt non eſſe in iſtis Corporibus eam, quam finxit *Anaxagoras*, Homœomeriam. Diverſas & diſſimiles partes *Alienigenas* nuncupat Lucretius. quas retenta voce Græca vulgo *Heterogeneas*, uti ſimiles *Homogeneas* vocamus. Creech.

860. *Scire licet nobis venas*] Ita rectiſſime in vet. libris, ut & mox vſ. 893. *ſcire licet non eſſe, &c.* Gif. Hunc locum nimis audaciter corruperant arrogantes quidam homines, &, quod gravius, eſt verſum proximum, neſcio quibus cauſis adducti ſuſtulerant. Alii nuper exorti, ſceleratiſſimi, & immaniſſimi barbari, hanc meam emendationem ſibi arrogarant, ut alias fere omneis. Lamb.

860. *Sanguen & oſſa*] Marg. noſtra: *ſanguin & oſſa.* vitioſe ſic forſan remanſit ex integra voce: *ſanguinem*; quam hic reſtituere omnino debuiſſent, qui ſupra vſ. 853. prætulerunt: *ſanguis? an oſſa?* vel *ſangüis* (triſyllabum) *anne os?* vel ſimilia. Imo *ſanguenque*, quod jam vſ. 837. præceſſit, quaſi contractum ex *ſanguinemque* neceſſario accepiſſent. Sed jam ex Ennio veteres etiam *ſanguen* dixiſſe conſtat, a quo, ut multa, hoc vocabulum etiam transſumpſit Lucretius. utitur eo etiam Cato de habitu. Preig.

861. *Et nervos alienigenis ex partibus eſſe*] Quia conſtant ex iis rebus quibus aluntur, & augeſcunt. At ea, quibus alimur & augemur, non ſunt ejuſdem generis, neque ſimilibus inter ſe partibus conſtant. Lamb. Hunc verſum multi Codd. non agnoſcunt, quod Librariorum negligentiæ imputandum eſt, illum enim ſibi vendicat *Lucretius.* Creech. Deeſſe hunc verſum in omnibus MSS. monent hic etiam Marginalia noſtra: quum tamen omnino hic requiratur; nec non elegantiam ac morem Lucretii referat. quum dicit *nobis* venas ex alienigenis partibus eſſe. Id genus παρέλκοντα amat Lucretius, vid. vſ. 917. & ſic paſſim. Preig.

862. *Sine*] Nota, ut apud Plautum & Terentium, pro *Si autem*, vel, *Sique:* quod ob ſententiam notandum fuit. Fab.

863. *Eſſe, &*] Marg. noſtra: *Eſſet*, confuſione ſeu conflatione duarum litterarum in unam non inſolita. Preig.

867. *Veniſque*] Quidam veteres: *ſaniſque.* Hinc Marullus: *ſanieque.* Fortaſſe non male. Gif. Sic legendum, non, ut habent quidam vulgati, *nervis ſanieque:* quamvis Turnebus aliter ſentiat. Sic enim ſuprà,

Scire licet, nobis venas, & ſanguen, & oſſa, &c.

Lamb. Alii legunt *Savieque:* at quis non videt ex

Si ſunt in Terris, Terras conſtare neceſſe eſt
Ex alienigenis, quae Terris exoriuntur.
Transfer item, totidem verbis utare licebit:
In Lignis ſi flamma latet, fumuſque, ciniſque:
Ex alienigenis conſiſtant Ligna neceſſe eſt,
Linquitur hic tenuis latitandi copia quaedam:

INTERPRETATIO.

ſint in terris, tum neceſſe eſt Terras conſtare ex iſtis Diſſimilibus *rebus quæ ex iſtis terris oriuntur: Alias res contemplare, ſi enim Flamma, Fumus, & Cinis ſint in Lignis, tum Ligna ex* Diſſimilibus *componi neceſſe eſt. Hujus verò argumenti vis aliquali reſponſo eludi poteſt,*

VARIÆ LECTIONES.

869. *terras.* terram G. N. X. Y. Z.

873. *conſiſtant.* ut conſtent Q 1. Inſerunt *Ex alienigenis quæ lignis exoriuntur, Præterea tellus quæ corpora cumque alit, auget* C. L. P. *Præterea tellus quæ corpora cumque alit auget Ex aliegenis quæ terris exoriuntur* V. *Præterea tellus quæ corpora c. a. a. Ex alienigenis quæ lignis oriuntur* G. Y. Z.

874. *tenuis l. c. quædam.* quædam. l. c. tenuis G. Y. Z. *Forſan rectius.*

NOTÆ.

ex v. 860. *Veniſque* retinendum? Creech. Turn. Adv. 19: 15. *ſanieque.* Preig.

868. *Præterea quæcunque è Terra, &c.*] His v. 6. contra Anaxagoram ſextum proponitur argumentum: Si Omnia quæ è Terra oriuntur in Terra latuerint, neceſſe eſt ut Terra conſtet è rebus diſſimilibus, quoniam Corpora diſſimilia è Terris oriuntur: Urgetque inſuper, Si Flamma, Fumus, & Cinis, quæ ſunt res inter ſe diſſimiles, in Lignis ſint, tum Ligna è Rebus diſſimilibus componi; ideoque nullam eſſe Homœomeriam. Creech.

869. *Si ſunt in terris*] Id eſt, Si in terra latebant priuſquam creſcerent, ergo terra ipſa ex alienigenis conſtabit, *quæ* (alienigena) *è terris exoriuntur.* Fab.

869. *Neceſſe eſt*] Ea enim omnia, ſi cum ligno comparentur, alienigena omnino ſunt. Fab.

870. *Quæ terris exoriuntur*] Quæ alienigena ex terris oriuntur. Lamb.

871. *Transfer item*] Transfer ſimiliter ad alia. Lamb.

873. *Ex alienigenis conſiſtant*] Nempe flamma, fumo, cinere. Lamb. Poſt hunc verſum ex Gloſſemate irrepſerant duo verſus, ut & ſupra, qui abſunt a vet. libris. Gif. Quid ſibi cum iſto verſu:

Ex alienigenis quæ lignis exoriuntur.

voluerit Lambinus; ſatis mirari nequeo. Reliqui duo:

Præterea tellus quæ corpora cumque alit auget
Ex alienigenis quæ lignis exoriuntur.

quos repræſentat nupera Ed. Lond. in var. lect. in Marg. noſtris etiam comparent, ſed pro *lignis terris* habent. quod procul dubio ad mentem fabricatoris eſt, & illud quod Lucretius dixit clare repetit. Preig.

873. *Ex alienigenus quæ lignis*] Quæ *alienigena*, nempe *flamma, fumus, cinis, exoriuntur è lignis*: quæ ligna alio ſunt genere, quàm *flamma, fumus, cinis.* verſum qui in libris vulgatis deinceps ſequebatur,

Præterea tellus, quæ corp. cumque al. aug.

temere inculcatum, ſuſtuli. Hunc quoque verſum,

Ex alienigenis quæ lignis exor.

Thraſo delendum cenſet, ὄνος πρὸς λύραν. Lamb. Poſt hunc verſum inſerit *Lambinus*,

Ex alienigenis quæ lignis exoriuntur:

Et caſtigat *Giſanium* qui delendum eſſe cenſuit, At dum deleatur iſte verſus iraſcatur *Lambinus.* Creech.

874. *Linquitur hic tenuis latitandi*] Habet (inquit)

Id quod Anaxagoras ſibi ſumit, ut omnibus omneis
Res putet immiſtas rebus latitare: ſed illud
Apparere unum, cujus ſint pluria miſta,
Et magis in promptu, primaque in fronte locata:
Quod tamen à vera longe ratione repulſum eſt.
Conveniebat enim Frugeis quoque ſaepe minutas,
Robo-

INTERPRETATIO.

eoque utitur Anaxagoras; docet enim res omnes Rebus omnibus immiſtas eſſe, illud vero ſolum apparere, cujus ſunt plurimæ partes in compoſito, exterius & in ſuperficie collocatæ. Hoc autem reſponſum à veritate eſt longiſſimè remotum. Aliter enim oporteret fruges minutas,

VARIÆ LECTIONES.

875. *ut.* & Q. X.
876. *immiſtas.* immiſtis Q. I.
877. *pluria.* plurima G. Y. X. Z.
880. *minutas.* minacis C.E. Bm. N. X. minace G. minaci, V. Y. Z.

NOTÆ.

quit) hoc loco latebram Anaxagoras, in quo delitescat, nempe id, quod dicit, res omneis in omnibus rebus eſſe miſtas, & confuſas: ſed illud unum apparere, cujus plura ſint miſta, & in prima fronte poſita. Lamb. Proponit Anaxagoræ ſententiam, eamque v. 22. protinus invadit: Hæc vero *Anaxagoræ* ſententia in hunc modum ab Ariſtotele expreſſa eſt. *Res & apparere, & denominari invicem differentes aïunt, ab eo, quod in infinitorum miſtura maximè abundat: Non enim eſſe totum purè aut album, aut nigrum, aut dulce, aut Carnem, aut Os; cujus autem amplius unumquodque habet, eam talis rei naturam videri.* Senſus eſt, Carnis nomine v. g. non eſſe intelligendam naturam ſimplicem, ac uniuſmodi, ſed congeriem plurium, imò innumerabilium, diverſarum particularum, quæ hanc Corporis ſpeciem, quam dicimus Carnem, tum faciunt, cum major quædam eſt copia illarum particularum, quæ ad talem ſpeciem exhibendam idoneæ ſunt, quàm cæterarum quarumcunque quæ ſub illis delitescentes ipſis concedant formam & nomen: facta autem exſolutione, translationeque earundem partium in aliam congeriem, tum particulæ carneæ cum cæteris delitescentes & nomen & formam ſimiliter concedant aliis, quarum Copia major fuerit, & ſpecies viſibilior: Adverſus v. 880. objicit *Lucretius*, quod ſi hæc vera eſſet ſententia, tum in detritione Frugum, Herbarum, & ſimilium, oporteret aliquando apparere ſpeciem Sanguinis, Lactis, aliarumve id genus rerum, &c. *Gaſſendus.* Creech.

874. *Fugæ copia*] Id quod ſequitur, ut omnibus rebus res omnes immixtæ ſint. Fab.

875. *Sibi ſumit*] Supponit, nec ſatis probat. Fab.

877. *Pluria*] Sic legendum. ſic enim loquebantur veteres. Terent. Adelph. 1:2:44.

Te pluria in hac re peccare oſtendam.

Idem Phorm. 4: 3: 6.

--- *multa advenienti, ut ſit, nova hic compluria.*

Cato Origin. lib. 2. *Fana hoc loco compluria.* M. Tull. Protag. *Confirmandi genera compluria.* Quin A. Gellius teſtimonio veterum confirmat, *pluria* & *compluria* potiùs eſſe dicendum, quam *plura* & *complura.* Lamb. Sic Veteres, ut *Compluria* apud Terentium. Valeant B. & Nard. cum ſuo *Plurima.* Creech.

877. *Unum*] Series verborum, Cujus mixta ſint plura, οὗ τινος χρήματα πλείω τυγχάνῃ. *unum*, pro *unicum.* Emenda locum Ovidii lib. 2. Triſtium,

Corruit hæc igitur Muſis accepta ſub uno,
Sed non exiguo, crimine lapſa domus.

Le-

Robore quom ſaxi franguntur, mittere ſignum
Sanguinis, aut aliûm noſtro quae corpore aluntur:
Cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem.

Con-

INTERPRETATIO.

cum vi lapidis molaris frangantur, Sanguinem vel aliquid tale (nervos puta & medullam) quale in noſtro corpore nutritur, emittere:

VARIÆ LECTIONES.

881. *cum ſaxi.* cum in ſaxi Q. X. Y. Z. cum in ſaxis Q I,

882. *aut aliûm.* aut aliquid A. B. C. E. N. P. Q. V. X. Y. Z. *noſtro quæ corpore.* noſtra quo corpora A. B. I. noſtro quo corpore G. noſtro in quæ corpore E.

883. *Cum lapidi lapidem.* Cum lapidem in lapidem Bm. P. X. *codd. tamen Pii* lapidi lapidem. *hoc ſi placet* in *&* terimus *debent jungi.* quo lapidi lapidem Q I. cum lapidi in lapidem G. X. Y. Z. *terimus.* terremus Q. Y. Z.

NOTÆ.

Legendum eſt, *Si non exiguo.* Senſus enim hic eſſe debet: Si grave peccatum meum eſt, quo familia noſtra Muſis accepta corruit, illud ſaltem unicum eſt; ſi quid graviter deliqui, id ſemel feci non pluries. FAB.

880. *Minutas*] Quidam libri manuſcripti habent *minacis. minacis* autem (ut cohæreat cum voce *ſaxi*) interpretor, duri, rigidi. tralatio eſt. in uno cod. manuſcr. legitur *minaci*, ut conjungatur cum voce *robore:* in quo ineſt etiam tralatio. in quibuſdam impreſſis,

Fruges quoque ſæpe minutas:

atque ita habet codex Memm. eamque puto eſſe rectam ſcripturam. LAMB. *Minaci* B. Nard. *Minacis.* CREECH. Totum locum ex optimis MSS. ita puto eſſe legendum:

--- --- quoque ſæpe minaci
Robore quom in Saxi fr. &c.

hic enim *in* & *franguntur* debet jungi, pro *infringuntur*, qualia multa in Poëta hoc. HAV. Marg. noſtra *minaci*, aſtipulantibus variis lectionibus ed. nuperæ. ut ſit epitheton roboris, ſive ſaxi molaris. Quod quidem non ita contemnendum mihi videtur. Supra etiam dixit: *minaci murmure* de vento. ſimilia forſan alibi de rebus aliis; quæ jam non ſuccurrunt. Certe *fruges minutas* frumentum appellare debuit. At quo exemplo potuit? cur *minutas?* quia franguntur? at tum potius dixiſſet: *dum minuuntur?* an quia ex granis, quæ parva ſunt, conſtant? At vero id nimis otioſum atque ſupervacaneum eſt, imo præter ullam rationem. Transſumptum procul dubio hoc adjectivum eſt, ut in promptu erat, ſed inconſiderate factum eſt, ex verſ. 889. & 891. Pari facinore ac ſupra vſ. 815. ad vocem *miſta* monitum a me eſt. PREIG.

881. *Franguntur*] Marg. noſtra *in franguntur.* Quid ſi ergo iſta conjungamus; ut fiat verbum *infranguntur* pro *infringuntur.* Vide quæ ex Voſſii ad Catull. obſ. ſupra ad verſ. 71. notavimus. PREIG.

882. *Sanguinis*] Quia ex frugibus gignitur ſanguis in corpore humano. LAMB.

882. *Aut aliquid noſtra*] Non dubito, quin hæc veriſſima ſcriptura, etſi in libris ſit: *noſtro quæ corpore.* Mendo cauſam dedit *noſtra. Aliquid* ſc. præter fruges. GIF. *Aut aliûm.* Aut aliorum, ſignum ſubintellig. quæ in noſtro corpore aluntur, verbi gratiâ, venarum, nervorum, oſſium, *aliûm*, id eſt aliorum. Sic eſſe legendum ratio & veritas advincunt. Hoc enim ſentit Lucretius: Si verum eſſet quod Anaxagoras ſibi ſumit: conveniebat, fruges quoque minutas, cum moluntur, ſignum ſanguinis mittere, aut aliarum rerum, quæ in noſtro corpore aluntur, verbi gratia, nervorum, venarum, oſſium, &c. Quod autem quidam legentes *aut aliquid*, ut eſt in libris vulgatis, & nonnullis manuſcriptis, ſubjiciunt,

Noſtra quo corpora aluntur.

modis omnibus ineptum eſt. Conveniebat, inquiunt illi, fruges minutas, aut aliquid præter fruges, quo noſtra corpora aluntur, ſignum mittere ſanguinis. falſum poſſent enim ſignum mittere

Conſimili ratione Herbas quoque ſaepe decebat,
Et laticis dulceis guttas, ſimilique ſapore
Mittere, lanigerae quali ſunt ubera lactis:

Sci-

INTERPRETATIO.

ſimiliter etiam oporteret herbas dulces humoris guttas, & ejuſdem ſaporis cum lacte fundere:

VARIÆ LECTIONES.

884. *Herbas.* Herbis X. Y. Z.
885. *laticis.* latices Y. Z. *ſimilique.* ſimileſque Z.
886. *lanigeræ.* lanigero, *corrigit Pius in not.* *quali ſunt.* quales ſunt C. E. N. P. Q. X. Y. *ſed a pr. m.* qualis. *ubera.* ubere C. E. G. N. P. Q. Y. Z. rubore X.

NOTÆ.

tere oſſium, aut nervorum, aut venarum, & cetera. Præterea illud *fruges minutas*, nimis longè diſtat ab hoc *aut aliquid.* deinde quod in *aliquid* ſubintelligunt, præter fruges, fictum ad libidinem contra uſum Latini ſermonis. Poſtremo verſus inconcinnus eſt, *noſtra quo corpora aluntur.* Quid multa? omnia ipſo auctore digna, Lucretio indigna, ratione carentia, atque abſurda. Lamb. Ceterarum rerum quæ, *&c.* locum hunc optime reſtituit Lambinus. Fab. Ita optimè reſtituit Lambinus: & ſolus *Nardius*, ejuſque ſimiles amant

Aliquid noſtra quo Corpora aluntur;

Nec alii magis ſapiunt, qui legunt

Aut aliquid, noſtro in quæ Corpore aluntur.

Creech. Marg. noſtra: *aliquid*, quod & Var. Lect. Anglicæ ed. referunt. Unde vere, & recte Viri docti reſtituerunt,

--- aliquid, noſtra quo corpora aluntur.

quod procul dubio immutatum fuit ab iis, qui neſcirent poſteriorem ſyllabam in *noſtra* produci hic poſſe. Quid autem tam durum, quam: *ſanguinis, aut alium?* pro aut aliarum rerum. deinde, quænam illa tandem ſunt, *noſtro quæ corpore aluntur?* Preig.

883. *Quom lapidi lapidem ter.*] Hæc ſcriptura probabilis eſt, ſive *lapidi* ſit dandi caſus, ſive ſeptimi pro *lapide*, ut *colli* pro *colle*, *contagi* pro *contage*, & ſimil. apud hunc ſcriptorem. Lamb. *Lapidi lapidem.* Quidam libri: *lapidem in lapidem.* Gif. *Cum lapidi lapidem &c.* Primus ego, ni fallor, moneo, verſum hunc adulterinum eſſe, atque adeo hinc ejiciendum. Nihil enim aliud in eo eſt quam quod in verſu ſuperiore lectum fuit:

Robore cum ſaxi franguntur, mittere ſignum
Sanguinis ---

Illud autem *manare cruorem*, nonne idem eſt cum τῷ *mittere ſignum ſanguinis?* Sed unde natum putem, ſi roges, dicam, ex gloſſemate ſcilicet, aut aliquo conſimili loco, qui ad oram libri adſcriptus à ſtudioſo lectore fuerat ad illa verba [*Robore cum ſaxi franguntur*,] Poterat quidem hanc Virgilii imitationem ſignificaſſe, Æn. 1: 183.

Et terrere parant flammis & frangere saxo,

qui locus haud dubie ex hoc Lucretiano expreſſus eſt: ſed maluit addere illum Plauti ex Aſinaria 1: 1: 16.

Num me illuc ducis ubi lapis lapidem terit?

Id eſt *in piſtrinum.* Fab. *Cum Lapidem Lapidi terimus.* Hunc verſum ejiciendum eſſe monet *Faber*, quoniam nihil in eo eſt, quod in priori verſu

Robore cum ſaxi franguntur, mittere ſignum
Sanguinis ---

non legitur. Turnebus tuetur, & docet intelligendum eſſe de quodam molendi genere, in quo *Lapis Lapidem terit*, ut eſt apud Plautum, Aſin. 1: 1: 16.

Num me illuc ducis ubi Lapis Lapidem terit?

Aliquando putavit Lambinus ferri non poſſe lectionem vulgatam *Manare cruorem* (quamobrem enim conveniebat ex Lapidibus colliſis & contritis cruorem manare) legendumque eſſe *Manare Calorem*, i. e. Ignem ſeu Flammam, ut ſit hic

Dd Lu-

Scilicet & Glebis terrarum ſaepe friatis
Herbarum genera, & frugeis, frundeiſque videri
Diſper-

INTERPRETATIO.

Et in friatis terræ glebis minutas herbas fruges, frondeſque

VARIÆ LECTIONES.

887. *friatis* fricatis Q 1. *ut &* Z. *ſed a ſec. m.* ſinatis X.

NOTÆ.

Lucretii ſenſus, Conveniebat, ſi Anaxagoræ ſententia vera eſſet, ex Lapidibus inter ſe contritis *Calorem*, id eſt, Ignem manare. Hæc ille. Quaſi ex Lapidibus contritis ſcintillæ non exiliant: Ejiciatur igitur hic verſus tam importunus, & inutilis, ne forſan aliqui, quod jam *Fayus* fecit, ex eo concluderent *Lucretium* docuiſſe, Corpora noſtra *Saxis* & *Lapidibus* nutriri. Interpres tali ferculo digniſſimus. Creech. *Cum lapidi.* Vide Var. Lectiones. Exterminavit (& quidem recte) Faber, defendit Turneb. Adv. v: 24. Voſſius pater teſtatur in ſuis membranis ſcriptum

Cum lapidi in lapidem t. m. c.

in addendis ad c. 12. lib. 11. de Analogia. Hav. *Cum lapidi, &c.* Delendum hunc verſum monet Marginalis noſter Annotator. Recte, ut opinor: eſt enim ἀπροσδιόνυσος. nec facit ad Rhombum. Gloſſema tantum & marginalis annotatio partim ad id, quod dixit Poëta: *Mittere ſignum ſanguinis.* partim ad id quod de *frugibus robore ſaxi frangendis* dixit. cæterum pro *terimus* corrupte quidam liber MS. Y. *tenemus.* pro *cruorem civorum* vocem nihili habebat. Preig.

883. *Cruorem*] Putabam ferri non poſſe hanc lectionem vulgatam, *manare cruorem:* (quam ob rem enim conveniebat ex lapidibus inter ſe colliſis & contritis cruorem manare?) legendumque eſſe, *manare calorem*; id eſt ignem, ſeu flammam: ut ſit hic Lucretii ſenſus, *Conveniebat*, ſi Anaxagoræ ſententia vera eſſet, *ex lapidibus* inter ſe contritis *calorem*, id eſt ignem, *manare:* ſed Turneb. cui aſſentior, receptam lectionem retinet, & ait, verba illa,

Cum lapidi lapidem terimus.

intelligenda eſſe de quodam molendi genere, in quo *lapis lapidem terit*, ut eſt apud Plaut. Aſinar.

Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?

ut ſit hæc ſententia: *conveniebat*, ex *frugibus*, cum eæ lapidibus duobus & molis contritis moluntur, *cruorem* effuſè effluere. cum autem ita ſemper ediderim, quidam barbarus calumniatur me edidiſſe, *manare calorem*, ex eo, quod in erratorum emendationibus ſcriptum fuerat, *manare calorem:* quod errore librarii factum eſt, qui initio ediderat *manare calorem*, pro *manare cruorem*, meo injuſſu: ſtatim autem ſuo errore cognito, in omnibus exemplis *manare cruorem* reſtituerat, quod neſciens, juſſeram in erratorum numerum hoc referri. quod fecit: idque perverſè. nam cum eſſet in contextu *manare cruorem*, rectè: ille inter erratorum emendationes poſuit, *manare calorem.* Lamb. *Cruorem.* Ita omnes libri. Male ergo Lambinus: *calorem.* Gif.

885. *Latices*] Aquas. obiter aperiamus locum apud Papinium libro Sylvarum 4: 7: 17. nondum ſatis obvium: ubi Domitius culpa tamen mendoſi codicis, fœdiſſime eſt lapſus.

Ecce, inquit, me natum propiore terra
Non tamen portu retinent amœno
Deſides Bajæ, laticenve notus
Hectoris amnis.

Scribendum ex priſcis exemplaribus. *liticenve notus Hectoris armis:* & intelligit ſe nulla nec Baiarum nec Miſeni teneri voluptifica amœnitate. Scimus etiam Miſenum in Campania vocatum a Miſeno illo Maroniano illic ſepulto: qui fuit *Hectoris liticen*, hoc eſt lituum, retortam videlicet tubam, inflabat; de quo Maro ſexto Æneidos: (unde hæc Statium deſcripſiſſe aut coloraſſe contenderim) verſ. 167.

Et lituo pugnas inſignis obibat & haſta.

Pius. *Latices dulcis. Laticis dulcis*, male. Gif. *Et latices.* Sic legendum. & ita habent tres libri manuſcripti: quibuſcum conſentiunt lib. Pariſ. Veneti antiq. Vicetini, *conſimili ratione* (inquit) *conveniebat, herbas*, quibus paſcuntur pecudes: & lati-

Diſpertita, atque in Terris latitare minutè:
Poſtremo, in Lignis cinerem fumumque videri,

Quom

INTERPRETATIO.

hic & illic hoſpitantes videremus, deinde in fractis lignis fumum, cinerem,

VARIÆ LECTIONES.

889. *Diſpertita.* diſpartita Q. 1. *atque in terris.* & in terram P. X. in terra vi V. in terram Y.
890. *fumumque.* ſummumque P. deſunt 890. 891. G.

NOTÆ.

latices, id eſt aquas, quas potant, *guttas dulceis*, & lactei *ſaporis*, *mittere.* Lamb. *Et laticis. Latices* ex Codd. Lambinus, conveniebat enim Latices, i. e. Aquas quas potant guttas dulces, & Lactei ſaporis mittere. Hæc ille; Alii *Laticis dulces guttas* legunt: nec repugno. Creech.

886. *Lanigeræ*] Corrige *lanigero* & junge cum *ubere* ſenſu ferme tali. Si in corporibus omnia ſunt confuſa, ſimul decebat herbas mittere guttas lacteas non diſſimiles illis, quæ ex ubere ſunt lanigero. Pius. *Quali ſunt ubera lactis.* Quidam libri: *quales.* In quibuſdam: *ubere.* Gif. Simili ſapore quali ſapore eſt lac ovile. *ubera lactis*, id eſt lac: *lanigeræ*, id eſt ovis, ſeu ovi. hunc locum reſtitui à tribus codicibus manuſcriptis adjutus, quorum in duobus ſcriptum reperi, *quali ſunt ubere:* in tertio, *quales ſunt ubera.* idem Lucret. libr. 2: 370.

Ad ſua quiſque ferè decurrunt ubera lactis.

ſic Varro Tithono περὶ γήρως, dixit *mammam lactis.* Lamb. Ovis lac ipſum. Nam τὸ *uber* copiam ſignificat, *divitis uber agri*, & *ubere glebæ.* Virgil. Notum eſt, οὖθαρ ἀρούρης. Ita Ennius, p. 15.

Dolciferæ fici lactantes *ubere toto.*

ubi legendum eſt, *lactentis.* Varro etiam, uti apud Nonium legitur, dixit *mammam lactis. Ac mammam lactis ſugentem paſcere pupum*, ubi in quibuſdam codicibus male legitur *ſurgentem.* Fab. Quidam:

Mittere, lanigeræ quali ſunt ubere lactis.

quibus ſatis ſimplex videtur eſſe interpretatio, Herbas ita debere mittere humorem ſimilem illi, quem lanigeræ pecudes ubere lactis continent, id eſt, lacti, quod ex uberibus ſuis illæ emittunt. Verum longe præſtat altera lectio. *Lanigerum* quoque, ſubintellecto arietis vocabulo, dixit Ovid. Met. 7: 312.

Protinus innumeris effœtus laniger annis
Attrahitur.

Hav. Varro *mammas lactis* dixit id eſt *lac.* Noſter lib. II. verſ. 370. eadem verſus clauſula, ſed abſque tali metonymia utitur. Preig.

887. *Scilicet &*] Ut ſupra 809. *ſcilicet & niſi nos.* inf. 900. *ſcilicet & lignis non eſt tamen &c.* Preig.

887. *Friatis*] Tritis, comminutis. *Friare* ſignificat digitis terere & diſpulverare: verbum eſt Plinio togatorum eruditiſſimo peculiare. Compoſita *affrio*, & *infrio*, & *friabile:* qua dictione Plinius quoque utitur libro XXVIII. Pius.

889. *In terris latitare*] Marginalis apud nos annotatio MS. habet: *in terra vi.* quod & Voſſio Ed. nupera Lond. acceptum refert. Fortaſſe ſcripſit Lucretius:

Diſpertita in terris vi latitare minute.

diſpertita vi i. e. copia. *minute* autem *diſpertita* i. e. *pauxillis atque minutis herbis*, *frugibus*, *frondibus.* Legi etiam poteſt: *diſpertita vi in terris &c.* Preig.

889. *Minutè*] Repete ἀπὸ κοινοῦ, *decebat.* Fab.

891. *Præfracta*] In prima fronte, & in ſummo quaſi cortice fracta. ex quo *præfracti* dicuntur per tranſlationem duri, contumaces, pervicaces. Cic. offic. 3. *Cato nimis præfractè videbatur mihi ærarium defendere.* Lamb. *Cum præfracta forent.* Leviter & in ſummo cortice fracta, ſtricta. Fab.

891. *Minutos*] Decebat ſcilicet, quod ſexto ſuperiori verſu occurrit. Fab.

894. *Multi modis*] Id eſt multis modis vel *multimodis* una vox eſt, & cohæret cum voce *rebus*, verſu proximo, *multimodis in rebus. multi' modis* autem pro multis modis uſurpatum eſſe à veteribus teſtatur M. Tull. in perf. orat. *Sed quid ego vocaleis? ſine vocalibus ſæpe brevitatis cauſa contrahebant, ut dicerent multi' modis, vaſ' argenteis, paſſi' crinibus, tecti' fractis.* Lamb. Duos hoſce verſus aliunde huc translatos arbitror, (nam alibi plus ſemel leguntur) atque adeo tollendos. Alioqui dicendum fuerat non *debent*, ſed *debere.* Fab. *Verum Semina*

Quom praefracta forent, igneiſque latere minutos.
Quorum nil fieri quoniam manifeſta docet res;
Scire licet non eſſe in rebus res ita miſtas:
Verum Semina multimodis immiſta latere
Multarum rerum in rebus communia debent.

At

INTERPRETATIO.

ignesque minutulos latitantes: Quoniam vero nil tale apparere manifeſtiſſimum ſit, certi ſumus res non eſſe in rebus ita mixtas, at ſemina multis rebus communia diverſimodè mixta in unoquoque Compoſito latere.

VARIÆ LECTIONES.

894. *immiſta.* immiſſa E. 894. 895. delendos cenſet *Creech.*
895. *in rebus.* in multis *Gaſſ.*

NOTÆ.

mina multi modis, &c.] Duos hoſce verſus aliunde huc translatos arbitror, nam alibi plus ſemel leguntur) atque ideò tollendos. Alioqui non dicendum fuerat *Debent* ſed *Debere*: Faber. Sæpè leguntur: utinam indicâſſet! Et iſta de *Debere* & *Debent* ſententia atrox profectò & truculenta eſt, & quæ plurimos Lucretii verſus jugularet. Creech.

896. *At ſæpe in magnis*] Occupatio eſt, per quam adverſarium ita facit diſputantem, atque argumentantem: Quæ ex rebus exprimuntur, atque eliciuntur, ea in illis inſunt. ignis ex arboribus inter ſe colliſis & conflictis elicitur. ergo ignis in arboribus incluſus latet. Etiam fatetur Thucydides libr. 2. incendium oriri in ſilvis, ſua ſponte arboribus inflammatis ex conflictu, his verbis: ἤδη γὰρ ἐν ὄρεσιν ὕλη τριφθεῖσα ὑπ' ἀνέμων πρὸς αὑτὴν, ἀπὸ ταυτομάτου πῦρ καὶ φλόγα ὑπ' αὐτοῦ ἀνῆκε. id eſt, *Jam enim in montibus ſilva à ventis in ſeſe contrita, ſponte ſua ex ſe ignem & flammam ſurſum extulit.* Lamb. *At ſæpe magnis fit montibus.* Objectio eſt: At ſæpe fit ut ex crebro attritu cacumina arborum ſubito incendio conflagrent; ergo ignis in ligno eſt. Petitum ex Thucydide exemplum notiſſimum eſt, cui addam & illos verſus qui apud Manilium leguntur, lib. 1. pag. 27. quamquam ab opinione Epicuri diverſus abit:

Sunt autem cunctis permixti partibus ignes,
Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes,
Et penetrant terras, Ætnamque imitantur Olympo,
Et calidas reddunt ipſis in fontibus undas;
Ac ſilice in dura, viridique in cortice ſedem
Inveniunt, cum ſilva ſibi colliſa crematur.

Sed in tertio legi mallem, *Ætnaque imitantur Olympum*; quod ex Virgilio adumbratum ſcimus. Fab. *At ſæpe in magnis &c.* Proponit, ſolvitque v. 10. quod *Anaxagoras* urgebat ad probandum Omnia in Omnibus eſſe, atque adeo Omnia generari ex Omnibus. Exemplum viz. Ignis, qui latere debeat in arboribus colliſione vehementi igneſcentibus. Reſpondet *Lucretius*, Non Ignem quidem eſſe in arbore ipſa, ſed tamen ſemina Ignis ſeu moleculas Atomorum, quæ certa ac nova ratione diſpoſitæ ſpeciem Ignis exhibeant: nam alioquin ſi Ignis Actu & revera in ſylvis foret, is haud dubiè ſuas vires paſſim oſtentaret. Creech. *Arboribus &c.* Ita & lib. v: 1095.

Et ramoſa tamen cum ventis pulſa vacillans
Æſtuat in ramos incumbens arboris arbor.
Exprimitur validis extritus viribus ignis.

Sueton. in Tiberio c. vi. de ipſo: *Digrediens inde itinere nocturno, diſcrimen vitæ adiit: flamma repente e ſylvis undique exorta, adeoque omnem comitatum circumplexa, ut Liviæ pars veſtis & capilli amburerentur.* Hav.

899. *Flammæ fulſerunt flore coörto*] Ita ex vet. libris ſcripſi. In aliis: *fulſerunt flammæ fulgore coörto.* In quibuſdam: *fluxerunt*, male. *fulſerunt*, ſc. arbores. Gif. *Donec fulſerunt flammai flore.* Hunc locum fateor à me eſſe prætermiſſum, qui in libris vulgatis ſic legitur:

Donec fulſerunt flammæ fulgore coorto,

quem tamen in codice Bertiniano & Vaticano ita planè

At ſaepe in magnis fit montibus, inquis, ut altis
Arboribus vicina cacumina ſumma terantur
Inter ſe, validis facere id cogentibus Auſtris,
Donec flammai fulſerunt flore coörto;
Scilicet: & non eſt lignis tamen inſitus Ignis,

Verùm

INTERPRETATIO.

At inquies in magnis montibus ſæpe accidit, vicinarum Arborum ramos valido vento agitante inter ſe teri donec accendantur. Concedimus: In Arboribus tamen Ignis non includitur,

VARIÆ LECTIONES.

898. *facere.* fulgere Q.

899 *donec flammai fulſerunt flore coörto.* Ita A. B. *Gaſſ.* Y. *in quo* flammæ. *ut & in* Z. fulſerint, *Codd. antiq. Pii.* donec fluxerunt c. O. P. donec flammai fulſerunt igne coörto D. Q 1. coörto fulſerunt fulgure flammæ X. fulſerunt flammai flore coörto L. *Creech. Alii vero* fulſerunt flammæ fulgore coörto. *fulſerunt.* fluxerunt O.

NOTÆ.

planè ſcriptum videram. Sed neſcio quo modo fugit me ratio, cùm præſertim eundem mihi indicaſſet Adr. Turnebus paucis antè quàm excederet è vita diebus. Sic igitur legendum, ut ille admonuit ex libris veteribus. *Flammai flore* autem tralatio eſt, ſic Horatius Ep. 17: 33. dixit, *Virens in Ætna flamma.* & Homer. contra Iλ. 1: 212.

Φλὸξ ἐμαϱάνθη,

id eſt *flamma exaruit.* qua de re plura in commentariis Horat. Non diſſimile eſt illud ejuſdem Lucretii libr. 4: 452.

Bina lucernarum florentia lumina flammis.

Lamb. *Flammai flore.* Ἄνθος πυϱὸς, ut ajunt, Homericum eſt, proferturque à multis hic verſus ex principe poëta:

Αὐτὰϱ ἐπεὶ πυϱὸς ἄνθος ἀπέπτατο, παύσατο δὲ φλὸξ,

Sed poſtquam ignis flos avolavit, ceſſavit autem flamma.

Verum id legere me apud Homerum haud ſane memini; quin & illam vocem, ἀπέπτατο, Homericam eſſe non puto. Acroteleutium autem illud, παύσατο δὲ φλὸξ occurrit Iliad. Ψ verſ. 225. Tamen hujus metaphoræ ſemen eſt in alio Homeri loco, ut notare poteramus, ni occupaſſet Interpres; idque in voce ἐμαϱάνθη; qui locus legitur, Non Il. χ. ut aiunt, ſed Il. I. verſ. 212.

Αὐτὰϱ ἐπεὶ κατὰ πῦϱ ἐκάη, καὶ φλὸξ ἐμαϱάνθη.

Cui & locum alium addere poſſum, Iliad. Ψ. verſ. 228.

Τῆμος πυϱκαϊὴ ἐμαϱαίνετο, παύσατο δὲ φλόξ.

Itaque qui magis memorioſi erunt, verſum illum, ubi ἄνθος πυϱὸς viſitur, quæritabunt; Aliorum enim ſcrinia compilare meum non eſt; hoc addam tantum, Scio ego illuſtrem eſſe & luculentam metaphoram, πυϱὸς ἄνθος, *flammai flos*, &c. tamen meminiſſe non abs re fuerat in vulgatis codicibus legi,

Donec fulſerunt flammæ fulgore coorto.

Addo amplius, ἄνθος quandoque nil eſſe aliud præter *colorem vividiuſculum*; Solon apud Diogenem Laërtium, Φασί δέ τινες ὅτι κοσμήσας ἑαυτὸν ὁ Κϱοῖσος παντοδαπῶς, καὶ καθίσας εἰς τὸν θϱόνον, ἤϱετό αὐτὸν εἴ τι θέαμα κάλλιον τεθέαται, ὁ δὲ ἀλεκτϱυόνας εἶπε, φασιανὸς, καὶ ταώς· φυσικῷ γὰϱ ἄνθει κεκόσμηνται, καὶ μυϱίῳ καλλίονι. *Ajunt quidam, Crœſum, quum ſe exquiſitiſſimo omnium ornamentorum genere compoſuiſſet, ſublimique in ſolio ſederet, interrogaſſe eum, an pulchrius unquam ſpectaculum vidiſſet, illumque dixiſſe, gallos*

Verùm Semina ſunt Ardoris multa, terendo
Quae quom confluxêre, creant incendia ſylvis,
Quod ſi facta foret ſylvis abſcondita flamma,
Non poſſent ullum tempus celarier Ignes:
Conficerent volgò ſylvas, Arbuſta cremarent.

Jamne

INTERPRETATIO.

ſed multa Ignis ſemina, quæ iſta attritione in unum locum collecta accendunt ſylvas. Quod ſi tanta vis Ignis in Arboribus includeretur, ne per momentum quidem temporis celari poſſit, paſſim & continuò ſylvas conſumeret, & arbores cremaret.

VARIÆ LECTIONES.

902. *Quæ quom confluxere.* quæ tum cum fluxere P.
903. *facta.* Ita non temere c. H P. G. O. Q. V. X. Y. Z. *Reliqui habent* tanta.
904. *ullum tempus.* tempus ullum Q1. *celarier.* celerarier D.

NOTÆ.

los gallinaceos, phaſianos atque pavones; Naturali eos nitore & incredibili ſpecioſitate veſtiri. Tale aliquid apud Platonem & Plutarchum legiſſe videor. Fab. *Fulſerunt Flammæ fulgore coorto.* Alii

Flammai fulſerunt Igne coorto:

Alii è veteribus Codd. longe melius,

Fulſerunt Flammai flore coorto. Creech.

Sic fere edendum curavimus. MSS. Lamb. alioſque ſecuti, & Creechium, a quo tamen Nupera Londinenſis editio recedit, & ex Pii codd. antiq. vulgatam olim lectionem revocavit: *flammæ fulgore.* Vid. Turneb. lib. vi. adv. cap. 14. cæterum rem ipſam lib. v. etiam verſ. 1095. exponit Lucretius his verſibus:

Et ramoſa tamen quum ventis pulſa vacillans
Æſtuat in ramos incumbens arboris arbor;
Exprimitur validis extritus viribus ignis:
Et micat interdum flammai fervidus ardor,
Mutua dum inter ſe rami ſtirpeſque teruntur.

Corn. Severus in Ætna pag. m. 42.

Haud aliter, quam cum prono jacuere ſub auſtro,
Aut Aquilone fremunt ſylvæ, ſunt brachia nodo
Implicitæ, hæc ſerpunt junctis incendia ramis.

ubi vid. Scalig. Quibus adde Senec. Nat. Quæſt. lib. ii. cap. 22. Plin. xvi. cap. 40. Vitruvius quoque: *Interea, inquit, quodam in loco ab tempeſtatibus & ventis denſæ crebritatibus arbores agitatæ & inter ſe terentes ramos, ignem excitaverunt.* Virg. ii. Georg. 310. idem innuere videtur, his verbis

Præſertim ſi tempeſtas a vertice ſylvis
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.

denique & Statius vi. Theb. pag. m. 262.

Non graſſante noto citius nocturna peredit
Flamma nemus.

Preig.

900. *Terendo*] Junge cum inferioribus: & expone per ramorum attritum: & dum teruntur: ut eſt illud Maronianum in Bucolico ludicro vulgatiſſimum, Ecl. 8: 71.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Pius.

900. *Scilicet*] Reſpondens Lucretius concedit adverſario, verum eſſe, ex arboribus inter ſe colliſis flammam excitari: *non tamen* iccirco in *arboribus ignem inſitum eſſe:* ſed quædam ignis *ſemina* ineſſe: quæ ubi terendo concurrerunt, & congregata ſunt, ſilvas incendunt, *Scilicet* hoc loco affirmat, aut comprobat, proinde ac ſi ita loquatur, verum eſt illud, quod dicis, neque tamen, &c. in quibuſdam libris legitur, *Scilicet: at non eſt.* Lamb. Quidem libri: *at.* Gif.

902. *Quæ cum confluxere*] Quidam libri typis impreſſi habent, *Quæ tum cum fluxere:* quidam, *Quæ cum confluxere.* Lamb.

903. *Facta*] Illud *Facta* cum Lond. Var. Lectionibus,

Jamne vides igitur, paullo quod diximus ante,
Permagni referre eadem Primordia ſaepe
Cum quibus, & quali poſitura contineantur,
Et quos inter ſe dent motus, accipiantque,
Atque eadem paullo inter ſe mutata creare

Igneis

INTERPRETATIO.

Nonne igitur jam verum agnoſcis quod paulo ante docuimus, Plurimi plerumque intereſſe cum quibus aliis principiis, & quali ordine ſemina miſcentur; & quos etiam motus dent & recipiant viciſſim: Eademque ſemina paululum inter ſe mutata generare

VARIÆ LECTIONES.

908. *contineantur.* contingantur? c. G. H. Bm. P. Q. X. Y. Z. conjungantur F.
910. *creare.* cruore X.

NOTÆ.

nibus, tum & noſtra Marginalia ſuppeditant. Optime, ut opinor. *Nam factam flammam* & *ſemina ardoris*: ſeu flammæ ſic diſtinguere debuit; *ſemina flammæ* ſunt, unde flamma creari debet, nondum flamma ipſa, h. e. flamma jam facta ejus ignis naturam induerunt. PREIG.

905. *Conficerent*] Depopularentur. proſternerent. Similiter Lactantius libro ſecundo Divinarum Inſtitutionum. *Ignis quidem permiſceri cum aqua non poteſt: quia ſunt utraque inimica: & ſi comminus venerit alterutrum quod ſuperavit conficiat alterum neceſſe eſt.* unde *confectores ferarum* vocati: quos beſtiarios appellant. PIUS.

905. *Vulgo*] Paſſim, indiſcriminatim. lib. 5: 930.

Volgivago vitam ducebant more ferarum.

PIUS.

906. *Jamne vides igitur, &c*] Hæc hujus loci ſententia eſt: Jamne igitur perſpicuum eſt id, quod *paullo antè* dixi, multa in rebus communia rerum primordia, quæ alio atque alio ordine locata, & aliter atque aliter mota, res diſſimileis ex ſe creant? id oſtendit à ſimilitudine litterarum, quam & ſæpe alibi uſurpat. Utitur item hoc eodem verſus principio, aliis locis, ut libro ſecundo verſ. 277.

Jamne vides igitur, quamquam vis extima multos, &c.

& eodem lib. verſ. 882. hanc eandem ſententiam iterat, iiſdem pæne verſibus:

Jamne vides igitur magni primordia rerum
Referre in quali ſint ordine quæque locata?

& lib. 5: 562.

Jamne vides igitur, &c.

LAMB. Semina multa Ignis in Lignis latere ſupra affirmaverat, illa autem Ligna iſta non conſumere, quia aliis diverſæ figuræ ſeminibus impedita ſpeciem formamque Ignis induere non potuerunt; & inde v. 8. ſupra poſitam *Epicuri* ſententiam egregiè confirmat: Communia viz. eſſe multarum rerum in multis rebus ſemina, eadem principia Cœlum, Terras, Mare, omnia denique conſtituere; ideo autem res diverſas eſſe quia alia ſemina aliis diverſæ figuræ diverſo ordine junguntur, & diverſimodè moventur, ut in vocibus LIGNA & IGNIS communes ſunt literæ, at voces ipſæ ſunt diverſæ. CREECH.

908. *Contineantur*] Alii *Conjungantur: Contingantur* B. *Contignantur.* CREECH. *Contineantur.* Marg. noſtra *conjungantur.* quod & Variæ Lectiones Edit. Lond. tanquam ex Fabri Emendationibus referunt: ſed in iis nuſpiam apparet. Vulgata lectio omnino vera eſt & jam ſupra verſu 718. ſic expreſſa. PREIG.

910. *Atque eadem paullo inter ſe mutata*] Non eſt hoc ita accipiendum, quaſi primordia rerum mutentur, ſed ad ordinis, poſituræ, motionis mutationem referendum: quod ſatis declaratur ipſo loquendi genere *inter ſe mutata*, vel intellige primordia rerum aliquantum inter ſe diſſimilia ac diverſa, nempe aliis in aliorum locum ſubſtitutis,

Igneis è Lignis, quo pacto Verba quoque ipſa
Inter ſe paullo mutatis ſunt elementis,
Quom Ligna, atque Igneis diſtincta voce notemus?
Denique jam quaecunque in rebus cernis apertis,
Si fieri non poſſe putas, quin Materiaï

Cor-

INTERPRETATIO.

Ignes è Lignis, *quo pacto voces quoque ipſæ* Ligna & Ignes, *licet diverſa plane vocabula & diverſas res ſignificantia, literis paululum tranſpoſitis & mutatis in ſe invicem converti poſſunt. Denique ſi iſtas res quas ſenſu percipimus credas generari non poſſe, niſi fingas prima rerum illarum ſemina*

VARIÆ LECTIONES.

911. *Igneis e lignis.* Ignes e lingnnm G. Ignes e lignum Y.
913. *diſtincta.* diſtracta Q.1.
915. *non.* deeſt Y.

NOTÆ.

tis, vel aliis adjectis. Lamb. Non reſpicit ſubſtantiam ipſam; ſed ordinem, ſitum &c. Fab. *Mutata.* Recte Lambin. ad motum refert, quod multis etiam exemplis demonſtrat J. Fred. Gronovius Obſ. lib. III. c. I. Hav.

911. *Quo pacto*] Quemadmodum, ſic ſæpe alibi: ut lib. 2: 800.

Pluma columbarum quo pacto in ſole videtur:
& ſup. verſ. 85.
Aulide quo pacto Triviai virginis aram. &c.
Lamb.

911. *Verba quoque ipſa*] Argumentatur à pari. Mutatio aut diverſa poſitio literarum res plane diverſas efficiunt iiſdem literis manentibus, ut, AMOR, MORA, ROMA. vel demptis aut additis, AXOS, dolor, ΑΚΟΣ, remedium, ΚΟΙΝΟΣ, communis, ΚΕΝΟΣ, novus, ΚΕΝΟΣ, inanis, ΚΕΙΝΟΣ, ille, ΧΗΝΟΣ anſeris, & alia ſexcenta. Fab.

913. *Cum ligna atque igneis*] Quemadmodum (inquit) cum res diſſimiles, nempe lignum, & ignem paullum mutatis literarum elementis, aliis additis, aliis detractis diſtincta voce notamus. Lamb. Sonitu non valde diſtanti; atque adeo paullulum tantum mutatis elementis. Preig.

914. *Denique jam quæcunque, &c.*] Ultimum argumentum contra Anaxagoram ſubjicit ex abſurdo v. 6. Sequeretur enim ὁμοιομερείας ridentes, flenteſque, & alias id genus conſtitui, ut omnia ex ſimilibus fieri probaretur. Creech.

916. *Conſimili natura*] Id eſt *Homœomeria* conſimilibus partibus, ſeu conſimilium partium principiis. Lamb. Reſpicit Anaxagoræ homoiomeriam. Fab.

917. *Rerum*] Aliquid deeſſe aut inverti ſuſpicatur *Gaſſendus*, aut certè particulam *Et* interſerendam eſſe poſt *rerum.* Alia *Lambinus*; & Hi diſputent: ſive interponas *Et*, ſive rejicias, eadem eſt argumenti vis, & qui nullos in *Lucretio* hiatus patitur, Ille eſt nimis elegans, & moroſus. Creech.

918. *Fiet uti riſu tremulo*] Quidam putant, inter hunc verſum & ſuperiorem, aliquot verſus deeſſe: ego non puto. Itaque hunc locum ſic explico: Si quis exiſtimabit, nihil eorum quæ cernuntur oculis, aliunde quam ex principiis conſimilibus naſci poſſe, hac ratione primordia rerum peribunt, neque jam erunt primordia, ſed res concretæ, & genitæ, atque etiam animatæ, & rationis participes. Nam cum homines naſcuntur ex aliquibus principiis, & cum iidem interdum cachinnentur, interdum lacrymentur; fiet, ut ea principia, ex quibus homines conſtant, cachinnari quoque & lacrymari poſſint. quod erit abſurdiſſimium. Lamb. Ita abrupte ſupra 133. & alibi ſæpe. Gif. Reductio ad abſurdum. Nihil eſt in rebus creatis, ex Anaxagoræ effato, quod ex conſimili natura non ſit; itaque cum homines rideant, illud à principiis ridentibus habeant neceſſe eſt. Id autem ridiculum: Ergo. Fab.

918.

Corpora conſimili natura praedita fingas,
Hac ratione tibi pereunt Primordia rerum:
Fiet uti riſu tremulo concuſſa cachinnent,
Et lacrymis ſalſis humectent ora, genaſque.
Nunc age, quod ſupereſt, cognoſce, & clarius audi.

Nec

INTERPRETATIO.

ejuſdem & plane ſimilis naturæ eſſe, actum profectò eſſet de rerum principiis. Exinde enim ſequeretur ſemina quædam fore, quæ concuſſa riſu tremulo cachinnarent. & quæ ora & genas ſalſis lachrymis humectarent. (quædam ridentia, quædam lachrymantia principia) Nunc age quod ſupereſt cognoſce, & perſpicue explicatum accipe.

VARIÆ LECTIONES.

917. *Hac.* Hæc G. Y. Z.

918. *tremulo.* in Cod. reverendæ vetuſtatis *Pii*, ſcribitur *temulo.* uti & in Q. I. *taemulo* Z.

919. *ſalſis.* falſis, *Pius in not.* X.

NOTÆ.

918. *Cachinnent*] Cachinnos tollant. utitur hoc verbo etiam libr. 4: 1169.

Quam famulæ longe fugitant, furtimque cachinnant. Lamb.

919. *Genaſque*] Genæ oculi ſunt, aut ſaltem ea pars vultus quæ ſub oculis eſt. Ennius. p. 143.

Pandite ſulti genas & corde relinquite ſomnum.

Ovid. lib. 11. Artis amatoriæ verſ. 61.

Nec patriæ lacrymas continuere genæ.

Fab.

920. *Nunc age quod ſupereſt, &c.*] Fatigatum longa de rerum principiis diſputatione *Memmium* ad majora & ſublimiora ducit, de ſuo Carmine v. 930. magnificè loquutus: Horridam eſſe Epicuri Philoſophiam, nec ad vulgi guſtum fatetur; Promittit verò ſe verſibus ſuis ſuavibus & decoris ita illam perfuſurum & ornaturum eſſe, ut ſpecioſiſſima tandem & dulciſſima videatur: ſaltem id effecturum quod Medici faciunt, qui ingratum potionem pueris dantes Poculi oras melle contingunt; cujus ſapore decepti pueri amara etiam Pharmaca abſorbent. Improbus quidem hic labor, ſed futuræ gloriæ ſpes incitat, & ut *Memmio* ſuo totam Naturam rerum explicet, aggreditur opus difficile, arduum, & à nullo hactenus Latino Carmine tentatum. Creech.

921. *Nec me animi fallit &c.*] Hæc repetivit initio lib. V. Gif. *Nec me animi fallit.* Hunc locum imitatus eſt Virgilius libro tertio Georg. 289.

Nec ſum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quam ſit, & anguſtis hunc addere rebus honorem.
Sed me Parnaſſi deſerta per arduà dulcis
Raptat amor: juvat ire jugis, quà nulla priorum
Caſtaliam molli divertitur orbita clivo.

Jam hoc genus loquendi *animi fallit*, ſimile illis eſt, *victus animi*, *maturus ævi*, *ſaucius animi*, &c. ſic & lib. 5: 98.

Nec me animi fallit, quam res nova miraque menti
Accidat,

&c. Sic ſupra verſ. 137.

Nec me animi fallit, Grajorum obſcura reperta.

& cetera. Lamb. *Animi fallit.* Hos verſus cum Virgiliana imitatione confert Macrob. Sat. lib. VI. c. 2. Plautus ita dixit *falli ſermonis*, Epid. Act. II. ſc. II. v. 55.

Nec ſatis exaudiebam, nec ſermonis fallebar tamen,
Quæ loquerentur. Hav.

922. *Sed acri percuſſit thyrſo*] Θυρσοπλῆγες, id eſt *thyrſo percuſſi*, appellantur οἱ ἐν τοῖς βακχείοις ἐνθεαζόμενοι, id eſt *qui in ſacris Bacchi furore divino concitantur*: & Bacchi ſacerdotes thyrſos geſtabant in Orgiis. Sunt autem *thyrſi*, haſtæ

pam-

Nec me animi fallit quam ſint obſcura, ſed acri
Percuſſit thyrſo Laudis ſpes magna Meum cor,
Et ſimul incuſſit ſuavem mî in pectus amorem
Muſarum: quo nunc inſtinctus, mente vigenti
Avia Pieridum peragro loca, nullius ante

Tri-

INTERPRETATIO.

Nec me latet ea quæ dicturus ſum eſſe explicatu difficilia, ſed vehemens ſpes gloriæ acri irritamento mentem meam percuſſit, ſimulque indidit pectori blandum & potentem Muſarum amorem, quo nunc inſtinctus Alacri vividoque animo Avia Pieridum peragro loca, nullius olim pedibus calcata.

VARIÆ LECTIONES.

921. *fallit.* fallunt Bm. X.
922. *percuſſit.* percurſit Q.

NOTÆ.

pampinis involutæ atque implicatæ. Horat. libr. 2. od. 19: 8.

--- *Euœ: parce Liber,*
Parce gravi metuende thyrſo.

Lamb. *Thyrſo.* Veluti furore quodam; notum quid thyrſus, θυρσοφόρος, θυρσοπλῆγες, queis omnia plena. Fab.

922. *Percuſſit thyrſo*] Summè elegans! quodque pulcerrime illuſtrat illud Ovidii in epiſt. Laodamiae ad Proteſilaum

Ut quas pampinea tetigiſſe bicorniger haſta
Creditur, huc illuc qua furor egit, eo.

Exempla talia apud Nonnum paſſim ſunt obvia. Quare Muſa noſtri Statio notata, ut

Docti furor arduus Lucreti.

II. Sylv. VII. verſ. 76. Hav.

923. *Incuſſit amorem*] *Incutere amorem* dixit, ut *incutere metum, bellum*, & ſimil. ſic ſup. princip. verſ. 20.

Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,

Lamb. Ait in Proœmio:

Omnibus incutiens &c.

Preig.

924. *Quo nunc inſtinctus*] Quo nunc incitatus, ac ſtimulatus. *inſtinguo* compoſitum eſt à verbo *ſtinguo*, ut *præſtinguo, reſtinguo, exſtinguo, diſtinguo.* Lamb.

925. *Avia Pieridum, &c.*] Producit tanquam teſtem hunc locum Quintil. lib. 8. cap. 6. de tropis, & ait eſſe allegoriam. Et certe hanc eandem ſententiam libr. 5. videtur Lucretius propriis verbis, & ſine tropo expreſſiſſe verſu 337.

Denique natura hæc rerum, ratioque reperta eſt
Nuper: & hanc primus cum primis ipſe repertus
Nunc ego ſum, in patrias qui poſſim vertere voces.

ſic & Horat. epiſt. 19. libr. 1: 21.

Libera per vacuum poſui veſtigia princeps:
Non aliena meo preſſi pede: qui ſibi fidet
Dux, reget examen.

& Virg. lib. 3. Georg. verſ. 10.

--- *primus ego in patriam, modò vita ſuperſit,*
Aonio rediens deducam vertice Muſas,
Et viridi in campo templum de marmore ponam.

idem ibidem. verſ. 291.

Sed me Parnaſſi deſerta per ardua dulcis
Raptat amor, &c.

nam paullo antè retulimus. & Oppianus βιϐ. α. κυνηγετικ. verſ. 20.

Ἔγρεο, καὶ τρηχεῖαν ἐπιστείϐωμεν ἀταρπὸν,
Τὴν μερόπων οὔπω τις ἑῇς ἐπάτησεν ἀοιδαῖς.

id eſt,

Eia age flectamus deſerta per aſpera currum.
Qua nondum proprio callem quis carmine trivit.

ſic Euſebius non longè à principio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ dicit, ſe primum ingreſſum tale argumentum, tanquam deſertam quandam viam, & à nemine tritam, inire auſum eſſe, &c. verba ejus hæc ſunt: Ἐπεὶ καὶ πρῶτοι νῦν τῆς ὑποθέσεως ἐπιϐάντες.

Trita ſolo: juvat integros accedere fonteis,
Atque haurire: juvatque novos decerpere flores:
Inſignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velârint tempora Muſae:
Primum quod magnis doceo de rebus, & arctis

Rel-

INTERPRETATIO.

Placet adire fontes illibatos, & inde Aquas haurire; placet novos flores legere, & ex iis locis nobilem mihi Coronam decerpere è quibus Muſæ nullius unquam caput ornârunt; primum quod de rebus maximi momenti cano, animoſque hominum arctis

VARIÆ LECTIONES.

929. *velarint.* velarunt Y.
930. *doceo.* decet Q. docet X.

NOTÆ.

τες, οἷά τιν' ἐρήμην, καὶ ἀτριβῆ ἰέναι ὁδὸν ἐγχειροῦμεν, &c. Iterantur hi aliquot verſus initio lib. 4. Lamb. Tam illuſtris hic locus, ut paſſim ſint imitati, qui Parnaſſum calcarint. Virgilius præterquam in notiſſimis iſtis verſibus, ubi totum locum ab Lucretio translatum Servius notat, etiam lib. III. Georg. verſ. 8.

--- Tentanda via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum (modo vita ſuperſit)
Aonio rediens deducam vertice Muſas:
Primus Idumæas &c.

Phædrus. Propert. Auſonius. Nemeſianus. Plinius. aliique. Hav.

925. *Avia Pieridum &c.*] Vide quæ ad verſ. 419. Preig. *Pieridum.* Muſarum. *Pieria* Bœotiæ mons, in quo Muſæ genitæ dicuntur. Lamb.

926. *Solo*] Solea, pede. Itaque rectè apud Varr. lib. 4. de lingua Lat. legit Scaliger F. *quæ ſolo teri poſſunt ſola terræ.* Lamb. Planta pedis. Varr. de R. R. lib. 1. c. 47. *Solum enim hominis exitium herbæ, & ſemitæ fundamentum*, id eſt veſtigium impreſſum. Fab. *Loca.* Suſpicio olim nobis oriebatur legendum *ſola*, ut ita poëta luſerit in *ſolo* & *ſola.* Contra tamen faciebat repetitio horum verſuum alibi apud Poëtam noſtrum, ut & infra lib. 2: 144.

Et variæ volucres nemora avia pervolitantes
Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent.

Sed tamen nihil non eſt, quod confirmatum invenimus apud Voſſium patrem lib. 1. de Analogia, qui c. 41. manifeſte ita citat, ut appareat ita eum vel in MS. quodam inveniſſe, vel eam lectionem probare. Noſter quoque *Sola terræ* lib. II. uſurpavit verſ. 592. Denique par fere luſus in his vocabulis eſt apud Flavium Vopiſcum, qui narrat in vita Probi, Imperatorem devictis Gallis, iiſque coactis Romanis ex agris ſuis frumentum, equos, jumenta ſuppeditare, ita inter alia ſcripſiſſe ad Senatum: *Quid plura? illis ſola relinquimus ſola, nos eorum omnia poſſidemus.* Hav.

926. *Integros*] Nondum à quoquam libatos, ſeu deguſtatos: vel ſinceros, i. limos, & puros, εἰλικρινεῖς. Lamb. *Integros.* Hinc Horatius ad Muſam, 1: 26: 6. *ô quæ fontibus integris gaudes*, &c. Fab. *Integros.* Sic eleganter JCti terram vocant *integram*, in quam nondum pecus injicitur, & quæ depaſta non eſt a grege, in L. Sylva Cædua de verb. appell. ut notat Scalig. in Epiſt. p. 416. Hav.

927. *Atque haurire*] E fontibus integris. intellige autem, hos eſſe Muſarum fonteis. Sic Lucill. Satyra triceſima ex Nonio;

Quantum haurire animus Muſarum è fontibus geſtit.

Quidam tamen ſubintelligi volunt illa eadem duo, *integros fonteis.* ut ſit, atque haurire integros fonteis: idque hyperbolicôs dictum intelligatur. Quorum ſententiam adjuvat verſus ille, qui eſt ſupra,

 ut

Relligionum animos nodis exſolvere pergo:
Deinde quod obſcura de re tam lucida pango
Carmina, Muſaeo contingens cuncta lepore,
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur:

INTERPRETATIO.

Religionum vinculis eximo, deinde quod de rebus tam obſcuris tam lucida ſcribo Carmina, Muſæo lepore cuncta contingens: neque hoc temere videtur fieri,

VARIÆ LECTIONES.

931. *Animos.* animum C. E. P. X. Y. ſoni gratia reſtituit *Pius in not. animos. pergo.* porgo Y. Z.

NOTÆ.

ut in quibuſdam libris legitur:

Uſque adeò largos hauſtis è fontibus amneis, &c.

Nam *hauſtos* legi malo: ut habent libri emendatiores. Lamb.

928. *Inſignemque meo capiti petere*] Id eſt, & ex ea re *meo capititi coronam expetere*, ex qua re Muſæ neminem corona donarint. Lamb.

928. *Inde*] Junge cum verſu ſequenti, *unde prius.* Ex eo loco ſcilicet, unde poëtarum flores decerpſerit. Fab.

929. *Velarint*] Ornaverint. *Velare* auctore Servio eſt redimire & exornare. Maro Æn. 11: 100.

Jamque oratores aderant ex urbe Latina
Velati ramis oleæ.

Pius.

930 *Doceo de rebus*,] Cicero Orat. pro domo, *Docere Pontificum Collegium de Rebus divinis.* Creech.

931. *Relligionum*] Superſtitionum. *Diximus nomen religionis a vinculo pietatis eſſe deductum: quod hominem deus ſibi religaverit & pietate conſtrinxerit: quia nos ſervire ei ut domino & obſequi ut patri neceſſe eſt. Eo melius ergo id nomen Lucretius interpretatus eſt qui ait: religionum ſe nodos ſolvere.* Hæc Divinarum Inſtitutionum libro quarto Lactantius. Pius. Videtur ſignificare *religionem* dici à *religando*: quamquam M. Tull. ducit à *relegendo.* à quo diſſentit Lactantius libro quarto de vera ſapientia, capite vigeſimo octavo, probans à *religando* dici. Idem Lactantius libro 1. de falſa ſap. *Magnum hoc opus, & homine dignum:*

Relligionum animos nodis exſolvere pergo,

(ut ait Lucretius) qui quidem hoc efficere non poterat, quia nihil veri afferebat. Noſtrum eſt hoc officium, qui & verum Deum aſſerimus, & falſos refutamus. Lamb.

931. *Animos*] Marg. noſtra: *animum.* Quod etiam ex tribus editis libris ſeu editionibus ſuppeditant Variæ Lect. Londinenſes; vulgata lectio unde manarit nihil moramur. ſufficit, quod & in Princ. lib. IV. compareat. Preig.

931. *Porgo*] Ita ex vet. quibuſdam malui. In aliis, ut & vulgatis: *pergo.* Fortaſſe: *ex ſolvere porgo.* Quid ſit, *exporgo*, vide Indicem. Gif. *Pergo.* Codex Bertin. *porgo*: & item Memmianus, mendoſè, opinor. Lamb. In quibuſdam MSS. *porgo*; quo uſus eſt & Ennius, ut ex Servii excerptis in 1. Æneid. conſtat. Fab.

932. *Pango*] Ut ſupra, 25.

— verſibus eſſe,
Quos ego de rerum natura pangere conor.

Lamb.

933. *Contingens*] *Tingens*, non à verbo *tingo* ſeu *tinguo*, ſed à *tango.* Idem infrà: 933.

Et quaſi Muſæo dulci contingere melle.

Itaque paullo poſt malim legi,

Tali tactu recreata valeſcat.

quam, ut ſcriptum eſt in libris omnibus *tali facto.* Lamb.

934. *Lepore*] Duo lib. manuſcript. habent *liquore.* Lamb.

934. *Non ab nulla ratione*] Hoc loco *ab* non tollit, aut privat: ſed adjungit, atque adjuvat, ut *locus à frumento copioſus*, & *à vero ſenſu judicas. non ab nulla ratione* igitur, id eſt ab aliqua ratione, quod valet εὐλόγως, *meritò*, *cum aliqua ratione*, *non temere.* Lamb.

935.

Sed veluti Pueris abſinthia tetra medentes
Quom dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut Puerorum aetas improvida ludificetur

La-

INTERPRETATIO.

verum ut Medici, cum amara abſynthia pueris conantur dare, poculi oras dulci flavoque melle circumlinunt, ut incauti pueri ludificentur labrorum tenus,

VARIÆ LECTIONES.

936. *oras.* horrida P. *in not.*
937. *dulci.* dulcis B. E.

NOTÆ.

935. *Sed veluti pueris &c.*] Conſimiliter Hieronymus in Rufinum *Iccirco*, inquit, *te veneni calicem circumlinere melle voluiſſe ut ſimulata dulcedo virus peſſimum tegeret.* Huic Lucretianæ ſententiæ ſic in epiſtolis Symmachus alluſit. *Ubi vero chartulam pono: & memetipſum interrogo: cum abſinthium meum reſpicio: & circumlita melle tuo pocula deprehendo.* Quintiliani libro tertio Inſtitutionum verba ſunt hæc. *Sed ut hoc ipſo alliceremus magis juventutem ad cognitionem eorum quæ neceſſaria ſtudiis arbitrabamur: ſi ducti jucunditate aliqua lectionis libentius diſcerent ea: quorum ne jejuna atque arida traditio averteret animos, & aures præſertim tam delicatas raderet, verebamur. Qua ratione ſe Lucretius dicit præcepta Philoſophiæ carmine complexum. Namque hac ut eſt notum ſimilitudine utitur. ac veluti: & reliqua. Sic nunc nos veremur ne parum hic liber mellis, & abſinthii multum habere videatur: ſitque ſalubrior ſtudiis quam dulcior.* Pius. *Sed veluti.* Teſtem producit hunc verſum Nonius Marcell. in voce *abſinthium*, & in voce *tætra.* Quintilianus porrò lib. 3. in princip. hunc locum reſpiciens ita ſcribit: *In ceteris enim admiſcere tentavimus aliquid nitoris, non jactandi ingenii gratia, &c. ſed ut hoc ipſo magis alliceremus juventutem ad cognitionem eorum, quæ neceſſaria ſtudiis arbitramur. &c. qua ratione ſe Lucretius dicit præcepta philoſophiæ carmine eſſe complexum. Namque hac (ut eſt notum) ſimilitudine utitur,* Ac veluti pueris, &c. utitur eadem ſimilitudine & Themiſtius in oratione quadam ad Nicodemenſeis, Μιμητέον ἡμῖν τοὺς σοφωτέρους τῶν ἰατρῶν. οἱ τὰ πικρότερα τῶν φαρμάκων μέλιτι τὴν κύλικα περιχρίσαντες, πίνειν διδόασι. quem locum Themiſtii protulit Muretus Var. lect. lib. 6. capite tertio. *Imitandi* (inquit Themiſt.) *nobis ſunt ſapientiores medici: qui medicamenta amariora ægris dant ebibenda, oris poculi melle circumlitis. Tætra* id eſt amara, ut Non. Marcellus interpretatur. *Medentes* i. e. medici. Lamb. Hos verſus ita convertit admirabilis poëta Torquatus Tatius,

Così à l' egro fanciul porgiamo aſperſi
Di ſoavi liquor gli orli del vaſo;
Succhi amari, ingannato, intanto ci beve,
E da l' inganno ſuo vita riceue.

Fab.

936. *Medentes*] Ακούμενοι, Medici. Fab. i. e. medici Ovid. xv. Met. verſ. 629.

--- *Nihil artes poſſe medentum.*

& ipſe Lucret. lib. vi *æditoentes*, pro æditui: 273. Hav.

936. *Conantur*] Cogitant, ſibi proponunt. Jam antea. Fab.

937. *Contingunt*] Quidem libri *Aſpergunt.* quidam: *Aſpirant.* Gif. In quibuſdam lib. legitur *Aſpergunt*: in nonnullis, *Aſpirant*, & ita apud Quintilianum, ſed ſine dubio mendoſè. Nam *aſpirant* factum ex *aſpergunt. aſpergunt* autem credibile eſt fuiſſe interpretationem verbi *contingunt*, ab aliquo litterarum ſtudioſo ad oram libri adſcriptam: deinde poſtea in contextum tranſlatam. *Contingunt* enim compoſitum verbum eſt à verbo ſimplici *tango*, non *a tinguo.* ex contactu autem rerum, maximè liquidarum, & coloratarum & ſimilium, contrahitur ſimilis liquor, & color, aliave talis qualitas. Lamb. Varro R. R. *Levi tectorio contactus paries.* Non potuit melius. Fab. Mox:

 --- *Mu-*

Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Abſinthî laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valeſcat:
Sic ego nunc, quoniam haec Ratio plerumque videtur
Triſtior eſſe, quibus non eſt tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac, volui tibi ſuaviloquenti

INTERPRETATIO.

at interim amarum abſynthium epotent, atque ita decepti non damnum aliquod hac fraude patiantur, ſed ut hauſto medicamine recreati convaleſcant. Sic Ego, quoniam hæc noſtra Philoſophia videtur horrida & triſtis iis omnibus quibus nondum fuerit perſpecta, vulguſque Hominum eam maxime averſatur, dulci

VARIÆ LECTIONES.

939. *Labrorum.* Laborum, *quaſi pro* labiorum Y. Z.
941. *tali facto.* tali tactu L.
943. *retroque.* ideoque O. P. Q.
944. *ſuaviloquente.* ſuave loquente Q 1. ſuaveloquenti X.

NOTÆ.

--- *Muſæo contingens cuncta lepore.* Imitatur Virgil. III. Georg. 403.

Et parco ſale contingunt. Hav.

937. *Mellis dulci*] Ut Sibylla apud Virg. 4: 486.

Spargens humida mella ſoporiferumque papaver.

i. e. offam melle illitam. Facit & huc locus Gellii lib. II. c. 29. *Æſopus, ille e Phrygia fabulator, haud immerito ſapiens exiſtimatus eſt; quum quæ utilia monitu, ſuaſuque erant, non imperioſe præcepit & cenſuit, ut Philoſophis mos eſt, ſed feſtivos delectabileſque apologos commentus, res ſalubriter ac perſpicienter animadverſas, in mentes animoſque hominum cum audiendi quadam illecebra induit.* Hav.

937. *Dulci flavoque*] Epithetis uſus eſt valde accommodatis. mel enim dulce & flavum eſt. Lamb.

938. *Puerorum ætas*] Pro pueris ipſis. Ita, *væ ætati tuæ*, id eſt tibi. Plaut. Terent. Fab.

939. *Interea perpotet*, *&c.*] Græci dicerent: ἵνα ἀπολαύῃ τοῦ μέλιτος. καταπίνῃ δὲ &c. Preig.

940. *Deceptaque non capiatur*] Ὀξύμωρον. quale eſt illud: *cum tacent*, *dicunt.* quomodo enim qui deceptus eſt, non capiatur? niſi dicamus, deceptam quidem eſſe puerorum ætatem labrorum tenus: ſed iccirco non capi, quia abſinthii ſucco perpotato convaleſcit. Lamb. Ὀξύμωρον. Tale illud Terentii: *At enim cave ne, priuſquam acceperis, amittas.* Ita ingenioſe ab Ennio de Pergamis Trojæ, p. 94.

Quæ neque Dardaniis campis potuere perire,
Nec, cum capta, capi, nec, cum combuſta, cremari.

Quod in Æneidem ſuam tranſtulit, more ſuo, Virgilius. Fab. Donatus ad Terent. Eunuch. Act. III. Sc. III. pag. 146. *Quia eſt & bonus dolus, quo a medentibus falli ægros, non tamen decipi Poëta Lucretius teſtatur.* Turneb. Adv. VI. 14. a feris tractum putat quæ ſuperſtratis frondibus deceptæ, in perniciofas foveas cadunt, non vero ita pueri qui amaro poculo ſed mellito epoto, convaleſcunt. Hav.

941. *Tali tactu recr. val.*] Sic malo legi, *tali tactu* inquam, id eſt tali contactu, quam, ut vulgo legitur, *tali facto recr. val.* quia libro quinto, ubi hi verſus iterantur, ita ſcriptum eſt, non, ut hoc loco, *tali facto. valeſcat*, autem id eſt convaleſcat, valida fiat. Lamb. *Tali facto.* Al. *tactu.* minus placeat. Fab. *Tali tactu* Lambinus. ex voce *Contingunt* in v. 937. Non placet. Creech. Ita ſupra 789. MSS. *facto* pro *pacto.* Hav.

942. *Hæc ratio*] Hæc philoſophia, ita ſæpe Cicero & noſter alibi paſſim. Fab.

942. *Retroque*] Ita vet. libri. Vulgati: *ideoque.* Gif. Sic habent omnes libri manuſcripti: neque vi-

Carmine Pierio Rationem exponere noſtram,
Et quaſi Muſaeo dulci contingere melle,
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Verſibus in noſtris poſſem, dum perſpicis omnem
Naturam rerum, qua conſtet compta figura.
Sed quoniam docui, Solidiſſima Materiaï

Cor-

INTERPRETATIO.

Carmine Tibi noſtra dogmata explicare, illaque ſuavi quaſi Muſarum melle circumlinere volui, ſi tali forſan ratione mentem tuam in meis libris detinere poſſem, donec Univerſam Naturam rerum perſpectam habeas. Quoniam verò ſupra demonſtravi Corpora eſſe quædam perfectè ſolida,

VARIÆ LECTIONES.

949. *conſtet.* conſtent E. *compta figura.* cuncta figura C. E. N. *Pius ex priſc. exempl.* Q. I.

NOTÆ.

video quamobrem hanc ſcripturam rejicere debeamus. nam *retrò abhorrere* nihil aliud eſſe puto, quam horrendo retro cedere, refugere, & reformidare. ut lib. 2. Æneid. 378.

Obſtupuit, retroque pedem cum voce repreſſit;
Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens trepiduſque repente refugit, &c.

Hom. Iλ. γ. 33.

--- παλίνορσος ἀπέςη.

& paullo poſt, 35.

ἂψ ἀνεχώρησε.

libri ferè omnes typis excuſi habent, *ideoque Volgus*, &c. Lamb. Rectius quam *Ideoque*, quod Codd. nonnulli exhibent. Creech.

946. *Et quaſi Muſæo dulci contingere*] Quidam libri habent *continguere*. Ego *co tingere* magis probo, à verbo *tango*. Lamb.

948. *Dum perſpicis omnem naturam quâ figura ſit compta*] Helleniſmus Plauto & Terentio, Lucilioque familiaris; *neſcio illum qui ſit*, pro neſcio quis ille ſit. Sed hoc exemplum in Pœnulo arbitror eſſe ſingulare, certe exſuperat cetera: Act. v. Sc. ii. 106.

Patrem atque matrem viverent vellem tibi.

Pro, pater atque mater viverent. *Compta* autem, prædita, ornata, culta, &c. Fab. Lib. iv. in quibuſdam Edd. *percipis*; ſed male, ut opinor. Preig.

949. *Qua conſtet comta figura*] Comta, id eſt prædita, atque ornata. Atque ita ſcriptum eſt in quattuor libris manuſcriptis, & in Pariſienſ. Venetis antiquis, Vicetinis, & quibuſdam aliis impreſſis. in uno ſcripto, & nonnullis excuſis,

Qua conſtet cuncta figura.

Hoc autem *conſtet comta*, tale eſt, quale illud ſuprà, 344.

Privata carerent.

Lamb. Lib. iv. 25. hoc hemiſtichium imitatur in: *ac præſentis utilitatem.* Preig.

950. *Sed quoniam docui, &c.*] Corpora eſſe, eaque perfectè ſolida & indiſſolubilia, Inane etiam multis argumentis affirmaverat; Ex iis vero Univerſum conſtare, nec tertium eſſe rerum genus docuerat Lucretius. Jam v. 7. nobilem quæſtionem proponit, *An Univerſum hoc infinitum ſit, an terminis aliquibus incluſum?* Variiſque argumentis evincere conatur *Omne* ex nulla parte terminatum eſſe, ſed tam multitudine Corporum, quam Inanis magnitudine prorſus Infinitum. Creech.

952. *Nunc age ſummaï ecquænam ſit finis eorum, necne ſit, evolv. item, quod inane, &c.*] Hunc locum in omnibus libris vulgatis depravatum, in quibus eſt,

Nunc age, ſumma audi, quæ nam ſit, &c.

reſtitui germanæ ſcripturæ veſtigia ſecutus, in vetuſtis exemplaribus non leviter impreſſa. Sic

enim

Corpora perpetuò volitare invicta per aevom,
Nunc age, ſummaï quaedam ſit finis eorum,
Necne ſit, evolvamus: item, quod Inane repertum eſt,
Seu

INTERPRETATIO.

& æterna, jam videamus an ſint numero Finita, vel Infinita; item quoniam probavi Inane,

VARIÆ LECTIONES.

952. *Summaï quædam.* Ita ſcribendum: Summai ecquænam *Lamb.* ſummai quænam B. D. I. V. ſumma audi quænam. C. E. Bm. N. P. Q. V. ſumma quædam Y. Z. *ſed in* Z. quædam *pro* quænam *ut a m. ſ.* ſummam audi quænam X.

953. *Nec ne ſit.* nec ſit A. B. O. Y. Z. nec ſic C. P. Q. hæc ſic C. E. N. ita *Pius* corrigit. *in not.* nec ſi volvas B. ſi te voluimus *vel* ſic tuo luamus Q 1. nec ſi te volvas X. *eſt.* ſit: Z. *ſed a ſec. manu.*

NOTÆ.

enim habet codex Vatic.

Nec ſi te volvamus:

Tettianus, Faërn.

Nec ſi te voluimus.

Bert. & Memm.

Nunc age ſumma quænam ſit finis eorum.

Nec ſit evolvamus.

Ex his igitur vitioſis ſcripturis ad rectam & veram quaſi manu ductus ſum: cujus hæc ſententia eſt: Nunc, explicemus, *ecquæ*, ſeu *ecqua*, id eſt utrum aliqua ſit finis ſummæ corporum primorum, necne ſit. Lamb. *Nec ſit evolvamus.* Sic libri veteres. Forte: *Necne.* vel *Nec ſiet.* Gif. Quæſtionem ponit, an ſumma primordialium corporum infinita ſit an finita; Dein, utrum Inane ſit immenſum & interminatum, an contra. Fab. *Summaï ecquænam ſit finis eorum, Necne ſit evolvamus.* B. Nard. *Summa audi. Summaï quænam* Fayus: *Nec ſi te volvamus. Hæc ſic volvamus* Nardius. Creech. *Summai ecquænam.* Ita edidit Lamb. ex conjectura. recenſens itidem varias codicum Scripturas. Secutique hunc Faber & Creechius. Giſanius repoſuit, *Summai quænam.* quomodo in antiquis libris inveniſſe ſe teſtatur Turneb. Adv. xix. 15. Sed omnino hic eſt præferenda lectio Membr. L. B. quæ ſolæ veram Lucretii manum ſervarunt, nempe *Summaï* (nam calami vitium eſt *ſumma*) *quædam.* Jam enim incipit diſputare hoc ne; totum an ſit finitum an vero infinitum. Hav. *Ecquænam.* Marg. noſtra: ex Voſſ. Emendd. *Quædam an.* Turn. adv. xix. 15. *quænam.* Preig.

953. *Repertum eſt*] Antea probavimus. Fab.

954. *Res in quo quæque gerantur*] Sic omnes quidem habent libri vulgati; ſed videtur legendum *genantur*, non *gerantur.* Verumtamen nihil mutandum cenſeo. ſimiliter (inquit) pervideamus, utrum *Inane*, ſive locus ac ſpatium, in quo res quæque geruntur ſeu gignuntur, ſit prorſus finitum, an infinitum. Lamb. *Gerantur.* Ita legendum. ſupra. Gif. Sic edendum curavimus, contra quam eſt factum in Ed. Nuperrima, quæ *genantur* habet; cum aliis rationibus, tum MSS. omnium auctoritate freti; quibus & Gottorpienſis, & tot alii ut & Codd. Voſſii accedunt. Preig.

956. *An immenſum pateat vaſteque prof.*] Duo lib. manuſcripti habent, *vel ad uſque prof.* ut & vulgati. Vatic. *pateat ad uſque.* Bertin. & Memm. *pateat, vaſteque.* quam ſcripturam ſequor, nam vulgata *pateat vel ad uſque prof.* ſuppoſititia eſt: quamvis eam nonnulli veteres confirmare videantur. Nam ratio, præter alios codices antiquos meliores, eam refellit. Quod enim patet uſque ad profundum, finitum eſt. Nunc autem evolvere & explicare parat, utrum ſumma rerum ſit finita, *an pateat immenſum*, & *vaſte profundum*, id eſt, an ſit infinita. nam quod vaſte eſt profundum non habet fundum. Lamb. *Vaſteque profundum.* Ita veteres quidam, recte. In aliis vet. *pateat ad uſque prof.* Non male Lambinus: *vel ad uſque.* Gif. *Pateſiat ad uſque* Nardius. Sed rectius legendum; *Pateat vaſteque.* Creech. Sic retinendum putavimus. Licet nuperrima Lond. Ed. Vulgatam olim lectionem: *pateat vel ad uſque profundum* revocet. Turn. etiam Adv. xix. 15. *vaſteque.* Preig. Ita MSS. L. B. ita Voſſius Pater ex ſuis reſtituit 11. de Arte Gram. c. 29.

Seu locus, ac ſpatium, res in quo quaeque gerantur,
Pervideamus utrum finitum funditus Omne
Conſtet, an Immenſum pateat vel aduſque profundum.
Omne

INTERPRETATIO.

ſeu Locum, & ſpatium, in quo res quæque fiunt & moventur, eſſe. Inquiramus an Omne *ex iſtis Corporibus & Inani compoſitum ſit terminis aliquibus incluſum; vel immenſum pateat, & ſine fine.*

VARIÆ LECTIONES.

954. *gerantur.* Ita G. N. X. Y. Z. geratur P. geruntur D. I. genantur *Creech. & Lamb. in Notis.*

955. *Pervideamus.* provideamus Q 1. pervideas Bm. X.

956. *Pateat vel ad uſque.* patefiat ad uſque C. E. N. P. pateat vaſteque B. D. I. *Gaſſ.* L. *Creech.* V. Y. Z. *vel.* deëſt X.

NOTÆ.

29. Ita Turneb. Adv. xix. 15. ita in ſecunda Ed. Giphan. ita olim Carus ſcripſit. Pro eo quod in nonnullis eſt *pateat ad uſque*, Petrus Candidus in Florentin. Ed. repoſuit *patefiat ad uſque*, quod ſequitur Ed. Baſ. Hav.

957. *Omne quod eſt igitur*] *Omne quod eſt* (inquit) id eſt, τὸ πᾶν, ſeu τὸ ὄν, ipſum univerſum eſt infinitum, ſive ſpectes magnitudinem, atque infinitatem vacui, ſive primorum corporum multitudinem infinitam. Cujus rei hanc rationem afferebat Epicurus: Nam ſi inane quidem eſſet infinitum, corpora autem finita: numquam copulari aut cohæreſcere poſſent, ſed perpetuo in infinito inani diſperſa ac disjecta ferrentur, cum, ubi niterentur, aut quibus fulcirentur, aut unde coërcerentur, plagis, & verberibus iteratis, non haberent. ſin corpora quidem eſſent infinita, inane autem finitum: non haberent corpora infinita, ubi continerentur. Ad hunc locum pertinent quæ ſcribit M. Tull. libr. 2. de Divinatione: *Videſne Epicurum, quem hebetem & rudem dicere ſolent Stoici, quemadmodum quod in natura rerum omne eſſe dicimus, id infinitum eſſe concluſerit? Quod finitum eſt, inquit, habet extremum. Quis hoc non dederit? Quod habet extremum, id cernitur ex alio extrinſecus, hoc quoque eſt concedendum. At quod omne eſt, id non cernitur ex alio extrinſecus. ne hoc quidem negari poteſt. Nihil igitur cum habeat extremum, infinitum ſit neceſſe eſt.* Verba Epicuri hæc ſunt ex Laërtio: Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ πᾶν ἄπειρόν ἐστι. τὸ γὰρ πεπερασμένον, ἄκρον ἔχει. τὸ δ' ἄκρον παρ' ἕτερόν τι θεωρεῖται. ἀλλὰ τὸ πᾶν δ' οὐδέν ἐστιν. ὥστε οὐκ ἄκρον ἔχει. τὸ δὲ οὐκ ἔχον ἄκρον, πέρας οὐκ ἔχει. πέρας δ' οὐκ ἔχον, ἄπειρον ἂν εἴη. id eſt, *At etiam omne, infinitum eſt. Nam quod finitum eſt, extremum habet, extremum autem ex alio quodam, ſeu præter aliud cernitur, at præter omne nihil eſt. Quare extremum non habet. at quod non habet extremum, finem non habet, quod autem finem non habet, infinitum ſit oportet.* Lamb. *Omne quod eſt igitur.* Hæc eſt & ſeries & ſententia loci hujus: Quod eſt omne, ſeu, quod eſt Univerſum, τὸ πᾶν, id nullo modo finitum eſt: nam ſi finitum ſit: tum non erit τὸ *Omne*, cum neceſſe ſit dari aliquid à quo finiatur. Fab. Primum argumentum, quo Univerſi infinitionem v. 10. probat, explicat Cicero de Divinat. l. 2. ſect. 154. Quod finitum eſt habet Extremum: Quis hoc non dederit; Quod autem habet Extremum id cernitur ex alio extrinſecus: Hoc quoque eſt concedendum. At quod *Omne* eſt id non cernitur ex alio extrinſecus: Ne hoc quidem negari poteſt: Igitur Omne quod eſt non habet extremum. Epicurus ad Herodotum. Ἀλλὰ μὲν καὶ τὸ πᾶν ἄπειρόν ἐστι, τὸ γὰρ πεπερασμένον ἄκρον ἔχει, τὸ δὲ ἄκρον παρ' ἑτερόν τι θεωρεῖται, ὥστε τὸ οὐκ ἔχον ἄκρον πέρας οὐκ ἔχει, πέρας δὲ οὐκ ἔχον ἄπειρον ἂν εἴη, καὶ οὐ πεπερασμένον. Creech

957. *Nulla regione viarum*] Nullo limite. *re-*

Omne quod eſt, igitur, nulla regione viarum
Finitum eſt: nam quâ Extremum debebat habere?
Extremum porro nullius poſſe videtur
Eſſe, niſi ultra ſit quod finiat, ut videatur,
Quò non longius haec ſenſus natura ſequatur.
Nunc extra Summam quoniam nihil eſſe fatendum eſt,
Non

INTERPRETATIO.

Omne *igitur nulla ex parte finitum eſt, ſi enim eſſet finitum*, Extremum *haberet; Extremum verò non poteſt eſſe, niſi ſit aliquid extra id quod terminat (id extremum) ex quo videri poſſit; & ultra quod noſtra videndi facultas non progrediatur. (& quod ſiſtat aciem Oculi) Quoniam verò concedendum eſt extra* Omne *nihil eſſe*,

VARIÆ LECTIONES.

958. *eſt.* ſit Z. *nam quà.* Ita V. Z. cum interrog. nota. *Plerique* namque. nam quam *alii. debebat.* debebit F. deberet I.
960. *ultra ſit.* extra ſit D. multa X. *finiat.* fineat Y. Z. *ut.* & F. aut Bm.
961. *quo.* quod C. V. P. Q. X.
962. *ſummam.* ſummum c. P. *eſt.* deëſt Y. Z.

NOTÆ.

gio viæ, eſt recta via; quod firmari poteſt ſex ſeptem exemplis apud Virgilium. Fab.

958. *Namque extremum debebat hab.*] Cod. Bertin. habet *nanquam*: ex qua ſcriptura quidam vir doctus legendum putat *Nam quà. qua* autem, id eſt, aliqua in parte. Lamb. *Namque extremum. Nam quà* Alii legunt quos negligo. Creech. *Debebat habere.* Lego, *debebit habere*, id eſt habeat neceſſe eſt. Mox lego quoque *& videatur*, pro *ut videatur*. Fab. *Namque extremum debebat habere.* Ita huc uſque lectum fuit & editum, putidè prorſus, cum ita diceret Lucretius, quodcunque igitur eſt, nuſquam eſt finitum, nam ſi finitum eſſet, deberet eſſe finitum, quomodo ſanus nemo loquatur. Verum itaque & ſincerum ſenſum ex optimis Membr. Lugd. Bat. agnoſce, emenda & lege cum interrogationis nota,

--- *Nam quâ extremum debebat habere?*

ubi tamen *debebat* mutari debet in *debebit*. Si enim finitum eſt, ubi illud quo finitur, invenies? Hav.

959. *Extremum porro, &c.*] Duos hos verſus obſcuros eſſe Omnes queruntur, nonnulli corruptos: Faber delet, neque ego retinerem, ſi ſine illis integrum eſſet, quod nobis exhibet Lucretius, Epicuri argumentum: Id facit ut retineam, &, niſi fallor, non erunt amplius obſcuri. Quidam legunt *Quoad non.* id eſt, ultra quod. Creech.

960. *Niſi ultra ſit quod finiat*] Id eſt, niſi id quod finiat, ſed ultra id, de cujus fine aut infinitate quæritur. quidam legendum putant *extrà* pro *ultrà*: quæ ſcriptura magis conſentanea eſſet cum verbis Epicuri, & M. Tullii. Lamb. *Ultra ſit.* Repone *Extra ſit* ex v. 962. Creech.

961. *Quo non longius*] Ita vet. libri. Vulgati: *quod.* Fortaſſe legendum: *quoad*, ut ſæpe alias. Gif. Locus obſcurus, atque adeò corruptus. ſecutus ſum tamen ſcripturæ veteris auctoritatem: quam ſic interpretor: *ut videatur*: nempe id extremum, quod finiat: *Quo longius*, &c. id eſt ultra quod, *hæc natura ſenſus*, id eſt viſus, ſeu aſpectus, *non ſequatur*, id eſt, non poſſit vim ſuam explicare atque expromere: ſeu non poſſit pervenire, *hæc ſenſus natura* autem δεικτικῶς. Quidam viri docti legendum putant, *Quoad non longius hoc*: id eſt, uſque ad quod extremum, & non longius hoc, ſenſus natura, nempe viſus, perveniat. codices vulgati habent, *Quod non longius hæc.* quæ ſcriptura ſine dubio depravata & corrupta eſt. Cùm hæc ſcripſiſſem anno CIϽ IϽ LXIII. barbarus quidam Zoilus tribus annis

Non habet Extremum: caret ergo fine, modoque:
Nec refert quibus adſiſtas regionibus ejus,
Uſque adeo quem quiſque locum poſſidit, in omneis
Tantundem parteis infinitum Omne relinquit.
Praeterea, ſic jam finitum conſtituatur
Omne quod eſt ſpatium, ſi quis procurrat ad oras
Ul-

INTERPRETATIO.

Omne *nullum habet Extremum, ideoque caret fine, & infinitum ſit neceſſe eſt. Nec intereſt in quibus* Omnis (*Univerſi*) *partibus conſiſtas, quamcunque enim partem illius aliquis occupat,* Omne *relinquit quoquoverſum ab ea parte æquè Infinitum. Præterea ſi Totum quodcùnque extenſum eſt aliquibus terminis finiri ſtatuatur, ſiquis progrediatur ad extremos*

VARIÆ LECTIONES.

964. *aſſiſtas.* abſiſtas D.
965. *poſſidit.* poſſedit C. N. P. X. Y. Z. adeo quam quiſque poſſedit: in omnes (*omiſſa voce* locum) Q.
967 *ſic jam.* Ita Z. ſi jam, *Alii.*
68. *procurrat.* percurrat P. Q. X.

NOTÆ.

nis pòſt hæc ſibi vindicavit, ut alia ſexcenta atque adeò omnia mea, pauculis exceptis. LAMB. *Ut videatur quo non longius*, &c. Locum hunc obſcurum atque adeo corruptum eſſe Interpres exiſtimat; additque Doctis quibuſdam viſum fuiſſe, legendum, *quoad non longius hoc ſenſus natura ſequatur.* Ego autem exiſtimo hos duos verſus, *Extremum porro ......* & *Eſſe niſi*, &c. ſpurios eſſe. Nam illud *poſſe videtur* in acroteleutio prioris, &, *ut videatur* in fine ſecundi, non placet, cum nulla ex ſimilitudine figura exiſtat. Si autem uterque verſus deletus fuerit, tum vere abſolutiſſimus ſenſus fuerit, & plane perſpicuus, legendo & connectendo,

Namque extremum debebit habere,
Quo non longius hæc ſenſus natura ſequatur.

Id eſt, *debebit habere aliquod extremum, quo longius* (id eſt ultra quod) *hæc ſenſus natura* (id eſt ſenſus videndi, ut exempla ante allata ſuaſerunt) *non ſequatur*, non pervadat. Si quis autem retineri illos velit, res jam facilis eſt ad explicandum. FAB:

662. *Nunc extra ſummam quoniam*] *Nunc* hoc loco vim habet adverſandi, ut ſæpe alias. ex hoc loco, *extra ſummam:* probabilis eſt eorum conjectura, qui putant paullo antè legendum, *niſi extrà ſit quod finiat.* jam verò mendosè habent quidam libri, *extra ſummum.* LAMB. *Nunc.* Autem. ut alibi *jam* in eadem ſignificatione. FAB. *Extra ſummam*] Nam extra Totum quid ſit? FAB.

963. *Non habet extremum: caret ergo*, &c.] Ex Epicuro ſunt hæc expreſſa: οὐκ ἄκρον ἔχει. οὐδὲ δὴ πέρας ἔχει. LAMB.

964. *Aſſiſtas*] Fayus *Abſiſtas.* CREECH.

965. *Poſſidit*] Ita conjectura ductus ſcripſi. Vide Indicem. Id eſt tenet, In libris: *poſſedit.* GIF. *Poſſidit.* Poſſidet. omnia ferme verba ſecundæ & tertiæ communia erant. Ita Catull. Virg. alii, *obſidit* pro obſidet: *fervo* pro ferveo, *ſtrido*, ſtrideo: Senſus autem eſt:- In quocumque loco Totius, ſeu ſummæ rerum conſiſtat aliquis, tantumdem infinitum relinquet in omnes partes. quod vero de telo jacto ſequitur, rem illuſtrabit. FAB.

967. *Præterea ſi jam*] Liber unus ſcriptus habet,

Præterea ſic tam.

ego tamen nihil muto. LAMB. *Præterea ſi jam*, &c. Pro Infinitate *Univerſi* iterum v. 16. Telo ſuo egregiè pugnat *Lucretius.* Eſto Omne Finitum, in Extrema illius Univerſi ora collocetur ali-

Ultimus extremas, jaciatque volatile telum,
Id validis utrum contortum viribus ire
Quò fuerit miſſum mavis, longeque volare,
An prohibere aliquid cenſes, obſtareque poſſe?
Alterutrum fatearis enim, ſumaſque neceſſe eſt,

Quorum

INTERPRETATIO.

illos fines, telumque jaciat, utrum dices iſtud telum magno impetu impulſum in eam partem in quam deſtinabatur longe evolare, an ab aliquo obſtaculo impeditum quieſcere debere? Horum enim alterum dicas neceſſe eſt.

VARIÆ LECTIONES.

969. *jaciatque.* jaceatque A.
970. *Id validis.* invalidis A. B. C. E. *Gaſſ.* N. P. X. Y. Z.
971. Deeſt hic verſus. Bm. *quo.* quod C. E. N. *mavis.* majus O. P. Q. *ſed in Not. Pius* mavis.
973. *ſumaſque.* ſummaſque P.

NOTÆ.

aliquis, & telum, aut ab aliquo ſiſtetur: ſi evolet, ultra extremam oram patet ſpatium; ſi ſiſtatur, Aliquid extra Extremum eſt. Ubicunque extremæ univerſi oræ ſtatuuntur hoc modo inſtabit *Lucretius*, & telo ſuo minabitur. Creech. *Si jam.* MS.L.B. *ſic jam*, quomodo ſe in uno etiam inveniſſe Lambinus teſtatur; dicit poſito, non conceſſo, ut loquuntur Logici. Hav. *Si jam.* Egregie unus ille quem Lambinus vidit, Liber ſcriptus: *Sic jam.* conceſſio eſt. & hæc diſtinctio poterit fieri:

Præterea, ſic jam finitum conſtituatur
Omne quod eſt ſpatium: ſi quis procurrat ad oras
Ultimus extremas jaciatque, &c.

Vulgata lectio durum neſcio quid ſonat. *ſi conſtituatur; ſi quis procurrat*, &c. Preig.

968. *Omne quod eſt ſpatium*] Univerſum. Qui *Inane* interpretantur, ineptiunt; ut patet ex v. 972. Creech.

968. *Procurrat*] Quidem libri Vet. & vulgati: *percurrat.* Forte, rectius. Gif. Sic habent omnes ferè libri typis impreſſi. duo manuſcripti, & Aldini antiq. cum Pariſ. *percurrat.* Lamb. *Procurrat.* Ita Codd. optimi. Alii *Percurrat.* Creech.

969. *Jaciatque volatile*] Virgil. lib. 4. Æneid. 71.

--- liquitque volatile ferrum
Neſcius, &c.

Idem lib. 8. 694.

Stuppea flamma manu, teliſque volatile ferrum
Spargitur.

Jaciat telum autem, ab oris extremis, aut certè ab eo loco, in quo finem conſtituerit. Lamb.

970. *Invalidis*] Utrum dicis id jaculum ab oris extremis non ad oras extremas pervenire, quoniam vires invalidæ jaculatoris obfuerunt? Quidam interpretantur *invalidis* ſummopere validis. ſenſu tali: vel ſagitta lacertoſis brachiis excuſſa longe volabit; quo colligemus vacuum non finiri. *In* aliquando auget: quod patet in *inclyto*, *incano*, & id genus multis: quo pacto locutum Maronem quidam volunt in Georgicis. 1: 373.

Nunquam imprudentibus imber Obfuit:

& Georg. 4: 564.

Ignobilis oci.

Pius. *Id validis utrum &c.*] Sic reſtitui, hanc ſcripturam efflagitante ſententia, & ipſa veritate. Id telum (inquit) utrùm vis longe volare, magnis viribus, validiſque lacertis contortum, an aliquid obſtare poſſe cenſes? Virg. libr. 2: 52.

--- validis ingentem viribus haſtam
Contorſit.

Qui *invalidis* retinent; quod eſt in lib. vulgatis, & valde validis interpretantur, τετύφλωνται, καὶ τετύφωνται. Lamb. *Invalidis --- Quo fuerit.* Id eſt valde validis. Ita vet. Lambinus: *Id validis.* & mox *Quod fuerit.* etiam non male. Gif. *Id*

vali-

Quorum utrumque tibi effugium praecludit, & omne
Cogit ut exempta concedas ſine patere.
Nam ſive eſt aliquid, quod prohibeat, officiatque
Quò minus quo miſſum eſt veniat, finique locet ſe,
Sive foras fertur, non eſt ea finis profectò.

Hoc

INTERPRETATIO.

Neutrum verò te elabi ſinet, & utrumque coget fateri Omne *ſine terminis eſſe, & immenſum patere. Sive enim eſt aliquid quod impediat, quo minus eam partem, in quam deſtinatum fuit, attingat, ibique tanquam in termino ſe ſiſtat, ſive longe evolet. ibi profectò nullus erat finis.*

VARIÆ LECTIONES.

975. *exempta.* exemto P.
976. *quod prohibeat, officiatque.* quod probeat, efficiatque G. H. P. Q. quod præbeat efficiatque X. Y. Z. faciatque C. E. N. Q 1. afficiatque *quidam.*
977. *Finique.* fineque G. Z.
978. *Non eſt ea finis profectò.* non eſt a fine profectum C. E. G. Bm. N. V. Y. Z. non eſt in fine P. a fine Q. X. *profectum.* provectum X.

NOTÆ.

validis. Rectè Gaſſendus & Alii *invalidis* pro Valdè validis. CREECH.

971. *Quo fuerit miſſum*] Eò volare & pervenire, quo fuerit miſſum. ſic autem legendum videtur, non *quod fuerit*, ut eſt in aliis: quamquam etiam hæc lectio ferri poteſt. Sed enim ita ut edendum curavi, loquitur ſeptimo abhinc verſu, infrà, ibi,

Quo minus quo miſſum eſt, veniat, &c.

volare autem translate poſitum eſt. Virg. lib. 9: 698.

--- *volat Itala cornus*
Aëra per tenerum.

Homer. Ιλ. ν. 587.

--- ἀπὸ ἔπτατο πικρὸς ὀϊστός,

LAMB. *Quo. Quod* Nard. Hunc verſum non agnoſcit B. CREECH.

974. *Quorum utrumque tibi eff.*] Id eſt, utrumcumque ſumſeris, effugiendi viam intercludit: utrumcumque dixeris, elabi non potes, ita ut cogaris concedere & fateri omne eſſe infinitum, ſeu ſine fine in omneis parteis patére. LAMB.

182. *Prohibeat*] Jaculum tendere ad ſcopon. Notandum *prohibeo* prima intenta à Lucretio proferri pro dictionis obſervante: quæ modo producitur modo corripitur: ut patet exemplo Juvenalis. Sat. VI. 485.

Profectura domo Sicula non mitior ara.

H. vero aſpirationis in hoc loco nedum vim habet, ſed conſonantis: ut apud Horatium. 1. Od. 2:31.

Nube candenti humeros amictus
Augur Apollo:

licet nonnulli *candentis* malint. Quantam vim habeat afflatus docet is Martiniani verſiculus in geometria.

Tellus, quæ rapidum conſiſtens ſuſcipit orbem,
Puncti inſtar medio hæſerat una loco.

Hic tamen apud Lucretium poteſt multarum vocalium fieri colliſio & *pribeat* ſervari ut extritis cæteris in ſcanſione remaneat i, longa quæ brevis erat. Tutius eſt tamen in hac dictione excludere vocalem antepenultimam & ſcandendo dicere *prohibat*: ut deinde, in duas metiendo carmen deducamus ſyllabas. PIUS. *Prohibeat.* Synæreſis eſſe poteſt, ut ſit triſyllabum. ut in *proilium, proelium*, & Feſtus *proibiam.* GIF. *Quod prohibeat, officiatque, &c.* Sic legendum. *prohibeat* autem procleuſmaticus eſt, ut, *Genua labent:* & alibi, *Arietat in portas.* licet etiam legere, *proibeat*, ſeu *prœbeat*, τετρασυλλάβως. *officiat* id eſt obſtet. LAMB. *Prohibeat.* Triſyllabum; quod non magis mirabile haberi debet, quam *præbet* à *præhibet*, quo ſæpe utitur Plautus. FAB. *Prohibeat.* Turnebus ex MSS. legit *probeat* per craſin pro *prohibeat*, Adv. XIX. 15. Sed non eſt opus. Lamb. & Giphanium ſecutus Baſ. *prohibeat: faciatque.* & in

marg.

Hoc pacto ſequar, atque oras ubicunque locâris
Extremas, quaeram quid Telo denique fiat.
Fiet uti nuſquam poſſit conſiſtere finis:
Effugiumque fugae prolatet copia ſemper.
Praeterea ſpatium Summaï totius omne

Un-

INTERPRETATIO.

Hoc modo inſequar, & ubicunque extremos iſtos fines poſueris, quid telo fiet inquiram. Et exinde probabitur nullos eſſe extremos fines, ſed immenſum patere ſpatium per quod telum iſtud evolaret. Præterea ſi Univerſum

VARIÆ LECTIONES.

979. *ubicunque.* obitumque Q.
980. *Telo.* cœlo Bm. *fiat.* fiet G. V. Z.
981. *Fiet.* fiat Z.

NOTÆ.

marg. *officiatque.* Hav. *Quod prohibeat officiatque.* Turneb. xix. adv. cap. 15. quod *probeat.* & *probeat*, inquit, *hic prohibeat conflatis in unum litteris valet.* Preig. *Officiatque. Efficiatque* vet. quidam; male, ut puto. Vulgati: *faciatque*; peſſime. Gif.

978. *Non eſt ea finis profecto*] Sic reſtitui, Jo. Aurato approbatore, atque adeò auctore. ſententia autem perſpicua eſt. Sive (inquit) obſtat aliquid telo, quò minus eò, quò miſſum eſt, perveniat, nempe ad finem; ſive foras fertur: profectò non erat is finis, quem eſſe poſueras. Nam ſi quid obſtat, corpus eſt. at corpus eſt in univerſo, & eſt res genita. ſi nihil obſtat, non eſt finis. nam ſi finis eſſet, telum ultra non volaret. natum autem mendum eſt ex nomine *fini'*, in quo *s* eliſum eſt, ut integrum ſit *finis*, & ex voce *profecto*: qua depravata factum eſt ab imperitis & indoctis, *profectum*, & ex *ea*, *à*. Solet autem Lucret. libenter hoc adverbium *profectò* uſurpare, & in extremo verſu ponere, ut ſup. 242.

Tactus enim leti omnibus eſſet cauſa profecto.

& inf. eod. lib. 1022.

Nec quos quæque darent motus, pepigere profecto.

& libr. 3: 1000.

Nec, quod ſub magno ſcrutentur pectore, quicquam
Perpetuam ætatem poterunt reperire profecto.

ibidem 1027.

Hæc neque ſunt uſquam, neque poſſunt eſſe profecto.

Lamb. Ita quidem Jo. Auratus, vir doctiſſimus, & recte, ut puto. In libris tamen eſt: *a fine profectum.* Gif. *Non eſt ea finis profecto.* Ita optimè Lambinus. Alii *A fine profectum*, quod *Fayus*, ut ſolet, approbat; quaſi Telum quod prohiberetur v. 976. dici poſſit non *A fine profectum*. Creech. Ita egregie reſtituit Lambinus probante Aurato, cui totum tribuit Giphan. ne Lambino quid concedere videatur. MSS. L. B. ut omnes, *non eſt a fine profectum.* mendoſè. ſenſus enim eſt, quodcunque eligis adverſatur tibi, neque eſt profectò finis ille univerſi, quem tibi propoſueras. Hav. Elegantiſſime hoc adverbio uti ſolet, quoties aliquid rejicere aut exagitare & falſe ridere ipſi eſt animus. Sic rurſus verſ. 1022.

Nec quos quæque darent motus, pepigere profecto.

& lib. iii. verſ. 999.

Nec, quod ſub magno ſcrutentur pectore quicquam
Perpetuam ætatem poſſent reperire profecto.

& eodem lib. vſ. 1226.

Hæc neque ſunt uſquam, neque poſſunt eſſe profecto.

Virg. viii. Æn. 532.

--- *ne vero, hoſpes, ne quære profecto.*

Ad quem locum Servius: *Hic PROFECTO vetuſte pro expletiva conjunctione poſitum. ambæ particulæ ad ornatum pertinent tantum.* ambæ puta *vero* & *profecto.* Preig.

980. *Telo*] B. *Cœlo* manifeſto errore. Creech.

982.

Undique ſi incluſum certis conſiſteret oris,
Finitumque foret, jam copia Materiaï
Undique ponderibus ſolidis conflûxet ad Imum;
Nec res ulla geri ſub coeli tegmine poſſet:
Nec foret omnino Coelum, neque lumina Solis:

Quip-

INTERPRETATIO.

certis finibus ex omni parte incluſum & terminatum eſſet, jam cuncta rerum Semina vi ſuae gravitatis ad infimum locum deſcendiſſent; Neque ulla res ſub Coeli fornice fieri poſſet, imò nec ipſum foret Coelum neque Sol:

VARIÆ LECTIONES.

984. *ſi incluſum certis conſiſteret.* concluſum certis ſi inſtiteret. *Gaſſ. incluſum.* incluſus G, Y. Z. *ſed in* Z. *a manu ſec.*
986. *Confluxet.* confluxit G. Q. X. Y.
987. *geri.* Ita A. B. D. E. I. L. N. P. Q. X. Y. Z. *Nonnulli* geni.
918. *neque.* nec Q 1. X.

NOTÆ.

982. *Effugiumque fugæ prolatet*] Id eſt, & fiet, ut fugæ copia, id eſt ſpatii infinitas perpetuum *telo* effugiendi atque evolandi locum præbeat. *prolatare* eſt amplificare, & porrotenus latius facere. Lamb.

983. *Præterea, ſpatium Summaï*] Aliud argumentum, quo probat, ſpatium eſſe immenſum, infinitum, &, ut ſuprà locutus eſt, vaſtè profundum. Si ſpatium totius ſummæ finitum eſſet, & fundo aliquo terminaretur: corpora prima ſuo pondere ad imum confluxiſſent. quo facto, nihil amplius ſub cœlo gigni poſſet. At videmus quotidie res gigni, &c. Lamb. *Præterea.* Nova ratio. bene autem argumentatur. Id enim ſi foret, omnia jam pridem ad imum deveniſſent, propter motum ingenitum principiis; quæ cum corpora ſint & quidem ſolidiſſima, jam ad imum defluxiſſent: neque quidquam gigni poſſet, ita omnia obſtipata, πεπυκνωμένα forent. Fab. *Præterea ſpatium*, &c. Urget opus Poëta, & v. 14. ſubjicit incommodum, quod eveniret ſi *Finitum*, & aliquibus terminis incluſum eſſet *Univerſum.* In iſto enim finito *Imus* aliquis eſſet locus, ad quem Materies ab æterno ſubſidens innata ſibi gravitate contendiſſet, effectumque jam pridem fuiſſet, ut depreſſa in eum locum univerſa materia nihil generari deinceps poſſet: ex ſeminibus enim quieſcentibus nihil oritur; Cum autem non ſit *Imus* locus, jugiter moventur Principia, undique naſcuntur res, & ex Infinito *Univerſo* nova Semina Singulis *Mundis* perpetuo inſeruntur. Creech.

984. *Si incluſum certis conſiſteret*] Concluſio. *certis ſi inſiſteret.* Gaſſendus. Creech.

986. *Confluxet*] Confluxiſſet. cujuſmodi ſunt illa apud Virgil. *vixet* pro *vixiſſet*, *exſtinxem* pro *extinxiſſem:* apud Horat. *erepſemus* pro *erepſiſſemus*, *diviſſe* pro *diviſiſſe*, *evaſti* pro *evaſiſti:* apud hunc eundem, *conſumſe* pro *conſumſiſſe:* & alia ſexcenta. Lamb. Ut *manſe* pro manſiſſe, *invaſſe* pro invaſiſſe, Lucil. *Ceſſe*, infra vſ. 1104. pro ceſſiſſe, *juſſe* pro juſſiſſe. *vixet*, &, ut neceſſario legendum eſt apud Virgilium in V. *dejexet* pro dejeciſſet: locus eſt: v. 542.

Nec bonus Eurytion prælato invidit honori,
Quamvis ſolus autem cœlo dejecit ab alto.

Ibi inquam, legendum,

--- --- *cœlo dejexet ab alto.*

Quod omnibus probatum iri confidimus, qui Latinitatis vim ſentiunt. Fab.

987. *Nec res ulla geri*] Legendum hic videtur *geni*, reclamantibus quidem omnibus codicibus: ſed pervincente veritatis voce. *geni* autem valet gigni, ut ſæpe jam admonui. Verumtamen ſi quis pervicax *geri* retineat, *geri* (quod ſæpe jam antè dixi) tractum erit à re militari, & à munere imperatoris, qui res gerit. Nam hoc loco profecto non poteſt Thraſo interpretari, *res geri, res ferri*, niſi ſecum ipſe impudentia certare volet. Lamb.

Quippe ubi Materies omnis cumulata jaceret
Ex infinito jam tempore ſubſidendo.
At nunc nimirum requies data Principiorum
Corporibus nulla eſt: quia nil eſt funditus Imum,
Quò quaſi confluere, & ſedes ubi ponere poſſint;

Sem-

INTERPRETATIO.

Omnia enim omnium rerum Semina cumulata jacerent cum ab æterno ſubſidiſſent. Nunc verò perpetuo agitantur rerum principia quia nullus eſt infimus in Natura locus quò deſcendere poſſint & quieſcere:

VARIÆ LECTIONES.

989. *ubi.* ibi P. Q.
992. *Imum.* unum c O. P. *nulla eſt.* nullas G. Y.
993. *poſſint.* poſcit G. poſſent H2. Q. X.

NOTÆ.

Lamb. Lambinus: *geni*, male. Gif. *Geri* omnes Cod. vet. ut & *Geruntur* v. 924. eamque lectionem *Gif.* Par. Nard. Omnes præter *Lambinum* tuentur: at contra omnes libros admittenda eſt ea vox quæ *Lucretium* ſapit, & ad argumentum apprimè facit. Creech. *Geri* edendum curavimus, a Nuperis editionibus recedentes, ob rationes ſæpius jam allatas. Preig.

987. *Sub cæli tegmine*] Sub cœlo M. Tull. in Arato,

Inde eſt ales avis lato ſub tegmine cæli.

Lamb. Sub cœlo: ſub Luna. Fab. Supra in Procemio: *cæli ſubter labentia ſigna.* hoc eſt: qua patet orbis. Preig.

988. *Nec foret omnino cœlum*] Id enim conſequens eſt. Fab.

989. *Quippe ubi*] Quippe quia. Lamb. Cum videlicet. Fab.

991. *At*] Marg. noſtra: *Aut.* male. Preig.

994. *Geruntur*] Id eſt adminiſtrantur à natura rerum. vel lege *Genuntur*, id eſt gignuntur: vel potiùs, *cientur*, id eſt moventur. Ego tamen *geruntur* retineo. Lamb. Lambinus: *genuntur*, contra vet. Libros. Gif. Idem hic quod ad verſ. 987. notamus. Preig.

995. *Æternaque*] *Infernaque* B. & alii Codices, nullo ſenſu. Creech. *Æternaque.* Et MSS. Lugd. Bat. *Infernaque.* ſed male. Preig.

995. *Suppeditantur*] Πορίζεται: ſuggeruntur. & ſufficiuntur ad res gignendas. Lamb.

996. *Corpora materiai*] Primordia, atomi. Fab.

997. *Poſtremo*] Argumentum à diſſimili, noto, & confeſſo. aër quidem monteis terminat, & montes aëra, & ita de ceteris: ſed omne nulla re extrinſecus terminari poteſt, cum extra omne nihil ſit. Vel dic eſſe argumentum à ſimili, hoc modo: Si omne eſſet finitum, neceſſe eſſet, id ab aliqua re externa terminari, quemadmodum, quæ in promtu ſunt, aër monteis terminat, montes aëra finiunt, terra mare, & mare terram: ſed nihil eſt extrà, quod omne terminet: ergo omne eſt infinitum. Lamb. Alio his v. 10. utitur argumento, Quicquid enim terminatur ab aliquo quod extra ſe eſt finitur, ſic Aër terminat Montes, & Montes Aërem, Mare Terras, & Terræ Mare. At quis dixerit aliquid eſſe extra *Univerſum*, quod illius terminus eſſe poſſit, cum id ipſum quod extra eſt, ſit *Univerſi* pars, Univerſum enim continet omne quod eſt? Concludit igitur *Univerſum* eſſe immenſum, eamque immenſitatem præclara periphraſi deſcribit. Creech.

997. *Ante oculos*] Quidquid videmus, finitum eſt; at τὸ πᾶν non ita. Fab. *Ante oculos.* ut ſupra: verſ. 63. Nam & hic περιλάκει. verſ. 856. *Ex oculis.* Preig.

998. *Diſſepit*] Ὁρίζει. Fab.

1001. *Natura loci*] Locus ipſe. Fab.

1002. *Clara ſuo percurrere flumina curſu, perpetuo, poſſint, ævi labentia tractu*] In quibuſdam legitur *fulmina*; quod tamen neutri interpreti placuit; an quia *labentia* lentius & remiſſius viſum eſt?

Semper & adſiduo motu res quaeque geruntur
Partibus in cunctis, aeternaque ſuppeditantur
Ex Infinito cita corpora Materiaï.
Poſtremò ante oculos rem res finire videtur,
Aër diſſepit Colleis, atque Aëra Monteis;

Terra

INTERPRETATIO.

atque hac perpetua agitatione res in omnibus univerſi partibus fiunt, & agilia & æterna rerum Semina ex Infinito ſubminiſtrantur. Poſtremo nihil evidentius eſt quàm quòd Res rem terminat, Aër, Montes, & Montes Aëra;

VARIÆ LECTIONES.

994. *Semper &.* ſemper in G. P. Q. V. X. Y. geruntur. *Ita & hic* A. B. D. E. L. N. P. V. X. Y. Z. *Alii* genuntur.
995. *in.* deeſt Y. Z. *æternaque.* infernaque Bm. G. Q. X. Y. Z.
996. *cita.* cito Q. X.
997. *rem res.* res rem G. Y. Z. jam res Q. res jam X.
998. *diſſepit.* diſcerpit Q1. diſcepſit X.

NOTÆ.

eſt? at ita alibi locutus eſt Lucretius; dein & Virgilius accedit, Æn. 1:398. ubi de aquila inſectante cycnos: *ætheria quos lapſa plaga Jovis ales aperto Turbabat cœlo.* Atqui ſolemne celeritatis exemplum eſt fulmen. *& fulminis ocior alis.* Dein *clara* an bene cum natura fluminum congruet? Itaque legendum exiſtimo *fulmina*, non *flumina.* Fab. *Flumina:* Aliqui libri, ut & Nard. *Fulmina*; hæc vox & Lambino & Gifanio diſplicuit; eam Faber amplectitur, an meritò, judicent alii. Creech.

1003. *Perpetuo poſſint ævi labentia tractu*] *Tractu ævi*, id eſt, productione & continuatione ætatis. ſic *longos flammarum tractus* dixit libr. 2:207. ſic libr. 6:117. *corporis tractum.* Lamb. *Poſſint. Poſſunt* vet. libri; & rectius fortaſſe. Gif.

1004. *Ut reſtet minus ire meando*] Nec poſſunt facere flumina *meando*, id eſt fluendo, & labendo, ut minus viæ reſtet. in quibuſd. cod. legitur,

Percurrere fulmina curſu.

quam ſcripturam non probo. Lamb.

1007. *Ipſa modum porro*] Natura (inquit) impedit, quò minus ſumma rerum ſibi modum, ſeu finem comparare poſſit, propterea quòd inane corpore, ſeu pleno, terminatur: *corpus*, ſeu plenum, *inani.* Nam (ut dicebat Epicurus) τὸ πᾶν ἄπειρόν ἐστι τῷ τε πλήθει τῶν σωμάτων, καὶ τῷ μεγέθει τοῦ κενοῦ. id eſt, *Omne ſeu univerſum, infinitum eſt & multitudine corporum, & magnitudine inanis.* Lamb. Iterum v. 13. *Univerſum* eſſe infinitum probat Lucretius; quia *Corpus* & Inane ſeſe mutuò terminant, ex iſta autem mutua terminatione neceſſe eſt ut immenſitas oriatur, quoniam Neutrum, neque Corpus, neque Inane poteſt eſſe *ultimum*, Cujus vero nulla pars poteſt eſſe *Ultima* id profecto *infinitum.* Si autem alterutrum (Corpus viz.) non finiret Alterum, (Inane) Inane autem eſſet infinitum quod olim probaverat, Corpora vero finita, ut *Stoïcis* placuit, diſſolverentur omnia; rupta enim ſubitò compage finita Semina per Immenſum Inane diſſiparentur, imò nunquam coaluiſſent, cùm finita Semina in Inani Infinito ſemel diſperſa perpetuò vagarentur. Hæc omnia *Epicurus* ipſe ad *Herodotum*: εἴτε γὰρ ἦν τὸ Κενὸν ἄπειρον, τὰ δὲ σώματα ὡρισμένα, οὐδαμοῦ ἂν ἔμενε τὰ σώματα, ἀλλ' ἐφέρετο κατὰ τὸ ἄπειρον Κενὸν διεσπαρμένα, οὐκ ἔχοντα τὰ ὑπερείδοντα, καὶ στέλλοντα κατὰ τὰς ἀντικοπάς. Creech.

1008. *Natura tenet*] Simplex eſt pro compoſito, ut *tendit* pro contendit, *fert* pro offert, &c. Virgil. Ita *tenet* pro retinet, vetat, obſtat, im-

Terra Mare, & contra Mare Terras terminat omneis.
Omne quidem verò nihil eſt quod finiat extra:
Eſt igitur natura loci, ſpatiumque profundi,
Quod neque clara ſuo percurrere flumina curſu
Perpetuo poſſint aevi labentia tractu:

Nec

INTERPRETATIO.

Terra Mare, & è contrà omnes Terras Mare terminat; At verò nulla res eſt extra Univerſum *quæ terminus illi eſſe poſſit. Ea igitur eſt natura ſpatii Inanis vel Loci, ut neque celebres Fluvii, etſi ab æterno in æternum fluerent,*

VARIÆ LECTIONES.

999. *& contra.* e contra C. E. N. Y.
1002. *percurrere.* perterrere Q. 1. *flumina.* fulmina G. E. Q. 1 lumina Q. 2. Y.
1003. *poſſint.* poſſunt A. P. *poſſent* corrigit *Pius.* X.

NOTÆ.

pedit: Cicero ſœpius, Virgil. Plinius Secundus. ſed locos afferre piget. Fab. *Et quod inane autem eſt.* ut verſ. 857. Preig.

1010. *Ut ſic alternis*] *Utque ſit alterius* B. fruſtra. Creech.

1011. *Aut etiam alterutrum, niſi terminet alterum eorum, ſimpl. natura & pateat tantum immod.*] Si quis locus eſt in hoc libro difficilis & obſcurus, hic eſt: neque fortaſſe mendo vacat. Joannes Auratus, homo acerrimi judicii, idemque amicus & collega meus, putabat priorem quidem verſum ſic eſſe legendum, ut legitur in vulgatis:

Aut etiam alterutrum, niſi terminet alterum eorum:

poſteriorem ſic,

Simplice natura pateat totum immoderatum:

(nam in vulg. legitur *tantum*) ut per *totum* intelligamus τὸ πᾶν, quod alias appellat omne: *immoderatum* autem *ſimplice natura*, id eſt infinitum una natura, videlicet inani. Sed libri omnes manuſcripti habent, *pateat tamen:* neque habent copulationem &, poſt vocem *natura:* & ita vulgati Pariſienſ. Veneti, Vicetini. cujus ſcripturæ rationem explicare non poſſum, niſi quis dicat ita legendum in priore verſu,

Aut ſi, etiam alterutrum ſi terminet alterum eorum
Simplice natura pateat tamen immoderatum:

hæc ſententia, *Aut ſi, etiam ſi alterutrum terminet alterum eorum, pateat tamen immoderatum ſimplice natura*, id eſt, inane tamen ſit infinitum unica natura, hoc eſt corpora prima non ſint infinita, ſed inane duntaxat ſit infinitum, &c. Sed quomodo ſi *alterutrum ab altero* uſque ad infinitum *terminatur*, poteſt eſſe alterutrum duntaxat infinitum? Omnino locus eſt mihi quidem inexplicabilis, neque habeo, quod afferam, quicquam melius. ſcripturam igitur, quæ reperitur in omnibus libris vulgatis, quod ad priorem verſum attinet videamus, eamque ſic interpretemur: Aut etiam niſi *alterutrum eorum terminet*, & ſi *immoderatum ſimplice natura*, id eſt ſpatium immenſum unica natura tantummodo *pateat*, quod eſt dicere, ſi inane duntaxat ſit infinitum, corpora autem prima ſint finita: *nec mare, nec, &c.* Atque hanc hujus implicatiſſimi loci explicationem probabat Muretus: cui hac tertia editione aſſenſus ſum. Sed velim copulationem & poni in fine verſus prioris, hoc modo,

Aut etiam, alterutrum niſi terminet alterum eorum, &
Simplice natura pateat tantum immoderatum.

Præterea poſterior verſus videtur mihi eſſe explicandus: *Et immoderatum ſimplice natura tantum pateat*: id eſt ſi vel infinitum inane ſit tantum ſine corporibus infinitis: vel infinita corpora ſint tantum ſine inani infinito: ſi hoc ita ſit: *Nec mare, nec tellus, &c.* Hæc mihi nunc tandem hujus obſcuriſſimi loci videtur eſſe ſententia. Sic autem uſurpavit vocem *immoderatum* M. Tull. lib.

Nec prorſum facere, ut reſtet minus ire, meando:
Uſque adeo paſſim patet ingens copia rebus,
Finibus exemptis in cunctas undique parteis.
Ipſa modum porro ſibi rerum Summa parare
Ne poſſit, Natura tenet: quia Corpus Inani,

Et

INTERPRETATIO.

unquam percurrere valerent, neque omnino efficere labendo ut ſibi minus viæ ſuperſit; tam immane immenſumque eſt ſpatium, & ex omni parte finibus deſtitutum. Denique Natura ipſa facit ut Univerſum *terminum habere non poſſit, quia Corpus Inani,*

VARIÆ LECTIONES.

1004. *ire, meando.* in remeando A. mar. c. O. Q. X. remanendo. P. irremeando. fidelia exemplaria *Pii.*
1008. *Inani.* inane G. X. Y. Z.

NOTÆ.

lib. 2. de nat. Deorum:

Vides ſublime fuſum immoderatum æthera,
Qui teneram terram circumvectu amplectitur.

Lamb. *Aut etiam alterutrum &c.*] Ita ut vulgo legitur, & veteres quidam comprobant, ſcripſi. Sententia eſt: Corpus terminatur inani, & Inane corpore. Nam ſi hoc non fieret, & Immoderatum ſed inane ſimplice natura, & impermixta ſeu corpore mutuo terminata tantummodo pateret; hinc efficeretur, quod nec mare &c. Qua de re infra latius. Gif. *Aut etiam alterutrum pateat tamen immoderatum.* Sic Lambinus: *Si quis locus eſt in hoc libro difficilis & obſcurus, hic eſt: neque fortaſſe mendo vacat. Joannes Auratus, homo acerrimi judicii, idemque amicus, & collega meus, putabat priorem quidem verſum ſic eſſe legendum, ut legitur in vulgatis:* Aut etiam alterutrum, niſi terminet alterum eorum: *poſteriorem ſic*: Simplice natura pateat totum immoderatum: (*nam in vulg. legitur*, tantum) *ut per*, totum, *intelligamus τὸ πᾶν, quod alias appellat* omne: immoderatum autem ſimplice natura, *id eſt infinitum una natura, videlicet Inani: Sed libri omnes manuſcripti habent*, pateat tamen: *neque habent copulationem*, &, *poſt vocem*, natura: *& ita vulgati Pariſ. Veneti, Vicetini, cujus ſcripturæ rationem explicare non poſſum, niſi quis dicat ita legendum in priore verſu*, Aut ſi, etiam alterutrum ſi terminet alterum eorum, Simplice natura pateat tamen immoderatum: *hac ſententia, Aut ſi, etiam ſi alterutrum terminet alterum eorum, pateat tamen immoderatum ſimplice natura, id eſt, Inane tamen ſit infinitum unica natura, hoc eſt corpora prima non ſint infinita, ſed Inane duntaxat ſit infinitum, &c. Sed quomodo ſi alterutrum ab altero uſque ad infinitum terminatur, poteſt eſſe alterum duntaxat infinitum? Omnino locus eſt mihi quidem inexplicabilis, neque habeo, quod afferam: quicquam melius. ſcripturam igitur, quæ reperitur in omnibus libris vulgatis, quod ad priorem verſum attinet, videamus, eamque ſic interpretemur: Aut etiam niſi alterutrum alterum eorum terminet, & ſi immoderatum ſimplice natura, id eſt ſpatium immenſum unica natura tantummodo pateat, quod eſt dicere, ſi Inane duntaxat ſit infinitum, corpora autem prima ſint finita: nec mare, nec, &c. Atque hanc hujus implicatiſſimi loci explicationem probabat Muretus. cui hac tertia editione aſſenſus ſum. Sed velim copulationem*, &, *poni in fine verſus prioris, hoc modo,*

Aut etiam, alterutrum niſi terminet alterum eorum, &
Simplice natura pateat tantum immoderatum.

Præterea poſterior verſus videtur mihi ſic eſſe explicandus: Et immoderatum ſimplice natura tantum pateat: *id eſt ſi vel infinitum Inane ſit tantum ſine corporibus infinitis: vel infinita corpora ſint tantum ſine Inani infinito: ſi hoc ita ſit:* Nec mare, nec tellus, &c. *Hæc mihi nunc tandem hujus obſcuriſſimi loci videtur eſſe ſententia.* Sic Gifanius: *Ita, ut vulgo legitur & v. q. comprobant, ſcripſi. Sententia eſt: corpus terminatur Inani, & Inane corpore; nam ſi hoc non fieret, & immoderatum ſeu*

Inane

Et quod Inane autem eſt, finiri Corpore cogit:
Ut ſic alternis Infinita omnia reddat.

Aut

INTERPRETATIO.

Inane autem Corpori terminum poſuit, ut hac alterna Corporis & Inanis terminatione Univerſum *reddat interminatum.*

VARIÆ LECTIONES.

1009. *Inane.* nunc X. *finiri.* finire N. *Corpore.* corpora Q. 1.
1010. *Ut ſic.* utque ſit B. utque ſic X. *alternis.* alterius B. Q.

NOTÆ.

Inane ſimplice natura & impermixta ſeu corpore mutuo terminata, tantummodo pateret; hinc efficeretur, quod nec mare, &c. qua de re infra latius. Hæc ille; ſed nihil dicit, quod non viderit Lambinus, & acutius multo & ſolertius. Sunt qui exiſtiment verſum illum, *Simplice natura*, &c. prorſus eſſe delendum: ſic enim, ut ajunt, nihil in hac ratiocinatione difficultatis ſupereſſet: Quod mihi aliter longe videtur. Exiſtimo enim verſus aliquot hinc excidiſſe: ita ut cum de incommodis ab Inani immoderato, ſine admiſtione corporis infiniti, & alternis miſti proficiſcentibus dixerit, altera pars omiſſa ſit, aut non ſatis perſpicue à Lucretio explicata: eadem enim ἀπειρία remaneat neceſſe eſt. Deinde duæ illæ voces *alterum* & *alterutrum*, ſatis id probant quod dico. Fab. De his duobus verſibus varia Critici; in priori *Si* pro *Niſi* legit P. nec agnoſcit Copulam *et* in poſteriori verſu. In poſteriori pro *Tantum. Tamen* B. P. Gif. Par. Omneſque MSS. ut fatetur *Lambinus*, nec agnoſcunt Copulam *et*. Poſteriorem verſum adulterinum eſſe exiſtimant Giſanius & Pareus, ideoque rejiciunt: *Auratus* legit

Aut etiam ulterutrum, niſi terminet alterum eorum:
Simplice Natura pateat Totum immoderatum.

Per *totum* intelligit τὸ πᾶν: quod aliàs appellatur *Omne. Immoderatum autem ſimplice Natura*, eſt Infinitum una Natura viz. *Inani.*. Et hanc lectionem amplectitur Gaſſendus. Lambinus hæret, aliquando autem legit

Aut ſi, etiam alterutrum ſi terminet alterum eorum
Simplice Natura pateat tamen Immoderatum.

Hac Sententia: Aut ſi, etiamſi alterutrum terminet alterum eorum, pateat tamen immoderatum, ſimplice Natura i. e. Inane tantum ſit infinitum unica Natura, hoc eſt, Corpora prima non ſint infinita, ſed Inane duntaxat ſit infinitum: ſed hanc ſententiam abſurdam eſſe *Ipſe* vidit & confeſſus eſt; & tandem legit:

Aut etiam alterutrum niſi terminet alterum eorum, &
Simplice Natura pateat tantum immoderatum.

Exiſtimat Faber vulgatam lectionem retinendam eſſe, & aliquot verſus hic excidiſſe, ita ut cum de incommodis ab *Inani immoderato* ſine admiſtione Corporis Infiniti, & alternis miſti, proficiſcentibus, dixerit; altera pars omiſſa ſit, aut non ſatis perſpicuè à *Lucretio* explicata: eandem enim ἀπειρίαν remeare neceſſe eſſe: deinde duas illas voces *alterum* & *alterutrum* probâſſe quod dicit. Diſplicent Omnia: Integer eſt Poëta, nullique exciderunt verſus; rejectis *Aurati*, *Gaſſendi*, aliorumque conjecturis, admittatur *Cod.* MSS. lectio, & ſana protinus erunt omnia & integra. Legantur itaque

Aut etiam alterutrum niſi terminat alterum eorum,
Simplice Natura pateat tamen immoderatum.

Inane viz. ut ſequentes verſus, & vox ipſa *Pateat* demonſtrant. Haec igitur horum verſuum ſententia, Niſi *alterutrum*, Corpus viz. *alterum eorum* viz. Inane, terminet, Inane vero ſolum concedatur *Infinitum*, ut olim probavi, & Stoici, contra quos diſputo, fatentur; Nec Mare nec Tellus, &c. *Epicurus* ipſe, fateor, alteram hujus argumenti partem proponit in *Ep.* ad *Herodot.* εἴτε τὸ Κενὸν ἦν ὡρισμένον. τὰ δὲ σώματα ἄπειρα, οὐκ ἂν εἶχε τὰ ἄπειρα σώματα ὅπου ἂν ἔστη. Sed eam neglexit *Lucretius*, quoniam *Inane* eſſe infinitum aliis argumentis jam probaverat. Creech.

1011. *Niſi terminat*] Sic Vet. libri; recte, Vulgati: *terminet*, verſum proximum *ſimplice*, &c.

omni-

Aut etiam, alterutrum niſi terminet alterum eorum,
Simplice natura pateat tamen Immoderatum:

Nec

INTERPRETATIO.

Si verò alterutrum non terminet eorum alterum (Corpus viz. Inane;) ſed alterutrum tantum eorum (viz. Inane) eſſet ſine termino;

VARIÆ LECTIONES.

1011. Adulterinum putat a. *terminet.* terminat N. X.

1012. Et, *quod multi interſerunt, abeſt in* a. B D. I. *Creech.* P. X. Y. Z. *tamen.* Ita A. B. Bm P. Q. X. Y. Z. *Creech.* *cujus vide Notam.* totum *Gaſſ.* tantum alii.

NOTÆ.

omnino adulterinum & inducendum puto. Minime neceſſarius eſt, & corrumpit cum elegantia ſententiam. GIF.

1012. *Pateat tamen*] Ita Vet. libri. Vulgati: *& pateat tantum.* GIF.

1013. *Nec cæli lucida templa*] Ennius apud M. Tull. lib. 2. de divin.

Quamquam multa manus ad cæli cærula templa
Tendebam lacrymans. LAMB.

1014. *Divum corpora ſancta*] Deos ſanctos; Sic enim ex formula loqui ſolebant. Ovid. lib. III. Amor. eleg. VII.

A tenera quiſquam ſic ſurgit mane puella,
Protinus ut ſanctos poſſit adire Deos.

Quos ego verſus potius quam ullos alios protuli, quod eos à nemine uſque adhuc emendatos viderim; Certè nuperrima editio hoc ſphalmate, ut infinitis aliis, quae ingenio, ut aperiantur, opus habent, inquinata eſt, Legendum:

A tenera quiſquis ſic ſurgit mane puella,
Protinus is ſanctos poſſit adire Deos.

Notum enim eſt poſt rem Veneream ὅσιον fuiſſe, ne quis ad ſacra accederet, niſi ante purgatus eſſet; *diſcedite ab aris*, inquit 2. I. II. Amabilis ſcriptor (Tibullus eſt) *queis tulit heſterna gaudia nocte Venus.* Juvenalis in VI. 535.

Ille petit veniam, quoties non abſtinet uxor
Concubitu ſacris obſervandiſque diebus.

Quod & capitalius erat. Locum autem Ovidii, quia hilarior paulo eſt, & paraphraſtικῶς explicari non eget, χαριέντων hominum judicio relinquam. FAB.

1016. *Diſpulſa*] *Diſſipata*: C. *De cœtum. Dejectum*: B. Unde aliquis conficiat *dejectu*, ſed de *cœtu* vel *coitu* placet. CREECH.

1016. *Cœtu*] Quidem Vet. libri: *coitu.* GIF. Al. *coitu.* ut *proilium*, prœlium, *coilei*, cœli, *poina*, pœna. FAB.

1018. *Sive adeo potius*] Διόρθωσις. quid dixi, futurum fuiſſe, ut copia materiai de ſuo cœtu & concilio depulſa, per inane immenſum differretur? immo verò nunquam quicquam congrediendo genuiſſet. ratio eſt in promtu: quoniam ſi inane duntaxat eſſet infinitum, prima autem corpora finita: nunquam illa congredi, nunquam cohærere potuiſſent, ſed per infinitum inane diſperſa vagarentur. tale eſt illud ſupra, 343.

---- *quæ, ſi non eſſet inane,*
Non tam ſollicito motu privata carerent,
Quam genita omnino nulla ratione fuiſſent.

LAMB. Imo, inquit, nil omnino genitum fuiſſet. FAB.

1019. *Quoniam cogi, diſjecta*] Id eſt, quoniam cum materia eſſet diſſipata & diſtracta, in unum convenire & conciliari non potuiſſet. LAMB. *Cogi.* Concreſcere, συναθροίζεσθαι. FAB.

1020. *Certe*] Occupatio. diceret enim aliquis, At mens, aut Deus poſſet materiam diſſipatam colligere, & congregare, & ita res creare. hoc negat, & refellit Lucretius ex Epicuri ſententia. LAMB. *Stoïcos* irridens jocosè propoſitum argumentum proſequitur v. 14. Finita enim Semina in infinito ſpatio diſperſa nunquam conveniſſent, niſi, quod *Stoïcis* placuit, Mundus eſſet grande Animal, & planè Deus: ejuſque Semina ſumma Arte & Conſilio à Spiritu, per omnia membra infuſo, diſpoſita fuiſſent. Prudentia hæc, & Meditantia *Stoïcorum* Principia deridet, & ex placitis *Epicuri* docet, Res omnes fortuito infinitorum Corporum in infinito Inani volitantium concurſu tandem procreatas fuiſſe, & quotidiè reparari ex

 iſtis

Nec Mare, nec Tellus, neque Coeli lucida templa,
Nec Mortale genus, nec Divûm corpora ſancta
Exiguum poſſent horaï ſiſtere tempus.
Nam diſpulſa ſuo de coetu Materiaï
Copia ferretur magnum per Inane ſoluta,
Sive adeo potiùs nunquam concreta creâſſet
Ullam rem, quoniam cogi disjecta nequiſſet.

Nam

INTERPRETATIO.

tum nec Mare, nec Terra, nec Cœlum ipſum, nec Homines, nec Sancta Deorum Corpora vel per minimum Horæ tempus conſiſtere poſſent, omnium enim Rerum principia à ſe invicem diſſilirent, & per immenſum Inane diſſiparentur. Seu potiùs nunquam rem ullam feciſſent, quoniam ſemel disjecta in immenſo illo ſpatio concreſcere nunquam potuiſſent;

VARIÆ LECTIONES.

1013. *neque Cœli* &c. Ita G. Y. Z. *rotundius, quam Reliqui, qui* nec *habent.*

1016. *Nam diſpulſa.* nam diſſipata I. *de cœtu.* detectum Bm. X. de coitu P. Q. *inde Pius* coitu de. de cœtum Y. Z. *ſed corr. in* Z.

NOTÆ.

iſtis Seminibus, quæ infinita Corporum primorum Copia jugiter ſuppeditat. Creech.

1021. *Se ordine quæque ſuo, atque ſagaci*] Hanc ſcripturam traxi ex quattuor manuſcriptis codicibus levi immutatione facta longè (opinor) vulgata meliorem, &, niſi fallor, veram, & rectam. Ordo autem verborum, & ſententia hæc eſt: Nam certè neque conſilio atque ſagaci mente (*conſilio* autem, id eſt conſultò) primordia rerum ſe quæque ordine ſuo locarunt, neque pepigere, &c. ſic autem habent lib. manuſcript.

Ordine ſe ſuo quæque, atque ſagaci mente locarunt.

Itaque in hoc loco reſtituendo ordinem verborum tantùm mutavi: nihil de meo addidi, nihil detraxi. Sed non diſſimulabo lectori, mihi aliquando viſum eſſe ſic eſſe legendum,

Se ordine ſo quæque atque ſagaci mente loc.

cum putarem *ſuo* natum eſſe ex interpretatione vocis *ſo*, ad oram libri adſcripta, deinde *ſo* verſum in *ſe*, & ita factum *ſe ſuo*: *ſe* autem, quod erat in principio verſus, quaſi ſupervacaneum deletum. Lamb. *Ordine ſe quæque, atque &c.* Lambinus. Vet. quidam: *ſe ſuo quæque.* quidam veteres: *ſe ſuo atque ſagaci.* Marullus: *Ordine quæque ſuo atque ſagaci.* Fortaſſe: *Ordine ſe ſuo atque ſagaci.* Vide Indicem. & inf. v. 421. Gif. Quidam libri *Ordine ſe ſuo quæque.* Marul. *Ordine quoque ſuo*: Giſanius, *Ordine ſe ſuo*: Aliquando etiam Lambinus legit *Se ordine ſuo quæque: Ordine ſeque ſuo* B. Alii *Se ordine quæque ſuo*: proximum verſum non agnoſcit B. Creech. Margo Noſtra id ipſum habuit, quod & Gottorpienſis Cod. & Voſſius in Var. Lect. Ed. Lond. nempe:

Ordine ſe ſuo quæque ſagaci mente locarunt.

Preig. Leviſſima mutatione *ſua* feci, & poſt *ſe* diſtinctionem poſui; *ſua* i. e. & ſua. Hav.

1022. *Profecto*] Vid. ad Verſ. 978. Preig.

1023. *Mutata*] Quidam *motata* legunt pro *valde mota*. Plautus Amph. 1: 5: 119.

Nec ſe jugula quoque in cælo motat.

Poëta in priapæis:

Extis altius aptiuſque motat.

Pius.

1024. *Vexantur*] Subinde moventur. a *veho* derivatum. Maro in bucolico ludicro. *Dulichias vexaſſe rates*: pro *agitaſſe* inter elidendum & trahendum. lege Gellium. Pius.

1024. *Vexantur percita plagis*] Democritus dicebat, κινεῖσθαι τὰ σώματα κατ' ἀλληλοτυπίαν ἐν

τῷ

Nam certè neque conſilio primordia rerum
Ordine ſe, ſua quaeque ſagaci mente locârunt;
Nec quos quaeque darent motus pepigêre profectò:
Sed quia multimodis, multis, mutata, per Omne
Ex infinito vexantur percita plagis,
Omne genus motus, & coetus experiundo,
Tandem deveniunt in taleis diſpoſituras,

Qua-

INTERPRETATIO.

Profectò enim rerum Semina nulla providentia aut ſagacitate mentis ſe in ſuo Ordine collocârunt, neque inter ea convenit quibus motibus quæque uterentur; ſed quia Infinita principia per immenſum Inane variis plane modis & ictibus agitata ſint, tentando omne genus motus & concilii, tandem conveniant in tales poſituras

VARIÆ LECTIONES.

1020. *conſilio.* concilio Q 1.

1021. *Ordine ſe, ſua quæque.* Ordine ſe ſuo quæque G. V. Q. (*ſed in* Q. *eſt* neque) Y. Z. Ordine ſeque ſuo X. Ordine ſe nec quæque P. Ordine ſe quæque atque ſagaci *alii.* ordine quæque ſuo C. E. M. N. ſe ordine quæque ſuo L. Nec linquunt quos quæque ſagaci mente locârunt Q 1. Hic verſus ſequenti poſtponitur C. *locarunt.* locarit Q. 2.

1022. Deeſt Bm. X. Et quos quæque ſagaci mente locarunt Y, Z. *verum in* Y. *ex litura apparet, utrumque verſum, hunc & præced. a pr. manu aliter fuiſſe ſcriptum.*

1023. *ſed quia.* quæ quia *Gaſſ. Multimodis.* multa modis A. B. C. D. E. I. N. P. Y. Z. *mutata.* motata, quidam cod. *Pii.*

1024. *infinito.* infinita Z. *vexantur.* nexantur Q.

NOTÆ.

τῷ ἀπείρῳ, id eſt, *moveri corpora prima in infinito plagis mutuis ac reciprocis.* Sic M. Tull. de Epicuro lib. 1. de Finibus: *Cenſet in infinito inani, in quo nec ſummum, nec infimum, nec medium, nec ultimum, nec extremum ſit, corpora individua ita ferri, ut concurſionibus inter ſe cohæreſcant*: quem locum ſuprà protuli: ſed non diſſimulabo, in codicibus duobus manuſcriptis, Faërni, Tettii ſcriptum eſſe, *verſantur perc. pl.* Lamb. *Vexantur. Verſantur*, veteres quidam. Gif. *Percita plagis.* Intellige ἀλληλοτυπίαν τῶν ἀτόμων ἐν τῷ ἀπείρῳ. de qua Docti in philoſophia Democritea ſeu Epicurea, quæ pænitiſſime eadem eſt. Fab.

1026. *Tandem deveniunt in tales diſpoſituras,*
Qualibus hæc rebus conſiſtit ſumma creata.] Quamvis ita ſcriptum ſit in optimis & luculentiſſimis editionibus, conſtat tamen hîc errorem eſſe: neque enim dubium eſt quin legendum ſit, idque plane neceſſario,

Qualibus hæc rerum conſiſtit ſumma creata.

ut & alicubi legi ſcio. Senſus autem eſt: *deveniant in tales diſpoſituras, qualibus ſumma rerum creata eſt.* Illud enim *qualibus* ad diſpoſituras refertur; quod facile viderit qui vel leviſſime ſapiat. *rerum* autem *ſumma* eſt τὸ πᾶν, ut alibi,

Nec ſummam rerum commutare ulla poteſt vis.

Et,

Debeat ad nihilum jam rerum ſumma reverti.

Sed neque aliter in toto opere locutus eſt Lucretius. Itaquè exemplorum ſatis eſt. Nunc ad ſecundum librum veniamus; Ibi enim occurret, opinor, aliquid quod manu medicâ opus habeat. Fab.

1027. *Rebus*] *Rerum*: Faber: Nec contemnenda iſta emendatio. Senſus autem eſt, *Deveniant in tales diſpoſituras, qualibus Rerum ſumma creata eſt.* Illud enim *Qualibus* ad *diſpoſituras* refertur. Creech.

1028.

Qualibus haec rebus conſiſtit Summa creata:
Et multos etiam magnos ſervata per annos,
Ut ſemel in motus conjecta eſt convenienteis,
Efficit, ut largis avidum Mare fluminis undis
Integrent Amnes, & Solis Terra vapore
Fota novet foetus, ſummiſſaque gens animantum
Floreat, & vivant labentes Aetheris ignes.

Quod

INTERPRETATIO.

qualibus hæc univerſa Natura rerum conſtat. Quæ Natura ſemel aptè diſpoſita & per multa etiam ſæcula integra conſervata efficit: ut Amnes copioſis fluviorum undis Mare avidum repleant, ut Terra Solis radiis calefacta fruges renovet; ut Animalia naſcantur, & vigeant; & volubiles Cœli Stellæ non extinguantur;

VARIÆ LECTIONES.

1027. *Qualibus.* qualibet Q. *Hæc rebus.* hæc rerum F.
1028. *ſervata per.* formata per I.
1029. *conjecta eſt.* conjuncta eſt. X.
1031. *Integrent.* integerent Q. X.
1032. *Fota novet.* forta novet G. Z. *a pr. m. ſed a ſec. m.* fœta. fota movet P. X. *ſummiſſaque.* ſumma qua P. X. ſummaque Y. Z. ſumma qua genus Q. ſummumque genus Q 1. ſummiſſaque P. *in notis.*
1033. *Floreat.* floreant G. O. Y. florent H 2 P. *vivant.* H 2. O. P. *labentes.* labentis N. X. Y. lambentes *quid. codd. Pii.*

NOTÆ.

1028. *Magnos annos*] Fort. intelligit magnum illum annum Platonis, ſeu, melius, Chaldæorum, res notiſſima eſt. Fab. *Magnos.* Forſan intelligit magnum illum *Platonis* Annum, ſeu potius *Chaldæorum.* Faber. Iſto verò acumine non opus eſt, cum, ut obſervet *Gaſſendus* lib. 5. v. 643. quorumlibet Aſtrorum circuitus *Magnos* vocat. *Servata* mox, idem eſt, quod *Formata.* Creech. Otioſum Epitheton, niſi *annos* pro quibuſvis temporum periodis accipias. Vide quæ ad verſ. 312. notavimus. Preig.

1030. *Avidum mare*] Horat. *avarum* appellat. Lamb. *Integrent, mare.* Exhauſtum reficiant, renovent, *&c.* flumen autem, ut apud Virgil. paſſim, pro aqua, humore. Homo vero ridiculus exiſtimavit τὸ *integrare* hoc loco ſignificare, *integrum manere.* Huic mandes ſi quid recte curatum velis: Pareum dico, ne neſcias. Fab.

131. *Integrent amnes*] Sic legendum: & ita ſcriptum eſt in quinque lib. manuſcript. nam vulgati quidam habent *integerent*: mendoſè. Accius apud Nonium:

Nam huc venio, ut mea ope opes Trojæ integrem.

Arnobius libr. 2. adverſus genteis: *Virtutum omnium ſervamus, atque integramus tenorem.* Idem ibidem infrà. *Columba manu miſſa revolare didicit ad dominicas ſedeis: canis cum invenerit prædam, cohibere & continere latratum: verba pſittacus & integrare, & nomina prorſus expromere.* Lamb. *Integrent annos.* Ita & veteres libri noſtri. Gif.

1031. *Vapore*] Id eſt calore, ut ſæpe alias: & ita Virg. & Horat. non ſemel. Lamb.

1033. *Vivant*] Tralatio eſt ab animatis ad ignem, admodum uſitata ſcriptoribus omnibus Græcis ac Latinis. Horat. od. 21. lib. 3: 23.

Vivæque producent lucernæ,
Dum rediens fugat aſtra Phœbus.

Sic Græci ſcintillam, ζώπυρον, id eſt *ignem vivum*, ſeu *ignis vitam* dicunt, & ζωπυροῦν apud illos *ignem excitare.* Lamb.

1033. *Labentes*] Supra princip. vſ. 2.

Cæli

Quod nullo facerent pacto, niſi Materiaï
Ex Infinito ſuboriri copia poſſet,
Unde amiſſa ſolent reparari in tempore quoque.
  Nam veluti privata cibo Natura animantum
Diffluit amittens corpus, ſic omnia debent
Diſſolvi; ſimul ac defecit ſuppeditare
Materies recta regione averſa viaï.

Nec

INTERPRETATIO.

Quorum omnium tamen nihil fieret, niſi ex Infinito ſuppeditaretur principiorum copia, è quibus res pereuntes ſemper refici poſſint, ut enim Animalia privata alimento intereunt diffluentibus ſenſim corporibus, ſic quodcunque concretum eſt, (Rerum ſumma) debet interire, ſimul ac Materies (infinita Atomorum multitudo) à debito ſuo curſu deflectens deſiit ſubminiſtrare ſemina, unde reſarciatur id quod amiſſum eſt.

VARIÆ LECTIONES.

1035. *infinito.* infinita Z. *a. m. ſec. ſuboriri.* ſubiri Q. X.
1036. *amiſſa.* admiſſa Z. *ſed corr. reparari.* reparare G. X. Y. Z. *in tempore.* in corpore C. E. N. *quoque.* quæque E. G. N. O. P. Y.
1037. *cibo.* cuja Z. *ſed ſuperſcrib. lege* cibo.
1040. *recta regione.* aliqua regione a. B. D. X. aliqua ratione Bm. C. E. N. O. Y. Z. recta ratione Q. *averſa.* adverſa c. H 1. 2. O. P.

NOTÆ.

Cæli ſubter labentia ſigna. Lamb. Ut in Prooemio *cæli labentia ſigna* dixit. Preig.

1035. *Ex Infinito*] Infinito ſemper ſubjungit *Inani*, Fayus & Alii: cum tamen nihil evidentius, quam quod *Infinitum* non *Inanis* magnitudinem, ſed *Corporum* multitudinem, ſeu potius Univerſum denotet. Creech.

1035. *Suboriri*] In locum decedentium aut pereuntium oriri, & quaſi ſubvenire, atque in ſubſidium oriri. Lamb.

1046. *Unde amiſſa ſolent reparari in tempore quoque*] Hujus ſcripturæ ſententia non eſt obſcura. hoc enim per eam ſignificatur, materiæ copia in locum ejus, quæ *defluit* ex corporibus compoſitis, & rebus genitis, ſuboriente, in quoque tempore ea, quæ ſunt amiſſa, reparari, ac reſarciri. Proximè autem acceſſi veterem. Nam in libris manuſcriptis fere omnibus legitur partim,

In tempore quæque:

partim,

In tempore quoque:

in plerisque autem impreſſis,

In corpore quæque:

ex qua lectione quidam legi volunt,

In corpore quoque,

id eſt in quaque re genita corporea. Quod ſi quis mallet legi,

Reparari corpora quæque,

ut quidam vir doctus, non repugnabo. ego tamen vel eam, quam ſecutus ſum, & antiquam, tutiorem eſſe puto: vel hanc,

In corpore quoque.

Lamb. *Quoque*] Veteres quidam: *quæque.* Gif.

1037. *Nam veluti, &c.*] Propoſitum modo argumentum his v. 4. illuſtrat, docetque res cunctas reſolutum iri, niſi materies ex infinita copia Atomorum jugiter ſuppeditaretur, quæ damnum quod Corpora patiuntur, reſarciret, ut Animalia brevi perirent, niſi Alimento indies repararentur. Creech.

1038. *Amittens corpus*] Sic loquitur Marcus Tullius libro ſeptimo, epiſt. 26. ad Gallum: *Ego hic cogito commorari, quoad me reficiam. Nam &*

vi-

Nec Plagae poſſent extrinſecus undique Summam
Conſervare omnem, quaecunque eſt conciliata.
Cudere enim crebrò poſſunt, partemque morari,
Dum veniant aliae, ac ſuppleri Summa queatur.
Interdum reſilire tamen coguntur, & unà

Prin-

INTERPRETATIO.

Neque enim ictus extrinſecus inflicti (ut forſan aliquis objiciat) ſufficiens Cauſa eſt ad conſervandum Res iſtas quas nos videmus concretas. Etſi enim illi ictus frequenter feriant, aliquaſque Atomos morentur, donec accedant aliæ ad perficiendam ſummam requiſitæ, aliquando tamen repercuſſos reſilire neceſſe eſt,

VARIÆ LECTIONES.

1041. *poſſent.* poſſunt A. marg. B. G. P. X. Y. Z. *extrinſecus.* intrinſecus A. B.
1044. *veniant.* veniunt X.

NOTÆ.

vireis, & corpus amiſi. Idem Lucretius ſupra, 810.

---- amiſſo jam corpore, vita quoque omnis
Omnibus è nervis atque oſſibus exſolüatur.

Lamb.

1040. *Defecit*] deſiit. Lamb.

1040. *Recta regione averſa viaï*] Sic reſtitui, aliorum locorum ſimilium teſtimonio uſus. libro ſecundo, 249.

Sed nihil omnino recta regione viaï
Declinare, quis eſt, qui poſſit cernere, ſeſe?

Idem lib. 4. 265.

Eicit enim ſulci recta regione, viaque
Vomerem, atque locis avertit ſeminis ictum.

ſic Virgilius libro ſecundo Æneid. 737.

---- nota excedo regione viarum.

Idem libro ſeptimo, 215.

Nec ſidus regione viæ, lituſque fefellit.

ſic M. Tull. libro quinto accuſ. *Noſtræ accuſationis regio & via.* ibid. *Si quis tantulum de recta regione deflexerit.* Lamb. *Aliqua regione averſa viai.* Sic omnes libri. Lambinus tamen: *Recta. Regionem* autem *viaï* etiam ſupra dixit, & infra lib. 11. Gif. *Recta regione. Aliqua ratione.* B. Nard. *Aliqua regione* Gif. Pa. è vet. Libris. Creech.

1041. *Nec plagæ poſſent*] Sic habent aliquot libri typis excuſi, & duo manuſcr. alii *poſſunt*, ego *poſſunt* non improbo: & ita hi duo verſus pendebunt ex ſuperioribus hoc modo: Nec ſimul ac materia defecit, *plagæ* poſſunt *extrinſecus ſummam conſervare. poſſent* etiam legere licet: eritque ſententia aperta hoc modo: *Nec plagæ poſſent*, &c. *niſi materiæ copia ſuboriri poſſet*, id eſt ſi materia deficeret. Lamb. *Nec plagæ*, &c. *extrinſecus.* Ita omnino legendum, imperite igitur Gifanius, qui in utraque editione habet *intrinſecus.* Fab. *Nec Plagæ, &c.* Nequis vero forſan objiciat Atomos occurſantes officioſè ſe (etiam fatente *Lucretio*) mutuo percutere, & ex eo conflictu fieri, ut morantes & tardatæ coaleſcant, & compingantur in Corpora; Ideoque cum, finitæ licet, ſeſe mutuò percutiant, ſanè tantum abeſſe ut rebus jam concretis aliquid detrahatur, ut etiam novis ſemper advenientibus Atomis magis ac magis augerentur: monet, Atomos finitas ſe invicem perpetuo omnique puncto temporis ferire non poſſe, imo interdum debere reſilire, ideoque tempus ſpatiumque concedere principiis Compoſitorum. (τοῖς συνεχῶς κινουμένοις Epicurus ad Herodotum,) quæ ſemper motum affectant, quo rupta compage à ſe invicem avolarent. Imò nullos omnino futuros eſſe ictus, ut olim v. 1019. obſervaverat, niſi Atomi eſſent Infinitæ. Creech.

1041. *Poſſent*] *Poſſunt*, recte. Gif.

1041. *Extrinſecus*] *Intrinſecus* Gif. & v. imperitè, ut patet ex v. 1054. Creech.

1042. *Conciliata*] Id eſt congregata, coacta, congreſſa. Lamb. Subaudi, & adde, *niſi materies ſuppetat, ſuppeditet, ſufficiatur*, Id enim ratio poſtulat. Fab.

1043. *Cydere*] Percutere: illæ plagæ: unde vocatur

ictus:

Principiis rerum ſpatium, tempuſque fugaï
Largiri, ut poſſint à coetu libera ferri.
Quare etiam atque etiam ſuboriri multa neceſſe eſt.
Et tamen ut Plagae quoque poſſint ſuppetere ipſae,
Infinita opus eſt vis undique Materiaï.

Illud

INTERPRETATIO.

& tum præbere Principiis Corporum & Locum, & Tempus, quo ſolutæ poſſunt diverſimode diſpergi: Neceſſe eſt igitur ut multa Semina ex Infinito jugiter ſubminiſtrentur ad conſervandam Rerum Summam. Præterea debet eſſe Infinita Corpuſculorum Copia, ut ipſi hi ictus (quos volunt) poſſint eſſe.

VARIÆ LECTIONES.

1046. *Principiis.* principium Q. X. Y. Z. Bm G. O. P. principio G. O. *quoque; & ita corrigit Pius.*

1049. *ipſæ.* & ipſa G. & ipſæ Z. *Pius corrigit* ipſi *ut jungatur cum* plagæ.

1050. *infinita opus eſt.* infinitæ opus Z.

NOTÆ.

incus: ſenſus. motus atomorum agitat illa principia: quare dum materiæ pars per motum disjicitur, alia movetur uſque dum novæ plagæ & atomorum impetus illam vexant. *Cudere:* percutere, procudere. Virgilius in Georgicis 1: 261.

Durum procudit arator
Vomeris obtuſi dentem.

PIUS.

1043. *Partemque morari*] Quidam libri habent,

Partimque morari.

LAMB. Junge ἐκ παραλλήλου cum τῷ *interdum* verſu abhinc ſecundo. FAB. *Partemque. Partimque* Giſ. quam vocem & Faber approbat, jungitque ἐκ παραλλήλου cum τῷ *Interdum* verſu abhinc ſecundo: at *Partem* melius reſpondet τῷ *Aliæ,* & τῷ *Summa.* CREECH.

1044. *Suppleri ſumma queatur*] Sic loquebantur veteres. Plautus Satyrione:

--- *retrahi nequitur, quoquo progreſſa eſt ſemel.*

Cato lib. 1. Orig. *Fana in eo loco compluria fuere, ea exauguravit, præterquam, quod Termino fanum fuit, id nequitum exaugurari.* Pacuv.

Si qua poteſtur inveſtigari via.

M. Tull. epiſt. lib. 9. ad Papir. *Qui primus Papiſius eſt vocari deſitus.* Idem alibi: *Nunc de rep. conſuli cœpti ſumus.* Virgil. lib. 8: 402.

Quod fieri ferro, liquidove poteſtur electro.

Idem Lucr. lib. 3: 1023.

Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur.

ſuppleri autem, id eſt aliis corpuſculis ſuccedentibus redintegrari, atque expleri: ex quo verbo *ſupplementum* natum eſt. LAMB. *Queatur.* Ut *poteratur, poſſetur, poſſitur, poteſtur, nequitur, quitum eſt,* &c. Ita loquuti ſunt Ennius, Scipio, Plautus, Saluſtius, alii. FAB. Præter Lambinum &c. vide etiam Voſſium de Analogia lib. III. c. 38 HAV.

1045. *Coguntur*] Plagæ ſcilicet. LAMB. & FAB.

1047. *Ut poſſint*] Principia rerum, & corpora prima. non enim omnia corpora prima cum omnibus cohærere & copulari poſſunt. ea igitur, quæ cum aliquibus cohærere non poſſunt, à cœtu & concilio libera feruntur, & vagantur, donec cum aliis copulentur. Præterea ex rebus genitis quotidie, atque adeò ſingulis horarum momentis corpora prima decedunt, neque perpetuò cum iis, quibuscum ſemel coiverint, cohæreſcunt. LAMB.

1047. *A cœtu*] A congreſſu. LAMB.

1049. *Et tamen ut*] Nam niſi corpora prima ſint infinita, perpetuæ plagæ ſuppetere nequeant. LAMB. *Et tamen.* Niſi enim infinita ſit materiæ copia, perpetuæ eſſe nequeant plagæ. FAB.

1050. *Infinita opus eſt vis &c.*] *Opus eſt vis;* genus loquendi bonis ſcriptoribus uſitatum. ſic lib. 3: 980.

 Ma-

Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi,
In medium Summae (quod dicunt) omnia niti,
Atque ideo Mundi naturam ſtare ſine ullis
Ictibus externis, neque quoquam poſſe reſolvi

INTERPRETATIO.

At vero, O Memmi, *cave ne credas quod vulgò docent*, *Corpora omnia in* Centrum *Univerſi vi quadam innata tendere; ideoque ad Mundum conſervandum non opus eſſe ictibus externis, neque ſuperiores aut inferiores Mundi partes in aliquem alium locum diſſipari poſſe*,

VARIÆ LECTIONES.

1052. *dicunt.* ducunt Q. I.
1053. *Atque ideo.* Atque adeo X.
1054. *externis.* æternis Q.

NOTÆ.

Materies opus eſt, &c.
& lib. 2: 20.
Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
Eſſe opus omnino.
eod. lib. 814.
Scire licet nil principiis opus eſſe colores.
LAMB.

1051. *Illud in his rebus*] Peripateticorum, & veterum Academicorum (quamquam Plato fortaſſe excipiendus eſt, de quo mox dicemus) & Stoicorum, & omnium denique qui unum mundum, eumque finitum eſſe volunt, hæc ſententia eſt, omnia gravia in medium ferri, levia à medio ad extremum. Epicurus autem, & ceteri, qui mundos cenſent eſſe innumerabileis, & omne, infinitum: neque extremum, neque medium eſſe concedunt. Ita eorum ratione neque gravia in medium, neque levia ad extremum moventur. M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. *Omnes enim partes mundi undique medium locum capeſſentes nituntur æqualiter. maxime autem corpora inter ſe juncta permanent, cum quodam quaſi vinculo circumdata colligantur: quod facit ea natura, quæ per omnem mundum omnia mente & ratione conficiens funditur, & medium rapit & convertit extrema.* Sed Plato quoque in Timæo videtur negare eſſe ſurſum ac deorſum, his verbis: Βαρὺ δὲ καὶ κοῦφον μετὰ τῆς κάτω φύσεως ἄνω τε λεγομένης ἐξεταζόμενον ἂν δηλωθείη σαφέστατα. Φύσει δή τινας τόπους δύο εἶναι, διειληφότας διχῇ τὸ πᾶν, ἐναντίους, τὸν μὲν κάτω, πρὸς ὃν φέρεται πάνθ᾽ ὅσα τινὰ σώματος ὄγκον ἔχει· τὸν δὲ ἄνω, πρὸς ὃν ἀκουσίως ἔρχεται πᾶν, οὐκ ὀρθὸν οὐδαμῇ νομίζειν. τοῦ γὰρ παντὸς οὐρανοῦ σφαιροειδοῦς ὄντος ὅσα μὲν ἴσον ἀφεστῶτα τοῦ μέσου γέγονεν ἔσχατα, ὁμοίως αὐτὰ χρὴ ἔσχατα πεφυκέναι τὸ δὲ μέσον, τὰ αὐτὰ μέτρα τῶν ἐσχάτων ἀφεστηκὸς, ἐν τῷ κατ᾽ ἀντικρὺ νομίζειν δεῖ πάντων εἶναι. τοῦ δὴ κόσμου ταύτῃ πεφυκότος, τί τῶν εἰρημένων, ἄνω τις, ἢ κάτω τιθέμενος οὐκ ἐν δίκῃ δόξει τὸ μηδὲν προσῆκον, ὄνομα λέγειν ὁ μὲν γὰρ μέσος ἐν αὐτῷ τόπος, οὔτε κάτω πεφυκὼς, οὔτε ἄνω λέγεσθαι δίκαιος, ἀλλ᾽ αὐτῷ ἐν μέσῳ. ὁ δὲ πέριξ, οὔτε δὴ μέσος, οὔτε ἔχων διάφορον, αὐτοῦ μέρους ἕτερον θατέρου μᾶλλον πρὸς τὸ μέσον, ἤτι τῶν κατ᾽ ἀντικρύ, id eſt, *Grave autem & leve ſi cum ea natura, quæ deorſum & ſurſum dicitur, perpendatur, planiſſime declarari poſſit. Eſſe igitur duo quædam loca natura inter ſe diverſa, & contraria, quæ univerſum bifariam diremerint, unum deorſum, ad quem omnia quæ molem aliquam aut pondus aliquod habent, feruntur: alterum vero ſurſum, ad quem omnia vi ſubigente rapiuntur: nullo modo exiſtimare oportet. Nam cum totum cælum rotundum ſit, quæcunque a medio æqualiter diſtantia, extrema facta ſunt, ea ſimiliter extrema oportet eſſe nata. Medium autem cum paribus intervallis ab extremis disjunctum ſit, cum ex adverſo cum extremis comparatur, exiſtimandum eſt omnium eſſe. Cum igitur mundus ita natura factus ſit; ſi quis eorum, quæ dicta ſunt, ſurſum aut deorſum ponat, injuria videbitur nomen eis non conveniens imponere. Nam medius quidem qui in eo locus eſt, neque deorſum, neque ſurſum dici debet, ſed hoc ipſo nomine medius eſt appellandus. Qui autem ambit, neque medius eſt, neque habet ſui parteis alteram ab altera differentem magis, quam alteram, quod ad medium attinet, aut ullam, quæ ſit e regione*, &c. LAMB. Quod extremum non habet, id habere medium non poteſt: at ſumma ſummarum extremum non ha-

Summa atque Ima, quod in Medium ſint omnia nixa,
(Ipſum ſi quidquam poſſe in ſe ſiſtere credis:
Et quae pondera ſunt ſub Terris omnia ſurſum
Nitier, in Terraque retrò requieſcere pôſta:
Ut

INTERPRETATIO.

quoniam omnes ad Centrum *tendunt. (at verò quis credat aliquid ſeipſum ſiſtere & ſuſtinere? Quis credat, res graves quæ ſunt in adverſa Terræ facie ſursùm omnes tendere, & in Terræ ſuperficie retrò (contrario planè ac apud nos ſitu) poſitas quieſcere;*

VARIÆ LECTIONES.

1055. *ſint.* ſunt Q 1.

1056. *poſſe in ſe ſiſtere.* poſſe inſiſtere Z. *ſed ſuperſcrib.* ſe.

1057. *Et quæ.* At quæ G. Z. *ſunt.* ſint X. *ſurſum.* rurſum Q 1. X.

1058. *Nitier, in terraque retro requieſcere pôſta.* in terramque A. B. C. E. requieſce repoſta C requieſſe repoſta P. Ni ſierint terraq. retro requieſte repoſta G. Ni fierent, terraque retro requieſcere poſta Z. intereaque Q. interea X.

NOTÆ.

habet; ergo nec medium. Ceterum in his verſibus diſponendis Lambinianam editionem ſequor. Fab. Denique ne *Memmius* diverſam ſententiam amplexus Centrum eſſe aliquod Univerſi crederet, in quod omnia tenderent innata ſua gravitate, ideoque non opus infinita Atomorum multitudine, quæ concurſantes, ictibus externis hanc Mundi compagem fartam tectam conſervarent; totam illam de Centro opinionem convellit pariter & deridet: Supponit autem, ut illi ipſi *Stoici*, qui amant *Centrum*, ſupponunt, olim fuiſſe confuſam particularum Copiam, in immenſo ſpatio undique diſperſam; has vero omnes particulas in unum punctum, *Medium* viz. Univerſi niti, inde Terram fieri rotundam, in medio univerſi ſuſpenſam, omneſque, etiam adverſas hujus globi partes Animalibus habitatas eſſe, quæ non decidunt in partes Cœli ſibi ſubjectas, quia gravitate ſua in medium tendunt: Inde etiam circumvolvi æthera, & Solem Cœli fornicem perpetuò motu percurrentem diem oppoſitis terræ partibus alternatim facere: Nec unquam timendum Imas ſummaſque compagis partes à ſe invicem disjunctas fore, cum in unum idemque Medium nitantur. Hæc omnia v. 16. quæ tamen v. 1036. & tribus ſequentibus obiter deridet: Abſurdum enim Grave aliquod ſeipſum ſiſtere & ſuſtinere poſſe, aut in adverſam Terræ partem (cum vulgo enim ſapuerunt *Epicuræi*) ſurſum tendere. Creech.

1051. *Fuge quærere*] Sic Horat. lib. 1. od. 9: 13.

Quid ſit futurum cras, fuge quærere.

Preig.

1052. *In medium*] Strabo lib. 1. non longe a principio, ubi de Indis & Hiſpanis agit, illos pronuncians τρόπον δέ τινα καὶ ἀντίποδας, *quodammodo antipodas*, καὶ ἔτι τῆς ἐπὶ τὸ μέσον φορᾶς, κινήσεως τὴν ἀρχὴν ἔχον, *nec non motum verſus centrum vel medium ſummæ, principii loco habent.* Hav. *In medium &c.* Hinc apud Stat. vi. Theb. p. m. 278. Apollo inter alia canit:

Imane tellus
An media? &c. Preig.

1052. *Omnia*] Gravia. nam ſic definit Ariſt. *grave* lib. 1. de cælo: *quod ſuapte natura ad medium fertur: leve, quod a medio ad extrema.* Lamb.

1052. *Niti*] Incumbere, vergere. Lamb.

1053. *Naturam*] αἰτίαν. Lamb.

1053. *Atque ideo ſine ullis*] Quod tum eſſet, ſi vera dicerent. Fab.

1056. *Ipſum ſi, &c.*] Hos quatuor verſus parentheſi includendos non tam explicare, (quicquid alii ſentiant) quàm convellere iſtam de *Centro* opinionem contendo. Creech.

1057. *Sub terris*] Sub medio terrarum puncto, quod *centrum* appellant. Lamb. Apud antichthonas, ſeu antipodas. Fab.

1057. *Surſum*] Ad punctum medium: quod tamen Ariſtoteli eſt *deorſum ferri.* Lamb. Reſpectu

Ut per aquas quae nunc rerum ſimulacra videmus :)
Et ſimili ratione Animalia ſuppa vagari
Contendunt, neque poſſe è Terris in loca Coeli
Recidere inferiora magis, quam corpora noſtra

Sponte

INTERPRETATIO.

eodem prorſus modo quo cernimus ſimulachra noſtra in Aquis, pedibus noſtris plane oppoſitis.) Docent inſuper in adverſa Terræ ſuperficie Animalia eodem modo ac nos incedere, neque magis poſſe in inferiores Cœli regiones è Terris recidere, quam Corpora noſtra

VARIÆ LECTIONES.

1059. *videmus.* vocamus *Gaſſ.*

1060. *ſuppa.* Ita G. K. Creech Z. ſed *ſupra* Q. X. Y. in quo a pr. m. videtur fuiſſe *ſuppa*, nam in Z. quoque ſuperſcribitur *ſupra.* Lamb. *ſubtu'* ut & C. D. *cuncta* O. P. *ſuapte* E. H 2. N.

1062. *Recidere.* decidere C. E. N.

NOTÆ.

ſpectu Scriptoris ſcilicet; antipodibus deorſum. Antipodas autem eſſe nec multi è veteribus crediderunt, neque ſane è primis Chriſtianis multi. Sed in eam rem plura à Doctis congeſta, & res hodie notiſſima eſt. Fab.

1058. *In terramque*] Sic veteres quidam. Aliis: *terra.* Gif. Sic habent quinque lib. manuſcr. & ita legendum, non, ut in vulgatis,

In terraque retro requieſſe repoſta.

Lamb.

1058. *Retro*] πάλιν, contrà. Lamb.

1058. *Retro poſta*] Præpoſtero ſitu, *ut per aquas*, &c. quæ enim ſimulacra animantum in aquis videmus, eorum pedes verſus cœlum noſtrum tendunt. Fab.

1060. *Animalia cuncta*] Habent priſci codices *animalia ſuapte.* ſignificabit hoc animalia ſponte ſua ſe moventia: quæ aurigante natura vergunt in centrum. Pius. *Animalia ſubtu' vagari*] Magna eſt hoc loco ſcripturæ varietas. in aliis enim codicibus ſcriptum eſt, *ſupra vagari*, in aliis *cuncta vagari*, in aliis *ſuapta*, in aliis *ſuapte.* ego *ſubtu'* repoſui : quæ lectio perſpicue recta & vera eſt. *ſubtus* autem, id eſt ſub pedibus noſtris, & ſub medio terræ puncto, in regione ἀντιχθόνων, & ἀντιπόδων. Lamb. Lambinus ita egregie, ut opinor. Nam in libris: *ſuapta, ſuapte, cuncta, ſupra.* Itaque omnes vulgati. Gif. *Sultu.* In MSS. pleriſque *Supra*, *Cuncta*, *Suapte*, iſtamque vocem multæ editiones approbant, ſed optime repoſuit Lambinus *Subtus*: niſi forſan audiendus ſit *Salmaſius*, qui *Epiſt.* 59. hæc habet. Pro illis *Subtu' vagari*, quæ ex ingenio ſuo repoſuit Lambinus, nota in veteribus Libris eſſe partim *Supra*, partim *Suapte*, partim *Suapta*; ex quibus veſtigiis olim faciebam *Suppa*, id eſt *Supina*. antiqua voce. Nam illi qui pedes nobis adverſos habent, ἀντίχθονες nobis ſunt *Supini*, & nos illis. *Suppum* porro notat Feſtus Antiquos dixiſſe quod nos *Supinum* dicimus. Liber Voſſii noſtri plane præfert *Suppa.* Creech. *Subtu' vagari.* Egregia lectio MSS. L. B. *ſuppa vagari.* i. e. ſupina. cum enim imagines ambulantium eorum in aquis videntur, quaſi ſupina ibi vagantur. Et ſic quoque emendavit Salmaſ. ep. LIX. probavitque hoc Creechius. Spectat huc Luciani locus in Demonacte, ubi iſta de Philoſopho illo inter alia narrat: φυσικόν τινα, περὶ τῶν Ἀντιπόδων διαλεγόμενον ἀναστήσας, καὶ ἐπὶ φρέαρ ἀγαγὼν, καὶ δείξας αὐτῷ τὴν ἐν τῷ ὕδατι σκιὰν, ἤρετο. τοιούτους ἄρα τοὺς Ἀντίποδας εἶναι λέγεις; i. e. *Phyſicum quoque ſuper Antipodibus diſſerentem, ſurgens deduxit ad puteum, illique umbrâ in aqua commonſtrata, quæſivit : Nunquid tales confirmas eſſe Antipodas?* id eſt, umbras hominum, nullosque in rebus humanis. Hav.

1062. *Reccidere*] Sic habent libri Pariſien. &

Vene-

Sponte ſua poſſint in Coeli templa volare:
Illi quom videant Solem, nos Sidera noctis
Cernere, & alternis nobiſcum tempora Coeli
Dividere, & nocteis parileis agitare, dieſque.

Sed

INTERPRETATIO.

propria ſua vi in ſublimes Cœli fornices evolare; Et cum illic Solem videant, nos nocturna aſtra videre, & alternis vicibus illa partiri nobiſcum Cœli tempora, & noctes dieſque quales nos habere.

VARIÆ LECTIONES.

1064. *Illi.* Illic N.
1065. Poſt hunc verſum inferatur verſus 1093. G.
1066. *parileis.* paribus Bm. X. *dieſque.* diebus A. B. c. D. I. O. P. Bm. Q. X. Y. Z. dieſque *priſci codd. Pii.* V. heic loci inſeritur verſus 1075. G. Z.

NOTÆ.

Veneti antiquiores, a quibus non diſcrepant manuſcripti. licet tamen etiam legere, *Decidere*, ut referamus ad antipodas, qui videantur eſſe ſuperiores ea cæli parte, ſub qua habitant, ſi pars illa cæli ad nos referatur, tamquam illis antipodas. LAMB. *Recidere.* Alii *Decidere:* quam vocem etiam Lambinus admittit: Immeritò. Non enim obſervavit *Lucretium* uti vocibus opinioni iſtæ quam exagitat, ſuiſque præjudiciis accommodatis, ut enim *Centripetæ* Gravia à Circum-ad Centrum olim decidiſſe exiſtimarunt, ſic *Lucretius* eadem Gravia à Centro in inferiores Circumferentiæ partes recaſura eſſe pronuntiavit. CREECH.

162. *Inferiora*] Id eſt quæ loca ſunt nobis inferiora: ſed animalibus illis antichthonibus, atque antipodibus ſuperiora. contendunt (inquit) ea animalia, quæ ſub pedibus noſtris vivunt, nihilo magis recidere poſſe in cælum, quòd eſt nobis inferius, quam nos poſſimus ſponte noſtra in cælum noſtri hemiſphærii volare. LAMB. Nobis ſcilicet, at antipodibus ſuperiora. FAB.

1063. *Cæli templa*] Sic ſupra,

--- *nec cæli lucida templa.*

LAMB.

1064. *Illi cum videant. ſolem*] Quattuor libri manuſcripti habent *illi*, *illi* autem, ſi hæc ſcriptura placet, poſitum puto, pro *illic*, ut apud Terent. Phorm 1: 2: 41.

Interea dum ſedèmus illi, intervenit
Adoleſcens quidam.

ego tamen olim in prima editione vulgatam ſcripturam ſecutus eram, ſuſpicatus *c* litteram vocis antecedentis poſtremam à librario eſſe omiſſam propter ſimilem primam vocis ſubſequentis. quod ſæpe reperimus factum in libris manuſcriptis; cujuſmodi eſt illud apud Horat. ſat. 3. lib. 2: 208.

Qui ſpecies alias veri, ſceleriſque tumultu
Permiſtas capiet.

ubi ego veriſſima & certiſſima conjectura ductus, reſtitui,

Qui ſpecies alias veris,

id eſt differenteis veris. Nunc *illi* magis placet, ſive accipiatur pro pronomine, ſive pro adverbio. nec quemquam vox *animalia*, quæ antecedit, quaſi ea non poſſit cohærere cum provocabulo *illi*, moveat. Sæpe enim ſcriptores mutant genus. licet igitur ita hunc locum declarare: Cùm illi, nempe antipodes: vel cùm illa animalia, quæ ſub pedibus noſtris habitant, videant, &c. hoc igitur ſentit Lucretius: Contendunt ii, de quibus loquimur, cum homines, qui ſub pedibus noſtris vivunt, *ſolem vident.* id eſt cum eis dies eſt, *nos ſidera cernere.* id eſt nobis eſſe noctem. LAMB. *Illi cum videant.* Ita in veteribus libris, antique pro *illic*. GIF. *Illi.* Jam ſuperius, pro *illic*, *olli*, &c. FAB. *Illi.* Idem quod *Illic* Sic Ter. *Illi* etiam pronomen admitti poteſt quamvis *Animalia* præcedat; mutare enim genus æquè licet placetque *Lucretio*, ac Aliis Veterum. CREECH.

1066. *Et nocteis parileis agitare, dieſque*] Sic omnes ferè vulgati, & nonnulli manuſcripti habent, plures tamen item manuſcripti,

Parileis agitare diebus.

qui-

Sed vanus Stolidis haec omnia finxerit error,
Amplexi quod habent perverſe prima viaï.
Nam Medium nihil eſſe poteſt, ubi Inane, locuſque
Infinita: neque omnino, ſi jam Medium ſit,
Poſſit ibi quidquam hac potius conſiſtere cauſa,
Quam quavis alia longè regione manere.

Omnis

INTERPRETATIO.

At hæc omnia figmenta è putida ignorantia naſcuntur. Ideoque errant vani harum opinionum fautores, quoniam vera Naturæ principia non probe intellexerint: Non enim poteſt eſſe Medium (Centrum) in Infinito ſpatio; nec ſi Medium eſſe concedamus, grave aliquod Corpus quieſceret in iſto Medio, quia Medium

VARIÆ LECTIONES.

1067. *finxerit.* parturit C. E. N. P.
1068. *Amplexi.* amplexis c. P. *habent.* hebent P. in not. legit amplexi quod habent.
1069. *Nam.* jam, *quidam &* X.
1070. *Neque omnino.* & denique in omni c. O. P. infinita denique omnino ſi jam X.
1071. *ubi quidquam.* ubicunque X. *hac.* deeſt Y.
1072. *Regione.* ratione C. E. N.

NOTÆ.

quibuſcum congruunt Pariſienſes, ego tamen alteram ſcripturam potius ſecutus ſum, quia videtur hoc dicere Lucr. eos homines, qui ſub pedibus noſtris habitant: dieis & noctcis nobis, ſeu noſtris diebus ac noctibus, pareis atque æqualeis agere. Si quis tamen alteram ſcripturam magis probabit, cum eo non pugnabo. LAMB. *Diebus.* Ita fere veteres libri, manu formiſque deſcripti. In quibuſdam vet. *dieſque*; ut & in vulgatis fere, & Marullus. GIF. *Pariles. Paribus* B. *Dieſque. Diebus* Gif. Pa. Alii fere omnes: ſed iſtis omnibus ſapientior Lambinus, qui legit *Dieſque.* CREECH.

1067. *Sed vanus Stolidis hæc omnia finxerit error*] Sic habent tres libri manuſcripti, vulgati autem ferè omnes, *parturit error.* quæ lectio conficta & ſuppoſita eſt. à duobus aliis manuſcriptis abſunt ſex verſus, qui deinceps ſequuntur: *finxerit* autem interpretor, fingendi anſam & cauſam præbuerit, & præbuiſſe credibile eſt. LAMB. *Sed vanus, &c.* Explicatam de Centro opinionem his v. 25. aggreditur. Primoque docet nullum poſſe eſſe Medium cum *Inane* ſit *Infinitum*: Sic Plutarchus, Univerſum *infinitum* eſt, *Infinito* autem, cum neque *Principium* neque *Finem* habeat, *Medium* habere non convenit: Nam & ipſum *Medium* eſt quidpiam *Extremum*, & ipſa *Infinitio* Extremorum *Privatio* eſt; & *Chryſippum* manifeſtæ Contradictionis arguit, quòd *Medium* in *infinito* locum ſtatuit: *De Stoic. Repug.* Deinde conceſſo Medio, nulla ſuadet Ratio fore, ut Res graves in illa Media Inanis parte potius quàm in ulla alia conſiſterent, & quieſcerent: Quoniam eſt Natura *Totius Inanis* cedere ponderibus, neque poteſt ulla illius Inanis pars ſuſtinere res graves, quia *Inane* ſolidum minimè eſt, ac firmum, τοῦ Κενοῦ φύσις τὴν ὑπέρεισιν οὐχ οἵα τε οὖσα ποιεῖσθαι. *Finxerit.* Nard. & Vulg. *Parturit.* CREECH. *Finxerit.* Bene. Expreſſit formulam: εἰς ἄφρονας ταῦτα παῖδας. PREIG.

1068. *Amplexi quòd habent*] Id eſt, quia *amplexi* ſunt. & tenent *perverſè prima* elementa, & primas vias naturæ inveſtigandæ: quia ſtatim ab initio non ſunt ingreſſi veram naturæ cognoſcendae viam, ſed longè diverſam. Jam verò *amplexi habent* ſic dictum, ut à Virgil. lib. 2. Æneid. 517.

--- *& Divûm amplexæ ſimulacra tenebant:*

&

Omnis enim locus, ac ſpatium, quod Inane vocamus,
Per medium, per non Medium concedat oportet
Aequis ponderibus, motus quacunque feruntur.
Nec quiſquam locus eſt, quo Corpora quom venêre,
Ponderis amiſſa vi poſſint ſtare in Inani:
Nec quod Inane autem 'ſt, ulli ſubſiſtere debet,

Quin,

INTERPRETATIO.

eſſet, potiùs quam in aliqua alia ſpatii infiniti parte ab iſto Medio longiſſimè remota. Omne enim ſpatium (i. e. Inane) æqualiter cedat neceſſe eſt rebus gravibus, in quamcunque partem motus eorum tendunt, ſive per Medium; ſive per non Medium; neque ulla eſt ſpatii pars, in quam cùm Corpora venerint, amiſſa veluti gravitatis vi ſiſtere ſe poſſint, & quieſcere in Vacuo.

VARIÆ LECTIONES.

1073. *Vocamus.* vocatur Q 1. In Q. priores aliquot verſus ſic legebantur:

Amplexi quod habent perv.
Nam medium nihil eſſe poteſt
Infinita denique omnia ſi jam
Poſſit ibi quicquam conſiſtere
Quam quavis alia longe ratione

Adſcriptum erat hic eſt locus mutilatus. hoc autem modo replendus & emendandus

Amplexi quod habent ſpatium purumque Viai. al. *per utrumque in rebus inane*
Nam medium nihil eſſe poteſt ſine fine manentum
Infinitum autem non omnino denique ſi jam
Poſſit ubi quicquam medium conſiſtere rebus
Quam quavis alia longe ratione tueri al. *teneri*

Duæ autem variæ lectiones, quas ad vſ. 1068. & 1072 addidimus, erant ab alia manu.

1074 *Concedat.* concedere P. Q. X. Y.

1075 *Æquis* æque A. B. D. E Cr. L. H 2. N. *motus.* mota a. B. motis H 2. *feruntur.* ferunt ſe Q 1

1076. *Nec* Ne Q 1. *quom venêre.* cum venirunt G. convenerunt Q 1. convener X. comvener Y. convenir Z.

1077. *Stare in inani.* ſtare ſine inane Q 1. ſiſtere inane Q 2. ſtare inani X. Y. Z.

1078. *Ulli.* Ita G. V. Y. Z. ullis c. O. P X. illis *Alii. ſubſiſtere* Obſiſtere *margo legit.* Z.

NOTÆ.

& ab ipſo Lucret. lib. 6: 899.

Semina habent ignis tedæ, ſtuppæque tenentes:

& à M. Tullio pro Sylla, *Illud erat genus hominum horribile & pertimeſcendum, qui tanto amore ſuas poſſeſſiones amplexi tenebant, ut ab his membra divelli citius ac diſtrahi diceres.* Idem libro ſecundo de natura Deorum: *Quocirca ſapientem eſſe mundum neceſſe eſt, naturamque eam, quæ res omneis complexa teneat.* Neque enim probo lectionem vulgatam;

Amplexi quod habent, &c.

prima viai autem ſic dictum, ut *ultima naturaï*, *abdita templi*, *acuta belli*, *abdita terraï*, *cærula cæli*, & ſimilia. Lamb. Helleniſmus notiſſimus, πράξας ἔχει, pro ἔπραξε, & alia id genus ſæpe apud Atticos, Euripidem in primis. Fab. Notiſſimus Helleniſmus, πράξας ἔχει pro ἔπραξε, & alia id genus ſæpè apud Atticos. *Amplexi quod hebent* Vulg. non probo. Creech.

1069. *Nam medium nihil*] Μέσον (inquit Ariſt. lib. 4. de cælo) ἐναντίον τῷ ἐσχάτῳ, id eſt, *Medium contrarium ultimo eſt.* itaque ſi non eſt extremum, nec medium eſt. Lamb.

1070. *Infinita*] Fortaſſe: *Infinitus.* ſimile inf. 11: 19. Gif.

1072. *Quam quavis alia longe regione*] Nec ſi demus eſſe *medium*, (inquit) propter hanc cauſam

Quin, ſua quod natura petit, concedere pergat.
Haud igitur poſſunt tali ratione teneri
Res in concilio, Medii cuppedine victae:

Prae-

INTERPRETATIO.

Nec poteſt Inane ipſa ſuſtinere, ſed pro Natura ſua viam locúmque præbere debet, quo ulterius progredi, & movere poſſint. Niſus ergò in Medium non conſervat Rerum ſummam, neque quieſcunt Corpora Centri amore capta.

VARIÆ LECTIONES.

1080. & 1081. Collocantur proxime ante 1107. inſeritur verſ. 1095. cum undecim ſequentibus, L. *poſſunt.* poſſint Q. 1.

1081. *Concilio.* concilium, G. P. Y. Z. *Cuppedine.* cupedine N. cupidine Q. 1. Quidam legunt *Cappedine.* pro capacitate P. in not. *Victæ.* vinctæ, Creech.

NOTÆ.

ſiam *in medio potius*, quam in quovis alio loco *quicquam conſiſtere* queat. corrupte habent libri quidam typis excuſi, *alta longè ratione.* Lamb.

1074. *Concedat oportet æquè*] *Concedat*, id eſt cedat. *æquè*, id eſt æqualiter. male autem in vulgatis libris legitur, *Æquis ponderibus.* Nam præter auctoritatem veterum codicum, ex illo loco, qui eſt libr. 2: 238. intelligere licet, hîc quoque legendum, *Æquè*, non *æquis:*

Omnia quapropter debent per inane quietum
Æquè ponderibus non æquis concita ferri. Lamb.

Id eſt, æqualiter cedant ponderibus, quacumque motus feruntur. Quidam legunt, *æque ponderibus motis.* At Gifan. in edit. II. legit, *mota quacumque feruntur.* Elegantiam hominis! Fab.

1075. *Æque ponderibus*] Sic veteres libri. vulgati & quidam veteres: *Æquus*, non tam recte. Scripſi: *mota*, etſi Libri fere: *motus.* Vide Indicem. Gif. *Æquè* G. Gif. Pa. Lamb. Rectiùs. τὸ Κενὸν τὴν ἴξιν ὁμοίαν παρέχει τῇ κουφοτάτῃ καὶ τῇ βαρυτάτῃ ἀτόμῳ εἰς τὸν αἰῶνα, Epicurus ad Herodotum. pro *Motus*, Alii legunt *Motis.* Alii *Motu* : Gif. *Mota*: eligat Lector. *Ponderibus*, ſupple *Præ.* id eſt propter Pondus & Gravitatem. *Fayus.* Quid hæc ſibi velint alii conjectent, certe *Fayum* ſapiunt. Creech.

1075. *Motus quae. fer.*] Quidam vir doctus putat legendum,

Ponderibus motis quacunque feruntur.

feruntur autem, videlicet pondera. quidam,

Motu quacunque feruntur. Lamb.

1076. *Nec quiſquam*] id eſt, *nec quiſquam locus* inanis *eſt*, ad quem *cùm corpora pervenerunt*, *poſſint in* eo *inani ſtare*, tanquam *pondere* ſpoliata; *nec verò inane* corporibus ſubſiſtere ullo modo poteſt. Lamb.

1078. *Nec autem*] Ut ſæpius jam ſupra. Preig.

1078. *Subſiſtere*] Id eſt fundamenti loco eſſe, fundamenti vicem præbere, ὑφίστασθαι. ſic lib. 2: 235.

At contrà nulli de nulla parte, neque ullo
Tempore inane poteſt vacuum ſubſiſtere reji. Lamb.

Et ex adducto hoc Poëtæ loco patet, nos recte repoſuiſſe ex MSS. *ulli* ſcil. rei vel corpori pro *illis.* Dicit Poëta contra naturam eſſe Inanis motui ullius corporis reſiſtere, illumque ſuſtinere, tardare, id enim ſi faciat, ipſum Inane ſit corpus. Fab. Eis ὑπόστημα præbere, ſuſtinere. Hav.

1079. *Quin ſua quod nat. petit,*] Id eſt, quin potiùs ſemper concedat, id eſt, cedat, & viam ac locum det corporibus: quod ipſius natura petit ac poſtulat. vel dic,

Quin ſua quod nat. &c.

Id eſt ut non pergat concedere, & dare locum corporibus, id quod ſua natura petit, & poſtulat. Lamb.

1080. *Haud igitur.*] Non poſſunt igitur res in concilio & cœtu conſtare & permanere tali ratione, nempe quod medii cupiditate affectæ ſint. Lamb.

1081. *Concilio*] Quidam libri: *concilium.* Gif. *In concilio.* Id eſt in congreſſu, in cœtu. Lamb.

1081

Praeterea quoque jam non omnia corpora fingunt
In Medium niti, ſed Terrarum, atque Liquorum,
Humorem ponti, magniſque è montibus Undas,

INTERPRETATIO.

Præterea hujus Opinionis fautores fingunt non omnia Corpora in Medium niti, ſed terreſtria tantum & Aquoſa, Mare, Fluvioſque è Montibus decurrentes,

VARIÆ LECTIONES.

1082. *Quoque jam.* Quoniam, A. B. C. D. E. N. P Q. X. qua *cum lineola deſuper* Y. Z.
1083. *Liquorum.* liquores Y. Z. *Poſtponitur hic verſus ſequenti in* Y. *ſed in* Z. *eſt poſt* v. 1085.
1084. *Magniſque.* magnaſque, A marg. c. G. P. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

1081. *Cuppedine*] Hermolaus in Plinium malit: *cappedine*, uti puto. GIF. Id eſt cupidine, cupiditate. LAMB. Sic veteres pro *Cupidine* vel amore. Quid ſi dein legatur *Vinctæ* pro *Victæ*? CREECH.

1082. *Præterea quoque jam, &c.*] Si quis hunc locum uſque ad extremum attentè legeret, ut erat initio ſcriptus, & ut in libris vulgatis legitur, non eſſet ei fortaſſe facile, quò referatur, & quam quaſi ἀνταπόδοσιν habeat, videre. Nunc autem, in ordinem verſibus reſtitutis, & mendo ex hoc verſu ſublato, ut legamus,

Præterea quoque jam,

non, ut vulgo,

Præterea quoniam, &c.

omnia erunt ſatis plana, expedita, & facilia. LAMB. Quin etiam, inquit Lucretius, ſibi non conſtant; nam ignis, qui corpus eſt, ſecundum illos naturaliter fertur à medio, non in medium. Epicurus autem exiſtimat ingnem ferri in altum per vim, per expreſſionem, ἔκθλιψιν. FAB. Perturbatos fuiſſe ſequentes verſus queritur *Lambinus.* in aliquem ſaltem ordinem redegit; ſed in meliorem *Giſanius*, quem ſequar: ſecundum igitur v. 24. argumentum contra fautores Centri, ipſorum viz. ſententiam recitat, Qui enim abſurda memorat eadem refutat. Docent autem, Terræ tantum & Aquæ particulas ad Centrum, Ignis verò & Aëris à Centro niti, ex Ignibus etiam à Medio ſurgentibus Aſtra Stellaſque fieri, & nutriri. (ut vigent Animalia, & Arbores vireſcunt, Tellure Succos & debita alimenta præbente,) Circum verò omnia ſolidos aliquos circumvolvi Cœlos, qui leves has & à Medio ſurgentes particulas ſiſtant, & contineant; niſi enim ſiſterentur iſtæ particulæ, per Immenſum Inane ſubitò diffugerent; Cœlum rueret, Terra ſe pedibus noſtris ſubduceret, & diſſolveretur totius Machinæ compages. Quandocunque enim aliqua hujus Mundi pars ſeceſſum facit, Totius interitus ſequetur. CREECH. *Præterea &c.* Locum perturbatum queritur Lambinus, & in ordinem redigit, fautore Fabro & MSS. L. B. Digerit aliter Giphanius, cui Creechius favet, quem vide, iis nos aſſenſum damus. Plane vero ita exſtat in Editione Baſilienſ. HAV.

1082. *Quoque jam,*] Omnes præter Lambinum *Quoniam*, nullo planè ſenſu: forſan *Quianam:* & vox iſta ſit otioſa, quales apud Poëtas ſæpiſſimè occurrunt. CREECH. Ita Rectè Lamb. quem ſecuti Faber & Creichius. Giphanius ineptè retinet *quoniam*, omnibus licet MSS. adſentientibus, nullo certè ſenſu. Creichius conjicit etiam *quianam.* Vide de varia lectione quæ ad vſ. 756. HAV. & PREIG.

1083. *Sed terrarum atque liquorum*] Tres libri manuſcripti habent,

Sed terrarum, atque liquoris,

ut legendum fortaſſe ſit,

Sed terraï, atque liquoris. LAMB.

Sed terrarum atque liquoris.] Ita ex vet. libris reſtitui. Vulgati: *terrarum atque liquorum.* Poſſet etiam legi: *terraï.* GIF. *Terrarum atque Liquorum.*] *Liquoris* MSS. unde *Giſ.* poſt *Lambinum* conjicit legendum *Terraï atque Liquoris.* CREECH.

1083. *Liquorum*] Lamb. in tribus MSS. invenit *liquoris*, quomodo etiam in L. B. & ferri poteſt. HAV. & PREIG.

1085. Hunc verſum non agnoſcit *B.* CREECH.

Et quaſi Terreno quae corpore contineantur:
At contrà tenueis exponunt Aëris auras,
Et calidos ſimul à Medio differrier Igneis,
Atque ideo totum circumtremere Aethera ſignis,
Et Solis flammam per coeli caerula paſci,
Quod calor à Medio fugiens ibi conligat igneis.
(Quippe etiam veſci è Terra mortalia ſaecla:
Nec

INTERPRETATIO.

& quæcunque è terra conſtant; at docent tenuem Aëra, calidos etiam ignes à Medio niti, & ſurſum ferri, ideoque Cœlum ex omni parte Stellis micare, Solemque in Cœlo nutriri, quòd Calor è Medio aſcendens ibi colligat, & conſtipet ignes, (ut Terra alit omnia, nec Animalibus cibus eſſet,

VARIÆ LECTIONES.

1085. Deeſt Bm. præponitur verſui 1084. Q 1. Z.
1088. Deeſt Q.
1090. *a medio.* e medio X. *ibi conligat ignes.* ſibi contiget igneis, G. ſibi colligat. V. P. colligat omnis, c. P. H 1. O. Q. ſibi conligat omnis Y. Z.
1091. Deeſt. G. Bm. Q. Z.

NOTÆ.

1085. *Et quaſi terreno*] In veteribus quibuſdam verſus ille: *Et quaſi* &c. erat ante: *Humorem* &c. Gif.

1086. *Exponunt*] Dicunt. Lamb.

1087. *Differrier*] Diſſipari, diſpergi, ut libro ſecundo:

Scintillas agere, & late differre favillam. Lamb.

1088. *Circumtremere*] Propter ſcintillantem, palpitantem, ac nictantem ſiderum micantium ignem. Fab.

1088. *Circumtremere æthera*] Cum potius ipſa ſigna in cœlo tremere videantur. Sed ita ſupra quoque 257.

Frundiferaſque novis avibus canere undique Silvas.

quæ ipſa novitate delectant. Hav.

1088. *Æthera.*] Hic pro aëre. nam omnia in æthere puræ lucis plena ſunt. unde Lucanus 2: 273.

Pacem ſumma tenent.

quare Papinius cum ſignificare vellet animum ſapientis non perflari perturbationibus, inquit:

Celſa tu mentis ab arce
Deſpicis errantes. Pius.

1089. *Cæli cærula*] Libro quinto, *cærula ponti*, & ibidem, *cærula mundi.* Lamb. Ex Ennio; *Coilei coerola.* Fab.

1089. *Paſci*] Sup. 232.

. --- *unde æther ſidera paſcit?*

& libro quinto: 525.

Quò quoiuſque cibus vocat, atque invitat eunteis. Lamb.

1090. *Ibi colligat igneis*] Marg. noſtra; non ineleganter:

Sibi colligat omnis.

Omnis calor nempe *ſibi* cœlum *colligit.* Preig.

1091. *Quippe etiam*] Quidam putant eſſe Lucretii verba, oſtendentis, philoſophos illos etiam in eo errare, quòd non omnia corpora fingant in medium niti, ſed corpora terrarum atque aquarum dantaxat: nam etiam corpora gravia (inquit Lucret.) videmus quodammodo ſurſum ferri, quando animalia mortalia è terra veſcuntur, &c. Sed videtur potiùs eorum philoſophorum eſſe ratio, per quam dicunt levia corpora, ut flammas & vapores, ſurſum ferri, iiſque ſolem & ſidera paſci. Omnino hic locus eſt aliquantum difficilis, atque obſcurus. Lamb.

1093. *Niſi à terris paull. quiſque cibetur*) Sic viſus eſt mihi tandem hic locus reſtituendus, idque ex

Nec prorſum arboribus ſummos frundeſcere ramos
Poſſe, niſi à terris paullatim cuique cibatum
Terra det) at ſuprà circum tegere omnia Coelum;
Ne volucri ritu flammarum, moenia Mundi
Diffugiant ſubito magnum per Inane ſoluta,
Et ne caetera conſimili ratione ſequantur:
Neve ruant Coeli tonitralia templa ſupernè,

Ter-

INTERPRETATIO.

nec ſummi Arborum rami foliis ornarentur, niſi Terrra debitum cuique rei alimentum ſubminiſtraret) contendunt inſuper Cœlum aliquod ſupremum circumambire omnia & continere, Ne ſuperiores Mundi partes nexibus mutuis ſolutæ per immenſum Inane ut volucres flammæ ſubitò diſſipentur; & ne Cœli fornices deſuper corruant,

VARIÆ LECTIONES.

1092. *frundeſcere.* Frondeſcere G. N. Y. Z.
1093. *niſi* nec Q 1. *Cuique cibatum.* quodque cibatur A. B. P. H 2. O. cines cibatum Q 1. curisque cibatum Q 1. quiſque cibetur Q 2.
1094. Deeſt A. B. L. P. Z.
1095. *Ne.* nec G. P. Q 1. *volucri.* Ita G. P. Y. Z. Alii volucrum
1097. *Sequantur.* ferantur C. E. N.
1098. *Tonitralia.* penetralia C. E. N. P. X. penitralia B. Q. tonetralia G. Y. Z. *ſuperne.* ſupernæ G.

NOTÆ.

ex veſtigiis ſcripturæ veteris: quam in prima editione non ſatis conſideraram. *quiſque* autem, videlicet arboris ramus, *cibetur* porrò, id eſt alatur. Lamb. *Quodque cibatur*] Ita ex Vet. libris ſcripſi. Verſus proximus: *Terra &c.* παρεμβέβληται, ob non intellectum ὑπέρβατον longiſſimum. Nam iſtud: *Ne Volucrum, &c.* conjungi debet cum: *Illud in his rebus*, &c. ſupra. & alioqui; quis dixit unquam: *terra dat cibatum a terris?* Aberat etiam a quodam Vet. Codice noſtro. Vid. & ſupra verſ. 232. Gif. *Cuique Cibatum.*] *Quiſque cibetur* Lambinus, & ſequentem verſum rejicit; *Quodque cibetur*, Gif. ex Vet. Cod. monetque *verſum proximum* Terra det, &c. *inſertum fuiſſe ob non intellectum ὑπέρβατον longiſſimum: Nam iſtud* Ne volucrum, &c. *conjugi debet cum* Illud in his rebus, &c. *& alioqui quis unquam dixit* Terra dat cibatum à Terris? *aberat etiam à quodam vet. Cod. noſtro.* Sed alii Codices admittunt, & recipiendus eſt ut aliquis ſaltem ſit hujus loci ſenſus, cui per ſe ſatis obſcuro iſtud ὑπέρβατον majores tenebras offundit. Creech.

1095. *Ne volucrum ritu*] Totus hic, qui deinceps ſequitur, locus miſerabilem in modum perturbatus & confuſus erat; ex qua ordinis perturbatione ita obſcurus erat, ut nulla ex ea probabilis ſententia elici poſſet. Ego autem verſibus in ſuum ordinem reſtitutis, eadem opera eorum ſententiam declaravi, atque explicavi. Lamb.

1095. *Mœnia mundi*] id eſt ambitus mundi. metaphora. Lamb. *Mœnia mundi.* Ita eleganter appellat cœlum, quod undique mundum ambit & coërcet. lib. v. 455.

Lunamque efficerent & magni mœnia mundi Hav.

1097 *Conſimili ratione ſequantur*] Secutus ſum fidem quatuor librorum manuſcriptorum, quibuſcum faciunt cod. Veneti antiquiores, & Pariſienſes. nam ceteri vulgati habent *ferantur.* Lamb.

1098. *Tonitralia*] Sic habent quatuor libri manuſcripti: quos ſecutus ſum. nam vulgati habent *penetralia. tonitralia* autem interpretor loca, in quibus ſit tonitru: βροντεῖα Græci nomi-

Ii 3 nant:

Terraque ſe pedibus raptim ſubducat, & omneis
Inter permiſtas terrae, coelique ruinas
Corpora ſolventes, abeant per Inane profundum,
Temporis ut punćto nihil exſtet relliquiarum, De-

INTERPRETATIO.

Terraque ſe ſubitò pedibus noſtris ſubducat, & nos omnes inter Cœli aliarumque rerum ruinas, in principia prima reſoluti & fracti, per immenſum Inane delabamur, ita ut puncto temporis nihil reliquum ſit

VARIÆ LECTIONES.

1100. *PermiſtasTerræ.* mixtas rerum, G. Z permixtas rerum a. C. D. E. I. N. P. V. Q. X. Y:
1101. *Abeant.* aveant, G. abeat, D. E. Bm. N.
1102. *Nihil exſtet.* nihil reſtat, Bm. X. *temporis* temporum Q.

NOTÆ.

ſtant: vel in quibus habitat is, qui tonat, Deus: vel quæ obſervantur ab Etruſcis, & haruſpicibus. Lamb. *Tonitralia*] Ita Veteres libri. *Penetralia*, Vulgati. Gif. Recte *Lambinus*, dum B. Na. Aliique retinent *Penetralia*. Creech.

1099. *Raptim*,] id eſt rapientium in modum, ſeu celeriter, ut ſuprà, 662.

--- *Nil ab ſe quod poſſit mittere raptim.*

Horatius epiſtola ſecunda libri ſecundi: 198.

Exiguo, gratoque fruatur tempore raptim. Lamb.

1099. *Subducat*] ſubtrahat. Virgil. Ecl. 3: 6.

Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.

idem libro tertio Æneid. 564.

Tollimur in cœlum curvato gurgite, & iidem
Subducta ad maneis imos deſcendimus unda.

Lamb.

1100. *Et omnes inter permiſt. terræ, cœlique*] Hunc locum reſtitui conjectura ductus, ab uno tamen codice vetere adjutus, in quo vox *rerum* erat aliena manu ſcripta, & tota in litura merſa. ſententia autem verborum hæc mihi videtur eſſe: Et ne omnes homines ſolventes inter cæli & terræ ruinas, *corpora prima*, ex quibus conſtant, id eſt eſt ſua principia reſoluti, abeant per inane profundum. quidam tamen *ſolventeis* legunt caſu quarto, ut conjungatur cum voce *ruinas*. vulgata autem ſcriptura, *rerum*, *cœlique*, mihi nullo modo probatur. nam *rerum* appellatione etiam cælum continetur. Lamb.

1100. *Rerum*, *cœlique ruinas*] Ita omnes libri. Lambinus: *terræ cœlique.* Ego ſi quid mutem, ita legam: *Inter mixtas terrarum.* Sæpe jungit illa duo, *terrarum cœlique*, Poëta. Lib. v. 326. 345. Gif.

1104. *De parti corpora ceſſe*] Sic reſtitui ab uno codice manuſcripto admonitus: in quo ſcriptum erat, *corpora adceſſe*, non ſine litura: ſuſpicatus primùm ſcriptorem librarium peccaſſe, quòd vocalem *a* bis ſcripſerit, hoc modo *corpora à ceſſe*, deinde ſupra litteram *c* ab homine, qui vocem *aceſſe* Latinam non eſſe videret, ſed mendam tollere nequiret, *d* poſitum eſſe: ut legeretur *adeſſe:* deinde ex verbo illo corrupto, *aceſſe*, ſeu *adeſſe*, ſeu *adceſſe*, factum *deeſſe*, cùm eſſet potiùs *ceſſe* reponendum: quod nos fecimus. Jam hoc *ceſſe* conjungo cum præpoſitione *de*, quæ antecedit, ut ſit *deceſſe*, pro *deceſſiſſe*. ſic infrà libro ſecundo: 71.

Propterea quia, quæ decedunt corpora, quoique,
Unde abeunt minuunt.

& libro tertio: 224.

Aut aliquo cùm jam ſuccus de corpore ceſſit. Lamb.

1104. *Ceſſe*] Ita in noſtris. Vulgati: *deeſſe.* Gif.

1104. *Nam quæcunque priùs de parti Corpora ceſſe*,] Ita Lambinus, qui de Lucretio optimè meritus eſt. B. *Quæcunque Corpore deeſſe.* Creech.

1104. *Ceſſe*] i. e. ceſſiſſe, deceſſiſſe. & ita recte emendavit Lamb. quod non (ut pleraque) de-

Deſertum praeter Spatium, & Primordia caeca.
Nam quacunque priùs de parti corpora cêſſe
Conſtitues, haec rebus erit pars janua lethi:
Hac ſe turba foras dabit omnis Materiaï.

Haec

INTERPRETATIO.

præter vacuum ſpatium & principia rerum inſenſilia; quacunque enim de parte aliqua hujus Mundi Corpora incipiunt ſeceſſum facere, illàc cuncta ruent, eaque pars erit janua lethi rerum ſummæ.

VARIÆ LECTIONES.

1104. *quacunque.* Quæcunque Bm. X. *prius.* prima Q. *Corpora ceſſe.* Corpora deeſſe, C. E. P. N. corpora deeſſe, G. V. Y. Z. *ſed ſec. manu in Z. ſcribitur* corpora adeſſe. corpora deeſſe. Bm. c. Q. X.

NOTÆ.

debuit ſublegere Giphanius, quaſi ex codicibus quos ſolus inſpexerat hauſtum. MSS. L. B. ut plurimi vulgati, *deeſſe. Parti* vero pro *parte* paſſim utitur Auctor, ut patet ex lib. III. & VI. Plautus etiam, Cicero in poëſi & alii uſurparunt. Hav.

1105. *Janua leti,*] id eſt cauſa interitus. metaphora eſt. ſic libro tertio: 829.

Haud igitur leti præcluſa eſt janua menti.

& libro quinto: 374.

Haud igitur leti præcluſa eſt janua cælo.

Virgilius Æneid. ſecundo, 661.

-- *Patet iſti janua leto.*

ſic Arnobius libro ſecundo adverſus genteis: *Omnis enim paſſio, leti atque interitus janua eſt, &c.* Lamb. Interitûs cauſa, exitium; exprimit illas Homeri Ἄδου πύλας, quod in ſacris quoque libris legitur, pro morte, fine, exitio. Euripides in Hecuba vocavit σκότου πύλας. tale etiam aliquid apud Callimachum in Epigrammatis, opinor. Fab.

1105. *Janua lethi*] Sic III: 829.

Haud igitur lethi præcluſa eſt janua menti.

& lib. 2: 958. 6: 1155. 1207.

Limen lethi dixit. Preig.

1106. *Hàc ſe turba dabit*] hàc ſe ejiciet, vel hac erumpet. Lamb.

1107. *Hæc ſi pernoſces parva perf. opella, &c.*] Hæc ſi perſpecta & percepta, non magna opera inſumta, neque magno admodum labore ſuſcepto, &c. Cùm in omnibus libris & vulg. & manuſcript. legatur,

Parva perductus opella,

ego certa conjectura ductus, ſic reponi juſſi,

Parva perfunctus opella.

atque hæc eſt ſine dubio vera & germana ſcriptura, à me reſtituta. ita enim Latini loquuntur, *perfungi opera, labore, periculo.* Jam vox *opella,* ab *opera* deminutum eſt. Horat. epiſt. ad Mæcen. 2. lib. I. verſ. 8.

------ *Et opella forenſis*
Adducit febreis. Lamb.

Si pernoſces] Quidam veteres: *ſic.* cui conveniret: *nec tibi cæca*, verſ. ſeq. Gif.

1107. *Perductus*] Sic omnes libri Lambinus: *perfunctus.* Gif. *Perfunctus*, Meliùs quàm *Perductus.* Creech.

1107. *Perfunctus opellâ*] In lib. MS. *perductus.* male. Dionyſius itaque optime, *perfunctus opella*, id eſt, labore. nam, ductus aut perductus ſum labore, ἐπιδανόν ἐστι, ne dubites. Fab.

1108. *Alid*] i. e. Aliud, ut ſuprà. Lamb.

1108. *Non tibi cæca nox iter eripiet.*] non tibi ignoratio cauſarum eripiet aditum ad ultimam cognitionem totius naturæ rerum. Lamb. *Non tibi cæca*] *Nec* in Vet. quibuſdam, pro *non.* antique. Gif. Efficacior MSS. L. B. lectio, *nec tibi cæca.* i. e. nec ipſa &c. Hav.

1109. *Ultima naturaï*] *Ultima naturaï*, ut *prima viai*, ſuprà. *ultima* autem *naturæ* intellige ultimas, ſeu primas naturæ cauſas. Lamb.

1110. *Accendent*] Male Gifan. in utraque editione, *accendunt:* ad ea enim tendit quæ in libris ſequentibus, præſertim autem ſecundo, ſcripturus eſt: ex quo ubi emerſeris, tum omnia jam tibi prona & ſecunda erunt: poſt illa jam ut lubet ludas licet. Fab.

In-

Haec ſi pernoſces parva perfunctus opella,
(Namque alid ex alio clareſcet,) nec tibi caeca
Nox iter eripiet, quin ultima Naturaï
Pervideas, ita Res accendent lumina Rebus.

INTERPRETATIO.

Hæc ſi, aliqua ſaltem (non multam poſtulo) uſus diligentia, perſpecta & probè intellecta habeas; (alia ex aliis clariora fiunt) ne timeas ullas olim caligines impedire poſſe quo minus intima Naturæ *intueri valeas, & perſpicere: Ita Res accendent Lumina Rebus.*

VARIÆ LECTIONES.

1107. *ſi.* ſic. Z. *Perfunctus.* Perductus, A. B. C. E. I. N. P. V. Bm. Q. X. Y. Z.

1108. *namque.* atque, c. O. neque Q. *clareſcet.* clariſcit, G. *alid.* aliud X. *nec tibi.* Ita G. Q. X. Y. Z. Alii paſſim habent *non tibi.*

1109. *quin ultima.* quando ultima, Bm. Q. X.

1110. *accendent.* accendunt, A. B. D. accendent *Pius, ſed ex vet. Exemp.* accendent *in Notis.* accedit Q.

Interpretationem primi Libri, & in illum notas abſolvi, labore meo fruatur Lector, & erroribus ignoſcat. Sed quid Ego candidos Judices expoſcerem, cùm acrem, & iniquam forſan in ipſum *Lucretium* cenſuram in animo inſtituam? Inquiram enim quid rectè, quid perperam commentus eſt Poëta, & ut non omnia rejiciam, ſic non omnia probabo. Qui laudem ingenii *Lucretio* denegavit, Artem conceſſit: Et quis invidebit Illi iſtum honorem quem ſumma malignitas agnovit? Opus igitur optimè diſpoſitum aſſerimus, ubique nitet ordo, & ita ſe invicem adjuvant argumenta; ut niſi in *Epicuri* opinionibus quædam fuiſſet deformitas, quæ, nulla venuſtate cohoneſtari, quædam infirmitas, quæ nullis ingenii viribus ſuſtentari poſſit; Pulcherrimam ſimul & firmiſſimam Philoſophiam *Poëta* exhibuiſſet.

Fœlicitatis non minimam partem exiſtimat *Epicurus* ſine metu vivere, & hanc Fœlicitatem ſola Naturæ cognitione acquiri poſſe;

---- *Terrores Animi Tenebraſque neceſſe eſt*
Non radii Solis, non lucida tela diei
Diſcutiant, ſed Naturæ Species, Ratioque: Lucr.

Μὴ ἀλλό, τι τέλος ἐκ τῆς περὶ μετεώρων γνώσεως, εἴτε κατὰ συναφὴν λεγομένων, εἴτε αὐτοτελῶς, νομίζειν δεῖ εἶναι, ἤπερ ἀταραξίαν, καὶ πίστιν βέβαιον, καθάπερ δὲ ἐπὶ τῶν λοιπῶν. Epicurus ad Pythoclem. Omnium natura cognita levamur ſuperſtitione, liberamur metu, non conturbamur ignoratione rerum, è qua ipſa exiſtunt horribiles ſæpe formidines. Cicero l. 1. de Fin.

Omnem iſtam formidinem, quæ Homines moleſtia afficit, *Epicurus* exiſtimat oriri ex opinione de Providentia, & de Pœnis, quæ alteram neceſſariò conſequitur, poſt mortem futuris. Quis enim poteſt, cum exiſtimet à Deo ſe curari, non & dies & noctes divinum Numen horrere? Vide *Ciceronem* in Lucullo. Ita Iſte Inſanientis Sapientiæ conſultus Erro: Contra quem ſi quis diſputet rem profectò ageret ridiculam. Communi enim ſenſu caret iſtius ſententiæ fautor, & eſt Medico committendus: Cura benevoli Principis aut Parentis metu & triſtitia liberat, nec benignos horremus: Unde igitur iſte Horror cùm nos à beneficentiſſimo & potentiſſimo Numine curari exiſtimemus?

Abſurdam hanc Opinionem in primo Libro proponit Lucretius, & poſt præparatum artificioſo exordio Lectorem, argumentum, quòd infœliciter elegerat, exornat. Ver. 160. Nihil e Nihilo fieri, & Nihil in Nihilum reverti decem argumentis probare nititur; ingenioſè fateor invenit, copioſè explicat, at rem ipſam minimè attingit. Concedamus enim quodlibet è quolibet oriri non poſſe, certis temporibus res naſci, opus eſſe tempore quo creſcant, & materia qua augeantur; Denique certos eſſe ætatis viriumque terminos, & Agros induſtria & cultura Hominum fertiliores reddi. Supponamus inſuper Nihil interire niſi vi aliqua

dis-

diſſolvatur, Animalia quotidiè naſci non poſſe niſi ex certis ſeminibus reficerentur; Supponamus unam eandemque vim res cunctas diſſolvere non valere, nec Naturam aliquid producere, niſi morte aliena adjuvetur. Quid efficiet *Lucretius?* Semina ipſa non fuiſſe è Nihilo producta? Aut Nihil Numinis nutu & Providentia fieri? Neutrum concludet, ideoque decem argumenta perierunt, licet non tam ingenii ſui, quam Cauſæ vitio. v. 266. Semina ſua exilia & minuta contra illos, qui ſolis *Oculis* credunt, egregiè tuetur; & v. 330. *Inane* eſſe argumentis quatuor, quibus nemo unquam meliora protulit, evincit: quorum primo & quarto (ſecundum enim ac tertium non ſunt ejuſdem firmitatis) nunquam vidi quod reponi poſſit.

Verſ. 420. Nihil eſſe præter Corpus & Inane duobus argumentis confirmat, reliquaque omnia, quæ Alii inter res numerant, detrudit in claſſem Accidentium, quæ ſola opinione à Corpore & Inani diſtinguuntur, & ſubſiſtunt: Hic verò callidè ſupponit quod probare debuit, ſolum Corpus Agere & pati, Tangere & tangi poſſe: Hanc enim definitionem Humanæ Animæ omneſque Immateriales ſubſtantiæ averſantur.

Verſ. 484. Seminibus ſuis perfectam ſoliditatem attribuit multis argumentis, nec repugno: At verò ideo illa diſſolvi non poſſe nulla ſuadet ratio; Soliditas enim Seminum oritur ex partium, quæ concipi poſſunt, contactu, At in omnibus concretis Corporibus datur partium contactus æqualis ſaltem iſti, qui eſt inter partes Seminum, contactui: Ideoque Corpora concreta eſſent æquè indiſſolubilia ac ipſa Semina. Reliqua argumenta quibus ſuis Seminibus æternitatem adſtruit vitioſa ſuppoſitione innituntur, aſſumit quod probare debuit: Et cùm demum ad *Minimum* quod vocant Mathematicum fugit, v. 609 magnis difficultatibus, fateor, adverſarios premit, ſed Ipſe non minoribus tenetur.

Verſ. 630. De Heraclito, Empedocle, Anaxagora, Aliis, triumphos agit, & demum v. 950 Univerſo, quod ex Corpore & Inani conſtat, Infinitionem longa diſputatione attribuit, ubi multa contra Stoïcos in Univerſo Infinito Medium ſtatuentes copiosè, multa ſecundum Epicuri placita ornatè; ſed illa falſis ſuppoſitionibus ſubnixa corruunt. Deinde Antipodas extorres agit, quos in veteres ſedes olim reſtituit ſanior Philoſophia & Experientia. Utcunque tamen ſuis argumentis adblanditur Hominum imaginationi, quæ in Infinitum deferri amat, nec unquam ſpatio fixit terminos, nec figere audebit. Creech.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBRI SECUNDI

ARGUMENTUM.

I. *AD Studium Philoſophiae, quae ſola lenire curas, & animum metu liberare poteſt, Memmium ſuum à v.* 1 *ad v.* 61 *Lucretius hortatur: Inde II. de Seminum ſeu Atomorum affectionibus diſputat, quarum prima eſt* Motus; *Moveri Semina ex rerum generatione demonſtratur: Motus verò hic eſt deorſum, Omnia enim Semina ſunt Gravia, Cùm autem concurrant Semina ſolida neceſſe eſt quoquo versùm à ſe invicem diſſiliant: Ita quaedam Semina aliis implicantur; quae arctiùs conjunguntur, res duras & denſas conſtituunt, quae laxiùs, res molles & raras: Quaedam autem Semina nunquam coaleſcunt; ſed, uti ramenta pulveris in radiis Solis videmus, perpetuo motu per Inane feruntur, & alia Corpora ſubinde percutiunt & agitant ad v.* 140. *III. Celeritatem motûs Seminum deorsùm tendentium explicat ad v.* 166. *IV. Inde pro more ſuo quaedam Scommata contra illos qui Providentiam agnoſcunt intexit ad v.* 182. *V. Tum argumentum repetit, aſſeritque Omnia Corpora deorſum tendere ad v.* 215. *VI. Deinde Semina deorſum tendentia à recta linea paululùm declinare, niſi enim declinarent Semina, nihil unquam, ſaltem nullum Liberum Agens oriretur: ad v.* 293. *VII. Demum docet Eodem motu Semina jam ferri quo ab aeterno ferebantur, nec quemquam huic opinioni diffidere debere, quia motus non videt, cum ipſa Semina percipi non poſſunt, ad v.* 332. *Secunda Seminum affectio eſt* Figura: *Docet autem VIII. Omnia Semina non eſſe ejuſdem Figurae, quaedam verò rotunda, quaedam quadrata, quaedam laevia, & alia aſpera, hamata, &c. fuséque oſtendit quae Figurae Amara, quae dulcia, quae dura, quae mollia Corpora componunt,*

ad

ad v. 476. *IX. Hanc Figurarum varietatem non eſſe Infinitam, Semina tamen ejuſdem Figurae infinita, Infinita viz. rotunda, Infinita quadrata, &c. ad v.* 580. *X. Demum oſtendit res non componi è Seminibus ejuſdem Figurae, & variis argumentis probat Concreta omnia Semina variarum Figurarum continere ad v.* 728. *XI. Deinde docet Semina nullas habere qualitates, quas ſenſibiles vocamus, Colorem viz. Saporem, Frigus, Calorem, &c. Item ſenſu non donari, quamvis Res Coloratae, Sapidae, Calidae, Frigidae, & ſenſibiles ex iis componantur, ad v.* 1021. *XII. Demum Infinita Semina per Infinitum Inane volitantia Infinitos Mundos conſtituere, eoſque Mundos augeri aliquando à Seminibus ex Infinito delapſis, aliquando etiam Avolantibus in Infinitum Seminibus diminui & diſſolvi, ut Plantae, & Animalia naſcuntur, adoleſcunt, ſeneſcunt, & demum intereunt.*

T. LUCRETII CARI
DE
RERUM NATURA
LIBER SECUNDUS.

SUave, mari magno turbantibus aequora ventis,
E terra magnum alterius ſpectare laborem;
Non quia vexari quemquam eſt jucunda voluptas,
Sed, quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave eſt.
Suave etiam belli certamina magna tueri

Per

INTERPRETATIO.

Jucundum eſt, cùm in agitato Mari Ventus tollat fluctus, alterius grave periculum è Terra longè ſpectare; non quia alterius periculum volupe ſit, ſed quia jucundum etiam ſpectare iſta mala quibus ipſe careas: Jucundum etiam ſpectare prælia in campis pugnata,

VARIÆ LECTIONES.

5. 6. Inverſo ordine leguntur. E. G. N. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

1. S*uave, mari magno, &c.*] Videntur hæc ex illis Menandri ſumta,

Ὡς ἡδὺ τὴν θάλατταν ἄποθεν γῆς ὁρᾶν,
Ὦ μῆτερ, ἐστι, μὴ πλέοντα μηδαμῶς:

id eſt, *Quàm ſuave eſt, mater, procul è terra mare cernere non navigantem.* non diſſimile eſt illud Oppiani βιβλ. ε. ἁλιευτ.

---- Ἀλλὰ θάλασσα
Χαῖρέ μοι ἐκ γαίης, ἕκαθεν δέ μοι ἤπιος εἴης:

id eſt,

---- *At mare ſalve*
Ex terra mihi, longè autem mihi propitium ſis.

Eodem pertinent illa M. Tull. lib. 2. epiſt. ad Attic. *Nunc verò, cùm cogar exire de navi, non* al-



Frans van Mieris inv. et delin. II. *J. Wandelaar fecit*

Per campos inſtructa Tua ſine parte pericli,
Sed nil dulcius eſt, benè quàm munita tenere
Edita doctrina Sapientum templa ſerena;
Deſpicere unde queas Alios, paſſimque videre
Errare, atque viam palanteis quaerere vitae,

Cer-

INTERPRETATIO.

dum Ipſe diſcriminis ſis expers: At nihil jucundius quàm alta, quieta, & benè munita, ſapientum doctrina Philoſophiæ arce collocari, e qua alios deſpectare poſſis, videre paſſim errare, & viam vitæ quærere miſerè vagantes;

VARIÆ LECTIONES.

6. *tua.* tui A. marg. C. E. *Gaſſ.* Q. 1.
7. *nihil:* nihilo G. Z. *dulcius.* ſuavius *Gaſſ. Creech non improbat.* dulce G.

NOTÆ.

abjectis, ſed ereptis gubernaculis cupio iſtorum naufragia ex terra intueri: cupio, ut ait tuus amicus Sophocles.

— — Καὶ ὑπὸ ϛέγῃ πυκνῇ
Πυκνᾶς ἀκοῦσαι ψεκάδος εὑδούσῃ φρενί.

quem Sophoclis locum profert Stobæus ex Tympaniſt. paulo integriorem, Τί τούτου χάρμα μεῖζον ἂν λάβοις ποτὲ τοῦ γῆς ἐπιψαύσανθ' ὑπὸ ϛέγῃ πυκνῇ Πυκνᾶς ἀκοῦσαι ψεκάδος εὑδούσῃ φρενί; id eſt, *Quam majorem animo lætitiam percipere queas, quàm terra potientem ſub denſo tecto imbrem crebrum audire, mente quieta, & tranquilla?* Lamb. Propter hos verſus, quibus *Memmium* ſuum ad Philoſophiæ ſtudium, ſepoſitis aliis, hortatur, quidam *Lucretium* diritatis accuſant; Moroſi nimis & improbi: Id afferit Poëta quod Omnes ſentiunt: Qui dolore, morbo, &c. laborantem videt, protinus *O me felicem!* Creech. Stat. VI. Theb. pag. m. 272.

Ibi corpore mixto,
Metiri numerum, vultuſque habituſque ſuorum
Dulce Viris. Preig.

1. *Mari magno*] Tumido, agitato. Catull. & Virgil. *magnaque ſurgunt Æquora.* & ſæpe alibi. Fab. & Turn. Adv. 23: 3. atque Serv. *ad Virg. Æn.* 5: 628.

2. *E terra magnum alt.*] Hunc verſum teſtem producit Nonius Marcell. Lamb.

3. *Quemquam eſt*] Quidam libri: *quempiam eſt.* Fortaſſe vere. Gif.

6. *Per campos inſtructa, &c.*] Deſiderabatur hic verſus in MSS. Voſſii, quibuſdam, ut opinor, non omnibus; in aliis, uti ſuperius notatur in Var. Lect. confuſo legebatur ordine. Sed male. ſenſus pleniſſimus eſt. ſicuti non niſi *a terra* illum alterius laborem; ita non niſi *tua ſine parte periculi* hæc certamina videre ſuave eſt. Preig.

6. *Tua ſine parte pericli*] Secutus ſum ſcripturam quatuor libr. manuſcriptorum, quibuſcum conſentiunt libri Pariſienſes, Aldini & Vicetini: atque hanc lectionem longè anteponunt vulgatæ viri doctiſſimi, in his M. Antonius Muretus, vulgati autem habent,

Tui ſine parte pericli. Lamb.

Sic omnes Vett. optime; vid. Indicem: *Tua.* Vulgati: *Tui.* Gif. Ita Scipio apud Appianum Alexandrinum de Bell. Pun. pag. 39. prælium graviſſimum inter Maſiniſſam & *Aſdrubalem Paſſerem* cognomento, ſecurus cum maxima ſpectavit voluptate: *Id prælium* (inquit) *Scipio ſpectavit è ſublimi, tanquam in theatro; ajebatque poſtea, ſæpe ſe interfuiſſe variis certaminibus, ſed nunquam tanta cum voluptate: non aliud enim ſecure ſe ſpectaſſe, decem tum ſupra centum millibus inter ſe dimicantibus.* Hav.

7. *Dulcius,*] *Suavius* Gaſſendus, & forſan meliùs. Creech.

7. *Bene quam*] Ordo verborum eſt: quàm tenere edita templa, bene munita, &c. id eſt altas

Certare ingenio, contendere nobilitate,
Nocteis atque dies niti praeſtante labore
Ad ſummas emergere opes, rerumque potiri:
O miſeras hominum menteis! ô pectora caeca!

Qua-

INTERPRETATIO.

Certare ingenio, nobilitate contendere, improboque labore noctes atque dies conari maximas divitias, aut ſummam poteſtatem acquirere. O miſeras Hominum mentes! O cæca pectora!

VARIÆ LECTIONES.

12. *præſtante.* conſtante *Gaſſ.* præſtare Q. 1.

NOTÆ.

arceis bene munitas ſapientum doctrina. tralatio eſt perpetua. LAMB.

8. *Edita doctrina ſapientum templa ſerena*] Veluti arcem & ſpeculam philoſophiæ, unde humana deſpicere liceat. Hunc locum ante oculos habebat Virgilius in Ciri. ſed verſus non tranſcribam. FAB. Quæ Lucretius *Memmio* ſuo, olim Epicurus Menæceo propoſuit. Μήτε νέος τὶς ὢν μελλέτω φιλοσοφεῖν, μήτε γέρων ὑπάρχων κοπιάτω φιλοσοφῶν: οὔτε γὰρ ἄωρος οὐδείς ἐστιν, οὔτε πάρωρος πρὸς τὸ κατὰ ψυχὴν ὑγιαίνειν: ὁ δὲ λέγων, ἢ μήπω τοῦ φιλοσοφεῖν ὑπάρχειν ὥραν, ἢ παρεληλυθέναι τὴν ὥραν, ὅμοιός ἐστι τῷ λέγοντι, πρὸς εὐδαιμονίαν ἢ μὴ παρεῖναι τὴν ὥραν, ἢ μηκέτι εἶναι. CREECH.

9. *Deſpicere unde*] ex quibus templis, ſeu arcibus, poſſis deorſum aſpicere, &c. hoc enim propriè valet verbum *deſpicere:* Virgil. lib. 1. Æneid. 228.

Deſpiciens mare velivolum, terraſque jacenteis.

Et *deſpectare*, idem Virgil. lib. 10: 409.

Ille ſedens victor flammas deſpectat ovanteis.

ſic & *deſpectus* eſt è loco ſuperiore aſpectus. Cæſ. lib. 2. de bello Gall. *Quod oppidum cum ex omnibus in circuitu partibus altiſſimas rupeis, deſpectuſque haberet, &c.* LAMB. Virgilius Ciri hunc locum expreſſit, ubi male eſt: *deſpicere.* GIF. Præter Virgilium, in Ceiri, verſ. 14.

Si me jam ſumma ſapientia pangeret arce,
Quatuor antiquis quæ hæredibus eſt data conſors,
Unde hominum errores longe, lateque per orbem
Deſpicere, atque humileis poſſem contemnere curas,
Non ego te talem venerarer munere tali.

Ovidius quoque xv. Metam. verſ. 147.

Juvat ire per alta
Aſtra, juvat terris, & inerti ſede relicta
Nube vehi, validique humeris inſiſtere Atlantis,
Palanteſque homines paſſim, ac rationis egentes
Deſpectare procul.

Et Statius II. Theb. prope finem:

Mediis urbis tibi templa dicabo
Collibus, Ionias qua deſpectare procellas
Dulce ſit.

Et II. Sylv. in Surrentino Pollii:

Celſa tu mentis ab arce
Deſpicis errantes, humanaque gaudia rides.
PREIG.

10. *Palanteis*] vaganteis, *palantis* enim non patrii caſus eſt, ſed accuſandi, numeri multitudinis. LAMB.

11. *Certare, contendere, niti, &c.*] Horum contrarium in Epicuro ἐπιεικείας, titulo venit apud Laërtium, ὑπερβολῇ γὰρ ἐπιεικείας, οὐδὲ πολιτείας ἥψατο. *Nam præ ſumma modeſtia ne acceſſit quidem ad Remp.* quod tamen aliter longe interpretatur Cic. VII. Fam. ep. Vid. & inf. lib. III. verſ. 62. PREIG.

13. *Rerumque potiri*] Reipublicæ ſummatem eſſe; quo nil infelicius homini Epicureo, & ei

qui

Qualibus in tenebris vitae, quantiſque periclis
Degitur hoc aevi, quodcunque eſt! nonne videre
Nil aliud ſibi Naturam latrare, niſi ut, quom
Corpore ſejunctus dolor abſit, mente fruatur

Ju-

INTERPETATIO.

Qualibus in tenebris vitæ, quantiſque periculis Degitur hoc ævi, quodcunque eſt? *Nonne manifeſtum eſt Naturam nihil aliud ſibi poſcere niſi ut, cum Corpus ſit doloris expers, mens jucunditate fruatur*

VARIÆ LECTIONES.

16. *Degitur.* degimus F. *Nonius.* *Videre:* videre eſt B. c. D. O. *emaculati codices Pii*, Q. I. videtis M. C. E. N. P. Bm. Q.

17. *Niſi ut.* nec ut Bm. *quom.* cui A. Q. I. C. I. C. O. P. V. utque. D. E. N. quid *Codd. Pii.* qui G. X. Y. Z. quo B.

18. *Sejunctus*, ſejunctis. E. *Mente.* mensque M. C. E. D. P. *in not.*

NOTÆ.

qui ex naturæ norma vivat. quorſum enim belluæ tumultuanti vaces? tibi vive, tibi vale; τὰ πολιτικὰ, ὐδὲν πρὸς τὸ εὖ. Si recte facies, male tibi à corpore erit: nam ſexcenta negotia per caput\inque latus ſalient: Si male, tum metues; uno verbo, vile mancipium fueris; ſi quid autem in uſus privatos derivabis, id omne forte cum fenore reddendum, & omnia vitæ præmia amittenda. Itaque *fuge magna*, ait ille: καὶ λάθε βιώσας. Fab. Quibus adjungas illa Epicuri. Ἔνδοξοι καὶ περίβλεπτοι τίνες ἐβουλήθησαν γενέσθαι, τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀσφάλειαν οὕτω νομίζοντες περιποιήσεσθαι: ὥστε εἰ μὲν ἀσφαλὴς ὁ τῶν τοιούτων βίος, ἀπέλαβον τὸ τῆς φύσεως ἀγαθόν· εἰ δὲ μὴ ἀσφαλὴς, οὐκ ἔχουσιν οὗ ἕνεκα ἐξ ἀρχῆς κατὰ τὸ τῆς φύσεως οἰκεῖον ὠρέχθησαν. Creech.

14. O *miſeras hom.*] Lutatius, ſeu Lactantius Firm. profert hos verſus l. I. Inſtit. ſed legit,

O ſtultas hominum &c. Gif. & Lamb.

16. *Degitur hoc ævi*] Apud Nonium Marcellum ſic legitur hic verſus,

Degimus hoc ævi, &c. Lamb. & Gif.

Reſpexiſſe videtur locum Euripidis, in quo dubitat poëta, ea ne vita ſit an mors, quam vitam vocamus. Nonius legerat, *degimus*; arridet magis. Fab.

61. *Nonne videre, &c.*] Omnes lib. vulg. habent, *nonne videtis.* Veteres autem, & manuſcr. ferè omnes, *nonne videre:* quos ſequor. *nonne videre* autem, oratio eſt præciſa & decurtata: (adde Turn. Adv. 5: 27.) quali uti ſolent in perturbationibus & indignationibus, proinde ac ſi dixiſſet: itane ſunt cæci, ut non videant, *nihil aliud naturam latrare*, i. poſcere, *niſi ut*, &c. Lamb. *Videre*] Sic ex Vet. noſtris ſcripſi, i. e. *Videre eſt.* recte. In Vulgatis: *videtis*, ut & Marull. Gif. *Nonne videre*] Licet. Ita, ἐν ἐρωτηματικοῖς ſolent. Fab. *Videre*,] *Videtis B. Videre* MSS. Opt. Cui *Eſt* fruſtra à quibuſdam adjungitur. Creech.

17. *Latrare*] i. poſcere. Feſtus: *Latrare Ennius pro poſcere poſuit.* Lamb. & Turn. Adv. II: II. Clamare, βοᾶν Ariſtoph. Fab.

17. Apprime huc facit Senec. ep. 119. *Nec illud præcipio, ut aliquid naturæ neges: contumax eſt, non poteſt vinci, ſuum poſcit.* Infra lib. VI. verſ. 522. Voſſii MSS. habent:

Terraque cum fumans humorem tota relatrat.

Non male forſan. Voſſius tamen *redhalat* pro vulgato *rehalat* ibi reſtituendum cenſet. Cæterum *latrare* pro *poſcere* Ennius, teſte Feſto, poſuit, ſed alio haud dubie loco, quam qui ex Varronis VI. de LL. producitur.

Animus cum pectore latrat, &c.

His

Jucundo ſenſu, cura ſemota, metuque?
Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
Eſſe opus omninò, quae demant cunque dolorem,

De-

INTERPRETATIO.

ab omni metu & ſolicitudine ſemota. Jam verò pauca ſufficiunt, ut Corpus ſine dolore ſit,

VARIÆ LECTIONES.

19. *jucundo.* jocundo G. *ſemota.* ſemotus A. B. ſemotu' Cr. remotu. G.
21. *cunque.* Ita A. B. F. Cr. Bm. Q. X. Z. ita & inf. ℣. 71. Reliqui *quemque.*

NOTÆ.

Hic enim ex Homerico illo expreſſus eſt Odyſſ. Υ. verſ. 13.

Κραδίη δ' οἱ ἔνδον ὑλάκτει.

Et Petronio placuit, in Carm. de Bell. Civili:

Sed veluti tabes, tacitis, concepta medullis,
Intra membra furens curis latrantibus errat.

Ut & Statio, II. Theb.

Quoties hæc ora natare
Fletibus, & magnas latrantia pectora curas
Admota deprendo manu!

Et II. ſylv. Carm. I.

Stat pectore demens
Luctus, & admoto latrant præcordia tactu.

PREIG.

17. *Niſi ut quoi Corpore ſejunctus, &c.*] Vulgati: *utque.* Veteres: *utques. utquis. ut cui.* Ego: *quoi*, vel *qui*, vel *cui.* Græco more omiſſum eſt antecedens: ille. Ita fere ſupra lib. I. vſ. 88. GIF. *Niſi ut, cum corpore ſejunctus, &c.* Hæc eſt recta & germana ſcriptura, quam partim conjectura, partim ex auctoritate trium librorum manuſcriptorum reſtitui. Ordo autem & ſententia horum verborum eſt, non videre homines, id eſt, itane cæcos oportet eſſe homines, ut non videant, naturam nihil aliud ſibi latrare, hoc eſt poſcere, niſi ut, cùm dolor abſit à corpore, etiam mente fruatur jucundo ſenſu, id eſt voluptate, ſemota (ipſa natura videlicet] ab omni cura & metu? Omnes igitur libri manuſcripti habent *mente*, ſine ulla varietate: quibuſcum congruunt nonnulli typis excuſi, ut Pariſienſes, Veneti antiq. Vicetini. in eo autem diſſentiunt & hi ab illis, & illi inter ſe, quòd alii (Confer. Turn. Adv. 5: 27.) habent *niſi ut qui*: alii, *niſi ut cui*: alii *niſi utque.* ego ex *cui* feci *cum.* Jam participium *ſemota* refero ad vocem *natura.* Quòd ſi quis contendet legendum eſſe *niſi ut cui*, quemadmodum habent nonnulli typis impreſſi & Vaticanus, Memmianus, non pugnabo: ſed participium *ſemota* quò ſit referendum, non video. nam cum voce *natura* non facilè poterit cohærere, propter relativum *cui*, & propter *cui*, & propter ejus antecedens, quod ſubintelligitur, hoc modo: niſi ut is, cui abſit dolor, à corpore ſejunctus fruatur, &c. Itaque qui hanc ſcripturam probabit, neceſſe etiam habebit ex participio *ſemota*, facere *ſemotus*, aut *ſemotu'*, quod quibuſdam viris doctis non diſplicet. Jam qui ſe hanc lectionem conjectura ductos probaſſe dicunt, triennio poſtquam hæc à me ſcripta ſunt, impudentiſſimè & confidentiſſimè mentiuntur. refellit enim eos ipſa prima editio. Sed infinitum ſit toties lectorem admonere, quoties faciunt. Nam ubi non faciunt? Docet autem hoc loco Lucretius, finem bonorum eſſe frui voluptate, & dolore carere. quod probabat Epicurus, ut apparet ex M. Tull. lib. I. de Finib. ubi Torquatus oſtendit, Epicureos non eam ſolam ſequi voluptatem, quæ ſuavitate aliqua naturam ipſam movet, & cum jucunditate quadam percipitur ſenſibus, ſed maximam illam eis videri voluptatem, quæ percipitur omni dolore detracto: iiſdem placuiſſe, nihil eſſe medium inter dolorem, & voluptatem: eumque, qui dolore careat, ſumma voluptate perfrui: denique omnis doloris privatione ſummam voluptatem terminari. LAMB. Al. *ut cui.* quæ lectio ſi admittatur, tum in verſu tertio *cura ſemotu*..... ſin ſecus, *ſemota*, leges, & ad vocem *natura* referetur, non autem ad τὸ *curâ*; ut vellet Giſanius. Dii boni ποῖόν τινα ὄρνιθα μυσῶν! ſed, inquit, *Antibacchius erit*; Euge, nunc omnes bene miræ eritis res, quia Anti-

Delicias quoque uti multas ſubſternere poſſint,
Gratius interdum neque Natura ipſa requirit.
Si non aurea ſunt juvenum ſimulacra per aedeis

Lam-

INTERPRETATIO.

imo multa voluptate fruatur, & quibus nihil ſibi gratius Natura ipſa poſtulat. Licet enim non ſint in ædibus aurea juvenum ſimulachra

VARIÆ LECTIONES.

22. *multas.* nullas. A. B. L. F.

NOTÆ.

tibacchium nominavit. FAB. *Niſi utque*, & ſequenti verſu. *Menſque* legit Fayus contra omnes Codd. Alii approbant *Ut qui*, Alii *Ut cui*, & pro *Semota* legunt *Semotu'*: forſan rectiùs. σώματος ὑγιεία, καὶ ψυχῆς ἀταραξία τοῦ μακαρίως ζῆν ἐστι τέλος, τούτου γὰρ χάριν ἅπαντα πράττομεν ὥστε μήτε ἀλγῶμεν, μήτε ταρβῶμεν. Et rurſus, ἡδονὴν λέγομεν ἀρχὴν καὶ τέλος τοῦ μακαρίως ζῆν: Epicurus ad Menæceum. CREECH.

17. *Niſi ut cui*] Giſanii conjecturam probat Voſſius, ut legendum ſit:

Niſi ut, cui
Corpore ſejunctus dolor abſit, mente fruatur
Jucundo ſenſu, cura ſemotu', metuque.

Quid ni autem ita ſcripſerit Poëta? quum & ſenſus multo elegantior, nec metro quicquam metuendum ſit. Expreſſit autem Lucretius id ipſum, quod Epicuri diſcipulus Metrodorus Σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα dixit, *Firmam affectionem corporis* Cicero. PREIG.

18. *Mente*] Marullus & Vulgati: *menſque*, peſſime. GIF. *Mente fruatur jucundo ſenſu*] Vera & ſincera voluptas, Epicureo homine digna, Corpus turbida res, fallax, οὐδὲν σταθηρὸν, οὐδὲν ὑγιές. Sed dolor abſit neceſſe eſt; abſque ea re ſit, cetera quantumvis magnifica, κόμπος ῥημάτων, σκιαὶ, θρασωνισμοὶ ἀεροβατήσης δοξοκοπίας. FAB. Epicurei non eam ſolam ſequebantur voluptatem, quæ ſuavitate aliqua naturam ipſam movet, ſed maxima illa iis videbatur voluptas, quæ percipitur omni dolore detracto: *Tull.* I. *de Fin.* Et cum aliquando dixit Epicurus πᾶν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἐν αἰσθήσει. *Epiſt. ad Menæceum:* Vox iſta αἴσθησις latius ſumenda, & opponitur morti, quæ eſt στέρησις τῆς αἰσθήσεως. Epicurus enim de *Voluptate* à Cyreniacis diſſentit, οἱ μὲν γὰρ τὴν καταστηματικὴν οὐκ ἐγκρίνουσι, μόνην δὲ τὴν ἐν κινήσει, ὁ δὲ ἀμφοτέραν, ψυχῆς καὶ σώματος, Laert. vit. Epicuri. Et Epicurus ipſe in libro περὶ αἱρέσεως. Η μὲν γὰρ ἀταραξία καὶ ἀπονία καταστηματικαί εἰσιν ἡδοναί, ἡ δὲ χαρὰ καὶ εὐφροσύνη κατὰ κίνησιν ἐνεργείᾳ βλέπονται. CREECH.

19. *Semotus, metuque*] Ita conjectura ductus ſcripſi. Nam libri habent: *ſemota*, etiam non male; ut ſit antibacchius. Sed ex præcendentium verſuum mendis puto & hunc depravatum. *Semotus a curis* dicit. vide & ſupra lib. I. verſ. 45. & inf. GIF.

20. *Pauca videmus eſſe opus*] Pauca videmus eſſe utilia ac neceſſaria. ut ſup. lib. I: 1049. & 1069.

Infinita opus eſt vis undique materiaï. LAMB.

20. *Ergo*] Notandum pro *Itaque adeo*. Senſus eſt; homini tum bene eſſe, cum dolore caret; nam voluptas quidem corporea, ſi paulo vehementior erit, ſui ſenſum amittet; dein animus hominis liber non eſt; unde igitur τὸ εὖ εἶναι? unde illa εὐεστὼ boni Democriti? FAB.

21. *Quæ demant quemque dolorem*] Vulgatos codices ſecutus ſum. nam manuſcripti, & Pariſienſes, & Veneti antiquiores habent, *quæ demant cumque dolorem.* quam lectionem ſi quis probabit, *cumque*, interpretandum erit, quandocunque, & quovis tempore. vel dicemus eſſe τμῆσιν, *quæ demant cumque*, pro *quæcunque demant.* Ego ſic, ut edidi, legi malo. LAMB. *Quæ demant cumque dolorem*] Ita ex libris vett. ſcripſi. Vulgati: *quemque.* In hac re millies variatum eſt. GIF. Magis multo placeret, *cumque* FAB. & CREECH.

22. *Delicias quoque uti nullas*] Sic legendum,

non,

Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur,
Nec domus argento fulget, auroque renidet;

Nec

INTERPRETATIO.

dextris manibus igniferas lampadas tenentia, lucemque nocturnis Epulis ſuppeditantia; Licet domus nec auro nec argento fulget,

VARIÆ LECTIONES.

25. *Lampadas igniferas.* Lampadis igniferæ K.
27. *fulget.* fulgens E. C. D. M. N. P. *Renidet*, renidens C. M. P.

NOTÆ.

non, ut in nonnullis libris eſt, *multas*; neque, ut in aliis, *haud multas*; neque, ut habebat Pontani codex, *molleis.* ſententia autem hæc eſt: Quamvis etiam nullas delicias, nullaſque voluptates ſupervacaneas adhibere poſſint, & quaſi ſubſternere: tamen ne natura quidem quicquam gratius deſiderat. Lamb. *Nullas.* Ita legendum videtur. In libris: *multas.* ſic ſupra lib. 1. vſ. 625. Gif. Lambinus, Gifanius, Pareus, Alii, & hanc lectionem ipſe *Faber* amplectitur: *Multas* Alii, quod retinendum judico, & v. 31.

Non magnis opibus Jucundè Corpora curant.

Admonitus contendo. Creech. *Multas* omnino legendum cum Voſſio arbitramur, ut ſenſus ſit: pauca illa, quæ corpoream ad naturam opus eſſe videmus, multas tamen delicias continere, & ſubſternere poſſe. Preig.

22. *Delicias*] Poſt τὸ *dolorem* minima diſtinctione ſeu ὑποστιγμῇ opus eſt, non τελείᾳ; quippe conſecutio orationis hæc ſit neceſſe eſt: Etiam ſi nullas voluptates congeras (ex iis intellige quas natura pravis corrupta opinionibus poſtulat) ſatis bene naturæ noſtræ fuerit, ſi nullum dolorem ſentiat. Sed in Latinitate notandum maxime, quod nos fortaſſe primi annotamus, *Interdum neque*, poſitum eſſe pro *nunquam*: Alioqui nil fere certi diceret Lucretius, qui tamen certi aliquid afferre voluit. Deinde παιδαριώδης ſententia foret. Sed ſatis eſt monuiſſe. Fab.

24. *Si non aurea ſunt*] Hunc locum imitatus eſt Virgil. in Culice vſ. 61.

Si non Aſſyrio fuerint bis lauta colore
Attalicis opibus data vellera: ſi nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum,
Picturæque decus, lapidum nec fulgor in ulla
Cognitus utilitate manet, nec pocula gratum
Alconis referunt, Bætique toreuma, nec Indi
Conchea baca maris pretio eſt: at pectore puro
Sæpe ſuper tenero proſternit gramine corpus,
Florida cùm tellus gemmanteis picta per herbas
Vere notat dulci diſtincta coloribus arva, &c.

Et Georg. 2: 461.

Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis,
Manè ſalutantum totis vomit ædibus undam,
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſteis,
Illuſaſque auro veſteis, Ephyreiaque æra,
Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno,
Nec caſia liquidi corrumpitur uſus olivi:
At ſecura quies, & neſcia fallere vita,
Dives opum variarum: at latis otia fundis,
Speluncæ, vivique lacus: at frigida Tempe, &c.

Notavit Macrob. lib. 6. c. 2. apud quem admonendus eſt lector, legi *aurataque tecta*, pro *aurataque templa.* Lamb. Ut in aulis Regum, Principum. Lychnuchos Intelligit. hodie integra ſimulacra non ſunt, ſed brachia argentea, inaurata, *&c.* Virgilius merus Epicureus, niſi in Æneide, hos verſus æquare conatus eſt; ſed tanto conatu, tanto molimine, ut dum magiſtrum ſuperare vult, cadat. verſus in Georg. & Culice cuilibet obvii ſunt, neque huc transferendi. Fab.

Lam-

Nec citharis reboant laqueata aurataque templa:
Quin tamen inter ſe proſtrati in gramine molli
Propter aquae rivom, ſub ramis arboris altae,

Non

INTERPRETATIO.

& laqueata & deaurata tecta non reſonent citharis; tamen juxta aquæ rivum in molli gramine jacentes ſine magnis divitiis

VARIÆ LECTIONES.

28. citharis Q. I. citharæ G. X. Y. Z. *citharis.* citharas N. *templa.* tecta *Quidam.*
29. *quin tamen.* Ita A. B. I. S. cum tamen C. D. G. P. V. X. Y. Z. *quod noſtræ lectioni favet. proſtrati.* proſtrata G.

NOTÆ.

25. *Lampadas igniferas manibus*] Hujuſmodi ſimulacra aurea, in ædibus divitum, candelabrorum locum & vicem obtinent. Lamb. Inſignis Homeri eſt locus de Phæacibus Odyſſ. v. 100.

Χρύσειοι δ' ἄρα κοῦροι ἐυδμήτων ἐπὶ βωμῶν
Ἕστασαν, αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχοντες
Φαίνοντες, νύκτας κατὰ δώματα δαιτυμόνεσσι,

quæ ad verbum a Lucretio noſtro expreſſa eſſe pulcre docuit Caſaub. ad Athen. Lib. iv. Cap. 11. Hav.

26. *Lumina nocturnis*] Sumtuoſiores & apparatiores cenæ apud veteres noctu factitabantur, & totam noctem producebantur. Horat. od. 21. lib. 3. ad Amphoram, 29.

Te, Liber, & ſi læta aderit Venus,
Segneſque nodum ſolvere Gratiæ,
Vivæque producent lucernæ,
Dum rediens fugat aſtra Phœbus.

ad quem locum plura. Lamb.

27. *Nec domus argento fulget*] Secutus ſum quinque libros manuſcriptos, quibuſcum conſentiunt Vicetini. neque verò eſt quòd quemquam moveat ſyllaba poſtrema brevis in verbo *fulget.* hanc enim licentiam ſibi interdum permittunt poëtæ, ut jambum pro ſpondeo ponant: ut Virg. lib. 5: 521.

Oſtentans artem pariter, arcumque ſonantem.

idem lib. 12: 13.

Congredior. fer ſacra pater, & concipe fœdus.

Horat. ſatyr. 3. libr. 2: 259.

Amator
Excluſus qui diſtat, agit ubi ſecum, eat an non? &c.

Lucret libr. 4: 340.

Ater init oculos. Lamb.

27. *Fulget*] Ita in Vet. libris. Vulgati: *fulgens, renidens.* Quod Marullus induxit. Gif.

27. *Argento*] Lancibus, cantharis, poculis, *&c. Ingens argentum menſis.* Virgil. *Ridet argento domus.* Horat. Fab.

27. *Auroque renidet*] Fortaſſe: *oſtroque renidet* Lucretius ſcripſit; nam verſu ſeq. auri ſatis ſuperque meminit, imo jam *aurea juvenum ſimulacra* præceſſerunt. Conjecturam ſuggerit Petronius, in Carm. de Bello Civ.

Ecce Afris eruta terris
Citrea menſa, greges ſervorum oſtrumque renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum.

Oſtro autem æque ac *argento* fulgere ac renidere domum appoſite dixit, inter epulas nempe nocturnas, dum *in oſtro jactantur*, ut verſ. 35. loquitur, qui menſis accumbunt. Jam vide, quam apte huic oſtro *gramen molle*, argento *aquæ rivum*, laqueatis auratiſque tectis, *altarum arborum ramos* mox opponat. Apud Macrob. hic locus, & vulgatæ lectioni convenienter *auroque renidet* etiam legitur, ſed & plura ibi a vera ſcriptura recedunt. Preig.

28. *Citharis*] *Citharas, Citharam*, in Macrob. & *Cithara.* Gif.

28. *Reboant*] reſonant. Virgil. libr. 3. Georg. 223.

— reboant ſilvæque, & magnus Olympus. Lamb.

28. *Templa*] *Tecta*, Macr. Gif. Longe mihi, ut debet, potior eſt altera lectio, *aurataque tecta*, & ita legiſſe Macrobium conſtat; neque aliter legiſſe

Non magnis opibus jucundè Corpora curant:
Praeſertim quom tempeſtas adridet, & anni
Tempora conſpergunt viridanteis floribus herbas,
Nec calidae citiùs decedunt corpore febres,
Textilibus ſi in picturis, oſtroque rubenti
Jacteris, quam ſi plebeja in veſte cubandum eſt:.

Qua-

INTERPRETATIO.

Corpora ſua homines liberaliter curant; Præſertim cum tempeſtas faveat, Annique Tempora virides herbas floribus conſpergunt: nec ardens Febris citiùs a Corpore recedet, ſi in Tapetibus ſtratiſque purpureis voluteris, quàm ſi in vilibus ſtragulis decumbas.

VARIÆ LECTIONES.

31. *jucundo.* jocundo G.
34. *corpore.* tempore Q 1.
36. *jacteris* Ita A. B. C. D. E. N. P. V. X. Y. Z. *alii* jactaris. Lacteris Q. *plebeja in.* in plebeja G. Q 1.

NOTÆ.

giſſe Virgilium dejerare poſſum, uti ex Culice judico. Quin ita etiam legerat Horatius, uti infra ad illud [*curæque ſequaces*) videbimus. Fab.

28. *Aurataque templa*] Macrob. *aurataque Tempe.* Sed *Templa* vox Lucretiana eſt, nec temere ſollicitanda. Preig. Imitatum quoque conſtat Lucanum, qui non modo *cœli templa* dixit 1: 155. ſed quaſi Lucretianum hunc locum reſpiciens, ita epulas Cleopatræ deſcripſit 10: 111.

Ipſe locus Templi, quod vix corruptior ætas
Extruat, inſtar erat: laqueataque tecta ferebant
Divitias, craſſumque trabes abſconderat aurum.
Hav.

29. *Attamen inter ſe*] Hanc ſcripturam reperi adſcriptam ad oram libri typis impreſſi, quem mihi commodaverat Vincentius Laureus Calaber: eamque ſecutus ſum, rejecta vulgata, *Cùm tamen:* ex qua probabilis ſententia elici non poteſt. quidam docti legi volunt *Tum tamen*, propiùs accedentes ad vulgatam. Ad hunc locum pertinet illud Varronis Ανθρωπουργ.

Non fit theſauris, non auro pectu' ſolutum:
Non demunt animis curas, nec religiones
Perſarum montes, non atria diviti' Craſſi.
Lamb.

Quin tamen inter ſe &c.] Ita omnes libri & Macrob. Lambinus: *At.* vulgati: *cum.* Gif. iſtud *Quin* hic eandem vim habet ac cum dicimus, *Quin omitte me.* Terent. & ante illum Plautus. Fab. *Tum tamen: Cum tamen: Quin tamen*, Alii. Quæ vox à Macrobio probatur. Creech.

31. *Non magnis opibus, &c.*] καὶ μάζα καὶ ὕδωρ τὴν ἀκροτάτην ἀποδιδῶσιν ἡδονήν. Epicurus ad Menæceum: Et inter κυρίας δόξας Illius legas. Ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος καὶ ὥριστος, καὶ εὐπόριστός ἐστιν. Creech.

32. *Arridet*] Idonea & opportuna eſt translatio. Lamb.

34. *Nec calidæ citiùs*] Sic Horat epiſt. ad Loll. 2. lib. 1: 47.

Non domus, aut fundus, non æris acervus &
auri
Ægroto domini deduxit corpore febreis,
Non animo curas, &c. Lamb.

35. *Textilibus picturis*] Bene. intelligit *belluata tapetia*, atque adeo omnia periſtromata, in quibus omnicolor lana omnia imitatur; nam *μονόχρωτα* viliora ſunt. Fab.

35. *Oſtroque rubenti*] veſtibus ſtragulis purpureis.

36. *Jacteris*] Voluteris, decumbas. intelligit veſtem ſtragulam. Fab.

36. *Plebeja in veſte*] Petron. de Bello Civ. princ.

Non uſu plebejo trita voluptas.

Cæte-

Quapropter quoniam nil noſtro in corpore Gazae
Proficiunt, neque Nobilitas, neque Gloria regni:
Quod ſupereſt, animo quoque nil prodeſſe putandum:
Si non forte tuas Legiones per loca campi
Fervere cum videas belli ſimulacra cienteis:
Fervere cum videas Claſſem, latèque vagari,

His

INTERPRETATIO.

Quapropter cùm neque Nobilitas, neque Divitiæ, neque poteſtas Corporibus noſtris dolores auferant, credendum etiam non animo prodeſſe; niſi forſan, cum videas legiones tuas per campos inſtructas furere, & ciere belli ſimulachra, cùm videas claſſes tuas late vagantes remis fluctus agitare,

VARIÆ LECTIONES.

38. *neque n. neque g. r.* nec nob. Y. Z. nec nob. nec. g. r. G. Q. X.
39. *putandum.* putandum eſt Q. 1.
41. *videas* videres Z. *ſed. m. s.* videris. *Simulacra cientes.* Simulacra cientes *ſequebatur,* ſubſidiis magnis Epicuri conſtabilitas Ornataſque armis *adſcrib.* omnium ſtaturas pariterque animantes. Q. Subſidiis &c. Ornataſque armis ſtatuas ſtanteſque animantes. P. C. ſubſidiis &c. Ornataſque armis charites C. O. *Pius in not.* & Q. *ab. adſcripta manu.* ſtanteſque animatas c. N. X. P. *in not.* & *altera manu adſcripta* Q.
42. deeſt E. G. M. N. Q. Y. Z. *Claſſem, lateque vagari.* claſſem lateque vagari Ornatamque armis belli ſimulacra cientem. A. B. ſimulacra ciere D. I. *Non.*

NOTÆ.

Cæterum tractat hunc locum haud ineleganter etiam Claudian. in Rufin. lib. 1. verſſ. 197. & ſeqq. Preig.

37. *Gazæ*] ingentes divitiæ, & Perſicæ. Lamb.

39. *Quod ſupereſt*] Nil proſunt iſthæc corpori; animo autem, quid? tantumdem, inquit, fortaſſe etiam minus: nam mollities quidem veſtis & ἐυχρασία colorum fortaſſe juvant corpus: animum autem ſumptu & cura lacerant. Fab. Huic tres optimos *Varronis Epicuræi* verſus ſubjiciamus:

Non fit Theſauris, non Auro Pectu' ſolutum,
Non demunt Animis curas, nec Religiones
Perſarum montes, non divitis atria Craſi.
Creech.

40. *Si non fortè tuas legiones*] ἐιρωνεία. niſi fortè (inquit) curæ, & religiones, & mortis formidines perterritæ legionibus, & turmis equitum, effugiunt ex animo: quod nunquam futurum eſt. Lamb. Εἰρωνικῶς loquitur. Fab.

41. *Fervere cum videas; claſſem lateque vagari, Ornatamque armis belli ſimulacra cientem*] Ita ex Vet. libris & Nonio: *Fervere*, ſcripſi. Aliorum ſcripturam piget recitare. Gif. *Fervere cum videas.* Nonius Marcell. teſtem producit verſum ex hoc libro, hujuſmodi,

Fervere cùm videas claſſem, lateque vagari:

quem cùm ego nuſquam reperiſſem, ei hîc locum eſſe exiſtimavi. Perierat autem in exemplaribus manuſcript. errore librariorum, propterea quòd duorum verſuum idem principium eſſet. Habet verò hæc ἐπανάληψις venuſtatem non injucundam. Quòd autem ſimius quidam impudentiſſimus triennio pòſt quàm hæc ſcripſeram, ita ſe ex Nonio ſcripſiſſe dixit:

Fervere cùm videas claſſem, latéque vagari,
Ornatamque armis, belli ſimulacra cientem,

deleto verſu,

His tibi tum rebus timefactae Relligiones
Effugiunt animo pavidae, mortiſque timores:

Tum

INTERPRETATIO.

perterritæ hoc bellico apparatu Religiones e tuo animo decedant,

VARIÆ LECTIONES.

43. *tum rebus.* cum rebus A. B. C. D. P. *Timefactæ.* tumefactæ Bm. tumefacto C. M. N. Q 1. P. tunc facto. E. pavefactæ. F.

44. *effugiunt.* effugiant. P Q. X. cum officiunt c. O. *pavidæ.* pavidi. F.

NOTÆ.

Fervere cum videas belli ſimulacra cienteis: in eo declarat, ſe eſſe & furem impudentiſſimum, & barbarum. *Fervere* autem à verbo *fervo*, quo ſæpe utitur & Virg. ut Georg. 1: 456.

Omnia tunc pariter vento, nimbiſque videbis
Fervere.

Idem libr. 4: Æneid. 409.

- - - cùm litora fervere latè
Proſpiceres.

Lucillius etiam indicativo *fervit*:

Fervit aqua, & fervet: fervit nunc: fervet ad annum. Lamb.

Fervere cum videas, &c.] Perperam huic loco ex Nonio intruſerunt viri docti alterum illum verſiculum:

Fervere cum videas claſſem, lateque vagari.

cum Nonius potius ex MSS. Lucretii corrigendus ſit. Ingenioſe autem huic Nonii appoſuit Gifanius:

Ornatamque armis, belli ſimulacra cientem.

Sed prior pars conflata ex duobus illis verſiculis, qui quo fato huic loco adhæſerint, mihi nondum liquet, certe haud parum turbant. *Fervere* autem egregie hoc loco dicuntur *legiones per loca campi*,

Cum circumvolitant equites, medioſque repente
Tranſmittunt, valido quatientes impete campos:
Fulgur ibi ad cœlum ſe tollit, &c.

ut infra verſ. 325. loquitur; quemadmodum *formicarum iſte diſcurſus* appellatur apud Senec. Nat. Quæſt. lib. 1. princ. *Cum te in illa vere magna ſuſtuleris; quoties videbis exercitus ſubrectis ire vexillis, & quaſi magnum aliquid agatur, equitem modo ulteriora explorantem, modo a lateribus affuſum, libebit dicere:*

It nigrum campis agmen.

De vermibus enim uſurpat Noſter verbum *effervere* infra, verſ. 926.

Quatenus in pullos animaleis vertier ova
Cernimus alituum, vermeiſque effervere terram.
Preig.

41. *Belli ſimulacra cienteis*] ſic & inf. verſ. 324. Virg. quoque lib. v. Aen. verſ. 585.

Pugnaque cient ſimulacra ſub armis.

& Sil. Ital. lib. vii. verſ. 119.

Fertur ovans, pugnaque agitat ſimulacra futura. Preig.

43. *His tibi cum rebus*] Veteres: *tum.* Sic ſupra lib. 1: verſ. 699. Gif.

43. *Timefactæ*] Sic omnes veteres. Marullus & Vulgati: *timefacto*, male. Gif. Sic legendum, non, ut in vulgatis quibuſdam, *tumefacto.* nam ut omittam, quod libri manuſcripti habent *timefactæ*, ſententia ipſa hanc lectionem flagitat. hoc enim ſentit Lucretius, divitias, nobilitatem, imperia, potentiam, nihil neque corpori noſtro prodeſſe, neque animo: niſi fortè timores, religiones, curæ, & ceteræ animorum peſtes, perterritæ armorum ſonitu, & telorum horrore, ex animis effugiunt. quod longè aliter eſt. uſus eſt eodem verbo M. Tull. de off. 2. *Quamvis enim ſint demerſæ leges alicujus opibus, quamvis timefacta libertas, &c.* ſic enim habent libri veteres, ubi vulgati *tremefacta.* Lamb. Male Gifan. in edit. II. *cum.* Fab.

43.

Tum Vacuum tempus linquunt, curaque ſolutum.
Quod ſi ridicula haec, ludibriaque eſſe videmus,

Re

INTERPRETATIO.

& mortis timor Pectus relinquat ſolicitudine & cura vacuum. Si verò haec nihil proficere ſentiamus,

VARIÆ LECTIONES.

45. *tempus.* Ita A. B. C. E. N. P. Q. X. Y. Z. *Lamb. & alii* pectus.

NOTÆ.

43. *His tibi tum rebus* timefactæ *relligiones*
Effugiunt animo pavidæ, mortiſque timores?

Non poſſum ab animo meo impetrare, iſthuc ut adprobem, *relligiones timefactæ pavidæ*; cum τὸ *pavidus*, & τὸ *timefactus* idem ſint, nunc quidem quamobrem lubens legerim,

His tibi tum rebus pavefactæ relligiones
Effugiunt animo, pavidi *mortiſque timores?*

Solet enim noſter *conjunctiones* aut tranſponere, aut longius paulo trahere, idque more veterum poetarum. Quin & Ovidium ipſum, qui tamen arti obſequitur maxime, idem factitaſſe ſatis ei conſtat, cui notior ille paulo eſt. Quod autem *pavidos timores* dixi legi velle, nihil me novi feciſſe arbitror. Ita enim optimus quiſque veterum loquitur. ſic Ovidius *pavidos metus* alicubi vocavit, in Faſtis opinor. alibi *pavidam formidinem*, in Metamorp. ut & *pavidum timorem*, neſcio quo loco; nam hæc à memoria ſunt. Qui otio abundabunt, plura his addent. Fab. *Emend.* Voce *Timefactæ* utitur Tullius lib. 2. de Off. nec rejicimus, etſi *Pavidæ* ſequatur: Alii legunt *Tumefacto.* Quid ni *Tumefactæ Religiones* i. e. ſuperbæ; ut *Dominus metus* apud Lucretium. Δεσπότης Ειμαρμένη apud Epicurum? *Laertius in vita Epicuri. Faber* non poteſt ab Animo ſuo impetrare ut approbet *Religiones timefactæ, pavidæ*, Cum *Pavidus* & *Timefactus* idem ſonent, quamobrem lubens legit

His tibi tum rebus pavefactæ *Religiones*
Effugiunt Animo, pavidi *mortiſque timores*
Tum vacuum pectus linquunt, &c. Creech.

Et cur non *pavidæ mortiſque timores* ſcribas; ſola diſtinctione mutata, pro *morte pavidum* reddente, ut multa talia. Hav.

44. *Effugiunt*] Vide Emendationes. Ceterum ita exiſtimo, tolli debere diſtinctionem, & hunc verſum cum ſequenti connectendum. Fab. *Not.*

45. *Tum vacuum pectus*] Libri quidem veteres habent, *vacuum tempus:* quod ſi probemus, *tempus* accipiendum pro capite, ut apud Cornificium, qui libr. 4. ad Herennium eadem voce utitur, ad extr. ibi, *Percutit tempus*: & apud Virgil. libr. 9: 418.

--- *it haſta Tago per tempus utrumque.*

ſed libris omnibus reclamantibus, *pectus* legendum arbitror. nam etiamſi *tempus* ſcriptum eſſet à Lucretio pro capite, tamen ne hoc quidem ferri poſſet. Pectus enim, non caput, ex omnium philoſophorum ſententia perturbationum ſedes eſt. Quin rationem ipſam Epicurus in pectore, non in capite collocat. Sic enim Lucret. hoc eodem libro infrà: 280.

--- --- *Tamen eſſe in pectore noſtro*
Quiddam, quod contrà pugnare, obſtareque poſſit.

& lib. 3: 140.

Conſilium, quod nos animum mentemq; vocamus:
Idque ſitum media regione in pectoris hæret.
Hic exſultat enim pavor, & metus, &c.

& eod. lib. 615.

Denique cur animi numquam mens, conſiliumque
Gignitur in capite? Lamb.

Tum vacuum tempus. Antique pro *Tempora* ſeu caput. Lambinus: *pectus*, contra omnes libros. Gif. *Linquunt.* Quidam vetus meus: *linquit.* Idem. *Tum vacuum pectus:* Hæc lectio Lambini eſt, cum libri omnes conſtanter habeant *tempus*, quod Gifanius & Lambinus ipſe pro capite, (nam tempus in ſingulari κροταφῦς ſignificat, uti ex Virgilio, Catullo & aliis certum eſt) ſumi exiſtimant: mea ſententia peſſime. *Tempus* enim hoc loco *vita* eſt, quod facile animadvertere poterant. res enim plana eſt. Fab. *Tempus* Codd. Caput, ſi Lambinum, aut Gifanium audiamus, Vitam ſi Fabrum. Creech.

46.

Re veraque Metus hominum, Curaeque ſequaces,
Nec metuunt ſonitus armorum, nec fera tela:
Audacterque inter Reges, rerumque Potenteis
Verſantur, neque fulgorem reverentur ab auro,
Nec clarum veſtis ſplendorem purpureaï:
Quid dubitas, quin omnis ſit haec rationis poteſtas,

INTERPRETATIO.

ſi revera metus Hominum & curæ ſequaces non metuant ſtrepitus armorum, nec fera tela; ſi audacter inter Reges rerumque Dominos verſentur; ſi neque fulgorem auri revereantur, neque veſtis purpureæ nitorem fulgentem; Non amplius dubites harum rerum cupiditates ex ſola ignorantia & ſtultitia oriri,

VARIÆ LECTIONES.

49 *rerumque potentes.* regumque *quidam Codd. Pii.*
51. *purpureai.* purpura Y. purpurai Z.
52. *quin.* quando. Q. *Omnis ſit hæc.* Ita A. marg. G. V. X. Y. Z. *Alii* omne hoc. *poteſtas.* Ita G. Q. V. X. Y. Z. *Alii* egeſtas. *vide Preig. notam.*

NOTÆ.

46. *Quod ſi ridicula hæc*] Quòd ſi hæc omnia, nempe gazas, gloriam regni, legiones, ridicula eſſe videmus, & ſi revera metus & curæ non metuunt armorum ſonitus, &c. Lamb. Cùm Reges, Nobiles, ditiſſimi & potentiſſimi Hominum metu, cura, ſolicitudine turbentur, nec beatiorem, quàm Alii, vitam agant; Honorum, Divitiarum, *&c.* Cupiditatem ex ignorantia veræ fælicitatis naſci v. 15. pronuntiat: nec mirum tam craſſam eſſe Ignorantiam, cùm omnes veluti in tenebris ambulemus, vitamque agamus Epicurææ Philoſophiæ luce nondum illuſtratam. In tenebris verò nos omnes vivere ex vano Hominum metu, & ridiculis timoribus demonſtrat, ut Pueri enim in tenebris metuunt omnia, & ridicula ſibi ipſis effingunt Pericula, ſic omnes opinione de Providentia, & futuris poſt mortem pœnis (ægri, ut ſentit Epicurus, ſomnio) terrentur. Ut has tenebras fuget, & *Memmium* ſuum omni metu & ſolicitudine liberet *Lucretius*, opus proſequitur, & rerum Naturam copiosè & ornatè explicat. Creech.

47. *Re veraque*] Sic Horat. od. 1. lib. 3: 37.

--- Sed timor & minæ
Scandunt eodem, quò dominus; neque
Decedit ærata triremi, &
Poſt equitem ſedet atra cura.

Idem od. 16. lib. 2: 21.

Scandit æratas vitioſa naveis
Cura, nec turmas equitum relinquit, &c.
Lamb.

47. *Metus hominum*] Virg. 11. Georg. 490.

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas:
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumqe Acherontis Averni.
Preig.

47. *Curæque ſequaces*] Horatius hunc locum in animo habebat cum ſcripſit, *Scandit æratas vitioſa naves Cura, nec turmas equitum relinquit*, id eſt ὑπολείπεται; ergo facile ſequaces ſunt curæ. unde & alibi *alatas* facit: *Curas laqueata circum tecta volantes*; vides *laqueata tecta* Lucretii & *Curas* ipſas, quod ex hoc loco hauſerat, ut innuimus. Sed ἰδέαν τοῦ *volantes* ex Theognide, quod primi, ut videtur, monemus, ſumpſerat. Græci ſcriptoris verſus ſunt: Φροντίδες ἀνθρώπων ἔλαχον πτερὰ ποικίλ' ἔχουσαι. Vides *Curas alatas*. ſed hæc raptim; tamen, ut recta ſint & proba. Fab.

49. *Rerumque potentes*] Qui potiuntur rerum, qui cum imperio ſunt, *&c.* Fab.

Omnis quom in tenebris praeſertim vita laboret?
Nam veluti Pueri trepidant, atque omnia caecis
In Tenebris metuunt: ſic nos in Luce timemus
Interdum nihilo quae ſunt metuenda magis, quàm
Quae Pueri in Tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebraſque neceſſe eſt

Non

INTERPRETATIO.

præſertim cum tota Hominum vita ſit tenebris & denſa caligine involuta. Nam ut Pueri trepidant, & omnia metuunt in tenebris, ſic nos in luce timemus ea, quæ interdum non ſunt magis metuenda, quàm quæ Pueri in tenebris metuunt, & imaginantur futura. Hos igitur terrores tenebraſque quæ mentem obſident,

VARIÆ LECTIONES.

53. *laboret* labores. E. ruboret. Q 1.
56. *magis, quam.* minus, quam O. P. *in not.*

NOTÆ.

49. *Fulgorem ab auro*] Helleniſmus, ab auro effluentem, provenientem. Fab.

51. *Quin omne ſit hoc rat. eg.*] Cod. Bertin. habet *quin omni ſit hæc rationis egeſtas.* Lamb. *Omne ſit hoc*] Quidam libri veteres: *omnis ſit hæc,* etiam recte. Gif. Alii: *Quin omnis ſit hæc:* non probo, & multò minùs *Poteſtas* pro *Egeſtas:* quod quidam Codd. agnoſcunt. Creech. Jam pridem viris doctis arriſit *omnis ſit hæc;* tanquam lectio haud improbanda. Utrum vero hæc *rationis egeſtas* potius, an *poteſtas* dicenda ſit, non minus expendi meretur, poſtquam ex tantæ fidei Codd. prodiit & hæc ſcriptura:

Quid dubitas, quin omnis ſit hæc rationis poteſtas?

Et: *Omnis hæc rationis egeſtas eſt,* pro: *hæc omnia a rationis egeſtate* ſeu *inopia proficiſcuntur; ſive imputanda ſunt,* nullo forſan exemplo dictum fuerit. Quum: *Omnis hæc rationis poteſtas eſt,* pro: *hæc omnia poteſt ratio,* vel *hæc ſola poteſt ratio;* nempe timefacere & fugare relligiones timoresque mortis, metuſque illos audaces, &c. ſtylum Lucretianum oleat. Nam & infra, verſ. 286. non aliter:

Quare in ſeminibus quoque idem fateare neceſſe eſt,
Eſſe aliam præter plagas, & pondera cauſam
Motibus, unde hæc eſt nobis innata poteſtas.

Nec non, quod ſæpius uſurpat:

Hiſcendi eſt nulla poteſtas. Preig.

53. *Nam veluti pueri*] Iterantur hi quinque verſus, qui deinceps ſequuntur, & lib. 3: 90. & princ. ſexti. Sed quod hîc dicit, pueros in tenebris timere, idem fere accidit omnibus: neque id temere. Nam cùm videndi ſenſus omnium ſenſuum ſit præſtantiſſimus, oculusque tanquam corporis dux in capite ſit collocatus: in tenebris autem ſuo munere fungi non poſſit: fit ut in tenebris quaſi eo, quo maximè nitimur & confidimus, præſidio nudati, & ab omni ope derelicti, paveamus. Huc pertinent illa Senecæ epiſt. 111. lib. 19. *Itaque res falſa & inanis habet adhuc fidem, quia non coarguitur. Tanti putemus oculos intendere. jam apparebit, quàm tuta timeantur. Talis eſt animorum noſtrorum confuſio, qualis Lucretio viſa eſt.*

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt, ita nos in l. tim.

Quid ergo? Non omni puero ſtultiores ſumus, qui in luce timemus? Sed falſum eſt, Lucreti,

Non Radii ſolis, neque lucida tela diei
Diſcutiant, ſed Naturae ſpecies, Ratioque.
Nunc age, quo motu Genitalia Materiaï
Corpora res varias gignant, genitaſque reſolvant,
Et qua vi facere id cogantur, quaeve ſit ollis
Reddita Mobilitas magnum per Inane meandi,
Expediam: Tu te dictis praebere memento.

Nam

INTERPRETATIO.

non radii ſolis aut Diei ſplendor diſſipabit, ſed contemplatio vel cognitio Naturæ, & vera Philoſophia. Age verò, quo motu prima rerum ſemina res gignant, & res genitas reſolvent; qua vi cogantur id facere, & quanta celeritate per Infinitum Inane moventur, explicabo: Tu verò O Memmi *dictis meis te attentum præbe.*

VARIÆ LECTIONES.

63. *quæve.* quæque G. Y. Z.

NOTÆ.

non timemus in luce: Omnia nobis fecimus tenebras, nihil videmus, nec quid noceat, nec quid expediat. tota vita incurſitamus: nec ob id reſiſtimus, aut circumſpectiùs pedem ponimus. Vides autem quàm ſit furioſa res in tenebris impetus. At me Hercule id agimus, ut longiùs revocandi ſimus: & cùm ignoremus quò feramur, velociter tamen illo quo intendimus, ire perſeveramus. Sed luceſcere, ſi velimus, poteſt. Uno autem modo poteſt, ſi, &c. Lamb.

58. *Hunc igitur terrorem, &c.*] Hi tres verſus, qui deinceps ſequuntur, poſiti ſunt ſup. lib. 1: 147. Lamb.

58. *Hunc igitur terrorem*] Jam ſuperius lecti ſunt hi verſus. Fab.

61. *Nunc age*] Nunc aggreditur ad diſputationem de motu. Eſt autem motus apud Epicurum triplex: motus deorſum, omnium corporum & ponderum proprius, ad lineam, ſeu ad perpendiculum: motus per plagam: motus per declinationem: de quibus mox plura dicemus. Lamb. Triplex ſecundum Epicurum motus eſt, Deorſum, per plagam, per declinationem, ſeu per clinamen Fab. Argumentum ſecundi libri v. 5. continetur: primò promittit ſe explicaturum ſeminum motus, quibus res generantur & diſſolvuntur: ſecundò cauſam iſtorum motuum, & tetiò motuum ſeminum celeritatem. Hæc cùm perfecerit, parata erunt omnia, quibus generationes & reſolutiones rerum explicari poſſint: Creech.

63. *Cogantur*] Propter ingenitum motum: qui ſi aliter ſit, alia quærenda principia ſint, & ad Deos confugiendum. Fab. *Quæve ſit ollis.* Quidam vetus meus; *quæque*, ut ſupra lib. 1. verſ. 52. Gif. *Ollis.* illis, ut ſuprà, & ſæpe alibi. Lamb.

64. *Reddita*] attributa. ſic ſæpe alibi. Lamb. *Reddita*] Tributa, ita ut naturaliter illam habeant. Fab.

66. *Nam certè &c*,] De diverſis ſeminum motibus, & eorum cauſa diſputaturus, viam ſibi præmunit, motumque aliquem eſſe contra ignavos quoſdam & inertes Philoſophos ex incremento & decremento rerum v. 13. demonſtrat, Ideo enim augentur res, quòd quædam materiæ particulæ advolent, & adhæreant; ideo minuuntur, quòd moleculæ quædam nexu ſolutæ avolent: Iſtas vero particulas accedere vel recedere ſine motu qui dixerit, abſurda dixit. Creech.

66. *Stipata*] Id ni foret, res in ſtatu manerent. Fab.

67. *Quoniam minui rem*] αἰτιολογία αἰτιολογίας. Ut probet eſſe motum, ſumit, quod ſuprà probatum eſt, materiam non eſſe inter ſe ſtipatam, ſed rebus admiſtum eſſe inane. materiam autem non cohærere inter ſe ſtipatam, ex eo intelligere licet, quòd res augentur, & minuuntur. αὔξησις autem & φθίσις ſunt motus κατ' πόσον.

Uſ-

Nam certè non inter ſe ſtipata cohaeret
Materies, quoniam minui rem quamque videmus,
Et quaſi longinquo fluere omnia cernimus aevo;
Ex oculiſque vetuſtatem ſubducere noſtris:
Quom tamen incolumis videatur Summa manere,
Propterea quia, quae decedunt Corpora cunque,
Unde abeunt, minuunt: quo venêre, augmine donant:

Illa

INTERPRETATIO.

Profectò enim ſemina cohærent inter ſe ſtipata, & quieſcunt, Res enim ſingulas minui videmus, & omnia longa ætate conſumpta veluti delabi, & vetuſtatem res omnes oculis noſtris ſubducere: univerſa tamen Natura rerum videtur integra manere. Hæc autem eſt ratio; quæcunque materiæ particulæ decedunt, diminuunt ea Corpora a quibus decedunt,

VARIÆ LECTIONES.

68. *quaſi.* qua Q. *cernimus.* terminus Q.
71. *cunque.* Ita A. B. D. ita & ſupra 21. Alii *cuique.*
72. *augmine.* agmine G. V. Q. augmina A. marg. P.

NOTÆ.

Uſque adeò omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, & in cunctas dimittitur undique parteis.

& lib. 6: 933.

Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi.

Lamb. Occultè dilabi, & ſenſim minui: Hac voce elegantiſſimi Autores utuntur, at non *Manilius* in lib. 4.

--- *Tunc & opes, & regna fluunt.*

quod ſenſit Pareus. Conſule locum, & apud *Manilium Fluere* aliud ſignificare agnoſces. Creech. *Fluere*] Sic lib. 4: 225.

70. *Videatur*] Non δοκῇ, ſed plane videamus.

71. *Quæ decedunt corpora quoique*] Sic legendum putabam, non *corpora cunque:* quamvis quidam docti, in his Turnebus, & Muretus, & Paſſeratius, probent, ut ſit tmeſis, pro *quæcunque.* Lamb. Alii *cunque:* non tanti. Creech.

72. *Unde abeunt, minuunt*] id, unde abeunt, minuunt. Lamb. *Quò venere*, &c. id, quò acceſſerunt, augent. Lamb. *Agmine* alii: quos non ſequor. Creech.

74. *Sic rerum ſumma novatur ſemper*] Quia quod ex uno decedit, alteri accedit: & ortus unius, alterius eſt interitus. ita quædam æternitas, quoad ejus fieri poteſt, per ſucceſſionem rerum conſervatur. Itaque Homerus Ιλ. ζ. hominum ætatem cum foliorum ortu & natura comparat, vſ. 129.

Οἵηπερ φύλλων γενεὴ, τοίη ἀνθρώπων:

id eſt,

Non alius multo eſt hominum ortus, quàm foliorum.

Idem Ιλ. φ. 464. de hominibus:

Οἳ φύλλοισιν ἐοικότες ἄλλοτε μέντοι
Ζαφλεγέες τελέθουσιν, ἀρούρης καρπὸν ἔδοντες,
Ἄλλοτε δ᾽ αὖ φθινύθουσιν ἀκήριοι.

id eſt,

Qui foliis ſimiles, interdum munere terræ
Veſcentes, florent: interdum lumine caſſi
Intereunt.

Sic & Mimnermus:

Ἡμεῖς δ᾽ οἷά τε φύλλα φύει πολυάνθεμος ὥρη
Ἦρος, ὅτ᾽ αἶψ᾽ αὐγῇ αὔξεται ἠελίου.

id

Illa ſeneſcere, at haec contra floreſcere cogunt.
Nec remorantur ibi: ſic rerum Summa novatur
Semper, & inter ſe mortales mutua vivunt.
Augeſcunt aliae gentes, aliae minuuntur:

In-

INTERPRETATIO.

augent verò ea Corpora quibus accedunt; & faciunt ut illa ſeneſcant, hæc autem vigeant, & floreant: Ab iis etiam Corporibus quibus accedebant iterum avolant. Sic rerum ſumma ſemper renovatur, Homines mutua inter ſe vivunt, alia Animalium genera augentur,

VARIÆ LECTIONES.

74. *novatur.* novantur Y.

NOTÆ.

id eſt,

Nos autem, qualeis frondeis fert floriferum ver,
Solis fulgor eas quando alit, atque fovet.

Cum his congruunt & illa Lucretiana lib. 5: 1275.

Sic volvenda ætas commutat tempora rerum.
Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore:
Porrò aliud ſuccedit, & è contemtibus exit.

Idem lib. 3. 977.

Cedit enim rerum novitate extruſa vetuſtas.

Idem hoc eodem libro infrà. 575.

Nunc hîc, nunc illic ſuperant vitalia rerum,
Et ſuperantur item: miſcetur funere vagor,
Quem pueri tollunt viſentes luminis oras.
Nec vox ulla diem, neque noctem aurora ſecuta eſt,
Quæ non audierit miſtos vagitibus ægris
Ploratus, mortis comites, & funeris atri.

75. *Mutua*] id eſt mutuò. & ita ſæpe aliàs. Lamb. Mutuo. Helleniſmus: ſucceſſive, ἐνάλλαξ. Fab.

78. *Et quaſi curſ.*] Sumtum à ludis, quos faciebant Athenienſes, quoſque ἀγῶνας λαμπαδούχους appellabant: in quibus is qui currebat, lampada tenebat, & curſu confecto, ei qui poſtea curſurus erat, lampada tradebat. ſignificabatur autem per hanc lampadem, & curſum, vitæ humanæ brevitas. qua de re vide Ariſtophanis ſcholiaſten. Uſurpat hoc & Plato lib. 6. de legib. Γεννῶντες καὶ ἐκτρέφοντες παῖδας, καθάπερ λαμπάδα τὸν βίον παραδιδόντες ἄλλοις ἐξ ἄλλων. i. *Gignentes & alentes liberos, vitam tanquam lampada aliis ex aliis tradentes.* Perſ. ſat. 6: 61.

Qui prior es, cur me in decurſu lampada poſcis?

Huc pertinet illud Cornif. l. 4. rhet. *Non enim quemadmodum in palæſtra qui tædas ardenteis accipit, celerior eſt in curſu continuo, quàm ille qui tradit: ita melior imperator novus, qui accipit exercitum, quàm ille qui decedit: propterea quòd defatigatus curſor integro facem, hic peritus imperito exercitum tradit.* Et illud Varronis libr. 3. de re ruſt. *Sed ô Merula, Axius noſter ne, dum hæc audit, phyſicam addiſcat, quod de fructu nihil dixi, curſu lampada tibi trado.* Commemorat hos ludos Harpocratio in voce λαμπάδιον, his verbis: τρεῖς (al. τρίς) ἄγουσιν Ἀθηναῖοι ἑορτὰς λαμπάδος· Παναθηναίοις, Ἡφαιστείοις, Προμηθείοις, Πολέμων φησὶν ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν τοῖς προπυλαίοις πινάκων. Ἴστρος δ' ἐν πρώτῃ τῶν ἀτθίδων εἶπεν, ὡς ἐν τῇ τῶν Ἀπατουρίων ἑορτῇ Ἀθηναίων οἱ καλλίστας στολὰς ἐνδεδυκότες, λαβόντες ἡμμένας λαμπάδας ἀπὸ τῆς ἑστίας, ὑπόμνημα τοῦ ὑμνοῦς τὸν Ἥφαιστον, θύοντες, κατανοήσαντα τὴν χρείαν τοῦ πυρὸς διδάξαι τοὺς ἄλλους. id eſt, *Treis* (al. *ter*) *dies feſtos Lampadis agitant Athenienſes: Panathenæis, hoc eſt quinquatribus, Hephæſtiis, id eſt die feſto Vulcani, Prometheis, ut ait Polemo libro de tabulis, quæ in templorum veſtibulis poſitæ ſunt. Iſter verò in primo Atticarum tradidit, die feſta Apaturiorum, eos ex Athenienſibus, qui pulcherrimis veſtibus ornati ſunt, ſumtis lampadibus accenſis ex urbis foco, Vulcanum laudare, eique ſacrificare, ad memoriam illius in mortaleis beneficii prodendam, quòd ignis uſum intellectum alios do-*

Inque brevi ſpatio mutantur ſaecla animantum:
Et, quaſi Curſores, vitaï lampada tradunt.
Si ceſſare putas rerum Primordia poſſe,
Ceſſandoque novos rerum progignere Motus:

Avius

INTERPETATIO.

Alia minuuntur, brevique tempore mutantur, Et quaſi Curſores in feſtis in honorem Vulcani Athenis celebratis tradunt vitæ lampada. Si verò credas ſemina poſſe quieſcere, & quieſcendo novos rerum motus excitare,

VARIÆ LECTIONES.

78. *tradunt.* Addit *Vet. ſcol.* pulcra tranſlatio. curſores nocturno tempore ſibi invicem lumen cornu incluſum tradunt ſ. in laterna: mos eſt, cum prope diverſorium venere curſores ſignum facere, hoc eſt, cornu canere, ut ſocii præſto parati ſint, qui & laternam & ſacculum literarum tantum accipiunt, & iter arripiunt. ſic traditur per manus vita animantum Q.

NOTÆ.

docuit. Commemorat & Iſæus hunc ludum ἐν τῷ περὶ τοῦ Φιλοκτ. κλήρου, ſub extr. ibi, Γεγυμνασιάρχηκε δὲ λαμπάδι. Eodem pertinet illud ἐν τῷ ὑπὲρ τῆ Ἀπολλ. κλήρ. Γεγυμνασιάρχηκα εἰς Προμήθεια. ubi vulgo legitur προμήθειαν, mendosè. Nam Προμήθεια, Promethei dies feſti ſunt: quibus etiam hi ludi Lampaduchi fiebant, ut diximus. Admonet me hujus loci apud Iſæum emendatio, ut ſignificem lectori Græcarum litterarum ſtudioſo, me propediem decem rhetores editurum plus decies mille locis emendatos, & ſcholiis utiliſſimis illuſtratos. LAMB. Debet hic verſus aliò migrare; neque enim ſedem ſuam occupat. ſic igitur eum cum ſuperioribus connectes, ſi me audiveris:

Nec remoratur ibi: ſic rerum ſumma novatur
Semper, & inter ſe mortales mutua vivunt:
Et, quaſi curſores, vitai lampada tradunt.

Qui non indiligenter legerit, is ita fieri debere ſatis ipſe per ſeſe judicaverit. FAB. *Emend.* Vide Emendationes. de his ludis abunde multa Meurſius in lib. de Græcia feriata: multa ex Ariſtoph. Philoſtrato, auctore ad Herennium, Varrone, congeri poſſent: ſed id alii præſtiterunt. FAB. Ex Pauſania, Harpocratione, Ariſtophanis Scholiaſte, Varrone, Scriptore ad Herennium, &c. multa corradunt Interpretes: Breviter: Athenis in quibuſdam feſtis currebant homines accenſam lampada tenentes; qui curſum perfecerat alteri curſuro lampada tradebat; inde λαμπαδεύεσθαι tradi ſucceſſivè, ut apud Philonem τὸ τῆς ἀρετῆς φέγγος λαμπαδευόμενον ἐπ' ἀλλήλοις διαδοχαῖς ἰσόχρονον γενήσεται Κόσμῳ. Et appoſitè Plato l. 6. de Leg. γεννῶντες καὶ ἐκτρέφοντες παῖδας, καθάπερ λάμπαδα τὸν βίον παραδιδόντες ἄλλοις ἐξ ἄλλων. Hunc verſum loco ſuo movet *Faber*, & v. 75. ſubjungit.

---- *Inter ſe mortales mutua vivunt*
Et quaſi Curſores, &c. --- --- CREECH.

Adde Herodotum, qui lib. VIII. Hiſtoriarum, refert: curſores Perſarum perniciſſimos primum ſecundo, ſecundum tertio, & ita deinceps alium alii mandata tradere ſolitos; *quemadmodum*, inquit, *apud Græcos fax traditur, quam Vulcano per vices ferre curſores perſeverant.* citat inter alia Beroaldus, in Annot. App. cap. XVIII. Tom. I. Fac. Crit. pag. 308. Planius ritus hic ex Paſania diſcitur, qui Promethei aram in Academia commemorat, a qua ad Urbem cum accenſis facibus currerent. Certamen autem in eo poſitum fuiſſe, in curſu tædam ſervare accenſam, &c. Idem in Cerealibus fieri ſolebat, uti auctor eſt Themiſtius. unde *Cereri* forte a *Prometheo* aram illam dicatam intellexerit Pauſanias. Vide Beroald. Ann. App. c. 18. & Pii Annot. poſt. cap. 114. Tom. I. Fac. Crit. pag. 519. PREIG.

79. *Si ceſſare putas*] Subaudiendum, *enim.* FAB. Quicunque credunt novos rerum motus, Incrementum viz. & decrementum à quieſcentibus Atomis produci poſſe, eos inſanos, nec re-

 ſu-

Avius à vera longè ratione vagaris.
Nam, quoniam per Inane vagantur, cuncta neceſſe eſt
Aut Gravitate ſua ferri Primordia rerum,
Aut

INTERPRETATIO.

profectò a veritate infinitum erras. Quoniam enim per Inane volitent cuncta rerum ſemina, neceſſe eſt ſingula vel ponderi ſuo hunc motum debere,

VARIÆ LECTIONES.

83. *ſui.* ſua. B. Cr. D. E. L.

NOTÆ.

futatione dignos exiſtimat: inſuper v. 9. docet ſemina, quæ per Inane vagari probaverat, motum vel ſuo ponderi debere, vel aliorum Ictui. Quodcunque enim ſolidum (& ſoliditas eſt principalis ſeminum affectio) id grave eſt: Gravia autem deorſum tendunt, ita ſeminum motus deorsùm ſtabilitur. Cùm verò ſolida hæc ſemina deorſum tendentia in Corpora vel quieſcentia, vel tardiùs procedentia impingunt, reſiliant neceſſe eſt; Corpus enim ſolidum in alterum corpus ſolidum impactum non omnem ſuum motum alteri impertit, ideoque iſtis gradibus motus, quos retinet, aliò feretur: ſic motus ſursùm confirmatur. Alter horum motuum eſt naturalis, violentus alter, uterque generationi & reſolutioni rerum neceſſarius. *Epicurus* docuit κινεῖσθαι τὰ ἄτομα κάτω, τότε μὲν κατὰ σάθμην, τὰ δὲ ἄνω κινούμενα κατὰ πληγὴν καὶ παλμὸν: Laertius: Creech.

82. *Neceſſe eſt aut gravitate, &c.*] Loquitur hîc de motibus duntaxat: quorum alter omnium ponderum eſt proprius, vocaturque motus deorſum, ad perpendiculum & ad lineam: alter fit per ictum, ſeu plagam, vocaturque motus ſurſum. Eſt & tertius motus κατ' ἔγκλισιν, id eſt *per declinationem*, quem infrà commemorabit Lucretius: qui quamobrem ab Epicuro ſit excogitatus, docent M. Tull. & Plutarchus multis locis. M. Tull. de fato: *Sed Epicurus declinatione atomi vitari fati neceſſitatem putat. Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus & plagam, cùm declinat atomus intervallo minimo. id appellat ἐλάχιστον: quam declinationem ſine cauſa fieri, ſi minus verbis, re cogitur confiteri.* Sed de hac declinatione dicemus ſuo loco. de motu autem, qui fit deorſum, ſic idem M. Tullius lib. 1. de finib. bonor. & malor. *Cenſet enim, eadem illa individua, & ſolida corpora ferri ſuo deorſum pondere ad lineam: hunc naturalem eſſe omnium corporum motum. deinde ibidem homo acutus, cùm illud occurreret, ſi omnia deorſum è regione ferrentur, &, ut dixi, ad lineam, nunquam fore, ut atomus altera alteram poſſet attingere, ita attulit rem commentitiam: declinare dixit atomum perpaullum: quò nihil poſſet fieri minus: ita effici complexiones, & copulationes, & adhæſiones atomorum inter ſe: ex quo efficeretur mundus, omneſque partes mundi, quæque in eo eſſent.* Plutarchus item lib. 1. περὶ τῶν ἀρεσκόντ. duos motus duntaxat ab Epicuro poſitos eſſe refert, motum ad lineam, ſeu motum deorſum è regione: & motum per declinationem. Sed dicendum eſt, Plutarchum, & M. Tull. in illo 1. libri de finibus loco, præteriiſſe motum, qui fit ſurſum per ictum, ſeu plagam, utpote violentum, minimeque naturalem. Diogenes autem Laërtius triplicem atomorum motum ab Epicuro poſitum eſſe non obſcurè tradit his verbis: κινεῖσθαι δὲ τὰ ἄτομα κάτω τοτὲ μὲν κατὰ σάθμην, ποτὲ δὲ κατὰ παρέγκλισιν· τὰ δ' ἄνω κινούμενα, κατὰ πληγὴν καὶ παλμόν, id eſt, *moveri autem corpora individua nunc ad lineam, nunc per declinationem; ea autem, quæ ſurſum moventur, ictu quodam, & palpitatione, ſeu concuſſione quadam moveri.* Lamb.

83. *Gravitate ſua*] Motus εἰς τὰ κάτω, deorſum. fab.

84. *Aut ictu auferri alterius*] Sic habent veteres aliquot codices. alii, & maximè vulgati, *aut ictu fortè alterius.* ego illos ſequor. vulgatam lectio-

Aut Ictu forte alterius: nam cita ſupernè
Obvia quom flixêre, fit, ut diverſa repente
Diſſiliant: neque enim mirum, Duriſſima quæ ſint,
Pon-

INTERPRETATIO.

vel ictibus aliorum: Semina enim celerrimè deorſum tendentia, cum concurrant, aut Alia in alia impingant, diverſa reſiliant neceſſe eſt: nec aliter fieri poteſt, cum ſint Gravia, Duriſſima, & perfectè ſolida, nec quicquam a tergo impedit quò minus reſilirent.

VARIÆ LECTIONES.

84. *forte.* auferri c. L. O. *codd. antiqui Pii.* Q. *cita ſuperne.* cita ſæpe G. Y. Z. concita ſæpe Q2 V. percita ſæpe *quidam codices Pii.* Q 3. & *adſcript. lege, icta ſuperne.*
85. *Cum flixere.* cum fluxere E. N. P. conflexere G. confluxere. Bm. Q. X. conflixere Q. Y. z. *Fit, ut.* ut uti Bm. Q. X. fit uti Y. ita ut Q2. Fit in V.
86. *Diſſiliant.* diſſolvant X. Y. Z.

NOTÆ.

ctionem tamen, *Aut ictu fortè alterius*, non damno, ſed alteram lectionem ei antepono. Lamb. *Aut ictu forte alterius*] Ita vulgati libri & veteres quidam. Sed in quibuſdam veteribus libris: *Aut ictu auferri alt.* Et mox:

Nam concita ſæpe
Obvia, conflixere ita uti diverſa ---

Gif. *Aut ictu*] Motus εἰς τὰ ἄνω, ſurſum. Fab. *Aut ictu auferrri:* Lambinus. Et in quibuſdam Codd.

---- Nam concita ſeſe
Obvia conflixere ita uti diverſa repente

quam lectionem tanquam probabilem amplectitur: at iſtam interpretis facilitatem damnat Poëta, & lectionem rejicit; nam gravia ſemina deorsùm tendunt, ideoque conſideranda ſunt tanquam *ſupernè obvia.* Creech.

84. *Nam cita ſupernè obvia cùm flixere, fit ut di.*] Hujus ſcripturæ ſententia perſpicua eſt. *flixere* autem, id eſt per concurſum ſe mutuò contigerunt, & concuſſerunt. Utitur eodem verbo, aut certè ejusdem verbi ſupino l. 6: 1051.

--- Pulſareque flictu
Ferrea texta ſuo &c.

Sic enim ibi legendum cenſeo, non, ut vulgò *fluctu.* Virgil. lib. 9: 667.

Dant ſonitum flictu galeæ: pugna aſpera ſurgit.

in quibuſdam libris manuſcriptis reperi ſcriptum,

--- --- Nam concita ſæpe
Obvia conflixere ita, ut diverſa repente
Diſſiliant, &c.

quæ ſcriptura etiam probabilis eſt. Lamb. Vide Fayum, & admirabere acumen Hominis, qui ſententiam Epicuri tot ſæculis ignotam tandem invenit: Ea viz. *ſursùm* regio dicatur Atomis, ex quacunque advenirent, ſive deſuper, ſive infra, ſive ab Ortu, ſive ab occaſu, ſive a dextra, ſive a ſiniſtra, &c. Ea verò deorsùm Regio dicatur iiſdem Atomis, in quamcunque ferantur, ſive ſurſum, ſive deorſum, ſive ab Ortu, ſive ab Occaſu, ſive a dextra, ſive a ſiniſtra, &c. Et hanc ſententiam Cicero in 1. lib. de Finibus ritè aſſecutus eſt: Ita res omnes in tuto ſunt, Epicurum explicat *Fayus*, & Ciceronis ſolertiam ſuo teſtimonio confirmat. Quaſi Epicurus non exiſtimâſſet omnia ſemina ferri deorsùm pondere ad Lineam, aut *paululùm declinare* ſemina dixiſſet, ſi gravitate ſua ab Ortu, ab Occaſu, a dextra, a ſiniſtra ferri potuiſſent; Aut hæc ſcripſiſſet *Cicero* l. 1. de Fin. *Requiro quonam pacto ſemina ſeſe aſſequentur viciſſim, atque comprehendent, aut quomodo ad inſertum complexumque mutuum accedent, ut ſubinde res alias, veluti ipſe prædicat, concurſu progenerent!* Alia enim ſemina ab Ortu, alia ab Occaſu, alia a ſiniſtra, alia a dextra, ad inſertum complexumque mutuum accede-

Ponderibus ſolidis, neque quidquam à tergo ibus obſtet,
 Et quo jactari magis omnia Materiaï
Corpora pervideas, reminiſcere Totius imum
Nil eſſe in Summa: neque habere ubi Corpora prima
Conſiſtant: quoniam Spatium ſine fine, modoque eſt:
Immenſumque patere in cunctas undique parteis,

Plu-

INTERPRETATIO.

Ut verò clariùs perſpicias omnia Materiæ ſemina motu agitari, in memoriam revoca, Nullum eſſe Imum locum in Univerſo, nec punctum aliquod ad quod Semina ſiſtantur, & quieſcant; quoniam Inane nullos habet terminos, & multis iiſque firmiſſimis argumentis olim demonſtravi in omnes undique partes immenſum patere

VARIÆ ECTIONES.

87. *Ponderibus.* corporibus *Gaſſ. a tergo ibus obſtet.* Ita acute Preig. meus; firmat *tergibus.* in A. marg. C. E. G. P. Q. X. Z. tergibus pro tergoribus & pro tergis, niſi maſcul. ſit, hi terges, *Vet. Scol.* Q 1. *a tergoribus ſtet* quidam.

NOTÆ.

derent: *Eſſe ſupra*, & *eſſe infra* attribui poſſe univerſo agnoſcit Epicurus, licet non ut ſit quicquam ſupremum, quicquam infimum: *καὶ μὴν κατὰ τοῦ ἀπείρου οὐ δεῖ κατηγορεῖν τὸ ἄνω, ἢ κάτω, ὡς ἂν εἴη τι μὲν ἀνωτάτω, τὶ δὲ κατωτάτω,* &c. Epicurus ad Herodotum. Creech.

85. *Flixere*] Sic lib. 6: 1051.

--- Pulſareque flictu
Ferrea texta ſuo ---- & Virg. 9: 667.
Dant ſonitum flictu *galeæ ----*

Conſluxere. B. & *Fluxere* Nardius. Creech. & Voſs. de *Anal.* p. 112.

85 *Diverſa repentè diſſil.*] Hunc motum *κατὰ πληγὴν*, & *κατὰ παλμὸν* appellabat Epicurus: id eſt motum, qui fit per plagam & palpitationem. Lamb.

86. *Duriſſima*] Quæ principalis, ut ita dicam, proprietas atomi eſt, durities, ſoliditas. Fab.

86. *Quæ ſint*] Legendum omnino *quom ſint.* Quod habent editiones nonnullæ. Preig. At qua neceſſitate? *quæ ſint.* i. e. ut quæ ſint &c. Hav.

87. *Neque quidquam*] Nam Inane non remoratur. Fab. *Neque quicquam à tergis obſt.*] Sic legendum, non *tergibus.* Eſt enim verſus ſpondiacus, habens non ſolum in quinta ſede ſpondeum, verum etiam in quarta, ut hi Virgiliani: l. 7. 634.

Aut læveis ocreas lento ducunt argento:
& Georg. 3: 276.
Saxa per, & ſcopulos, & depreſſas convalleis.
& Hom. Ἰλ. α. 339.
Πρός τε θεῶν μακάρων, πρός τε θνητῶν ἀνθρώπων:
& in catalogo 3: 658.
Ὃν τέκεν Ἀστυόχεια βίη Ἡρακληείη.
Lucr. ſup. lib. 1: 209.
--- --- & incultis præſtare videmus
Culta loca, & manibus meliores reddi fœtus.

Lamb. Lambinianum hoc facinus eſt, ſimile prorſus iſti, quod lib. 1. verſ. 210. commiſit, illis verbis:

Et manibus meliores reddi fœtus.

Vide locum. Neque Giſanius, quod nullo ibi ſucceſſu fecit, hoc loco quicquam habet quod reponat. Veram lectionem, ex *tergibus*, *tergoribus*, *tergoibus* Voſſius, opinor, eruit, licet neque Creechius, neque Londinenſes id animadverterint. Scribe:

Neque quicquam a tergo ibus obſtet.

Ibus antique pro *iis.* Occurrit apud Plautum 1: 1. 74. in Mil. Glor. item in Prol. Rud. &, ubi extra omnem controverſiam ita ſcripſit, in Trucul. 1: 11. 14.

Ibi

Pluribus oſtendi, & certa ratione probatum eſt.
Quòd quoniam conſtat, nimirum nulla quies eſt
Reddita Corporibus primis per Inane profundum:
Sed magis adſiduo, varioque exercita motu,
Partim intervallis magnis conflicta reſultant:
Pars etiam brevibus ſpatiis nexantur ab Ictu.

Et

INTERPRETATIO.

Cùm verò certum ſit Semina in Inani infinito nunquam quieſcere, ſed variis & aſſiduis motibus agitari, fatendum etiam eſt Alia poſt ictum ad longam diſtantiam reſilire, , Alia ad brevem: Quæ autem ad brevem tantum diſtantiam reſiliunt,

VARIÆ LECTIONES.

93. *& certa.* certa.
94. *Nulla* multa G. BM. invita V.
96. *Partim.* nonnulli *pars*, ſed vide Notas 6: 1257.
97. *Conflicta.* conſulta A. B. Bm. Q. X. & *Gud. ad Phæd.* 1. 1. 4. conſulta M. C. E. G. N. P. F. V. Y. Z. Conflicta c. Cr. *priſci Codd. Pii.* connexa *Voſſ. Anal.* 3. p. 112.
98. *brevibus* brevius G. Y. Z. *Nexantur.* vexantur. A. marg. c. Bm. O. *Pius* in not. Q1. X. *ab ictu.* avicta Z.

NOTÆ.

Ibi eſt ibus pugnæ & virtuti, de prædonibus prædam capere.

More enim ſolito paronomaſiis ludit. Similiter DIBUS pro *diis* in Inſcriptionibus Gruterianis reperias, pag. XLVI. Num. 9. & pag. XCVIII. Num. 5. nec non FILIBUS, pro *filiis.* pag. DLIV. Num. 4. Preig.

88. *Et quò jactari, &c.*] Ut meliùs hanc jactationem & Agitationem ſeminum percipiat *Memmius*, ad primum ſuum librum reducit, & v. 6. monet ſe olim docuiſſe nullum eſſe in Infinito Spatio Centrum aut Medium, aut Imum locum, quò Semina tendant. & ubi, cùm ſemel attigerint, quieſcant: Ideoque cùm pondere ſuo deorſum ferantur; & in Alia impacta aliquando reſiliant, quis neget illa plerumque perpetuo motu jactari? Creech.

88. *Jactari*] Agitari, volvi, ferri. Fab.

89. *Reminiſcere totius*] repete (inquit) memoria, nihil eſſe imum in ſumma totius, id eſt in omni, ſeu in univerſo, ἐν τῷ παντί. Suprà enim libro primo docuit, nihil eſſe extremum, nihil medium, nihil primum, ibi: 957.

Omne, quod eſt igitur, nulla regione viarum
Finitum eſt, &c. Lamb.

89 *Totius*] Τοῦ παντὸς, Summæ. Fab.

93. *Oſtendi*] Lib. I. ſub finem. Fab.

94. *Quod quoniam conſtat. &c.*] Igitur cùm Semina aſſiduo motu exerceantur, cùm percutiant, ac reſiliant, docet v. 14. Semina iſta reſilientia ad inæquales diſtantias reflecti; varietatem ictuum varietas reflectionum ſequitur: Ex iis autem quæ ad brevem diſtantiam reflectuntur, & arctiori ſpatio jactantur, Ferrum, Lapides, & reliqua dura & ſolida Corpora componuntur: Ex iis quæ ad longam diſtantiam reſiliunt, & laxiùs vagantur, Aer, Ignis, & mollia ejuſmodi & rara Corpora conſtituuntur. Creech.

94. *Nimirum nulla quies eſt*] MSS. omnes, quos Annotator noſter conſuluit, habent: *multa.* Unde faciendum cenſet: *invita.* Nimirum, quaſi ſenſus foret: raro, nec facile, neque etiam lubenter aut ſua ſponte quieſcere corpora prima, qui quidem an inde elici poſſit, alii viderint. Vulgatæ lectioni: *nulla quies eſt, &c.* male reſpondet, quod ſequitur: *Sed magis aſſiduo, &c.* cur enim *magis* dixit? ac non potius: *prorſus aſſiduo?* vel ſimile quid? Melius forſan erit reſtituere ipſam MSS. lectionem; ut ſit ſenſus; nimirum multa quidem quiete gaudent corpora prima, ſed pluribus tamen motibus magisque aſſiduis ac variis exercentur. Peig.

94. *Conſtat*] id eſt, ſine controverſia eſt. Lamb.

95. *Reddita*] attributa, ut ſæpe aliàs. Lamb.

96. *Magis*] Imo potius. Fab.

97. *Conſulta reſultant*] Sic antiqui libri. In

 Vul-

Et quaecunque magis condenſo conciliatu,
Exiguis intervallis connexa reſultant,
Indupedita ſuis perplexis ipſa figuris;
Haec validas Saxi radices, & fera Ferri.

Corpora

INTERPRETATIO.

& arctius denſiuſque conjunguntur hamatis & angularibus & inter ſe implicatis mutuo impedita, Illa ſolidas Saxorum radices, & durum ferrum, & alia ejuſdem conditionis Corpora componunt.

VARIÆ LECTIONES.

99. *Condenſo.* contenſo. A. B.
100. *Connexa.* connecta a. B. Q. convecta M. C. E. G. Bm. N. V. X. Y. Z. *ſed in* Z. *corr.* connisa *Pius* in not.

NOTÆ.

Vulgatis quibuſdam: *conſulta.* Marullus & Lambinus. *conflicta.* Ego libros ſequor, licet vix intelligam; niſi *conſilire* a *ſalio*; & hinc *conſulta*, συμπηδήσαντα principia, id eſt coacta; eleganti tralatione & alluſione ad verbum: *reſultant.* Gif. *Contuſa reſultant*] Sic repoſui, partim conjectura ductus, partim veteris ſcripturæ veſtigia ſecutus, cùm libri manuſcripti habeant, partim *conſulta*, partim *conflicta*, partim *conſulta.* licet & legere *conflicta*, ut olim edidi. Fuit & cùm putarem legi poſſe *conſuta*, ut reſpondeat illi quod ſtatim ſequitur, *connexa reſultant. conſulta* autem à verbo *conſilio*, quod barbarus quidam probat, ineptum eſt, & ſuo auctore dignum. nam neque *conſilio, is, it*, in tota lingua Latina reperitur, neque ſi reperiretur, *conſultus* participium ab eo fingi poſſet. Omnino *cônflicta*, aut *contuſa* legendum videtur. nam corpora prima ex conflictu aut contuſione reſultare probabile eſt. *Intervallis magnis contuſa reſultant.* Μακρὰν διΐστανται. Sic enim Epicurus (ut refert Laërt.) αἱ μὲν εἰς μακρὰν ἀπ' ἀλλήλων διΐστανται, αἱ δὲ αὐτὸν τὸν παλμὸν ἴσχουσιν, ὅταν τύχωσιν εἰς τὴν περιπλοκὴν κεκλεισμέναι, ἢ στεγαζόμεναι ὑπὸ τῶν πλεκτικῶν. id eſt, *Aliæ atomi magnis intervallis inter ſe diſtant, aliæ palpitationem cohibent, cum caſus ita tulerit, in conſilium & copulationem concluſæ, aut ab atomis perplexis & hamatis retentæ.* Lamb.

97. *Conflicta*] Ita Lambinus: Giſanius autem *conſulta*, quod ſe intelligere negat: MSS. *conſulta*, quod probo. notum eſt quid *conſulcio*, πυκνόω, πυκάζω, &c. ita pro certo legendum. Exempla afferrem ex Plauto & aliis, ni operæ urgerent, & ratio ſtudiorum. Fab. *Contuſa*, Lambinus: *Conſulta*: Giſanius: quam vocem vix intelligit, niſi *Conſilire* a Salio, & inde *Conſulta*: MSS. *Conſulta*: quod probat *Faber*, notum eſt quid *Conſulcio*, πυκνόω, πυκάζω &c. ita pro certo (inquit) legendum: Sed feſtinantem *Fabrum* Operæ urgebant, ideoque non vidit iſtam lectionem v. 105. repugnare. *Conflicta* itaque amplector. Creech.

98. *Nexantur ab ictu*] id eſt, copulantur, & cohæreſcunt per plagam & ictum. quidam libri manuſcripti tamen habent *vexantur*: quos non ſum ſecutus. ne illud quidem diſſimulabo, in uno ſcriptum eſſe *vexantur à victu*: quod idcirco adſcripſi, ut meminerint ſtudioſi litterarum homines, librarios illos ſcriptores ſæpe *u* pro *b* poſuiſſe, & contrà *b* pro *u*. quis enim non videt, *à victu* pro *ab ictu* eſſe mendosè ſcriptum? atque hic locus me admonet mendorum illorum apud Non. Marcellum in nominibus *proluvium* & *proluvidinem*, ubi legendum *prolubium* & *prolubidinem.* Lamb. *Vexantur* quidam codices. Ut ſupra bis terve. Gif. Connectuntur per plagam. Fab. Quiddam Codd. *Vexantur*; retineo *Nexantur*; v. 100. admonitus: Hæc *Epicurus* apud Laertium. Αἱ μὲν εἰς μακρὰν ἀπ' ἀλλήλων διΐστασθαι, αἱ δὲ αὐτὸν τὸν παλμὸν ἔχουσιν, ὅταν τύχωσιν εἰς τὴν περιπλοκὴν κεκλεισμέναι, ἢ στεγαζόμεναι ὑπὸ τῶν πλεκτικῶν. Creech.

99.

Corpora conſtituunt, & caetera de genere horum
Paucula: Quae porro magnum per Inane vagantur,
Et cita diſſiliunt longè, longeque recurſant
In magnis intervallis; haec Aëra rarum Suf-

INTERPRETATIO.

Quæ autem per magnum Inane vagantur, & celerrimè mota poſt ictum ad magnam diſtantiam reſiliunt, & moventur, Illa rarum Aëra, Lucem, & ſimilia conſtituunt.

VARIÆ LECTIONES.

105. *Et cita.* cætera. A. marg. C. E. N. V. Bm. P. X.
106. *Et cita.* cetera Q. Y. Z.

NOTÆ.

99. *Et quæcunque magis condenſo*] Sic habent duo libri manuſcripti, Vaticanus & Bertinianus, & impreſſi omnes. Sed Faërni & impreſſi Florentini, *contenſo.* quam ſcripturam agnoſcit Priſcianus lib. 10. eo loco, ubi docet, à verbo *tendo* fieri *tenſum* & *tentum.* Ego *condenſo* non improbo. ſic & lib. 1: 567.

Quorum condenſo magis omnia conciliatu
Arctari poſſunt. Lamb.

Magis contenſo. Sic veteres quidam & Priſcianus. In quibuſdam veteribus & vulgatis: *condenſo*, ut ſupra lib. 1. vſ. 576. Sed vide menda ſimilia inf. Gif.

100. *Exiguis intervallis connexa*] Sic legendum potius, quàm *conjecta*, aut *convecta.* nam ex *connexa* vera ſcriptura, factum *conneccſa:* ex quo *convecta.* *Connecta* autem nullo modo ferri poteſt. Lamb. *Connecta reſultant.* Ex quibusdam vet. libris ita ſcripſi. Quidam libri: *conjecta.* *Convecta* Marullus, *Connexa* Lambinus, male. Vide Indicem, & inf. 111: 555. Gif.

101. *Endopedita*] impedita, atque implicata. Lamb.

101. *Perplexis*] id eſt inter ſe connexis & colligatis. Feſtus: *Plexa, colligata ſignificat ex Græco: cui nos etiam præpoſitionem adjicimus, cùm dicimus perplexa.* Terent. Eunucho 5: 1: 1.

--- *Pergin' ſceleſta perplexè loqui?*

Virgil. lib. 9. Æneid. 391.

--- *perplexum iter omne revolvens*
Fallacis ſilvæ.

verbum *perplexabile* apud Plaut. Aſinar. Et in vocabulario Latinogræco, manuſcripto, quod mihi commodavit Cl. Puteanus, ita ſcriptum eſt: *perplexus*, πεπλεγμένος. Lamb. *Perplexis.* περιπεπλεγμένοις σχήμασι, &c. Fab.

101. *Ipſa*] Cum ipſa per ſe naturaliter talem σχέσιν habeant. Fab.

103. *Et cetera de genere horum paucula*] Sic diſtinguendum & interpungendum, ut ſit hic Lucretii ſenſus: Ea corpora individua, quæ exiguis intervallis connexa, & ſuis perplexis figuris impedita reſultant, ſaxa, & ferrum, & cetera hujus generis paucula conſtituunt. Lamb.

104. *Quæ porro magnum, &c.*] id eſt, ea porrò, quæ magnum per inane moventur, & vagantur, & cita diſſiliunt longè, longèque reſiliunt: ea creant aëra, & ſolem, & ſimilia. Lamb.

104. *Paucula*] Nam multo pauciora numero ſunt ſolida quam rara. Fab.

105. *Et cita diſſiliunt*] Sic legendum, non, ut vulgò legitur, *Cetera diſſiliunt*: quod mendum natum eſt ex indoctorum hominum arrogantia, aut certè inſcitia, ac ſtultitia, qui hunc locum non intelligentes, corruperunt. Quidam vir doctus putabat legi etiam poſſe, *Citaque.* quod non diſplicet. Cùm hæc ſcripſiſſem triennio pòſt Thraſo ille hanc emendationem ſibi arrogans, ſcripſit, ita eſſe legendum ut edidi, & in vulgatis mendosè legi *Cetera.* quid flagitioſius? quid impudentius? Lamb. Vulgati: *Cætera*, male. ſupra lib. 1. Gif. Vulg. Lib. *Cætera:* ineptè Quidam *Citaque.* Creech. Omnes libri MSS. *Cætera diſſiliunt*, inquit Auctor Marginalium; adeoque in hunc modum diſtinguendos iſtos verſiculos cenſuit, opinor

Et cætera de genere horum.
Paucula, quæ porro magnum per inane vagantur,
Cætera diſſiliunt longe, &c.

Sed contra Auctoris mentem, quantum video. Preig.

107. *Sufficiunt*] ſuppeditant. Lamb.

Sufficiunt nobis, & ſplendida lumina Solis.
Multaque praeterea magnum per Inane vagantur,
Conciliis rerum quae ſunt rejecta, nec uſquam
Conſociare etiam motus potuêre recepta:
Qojus, uti memoro, rei ſimulacrum, & imago
Ante oculos ſemper nobis verſatur, & inſtat.
Contemplator enim, quom Solis lumina cunque

In-

INTERPRETATIO.

Præter hæc duo Seminum genera multa ſunt alia ab omni cætu libera, quæ nunquam in Compoſitum coaluerunt, ac aliquando admiſſa cùm aliis cohærere, motuſque ſuos ſociare potuerunt: Cujus rei imago & ſimulachrum, (quod nunc explico) ante noſtros oculos ſemper verſatur: Contemplare enim cum Radii ſolis per rimam aut feneſtram in opacam

VARIÆ LECTIONES.

109. *Conciliis.* concilio ab Q. I. *Rejecta.* dejecta. I.
111. *Memoro.* memorabo. A. marg. *Codd. reverendæ fidei Pii.* memoror Q. X. Y. Z. *ſimulacrum.* ſimulacra Y. Z.
113. *Contemplator.* Eſt verbum modi imperandi *Vet. Scol.* Q. I.

NOTÆ.

108. *Multaque præterea &c.*] & præter illa corpora, quæ vel magnis intervallis, vel exiguis feruntur, ita tamen ut connectantur, & copulentur, ſunt alia, quæ nondum congredi, neque connecti potuerunt. Lamb.

108. *Multaque præterea, &c.*] Præter illa Semina, quæ brevibus ſpatiis reſultantia in dura & ſolida Corpora connectuntur, & illa quæ magnis vagantia, & longè recurſantia mollia & rara Corpora conſtituunt; Alia ſunt ab omni nexu & concretiòne libera & irrequieta, quæ aliis incurſant, & perpetuò vexant: Porrò ut oſtenderet quaſi ſimilitudine quadam perennem illam agitationem, qua Atomi extra concretiones per Inane quaſi exercentur v. 16. imitatus Democritum Leucippumque eſt, dum Ariſtotele referente comparârunt Atomos cum vocatis illis ramentis corpuſculisve per aerem, ἃ φαίνεται ἐν τοῖς διὰ τῶν θυρίδων ἀκτῖσιν, Quæ ſunt in ſolis radiis per januas feneſtraſve trajectis conſpicua. Creech.

108. *Magnum per inane*] Virgil. in Sileno Ecl. 6: 32.

Namque canebat uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque, animæque mariſque fuiſſent. Lamb.

101. *Conciliis rerum quæ ſunt rejecta*] id eſt, quæ cohærere, & conciliari, & conſociari non potuerunt. Lamb. Id eſt, quæ nondum inhæſum, ſeu adhæſum ſuum reperire potuerunt. Fab.

111. *Uti memoro*] Veteres quidam: *memorabi.* Hoc natum ab illud: *reji.* Gif.

113. *Contemplator enim*] Sic idem lib. 6: 188.

Contemplator enim, cùm montibus adſimilata
Nubila portabunt, &c.

mutuatus eſt & Virgil. lib. 1. Georgic. 187.

Contemplator item, cùm ſe nux plurima ſilvis
Induet in florem.

idem lib. 4: 61.

Contemplator: aquas dulceis, & frondea ſemper
Tecta petunt. Lamb.

Vide, inquit, &c. Pulviſculum autem illum atomos vulgus vocat: imperite ut cetera: atomus enim videri nequit, non magis quam ventus, qui tamen craſſiſſimus eſt, ὡς πρὸς ἄτομον. Fab.

113. *Cùm ſolis lumina cumque, &c.*] id eſt, quandocunque ſolis lumina, &c. Sic Ariſtot. lib. 2. de Anima: οἷον τὰ καλούμενα ἐν τῷ ἀέρι ξύσματα, ἃ φαίνεται ἐν ταῖς διὰ τῶν θυρίδων ἀκτῖσιν. id eſt,

Ut

Inſerti fundunt radii per opaca domorum:
Multa minuta modis multis per Inane videbis
Corpora miſceri radiorum lumine in ipſo:
Et velut aeterno certamine proelia, pugnaſque
Edere turmatim certantia: nec dare pauſam,
Conciliis, & diſcidiis exercita crebris:
Conjicere ut poſſis ex hoc, Primordia rerum,

Qua-

INTERPRETATIO.

& tenebricoſam domûs partem intromittantur, & videbis multa minuta Corpuſcula in lumine radiorum agitari, & veluti æterno certamine certantia turmatim pugnas & prælia edere, nec unquam quieſcere, modò ſibi invicem appropinquantia, modò a ſe invicem longiſſimè rejecta: Et hinc conjectare poſſis quo modo Rerum Semina in immenſo Inani jactantur;

VARIÆ LECTIONES.

114. *inſerti.* Ita G. Cr. Y. inferti Z. *Alii inſertim fundunt.* fundant X. *radii.* Ita c. G. Cr. Y. radi Z. *Alii* radios

119. *nec.* que G.

120. *Conjicere.* corripere Bm.

NOTÆ.

Ut quæ appellantur in aëre ramenta, quæ cernuntur in iis qui per feneſtras tranſeunt radiis. Lamb. *Cum cumque.* Notandum in primis, pro, quotiescumque. non temere alibi. Fab.

114. *Inſertim fundunt &c.*] Sic omnes Vulgati & Veteres plerique ac Servius, ibi: *Namque canebat &c.* Ecl. vi. Quidam tamen vetus meus & Lambini: *Inſerti*, forte *radii.* Gif. Hunc locum habebat in animo Virg. cum ſcribebat, *Clara per inſertas fundebat luna feneſtras.* de quo tot longæ ῥήσεις, & queis carere poteramus, in ſcholiis veterum. Fab. Quidam Codd. *Inſerti radii:* quæ lectio videtur poſſe aliquo modo e *Servio* confirmari, qui ad 6. Ecl. Virg. ſcribit e Lucretio hæc Corpuſcula *infuſis* per feneſtram *radiis* ſolis videri. Creech. Imo non aliter puto fuiſſe lectum tempore Virg. qui ideo *inſertas* dixit *feneſtras.* Hav.

114. *Per opaca domorum*] per parteis domus opacas. quidam legendum cenſent *per aperta domorum:* ſed errant, meo quidem judicio. Illud admonendus eſt lector, in uno cod. manuſcripto ita legi,

Inſerti fundunt radii:

quam ſcripturam tamen minùs probo. Hunc locum ſpectavit Servius cùm adſcripſit ad illum locum Virgil. in Sileno,

Namque canebat uti, &c.

Omne enim quod eſt, aut continet, aut continetur. & corpus volunt eſſe ἀτόμους, id eſt quaſdam minutiſſimas parteis, quæ τομὴν, id eſt ſectionem, non recipiunt. unde & ἄτομοι dictæ ſunt. quas Lucretius minutiores dixit illis corpuſculis, quæ infuſis per feneſtram radiis ſolis videmus. Lamb. Ita lege, nec illos audi, qui *Per aperta domorum* amant: Creech.

118. *Nec dare pauſam*] nec ipſa ceſſare, nec aliis ceſſandi facultatem dare. *Pauſa* nomen eſt à Græco verbo παύομαι deductum: quod quietem & ceſſationem ſignificat. utitur eodem & lib. 3: 872.

Inter enim jecta eſt vitai pauſa, vageque
Deerrant paſſim motus ab ſenſibus omnes.

ibidem: 943.

Frigida quem ſemel eſt vitaï pauſa ſecuta:

& item alibi. & Lucill.

Hæc ubi dicta dedit, pauſam facit ore loquendi.

Ennius p. 146.

--- *Pauſam facit ore fremendi.*

ſuprà libro ii. 748.

Neque pauſam ſtare fragori. Lamb.

119. *Conciliis, & diſcidiis*] Sic legendum ex auctoritate trium librorum manuſcriptorum, & non-

Quale ſit, in magno jactari ſemper Inani,
Duntaxat rerum magnarum parva poteſt res
Exemplare dare, & veſtigia notitiaï.
Hoc etiam magis haec animum te advertere par eſt
Corpora quae in Solis radiis turbare videntur:
Quod tales turbae motus quoque Materiaï
Significant clandeſtinos, caecoſque ſubeſſe.

Mul-

INTERPRETATIO.

uſque adeò Parva Res poteſt dare Imaginem magnarum rerum, atque aliqua indicia quibus res magnas deprehendere valeamus. Attentius verò hæc Corpora quæ in radiis Solis agitata vides oportet Te contemplari, quoniam iſtorum agitationes argumento ſunt quoſdam eſſe Seminum ipſorum motus, licet ſenſibus non appareant: Videbis enim multa ex iſtis corpuſculis clandeſtinis ictibus percuſſa commutare priſtinum iter,

VARIÆ LECTIONES.

121. *Quale ſit.* Quidve ſit V. Quide ſit G. quare ſic Bm. X.
124. *magis hæc.* mage ad hæc. C. E. N. P. magis huc Q 1. magis hoc X.
125. *turbare.* turbata Q 1.

NOTÆ.

nonnullorum impreſſorum. *diſcidium* autem quid ſit, ſuprà diximus. Præter ea porro quæ ibi diximus, non pigebit me lectorem admonere, ſic eſſe ſcriptam hanc vocem in vocabulario illo Claud. Puteani, eique hanc continuo interpretationem ſubjungi: *diſcidium*, *χωρισμός*. *diſcidium* inquit, id eſt *ſeparatio*, *& divortium.* Nam *diſcidium* etiam pro divortio inter virum & uxorem uſurpatur. Lamb.

119. *Exercita*] fatigata, agitata. ſic Nonius in voce *exercitum.* Terent. Adelph. 4: 2: 48.

Ego te hodie exercebo, ſilicernium.

Virgil. lib. 3: 182. Æneidos,

--- *Nate Iliacis exercite fatis.*

Suetonius de Tiberio: *Pueritiam habuit laborioſam, & exercitam*, (al. *exercitatam.*] Lamb.

120. *Conjicere ut poſſis ex hoc*] ut poſſis ex hoc parvorum corpuſculorum concurſu & conflictu, quæ per opacas domorum parteis ſolis radiis illuſtratas, infuſis per feneſtras, jactantur, conjicere, quo pacto primordia rerum per inane jactentur. Lamb.

121. *Quale ſit*] Senſus, Ut facile intelligas quale illud ſit quod dico, ſcilicet, Prima corpora in magno Inani agitari. Fab.

122. *Duntaxat*] Quære, licet, in toto Latio exemplum non reperies hujus ſignificationis: Nam τὸ *duntaxat* hoc loco non ſignificat μόνον, aut γοῦν, ut vulgo, neque, ut Giſanius, *ſcilicet:* ſed, *uſque adeo*, Epiphonema eſt. Latini ſermonis amatores notabunt. Fab.

123. *Exemplare*] exemplar, ſpecimen. Lamb.

123. *Et veſtigia notitiaï*] & veſtigia, quibus ad eorum, quæ de primordiis rerum dicimus, intelligentiam & cognitionem pervenire poſſis. Lamb. Exemplar. quæ nunc nomina in AR exeunt, omnino decurtata ſunt; nam olim in *are* exibant. Fab.

124. *Hoc etiam magis hæc*] Sic legendum, & ita ſcriptum eſt in tribus libris calamo exaratis. neque verò eſt, quod quiſquam hoc loquendi genus improbet, ut inſolens, *advertere animum hæc*, pro *advertere animum ad hæc.* ſic enim loquebantur antiqui: cujuſmodi illa ſunt, *adigere arbitrum*, & *adigere jusjurandum*, pro *adigere ad arbitrum*, & *adigere ad jusjurandum.* tale eſt illud Horatianum epiſt. 18. lib. 1. *Propugnat nugis*, id eſt. *pugnat pro nugis.* ad quem locum, ſi tibi commodum eſt, lege quæ annotavimus. Lamb. Marullus contra veteres libros ſcripſerat: *huc.* Gif.

125. *Turbare*] id eſt, turbas excitare, tumultuari. nam *turbare* hoc loco abſolutum eſt. ſic Virgil. lib. 6: 800.

Et

Multa videbis enim plagis ibi percita caecis
Commutare viam, retroque repulſa reverti
Nunc huc, nunc illuc, in cunctas denique parteis.
Scilicet hic à Principiis eſt omnibus error.
  Primá moventur enim per ſe Primordia rerum;
Inde ea, quae parvo ſunt Corpora conciliatu,
Et quaſi proxima ſunt ad vireis Principiorum,

I-

INTERPRETATIO.

modo rejecta retro, modo in hanc, modo in illam, & denique in omnes partes impelli: Hic ſcilicet vagus motus ipſis Seminibus debetur. Semina enim prima per ſe moventur. Inde Concreta quæ minima mole ſunt, & quæ ad ipſa Principia quaſi proximè accedunt, clandeſtinis Seminum ictibus impulſa. agitantur.

VARIÆ LECTIONES.

130. *Denique.* undique A. marg. G. V. P. *Gaſſ.*
133. *conciliatu.* conciliata Q 1. Y, Z.
134. *quaſi* quæ Q 1.

NOTÆ.

Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili.

Et Terent. Hec. 4: 4: 12.

--- *dum ne reducam, turbent porro quam velint.*

turbent (inquit Donatus) id eſt, errent, & tumultuentur. Lucret. eod lib. infr. 238.

Aut ex offenſu cum turbant corpore in ipſo Semina.

ex quo illud imperſonale apud Virg. Tityro, 12.

--- *undique totis*
Uſque adeo turbatur agris.

ubi alii malè ſcribunt *turbamur.* Lamb. Trepidare, motari. Fab.

126. *Quod tales turbæ*] Hujuſmodi agitatio tumultuaria nullam habere poteſt cauſam, niſi motum impreſſum à principiis: quid igitur de Principiis ipſis dixeris? Quæ ſequuntur, rem in aperto ſtatuent: ſunt enim clariſſimæ perſpicuitatis. Fab.

127. *Cæcos*] obſcuros, & latenteis. Virg. Æneid. 6: 30.

Cæca regens filo veſtigia.

M. Tull. lib. 2: de orat. ad Qu. fratr. *Res cæcas & ab aſpectus judicio remotas.* *Idem* Lucret. infra proximo verſu,

Plagis ibi percita cæcis.

& ita ſæpe. Lamb.

130. *In cunctas denique parteis*] Quidam libri ſcripti manu habent,

In cunctas undique parteis. Lamb.

131. *Scilicet hic à principiis*] id eſt, ſcilicet hoc modu jactantur & errant cetera omnia, ducto a principiis, ſeu a corporibus primis, motionis initio. vel ſic: hic vagus motus corpuſculorum omnium, quæ ſub ſenſus noſtros cadunt, à primordiis & corporibus primis naſcitur. hæc mihi videtur hujus vulgatæ ſcripturæ, quæ etiam in codicib. antiquis reperitur, ſententia. Quidam autem ſic legi volunt,

Scilicet hic & princip. eſt omnibus error,

ut ſit hæc ſententia: Quippe etiam *principia*, i. corpora prima, hoc modo jactantur & vagantur, quo modo minuta illa corpuſcula, quæ in ſolis radiis inter ſe certare & deprœliari videntur. Lamb.

133. *Parvo ſunt conciliatu*] id eſt, parva mole conſtant, paucorum primordiorum congreſſu concreta ſunt. Lamb. In quodam Vet. Cod. noſtro;

Ictibus illorum caecis impulſa cientur:
Ipſaque, quae porro paullo majora, laceſſunt.
Sic à Principiis adſcendit motus, & exit
Paullatim noſtros ad ſenſus, ut moveantur
Illa quoque, in Solis quae lumine cernere quimus;
Nec quibus id faciant Plagis adparet aperte.
Nunc, quae Mobilitas ſit reddita Materiaï

Cor-

INTERPRETATIO.

Illaque Concreta moles majores laceſſunt. Sic a Seminibus ipſis motus aſcendit, & paullatim exit ad noſtros ſenſus (fit ſenſibilis) ut illa Corpuſcula, quæ in radiis ſolis oculis uſurpare poſſumus, moveantur, at quibus ictibus agitantur videre minimè valeamus. Nunc quanta ſit Seminum in movendo pernicitas,

VARIÆ LECTIONES.

135. *Ictibus.* letibus Q. *cientur.* gientur Y. Z. *ſed in* Y. *altera lectio eſt repos. eraſa priori, in* Z. *ſuperſcrib. o ſuper literam primam.*
136. *Ipſaque.* ictaque A. marg. c. Q 1. ipſa Q 2. Y. *majora.* majore Q 1.
137. *adſcendit.* oſtendit. Bm.
140. *Nec.* Ne Z.

NOTÆ.

ſtro: *corpore conciliata.* Gif. Vis ratiocinationis, Quanto minora corpora & ſimpliciora concreta ſunt, tanto &, ceteris paribus, agilior motus eſt, *&c.* atomus per ſe ipſa movetur, & ab illius motu concreta minora, *&c.* Fab.

134. *Et quaſi*] Libri: *Ecquæ.* Gif. *Et quaſi proxima ſunt*] Quo enim propius ad ſimplicitatem principiorum accedunt concreta, tanto facilius moventur. Fab.

136. *Ipſaque, quæ porrò*] id eſt, & hæc ipſa, ea dico, quæ ſunt ab aliis icta & impulſa, laceſſunt ea quæ deinceps paullo ſunt majora. in duobus libris manuſcriptis reperi ſcriptum, *Ictaque, quæ,* &c. quam ſcripturam non ſum ſecutus, interpretationem verborum Lucretianorum eſſe ſuſpicatus, ab aliquo ſtudioſo lectore aſcriptam: deinde ab imperito librario in locum rectæ ſuppoſitam. Nam *ipſa* intelligenda ſunt ea corpora, quæ ictibus aliorum impulſa cientur, ſeu (ut tribus verbis dicam) corpora ab illis icta. Lamb.

137. *A principiis aſcendit motus*] Ergo motus impreſſus & naturalis atomo. ſed id jam ſuperius. Fab.

137. *Aſcendit*] Marg. noſtra: *abſcedit,* haud male. Preig.

137. *Et exit paull. noſtr.*] ut motum illum oculis cernamus, aliove ſenſu percipiamus. Lamb.

140. *Ne, quibus id faciant plagis*] Ita ex veteribus libris ſcripſi. *Ne* pro *non.* Vulgati: *Nec.* Gif. *Nec, quibus id faciant pl.*] Sic habent noſtri libri veteres. quod ſi aliter haberent, tamen ſic legendum eſſet. Hoc eo adſcripſi, quod Thraſo dicat ſcriptum eſſe in ſuis lib. veteribus, *Ne*: idque approbans ait poſitum pro *non.* quo nihil ad hunc locum ineptius eſſe poteſt. Lamb. Adde, nam ratiocinationi aliquid deeſt, adde, inquam, *Niſi à motu principiorum.* Fab.

141. *Nunc quæ mobilitas*] Nunc docere parat, quanta mobilitate prædita ſint prima corpora: idque argumento, ſeu comparatione à minori. Lamb.

141. *Reddita*] id eſt attributa: ut ſupra hoc eodem lib. 95.

— *Nimirum nulla quies eſt*
Reddita corporibus.

ibidem, non longe à principio, 64.

— *Quæve ſit ollis*
Reddita mobilitas.

&

Corporibus, paucis licet hinc cognoſcere, Memmi.
Primum Aurora novo quom ſpargit lumine terras,
Et variae volucres nemora avia pervolitantes
Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent:
Quam ſubito ſoleat Sol ortus tempore tali
Conveſtire ſua perfundens omnia luce,
Omnibus in promptu, manifeſtumque eſſe videmus.

At

INTERPRETATIO.

hinc licet O Memmi *facile colligere, Principio cum Aurora nova luce perfundit Terras, & variæ volucres pervolitantes avia nemora, loca implent cantibus per liquidum Aëra ſonoris, nemo eſt qui non perſpicit quam ſubito, & pene puncto temporis Sol tunc ortus omnia ſua luce cooperit & conſpergit:*

VARIÆ LECTIONES.

147. *Perfundens.* Profundens A. marg. P.

NOTÆ.

& infra eodem lib. 757.

Præterea ſi nulla coloris principiis eſt
Reddita natura.

& lib. 1. 204.

Si non, materies quia rebus reddita certa eſt
Gignundis.

ibidem. 578.

Denique jam quoniam generatim reddita finis
Creſcendi rebus conſtat, &c.

ibidem. 629.

Porro ſi nulla eſt frangendis reddita finis
Corporibus.

& libr. 3: 618.

Si non certa loca ad naſcendum reddita cuique
Sunt.

& libr. 5: 619.

Non (inquam) ſimplex his rebus reddita cauſa eſt. Lamb.

Nunc oſtendet quanta motus celeritas in principiis ſit. Sunt autem verſus plane admirabiles. Fab. Ad declarandam Celeritatem Atomorum Solaris lucis trajectionem per tanta hæc ſpatia adeo celerem tanquam Argumentum a minori v. 26. inducit. Lucem e moleculis quibuſdam ex Sole, ipſo fonte Lucis, profluentibus conſtare ſentiebant Epicuræi, has inſuper moleculas conſtare e principiis diverſis motibus agitatis, unde communis molecularum motus tardior fit & remiſſior, denique per Aërem non invenire viam, ſed facere; & Aërearum particularum occurſu retardari: Semina vero ſimplicia eſſe Corpora, non privatis partium ſuarum motibus impedita, & per Liberum Inane deferri: Et hinc concludunt Radios Solis cum ſunt tenuiſſimæ quædam Atomorum contexturæ, quæ in unum motum non omnes conſentiunt, neque per ſpatium plane liberum tendant, concedere debere celeritate ipſis Atomis, cùm & ſolutæ, & ſpatio penitus libero feruntur. καὶ μὲν καὶ ἡ διὰ τοῦ κενοῦ φορὰ κατὰ μηδεμίαν ἀπάντησιν τῶν ἀντικοψάντων γινομένη πᾶν μῆκος περίληπτον ἐν ἀπερινοήτῳ χρόνῳ συντελεῖ, &c. Epicurus ad Herodotum. Creech.

143. *Primum aurora novo, &c.*] Hunc locum mutuatus eſt Virgil. libro 4. Æneid. 584.

Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens aurora cubile. Lamb.

In Macrob. lib. vi. cap. 1.

Cum primum aurora reſpergit

Male, ut puto, contra omnes libros. Gif. Argumentatur à minori ad majus; ſi enim tanta mobilitas per plenum, certe per ſpatium minus liberum, uti aer eſt, &c. quanta igitur per Inane? Fab. Macrobius olim, *Cum primum Aurora reſpergit.* Creech.

144. *Nemora avia pervolit.*] Etiam hunc locum mutuatus eſt libr. 8. 24. Æneid. in princip.

At Vapor is, quem Sol mittit, lumenque ſerenum,
Non per Inane meat vacuum, quò tardiùs ire
Cogitur, aërias quaſi quom diverberet undas:
Nec ſingillatim corpuſcula quaeque Vaporis,

Sed

INTERPRETATIO.

At Radius ille quem Sol emittit non tranſit per Inane, ideoque tardior fit illius motus, quoniam dividit Aërem, & removet. Nec ſunt prima nuda Semina quæ iſtum radium Lucis conſtituunt,

VARIÆ LECTIONES.

149. *At.* Ac Q. Ut Q 1.

151. *Quaſi cum.* Quo ſi. G. Y. Z. *ſed in Z.* ſudum *adſcribitur.* quod Sal. A. B. C. D. E. I. N. P. Q. Bm. Quaſi dum. A. marg. *Gaſſ.* V. S. in Q. addit. hinc Virg. de Dædalo, qui evolavit per aera, Æn. 6: 16. *gelidos enarit ad arctos:* & de terreſtri itinere idem Virg. Æn. 4: 613. *terris adnare licebit*, & de terreſtri itinere Sil. lib. III: 662. *has obſervatis valles enavimus aſtris.*

152. *Vaporis.* vapores N. X.

NOTÆ.

Omnia pervolitat late loca, jamque ſub auras
Erigitur.

Iterum Lucret. infra: 346.

Et quæ pervolgant nemora avia pervolitantes.
Lamb.

145. *Aëra tenerum*] Ut ſupra, *teneras aëris auras; liquidum, cedentem,* μαλακὸν, &c. Fab.

145. *Liquidis vocibus*] Horatius hinc, Carm. 1: 2. 4: 3. *Cui liquidam pater vocem cum cithara dedit.* Fab. Et Virg. Georg. 410.

Tum liquidas *Corvi preſſo ter gutture voces*
Aut quater ingeminant. Creech.

147. *Conveſtire*] Translatio. ſic poëta quidam vetus apud M. Tull. Tuſcul. 3.

--- *Herbis prata conveſtirier,* Lamb. Virgilius Æn. 6: 640.

Largior hic Campos æther & lumine veſtit. Creech.

148. *Omnibus in promptu*] ante oculos omnium poſitum, omnibus apertum: ἐπιπολῆς ἐςίν. Lamb.

149. *At vapor*] vapor, id eſt calor, ut ſæpe alias. argumentum eſt, ut dicebam, a minori, hoc modo: Si calor & lumen ſolis, quæ ipſa conſtant ex corporibus primis, tam citò meant per ſpatium, quod non eſt inane: quanto citiùs credibile eſt corpora prima per inane deorſum moveri? ad hanc autem ſententiam pertinent illa, quæ ſunt libr. 6: 956.

Et tempeſtates terra, cæloque coortæ,
E cælo emotæ, terraque, repente faceſſunt.

Præterea quod dicit hìc Lucretius vaporem & lumen à ſole mitti, idem fere dicitur infra, 210. aliis verbis:

Sol etiam ſummo de vertice diſſupat omneis
Ardorem in parteis, & lumine conſerit arva.

idemque de igne ſupra lib. 1: 664.

Æſtifer ignis uti lumen jacit, atque vaporem.
Lamb.

150. *Quo*] Quamobrem. Fab.

151. *Aërias quaſi dum diverb.*] Tres libri manuſcripti. & aliquot typis impreſſi: utrique Aldini, Pariſienſes, utrique Lugdunenſes, habent, *quod ſol diverb. undas.* Pontanus legebat, *aërias quaſi dum.* atque hæc ſcriptura reperitur in cod. Bertin. & Memm. ex qua, ſi conjecturam facere liceret, ego exiſtimarem legendum,

Aërias quaſi tum diverberet undas.

Verumtamen eam, quam ſecutus ſum, ſcripturam rectam & veram eſſe puto: cujus ſententia non eſt obſcura. hoc enim ſignificat: vapor, id eſt calor, quem ſol mittit, non tranſit per inane vacuum. idcirco tardius ire cogitur, interea dum undas aërias, id eſt humidum & caliginoſum aërem,

Sed complexa meant inter ſe, conque globata.
Quapropter ſimul inter ſe retrahuntur, & extra
Officiuntur, uti cogantur tardiùs ire.
At, quae ſunt ſolida Primordia ſimplicitate,

Quom

INTERPRETATIO.

& per aërem tranſeunt, ſed moleculæ quædam ex iſtis Seminibus compoſitæ, ideoque & ab internis diverſis ſuorum principiorum motibus tardatur, & ab externis Corporibus ita impeditur Radius, ut tardius ire cogatur. At Semina Solida & ſimplicia

VARIÆ LECTIONES.

154. *Retrahuntur.* turbantur C. E. O. Q 1. tardantur L. trahuntur X. Y. Z.

NOTÆ.

rem, permeando, quaſi diverberat. Lamb. Id eſt aerem, liquidum. Gif. *Id eſt*, aërem liquidum, inquit Giſanius: peſſime: neque enim argumentationis vim animadvertit. Deinde deterrimam lectionem ſecutus eſt, hanc ſcilicet: *aërias quod ſol diverberet undas.* Sed hic morari nolim: illud *quaſi* plane neceſſarium eſt, debetque jungi cum *undas*, hoc ſenſu, quem tibi, Lector, probatum iri confido: At calor ille ſolis, quantumvis celer ſit, tamen cogitur meare per aërem turbidum, & *quaſi undoſum*, propter ventos, & acceſſum deceſſumque exhalationum, quæ perpetuo in illum recipiuntur: Præterea corpora primordialia ſingillatim, divulſa alia ab aliis jactantur; at corpora lucis & caloris ex globo ſolis manantia meant complexa, συμπλεχθέντα, inter ſe ſe, ac conglobata, inde itaque fit, ut tardius eant. Fab. Gaſſendus, & Codd. *quaſi dum:* Alii *Quod Sol:* Quam tanquam peſſimam lectionem *Faber* rejicit, & ex voce illa *undas* mira extorquet; Calor ille Solis quantumvis celer ſit, tamen cogitur meare per Aërem turbidum, & *quaſi undoſum*, propter ventos & acceſſum deceſſumque exhalationum, quæ in illum perpetuo recipiuntur. Creech.

152. *Corpuſcula quæque vaporis*] Sic legendum, non *vapores*, ut habent omnes fere codices vulgati, & nonnulli veteres. ſed veritas & ratio *vaporis* efflagitant. Lamb. Ita in veteribus noſtris. In aliis & Vulgatis: *vapores.* mendoſe. Gif.

153. *Complexa*] Compoſitum nomen eſt à *con* & *plexa*, ut *perplexa*, *implexa*: non participium à verbo *complector.* Lamb.

154. *Simul inter ſe retrahuntur*] Sic legendum eſt, ſi auctoritatem quatuor librorum manuſcriptorum, quibuſcum conſentiunt impreſſi Pariſ. Veneti antiquiores, ſequimur. denique hanc ſcripturam agnoſcit Priſcianus lib. 8. Sed ego, & libris omnibus repugnantibus, & Priſciano, ſi hîc mendo caret, reclamante, *tardantur* legendum puto, ſententia longè planiore, & concinniore. Quin Priſcianum, & libros Lucretianos corruptos eſſe arbitror: & à Lucretio ac Priſciano *tardantur* ſcriptum eſſe exiſtimo. Verumtamen judicent hac de re eruditi. Lamb. Legendum putat Lambinus *tardantur*, *vel libris omnibus*, inquit, *reclamantibus*; miror. neque enim unquam melius Lucretius locutus eſt. Qui in anguſto aditu, cum magna hominum multitudo eſt, συνωθίσθησαν, ii facile vident, nullum dubitandi locum fuiſſe. Fab. Reclamantibus omnibus libris, *Lambinus* legit *Tardantur:* Faber libros ſequitur, & addit, nunquam melius *Lucretius* locutus eſt; Qui in anguſto aditu, cum magna hominum multitudo eſt, συνωθίσθησαν, illi facile vident nullum dubitandi locum fuiſſe. Hæc ille, ſed rem ipſam non attigit: Semina quæ Corpora rara, qualia ſunt radii Solis, conſtituunt, cita diſſilire, & longe recurſare aſſerit *Lucretius*, Horum vero diſſilientium longeque recurſantium communem motum tardiorem fore quis non percipit, ideoque Semina inter ſe *retrahi?* Creech.

154. *Et extra*] Dum enim effunduntur ex globo ſolis, undiquaque ab ambiente aëre officiuntur. Fab.

155. *Officiuntur*] Mire ex verbo abſoluto *officio*, patiens fecit *officior.* id quod notat Priſcianus eo quem dixi libro. hinc participium *offectus*: Lucret.

libr.

Quom per Inane meant Vacuum, nec res remoratur
Ulla foris, atque ipſa ſuis è partibus unum,
Unum in quem coepere locum connixa feruntur:
Debent nimirum praecellere Mobilitate,
Et multo citius ferri, quam lumina Solis:

Mul-

INTERPETATIO.

cum per purum Inane moventur, nec ulla res externa impedit, cum ſint quid unum, & ſimplex; non e partibus diverſo motu agitatis compoſita, in eum in quem primum tendunt locum uno ſimplici impetu feruntur, debent maxima pernicitate præcellere, & multo celerius moveri quam Solis radii,

VARIÆ LECTIONES.

157. *Res remoratur.* res ſemor autem G. res ceremoravit Q 1. res remorata eſt, Q 2. necreſcere moravit Y. nec res ſe remoravit Z. creſcere moræ Bm. ne creſcere mora eſt Q. nec creſcere mora eſt X.

158. *foris.* foras N. *Atque ipſa.* Quin ipſa F.

159. *in quem.* inquam Z. *connixa.* conexa G. C. M. P. Y. Z. connexa Q 1. convexa Q 2. *feruntur.* ferantur F.

NOTÆ.

libr. 5: 774.

Quove modo ſoleant offecto lumine obire.

officiuntur autem valet *obſtando & officiendo impediuntur.* ſic M. Tull. à verbo *obſtrepo*, fecit *obſtrepor.* ſic enim ille orat. pro M. Marcello: *Aut dum leguntur, obſtrepi clamore militum videntur.* Lamb. Miror, inquit Interpres, ex verbo abſoluto, patiens fieri. Sed nonne dicebant, *Ille aut ille nocetur*; quod idem eſt. Fab.

157. *Res remoratur*] *Creſcere moræ* B. vitioſe, ut & *ſe remoretur.* Creech.

158. *Suis è partibus unum*] id eſt, effecta unum corpus, atque unum totum è ſuis partibus. hoc dicit, non quod ſignificare velit, corpora prima partibus conſtare, ſed ut oſtendat eſſe infracta, ac ſolidiſſima. ſic ſupra lib. 1: 336.

Quæ minimis ſtipata cohærent partibus arcte:
Non ex ullorum conventu conciliata,
Sed magis æterna pollentia ſimplicitate. Lamb.

159. *Connixa*] Sic legendum, non *connexa:* quanquam reclamantibus omnibus libr. manuſcript. & impreſſis, præter Venetos recentiores. Lamb. *Connixa* in veteribus quibuſdam. Vulgati: *connexa.* ut & Marull. Gif. Hic locus vulgo male explicatur, qui ſcilicet male legatur; Sic enim emendari oportuit,

At, quæ ſunt ſolidâ primordia ſimplicitate,
Cum per Inane meant vacuum, nec res remoratur
Ulla foris, QUIN *ipſa ſuis è partibus unum,*
Unum, in quem cœpere locum connixa FERANTUR.

Natus autem error eſt ἐκ τῆς παρορασίας ſcriptoris librarii, qui ante oculos habebat verſum illum, *At quæ* ..... Docti viderint, Docti, inquam. Fab. *Emend.* Recte: Et fruſtra *Connexa* legitur. Creech. *Suis è partibus unum, unum in quem connixa locum*, &c.] Satis in Emendationibus, ubi de Palillogia, &c. oſtendimus, quâ ratione hic locus intelligendus eſſet: ſed quia deprehendi aliter ſentire Lambinum, ejus verba proferam, *Id eſt, effecta unum corpus, atque unum totum è ſuis partibus. hoc dicit, non quod ſignificare velit, corpora prima partibus conſtare, ſed ut oſtendat eſſe infracta, ac ſolidiſſima.* fallitur. hoc tantum: ſatis enim eſſe debet quod errorem indicavi: eſt quippe mera Palillogia. Vide Emendationes. Ejus figuræ occaſione fiet ut loci cujuſdam apud Ovidium in Amor. lib. III. Eleg. XIV. emendationem proponam. Poëmatii argumentum eſt, ut ſi peccatura ſit puella, occulte peccet.

Mens abit & morior, quoties peccaſſe fateris,
Perque meos artus frigida gutta fluit.

Mox

Multiplexque loci ſpatium tranſcurrere eodem
Tempore, quo Solis pervolgant fulgura coelum:
Nam neque conſilio debent tardata morari,
Nec perſcrutari Primordia ſingula quaeque,
Ut videant, qua quidque geratur cum ratione.

At

INTERPRETATIO.

& multo majus ſpatium tranſire eo tempore quo Lux Solis ſpatium inter Cælum & Terram perfundit: Profectò enim Principia non matura aliqua deliberatione habita tardius movent, nec conſilium ineunt ut ſe ſuoſque motus regant, & diſponant.

VARIÆ LECTIONES.

162. *Multiplexque.* multipliceſque G. multipliciſque A. B. D. F. I. Q. 1.
164. Deeſt in omnibus Mſtis. & Q.
165. *Perſcrutari.* Perfectari G. perfectari A. marg. C. O. V. Y. Z.

NOTÆ.

Mox addit,

Tunc amo, tunc odi fruſtra quod amare neceſſe eſt,
Tunc ego, ſed tecum, mortuus eſſe velim.

In tertio verſu illud *amo*, locum habere, ſi quis judicium conſulat, non putabit; id enim res ipſa indicat; legendum crediderim, *Tunc ah! tunc odi fruſtra quod amare neceſſe eſt.* Fab.

162. *Multiplexque loci ſpatium*] Cod. Vaticanus habet *Multiplicesque:* ex qua ſcriptura ſuſpicari poſſit aliquis, legendum *multiplicisque loci ſpatium:* ego tamen vulgatam lectionem retineo. Lamb. *Multipliciſque loci.* Ita ex quibuſdam veteribus ſcripſi. Ut & inf. iv. 208. In aliis: *Multiplexque.* Gif. Arridet magis altera lectio, *multipliciſque loci ſpatium*, &c. ex MSS. Codd. Fab. legat qui velit *Multipliciſque.* Creech.

163. *Pervolgant*] celebrant, complent. Lamb. Plane ut *concelebrant* in I. replent, conveſtiunt, perfundunt, &c. Lamb. & Fab. Ita veterem poëtam apud Varr. dixiſſe *litus pervolgans*, docet Turneb. Adv. 23: 16. Hav.

163. *Solis fulgura*] ſolis fulgores, ſeu lumina. nam *fulgur* & *fulgor* idem valent, præſertim apud Lucr. Lamb. Lux, ſplendor, nitor, &c. Fab.

164. *Conſilio*] τῇ προαιρέσει. mendoſe in quibuſdam libris legitur *Concilio.* ſignificat enim, non eſſe προαίρεσιν, id eſt conſilium, in corporibus primis, neque illa conſultò aut moveri, aut tardari. Sic ſupra lib. 1: 1021.

Nam certè neque conſilio primordia rerum
Se ordine quæque ſuo, atque ſagaci mente locarunt. Lamb.

Hic verſus deëſt in quodam vetere noſtro. Gif. Neque enim dixerit quiſpiam, principia dum inter ſe ſe deliberant quæ prima, quæ ſecunda ferantur, ceſſare, morari. Fab. Hunc verſum quidam Codd. non agnoſcunt, & in ſequenti verſu pro *Perſcrutari* exhibent *Perſectari.* Qui retinet, Fabri explicatione fruatur: Neque enim dixerit quiſpiam, Principia dum inter ſe deliberent quæ prima, quæ ſecunda ferantur, ceſſare, morari: Qui rejicit, eo modo quo poteſt, explicet. Creech. *Nam neque conſilio.* Margo noſter: Abeſt hic verſus merito ab omnibus MSS. Verum quæ iſta erit connexio? quis ſenſus: *Primordia, quæ ſolida ſunt ſimplicitate*, verſ. 157. *debent præcellere mobilitate* vſ. 160. *nec perſcrutari primordia*, &c. rectone? an accuſandi caſu poſita poſtrema hoc vox? male igitur rejicitur hic verſus, qui ad ſanum ſenſum conſtituendum requiritur. Atque is demum hic eſt: Nam primordia, neque *concilio* (quæ lectio mihi magis placet) morari, hoc eſt inſtar ſenatus alicujus conſeſſum aliquem agere, neque *res ſingulas perſcrutari* coguntur, ut diliberent, diſpiciant, ac *videant, qua ratione quæque gerantur.* Preig.

165. *Nec perſcrut. prim.*] id eſt, nec primordia debent ſingula quæque perſcrutari, ut videant,

At quidam contra haec, Ignari: Materiaï
Naturam non poſſe Deûm ſine numine reddi
Tantopere humanis rationibus admoderate,

Tem-

INTERPRETATIO.

At ſtupidi quidam & ignari huic dogmati repugnant, creduntque ipſam nudam materiam ſine ope & providentia non poſſe Hominum utilitati & neceſſitatibus tam commodè inſervire,

VARIÆ LECTIONES.

168. *reddi.* Ita c. G. P. Q. V. X. Y. Z. *Alii* rentur.

169. *Tantopere.* tanto opere G. *admoderate.* Ita G. V. K. Cr. X. at moderate Y. Z. ſed in Z. ſuperſcrib. *admoderare.* ac moderate, C. E. N. P. Cr. At moderatis Q. 1. at moderatis *Reliqui.*

NOTÆ.

deant, &c. In nonnullis libris vulgatis & antiquis legitur, *Nec perſectari.* Lamb.

166. *Geratur*] adminiſtretur à natura, vel lege *genatur*, id eſt gignatur. Quòd autem Thraſo hoc loco *geratur*, interpretatur *gignatur*, *procudatur*, *ſeu producatur*, primùm veritate victus fatetur tacitè legendum eſſe *genatur:* deinde facit intelligendo, ut nihil intelligat: poſtremò ſuam linguæ Latinæ inſcientiam indicat ac declarat. Lamb. Lambinus: *genatur*, male. Vide Indicem: *Geri.* Gif.

167. *At quidam*] Hæc diſputantur in Platonem, & in Stoicos: qui mundum à Deo creatum eſſe, & ejus providentia gubernari volunt, non ut Epicurus, qui ex atomorum concurſione fortuita hunc mundi pulcherrimum ornatum eſſe perfectum, & ſine ulla divina providentia aut opera æquabilem, & ratum, & immutabilem rerum omnium ordinem conſervari exiſtimat. quam Epicuri ſententiam ſic inſectatur & refellit M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. *An cùm machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut ſphæram, ut horas, ut alia permulta; non dubitamus, quin illa opera ſint rationis: cum autem impetum cæli admirabili cum celeritate moveri, vertique videamus, conſtantiſſimè conficientem viciſſitudines anniverſarias cum ſumma ſalute & conſervatione rerum omnium; dubitamus, quin ea non ſolum ratione fiant, ſed etiam excellenti quadam divinaque ratione?* Idem eod. lib. paullo ſuperius: *Iſti autem quemadmodum aſſeverant, ex corpuſculis non colore, non qualitate aliqua, quam ποιότητα Græci vocant, non ſenſu præditis, ſed concurrentibus temere, & caſu, mundum eſſe perfectum, vel innumerabileis potius in omni puncto temporis alios naſci, alios interire? Quod ſi mundum efficere poteſt concurſus atomorum: cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non poteſt? quæ ſunt minus operoſa, & multo quidem faciliora.* Heraclitus autem, κόσμον (inquit) οὔτε τις θεῶν, οὔτε τις ἀνθρώπων ἐποίησεν: id eſt, *mundum neque quiſquam Deorum, neque quiſquam hominum effecit. Quaſi metueret* (inquit Plutarchus) *ne à Deo abjudicata, id eſt hoc judicato, Deum non eſſe mundi opificem, ſuſpicari poſſet aliquis, hominem eſſe ejus effectorem. Sed præſtat nos* (inquit ille) *Platoni fidem habenteis & prædicare, & canere, hunc mundum à Deo eſſe conditum. Mundus enim omnium quæ ſunt, pulcherrimum quiddam eſt: Deus omnium cauſarum efficientium, cauſa eſt optima.* Lamb. Contra Stoicos, Academicos & aſſertores providentiæ. Materiæ naturam, id eſt, materiam ipſam. Fab. Providentiæ impotentiſſimus impugnator *Lucretius* ſcommata quædam v. 16. effundit contra eos qui Materiam inertem dicùnt, & non vi ſua aut neceſſitate naturæ, ſed mente Divina motam eſſe & diſpoſitam, Rudem deinde materiam ſine ulla arte aut conſilio hunc Mundum poſſe conſtituere, eaque perficere opera, quæ vulgus Hominum Rationi & Providentiæ attribuit, Voluptatem eſſe ducem vitæ Hominum, illius nutu omnes regi & Gubernari, nec Hominum cauſa Mundum hunc, aut quidvis aliud a Deo fieri audacter & impie affirmat: Denique promittit ſe olim oſtenſurum Compagem Mundi tam ineptam, inconcinnam, & vitic-

Tempora mutare annorum, frugeſque creare:
Nec jam caetera, mortaleis quae ſuadet adire,
Ipſaque deducit dux vitae Dia Voluptas,

Ut

INTERPRETATIO.

varias Anni tempeſtates facere, fructus producere, cæteraque peragere, ad quæ ipſa voluptas vitæ magiſtra & gubernatrix Homines ducit, & perficere impellit:

VARIÆ LECTIONES.

171. *Nec jam.* Et jam, A. B. D. L. Bm. N. Q. X. Y. Z. *cætera.* quæ cæt. Z. *quæ ſuadet.* ſuadet Z.
172. *Deducit.* deducet G.

NOTÆ.

tioſam eſſe, ut Divina ſapientia ſit prorſus indigna; Quid fecerit hic Promiſſor tanto hiatu dignum lib. 5. videbimus, interim quanto Sapientior Ille qui *Cœlos Dei gloriam enarrare* dixit! Creech.

168. *Reddi*] Hæc conſtans MSS. Lugd. Bat. eſt ſcriptura, unde patet, neque *rentur* hic ferri poſſe, neque aliter quam *admoderate* legi in verſu ſequenti debere. Quidam, inquit, ignari, ſtulti, objiciunt Naturam tam admoderate reddi non poſſe rebus humanis ſine Deûm numine &c. fingunt Deos hæc omniaque conſtituiſſe. Hav.

169. *Tantopere humanis*] Tam compoſitis, quæque humanæ prudentiæ rationibus ſimiles ſint. Fab. Cum Salmaſio tamen e MSS. rectius forſan legatur pro *Ac moderatis*, *Admoderate humanis rationibus:* i. e. ut Humanæ rationes poſtulant: Et hæc Interpretatio optime reſpondet v. 174.

---- *Quorum omnia cauſa* ---
Conſtituiſſe Deos fingunt --- Creech.

169. *Ac moderatis*] Ordo verborum eſt: rentur materiæ naturam non poſſe annorum tempora mutare, frugeſque creare, ſine Deorum numine, rationibus tantopere humanis. i. tam humanis, tamque prope ad rationem humanam accedentibus, & tam moderatis, id eſt tam temperatis, conſtantibus, ratis, & certis. ſic autem hunc locum reſtitui, cum vulgo legatur *ac moderate*, veterum codicum auctoritate fretus, & tamen nonnihil etiam conjectura ductus. Lamb. Sic editum de conjectura Lambini, cum antea eſſet: *ac moderate.* Ms. maximi patris & nobiliſſimi filii Voſſiorum: *humanis rationibus atmoderate.* Nimirum ſcribendum eſt:

Tantopere humanis rationibus admoderate.

i. accommodate, attemperate, voce Terentiana, opportune, ſic ut rationes neceſſitateſque humanæ exigunt. Vulgatæ quidem ne ſenſus conſtat. Gron. *Obſ. lib.* III. *Cap.* VI. Ex ſcripto codice plane legendum opinor: *admoderate.* Putant, inquit, qui τὴν πρόνοιαν aſſerunt, ſine divino numine tempora annorum mutari non poſſe admoderate humanis rationibus, id eſt, prout humanæ rationes poſtulant. *Admoderate*, ut *adtemperate* apud Comicum: Andr. 5: 4: 13. *Adtemperate venit in ipſis nuptiis.* Tantopere admoderate, adeo conſentanee humanis rationibns. Nec *admoderare*, nec *admoderari* ſatis placet. SALMAS. EPIST. XLVIII. Haud diſſimili loquendi forma Horatius dixit: *Naturæ convenienter vivere*, &c. Preig.

171. *Et jam cetera mortaleis*, *&c.*] id eſt, jam etiam cetera, ad quæ diva voluptas homines quaſi manu ducit, nempe ut per res Venereas genus ſuum propagent, ne genus humanum funditus intereat, repete ἀπὸ κοινοῦ, rentur illi materiam efficere, aut conſequi non poſſe ſine Deorum nutu, voluntate, ac providentia. Quidam legendum putant, *Nec tam cetera*, ſubintelligentes *rentur naturam materiæ poſſe*, &c. Quæ ſcriptura eodem recidit. Lamb.

172. *Dux vitæ d. vol.*] Voluptas, quam homines, atque adeò omnes animantes ducem ſequuntur, aut certè ſequi debent. Volunt enim Epicurei omnia in hac vita ad voluptatem, tanquam ad finem, eſſe referenda. Lamb.

173. *Res per Veneris*] per complexum Venereum,

Ut res per Veneris blanditim ſaecla propagent,
Ne genus occidat Humanum: Quorum omnia cauſa
Conſtituiſſe Deos fingunt, ſed in omnibus rebus
Magnopere à vera lapſi ratione videntur.
Nam quamvis rerum ignorem Primordia quae ſint,
Hoc tamen ex ipſis Coeli rationibus auſim
Confirmare, aliiſque ex rebus reddere multis,
Nequaquam nobis Divinitus eſſe creatam
Na-

INTERPRETATIO.

nempe coire, Veneriſque blanditiis illectos ſpeciem ſuam propagare, Ne pereat Humanum Genus, propter quos fingunt Deos cuncta effeciſſe: At in hac opinione plurimum falluntur: Etſi enim non eſſet origo rerum mihi optime perſpecta, tamen ex ipſa Coeli conſideratione, aliiſque rebus infinitis probare poſſum, Mundum hunc

VARIÆ LECTIONES.

173. *Ut.* Et Q. *blanditim.* blanditur G. Y. Z. blanditum N. X.
175. *Fingunt; ſed in omnibus.* confingunt; omnibus A. B. I. P. cum fingunt omnibus G. L. Y. Z. fingunt omnibus Q.
176. *Magnopere.* Magno opere G.
181. *Quæ tanta eſt.* Quanquam hæc ſunt c. P. C. O. --- ſint B. Q. quanquam prædita culpa G. Y. Z.

NOTÆ.

reum. ſic loquitur infra eod. lib. 473.

Aut juvat egrediens genitaleis per Veneris res.

ibid. 922.

Inter ſeſe ullam rem gignere conveniendo
Per Veneris res, &c.

& libro quinto: 922.

Nec reperire cibum, nec jungi per Veneris res. Lamb.

Τὰ Ἀφροδίσια. ut *res ſacras* τὰ Θεῖα dixit Severus in Ætna vſ. 463. teſte Scaligero. Hav.

173. *Blanditim*] id eſt Blandiendo. *blanditim* dictum, ut *exſultim*, *inſertim*, *curſim*, *raptim*. *blanditim* autem eſſe legendum conjeci ex ſcriptura, quæ reperitur in uno vetuſtiſſ. codice, *blanditir*. *blanditir* enim factum ex *blanditiz*, quod valet *blanditim*: ut ſupra *raptis* ex *raptim*. reperi & in alio *blanditum*. Lamb. *Blanditim*. Ita Lambinus, rectiſſime. Vulgo & in aliis veteribus: *blanditum*. Gif.

174. *Quorum*] In nomine poſſeſſivo *humanum*, primitivum incluſum eſt *hominum*, ut ſit *genus humanum* pro *genus hominum*: & ita conveniet provocabulum relativum *quorum*. Lamb. Hominum. antea tamen *humanum genus* dixerat; ſed numerum mutavit. jam ſupra. Fab.

175. *Cum fingunt*] Sic nunc edendum curavi, codicem Bertinianum, & Memmian. & Vatic. ſecutus, in quibus ſcriptum eſt *confingunt*. ſententia autem & ordo verborum eſt: quorum (hominum) cauſa cum fingunt Deos omnia conſtituiſſe, omnibus in reb. magnopere videntur à vera ratione aberrare. Lamb. *Confingunt*] Ita veteres libri. Marullus: *fingunt, ſed in omnibus.* Videbatur illi nimis abruptum illud: *Omnibus.* Ego libros ſequor. Nam & ita ſæpe. Forte etiam legendum: *cum fingunt.* Gif.

177. *Nam quamvis rerum*] Etiam libro quinto, hi qui deinceps ſequuntur, ſex verſus ponuntur. Lamb. Quaſi diceret, Si etiam principia rerum phyſicarum ignorarem, tamen ex conſideratione cœli ipſius, in quo iſti curioſos deos ſtatuunt quaſi in ſpecula; ex univerſa meteorologia, & infinitis aliis oſtendere poſſem, &c. Fab.

178.

Naturam mundi, quae tanta eſt praedita culpa:
Quae tibi poſterius, MEMMI, faciemus aperta.
Nunc id quod ſupereſt de Motibus expediemus.
  Nunc locus eſt (ut opinor) in his illud quoque rebus
Confirmare Tibi, nullam rem poſſe ſua vi
Corpoream ſurſum ferri, ſurſumque meare.
Ne tibi dent in eo Flammarum corpora fraudem:
Surſum enim vorſus gignuntur, & augmina ſumunt:

Et

INTERPRETATIO.

tam vitioſum, tot defectibus laborantem a Diis non fuiſſe factum: Hæc vero omnia, O Memmi, *Tibi olim explicabo, nunc Opus propoſitum implebo, & doctrinam de motibus exponam: Jam opportuna eſt occaſio, ut puto, oſtendere nullum Corpus ſua vi, & naturaliter ſurſum ferri, ne forſan motu flammæ deceptus id credas fieri. Nam cum generetur, & cum incrementum ſumat Flamma,*

VARIÆ LECTIONES.

183. Rejicit *Lambinus.*
184. *Illud quoque.* quoque illud Y. Z.
186. *meare.* meari. Q. X. Y. Z.
187. *Ne.* Nec *Lamb.*
188. *In eo.* timeo A. marg. C. E. P. Q. X.

NOTÆ.

178. *Ex ipſis cæli rationibus*] Sic loquitur libro primo: 50.

Nam tibi de ſumma cæli ratione, Deûmque
Differere incipiam. LAMB.

179. *Reddere*] ἀποδιδόναι, oſtendere, ob oculos ponere, colligere. LAMB. Oſtendere, probare, docere. alibi. FAB.

180. *Nequaquam nob. divinit. &c.*] Sic libro tertio: 14.

Nam ſimul ac ratio tua cœpit vociferari,
Naturam rerum haud divinitus eſſe coortam, &c. al. *creatam.* LAMB.

181. *Quæ tanta eſt*] *Quamque hæc ſint* B. CREECH.

183. *Nunc id quod ſ.*] Hic verſus videtur ſupervacaneus, minimeque Lucretianus. LAMB. Hunc verſum ὀβελίζει Dionyſ. recte opinor. FAB. Hunc verſum rejicit *Lambinus*, an merito Alii judicent, certe nec ſupervacaneus eſt, nec Lucretio indignus: Olim affirmaverat Semina omnia deorsùm tendere, & omnem motum ſurſum eſſe violentum, idem urget v. 33. & docet nullum Corpus, ne Ignem quidem ipſum, naturaliter ſurſum ferri, ſed vi aliorum Corporum extrudi, eodem modo quo ſuccus in Arboribus, Sanguis e venis exiliens & Trabs Aquis immerſa; Quis enim dubitat & ſuccum iſtum, & Sanguinem, & Trabem iſtam in *Inani* deorſum tendere, licet Alter per Truncum aſcendat, Alter e venis emicet, & altera ex undis emergat: Obſervat denique Radios Solis ad Terram deorſum tendere, Stellas etiam, Meteora ignita, & Fulmina in Terras cadere, & concludit Flammam non vi ſua, ſed Corporum extrudentium impulſu ſurſum ferri: καὶ τὰ πρῶτα μὲν ἁπλᾶ, καὶ τὰ ἐξ ἐκείνων συγκρίματα βάρος ἔχει: Plutarchus 1. Plac. Phil. Cap. 12. Et ſimplicius docet Epicuri fuiſſe ſententiam ἅπαν σῶμα βάρος ἔχειν, τῶν δὲ τὰ βαρύτερα ὑφιζάνειν, τὰ ἧττον βαρέα ὑπ' ἐκείνων ἐκθλίβεσθαι ἐπὶ τὸ ἄνω· CREECH.

184. *Nunc locus eſt*] Nunc conatur docere, omnià corpora, ſua vi, & natura deorſum ferri: quod ſi qua ſurſum interdum ferantur, eum motum eſſe violentum, atque ab ipſorum natura alienum. Sed videtur hic legendum, *Nunc opus eſt*, &c. Verumtamen nihil auſim mutare. LAMB.

185. *Sua vi*] Naturaliter. Nam nec ignis quidem

Et ſurſum nitidae Fruges, Arbuſtaque creſcunt,
Pondera quantum in ſe eſt, quom deorſum cuncta ferantur.
Nec quom ſubſiliunt Ignes ad tecta domorum,
Et celeri flamma deguſtant tigna, trabeiſque,
Sponte ſua facere id, ſine vi ſubigente, putandum eſt:
Quod

INTERPRETATIO.

ſurſum tendit; lætæ etiam Segetes, & Arbores creſcunt ſurſum, licet omnia pondera (qualia ſunt Segetes & Arbores) deorſum vi ſua & naturaliter tendant: Neque credendum eſt, cum Ignes ad tecta domorum aſcendant, & veloci flamma trabes & tigna abſumant, id propria ſua vi, & naturaliter, nulla vi cogente facere,

VARIÆ LECTIONES.

189. *augmina.* agmina G. Q. X.
190. *nitidæ.* itidem Q.
192. *tigna.* ſigna Z. *ſed ſuperſcrib.* ſigna.
193. *ſubigente.* ſubjecta, A. B. C. E. I. N. P. Y. Z.

NOTÆ.

dem ſine vi, ſine expreſſione ſeu extruſione alta petit. nullum enim corpus ſurſum fertur naturaliter. Fab. Ciceronis de Epicuri hac opinione locum illuſtrat Turneb. in Operib. pag. 229. Hav.

187. *Nec tibi dent. in eo f.*] id eſt, nec te in eo inducant, nec tibi ſint fraudi, & cogant te credere, non omnia corpora ſua ſponte deorſum ferri. Lamb. *In eo*] Ita ex veteribus noſtris ſcripſi. Vulgati: *timeo.* Gif. Sic legendum eſt, non, ut vulgo, *timeo:* quam ſcripturam in ſecunda editione repræſentavimus à Turnebo admoniti, cum eam in libris noſtris veterib. repertam, in prima per imprudentiam, & aliud agentes prætermiſiſſemus. Lamb. *Nec* Alii, vitioſe: & imperite. *Timeo* pro *in eo* legit Nardius. Creech.

188. *Et ſurſum nit.*] Solutio eſt. reſpondet autem hoc modo: quid tum poſtea, ſi flammæ ſurſum moventur? Etiam fruges & arbores ſurſum creſcunt, cum tamen omnia corpora, quantum in ipſis eſt, deorſum moveantur. Lamb.

189. *Augmina ſum.*] augeſcunt. Lamb.

189. *Surſus enim verſus gignuntur*] In vet. quibuſdam: *Gignunt.* Gif. Eſt tacita ἀνθυποφορὰ, Surſum enim, inquies, fertur ignis; ad quam verſu ſequenti reſpondet, Sed fruges & arbores in altum feruntur, propter vim ſubigentem quæ è terra prorumpens in altum creſcere cogit, cum tamen omnia pondera naturaliter (quantum in ſe eſt) ferantur deorſum. Fab.

Nitidæ fr.] Sup. lib. 1: 253.

At nitidæ ſurgunt fruges, &c. Lamb.

191. *Subſiliunt*] ſurſum ſaliunt. Itaque malim legi *ſuſſiliunt. ſuſſum* enim dicebant antiqui pro *ſurſum*, & *deoſſum* pro *deorſum.* Lamb. Bene Lambinus, videndum autem an in tota lingua Latina verbum *ſubſilire* locum habeat. *Suſſilire* procul omni dubio non a præpoſitione *ſub*, ſed *ſuſo ſuſum*, quod *ſurſum valet*, ſuam ſignificationem mutuatur. Preig.

192. *Deguſtant*] Tranſlatio eſt. depaſcuntur, abſumunt, lambunt, ut loquitur Horat. ſatyr. 5. lib. 1: 38.

Nam vaga, per veterem dilapſo flamma culinam
Vulcano, ſummum properabat lambere tectum. Lamb.

Hanc metaphoram ad telum tranſtulit Virgil. Æn. 12: 376. *& ſummum deguſtat volnere corpus.* Alio autem loco *bibere* dixit, de ſagitta Æn. 11: 804. *virgineumque alte bibit acta cruorem.* Fab.

193. *Sine vi ſubjecta putandum eſt*] Ita etiam in libris noſtris, & aliis etiam vulgatis. Lambinus ex uno codice: *ſubigente.* Eſt pro dactylo. Vide Indicem: *Verſus.* Gif. *Sine vi ſubigente.*] Sic reſtitui ab uno cod. manuſcr. adjutus, cum in aliis omnibus libris legeretur, *ſine vi ſubjecta*, plane mendoſe; quod homo barbarus probat,

cum

Quod genus, è noſtro quom miſſus corpore Sanguis
Emicat exſultans altè, ſpargitque cruorem.
Nonne vides etiam, quanta vi Tigna Trabeiſque
Reſpuat humor Aquae? nam quam magis urſimus altum
Directa, & magna vi multi preſſimus aegre;

Tam

INTERPRETATIO.

ſed eodem modo, quo Sanguis e vena ſecta emicat exultans alte, & Cruorem late ſpargit: Nonne etiam cernere licet quanta vi Aqua tigna & trabes rejicit? quo magis enim alte mergimus, multaque vi laborantes in profundum deprimimus,

VARIÆ LECTIONES.

197. *Quam.* quo C. E. G. Bm. V. X. Y. Z. *urſimus.* Ita a. B. c. O. Q1. *Codd. Pii. &* Y. *a pr. m. ſed a ſec.* urgimus. urguimu N. urgimus C. E. Bm. P. Q. X. mur. G. merſimus *Lamb. aliique. altum.* alte A. B. P. Q1. alta Q. X. altu Y. Z.

198. *magna.* multa Q. X.

NOTÆ.

cum ſyllaba poſtrema vocis *ſubjecta*, longa ſit. Quid eſt autem tam perverſum, aut inſcitum, quod non probet ac recipiat ſtupor cum impudentia & arrogantia conjunctus. LAMB. Ita Lambinus uno MS. adjutus. Alii Omnes *Subjecta.* CREECH.

194. *Quod genus*] id eſt quale eſt, ſeu cujus generis eſt. ſic ſæpe alibi loquitur, exempli gratia, lib. 3: 222.

> *Quod genus, aut Bacchi cum flos evanuit, aut cum*

&c. ib. 278.

> *Quod genus, in noſtris membris, & corpore toto*
> *Miſta latens animi vis eſt, animæque poteſtas.*

ib. 432.

> *Quod genus, in ſomnis ſopiti ubi cernimus alta*
> *Exhalare vapore altaria.*

ibid. 596.

> *Quod genus eſt, animo malefactum cum perhibetur.*

libro quarto: 272.

> *Quod genus illa, foris quæ vere tranſpiciuntur,*
> *Janua cum per ſe tranſpectum præbet apertum.*

& libro quinto: 478.

> *Quod genus, in nobis quædam licet in ſtatione*
> *Membra manere tamen, cum ſint ea quæ moveantur.*

& Marcus Tullius libro ſecundo de Invent. *Id faciet, ſi oſtendet aliqua ejus nota & communia officia: quod genus in parenteis, cognatos, amicos,* &c. Idem ibid. *Nam eſt quiddam, quod ſua vi nos alliciat ad ſeſe, non emolumento captans aliquo, ſed trahens ſua dignitate: quod genus, virtus, ſcientia,* Lucill. ſat. libr. 6.

> *Crebræ ut ſcintillæ in ſtricturis: quod genus olim*
> *Ferventi ferro,* &c. LAMB.

Quod genus] Veluti, quemadmodum. FAB.

195. *Cruorem*] Notandum, ſanguis mittit cruorem. aliud enim ſanguis, aliud cruor, aliud inquam, non quod ad ſubſtantiam, ſed πρὸς ἀλλοίωσιν, & frigefactionem. Proprie enim, ubi ex venis effuſus eſt, ſanguis dici amplius ſanguis non debet, ſed cruor. FAB.

196. *Nonne vides etiam, &c.*] Delectatus videtur Lucretius hoc verſuum principio: ut inf. v. 207.

> *Nonne vides longos flammarum ducere tractus?*

& libr. 4: 1297.

> *Nonne vides etiam guttas in ſaxa cadenteis,* &c.

& libr. 5: 601.

> *Nonne vides etiam quam late parvus aquai*
> *Prata riget fons interdum, campiſque redundet?*

ibid. 645.

> *Nonne vides, etiam diverſis nubila ventis,*
> *Diverſas ire in parteis, inferna ſupernis;*

&

Tam cupide ſurſum revomit magis, atque remittit;
Plus ut parte foras emergant, exſiliantque.
Nec tamen haec, quantum eſt in ſe, dubitamus, opinor,
Quin vacuum per Inane deorſum cuncta ferantur.
Sic igitur debent Flammae quoque poſſe per auras
Aëris expreſſae ſurſum ſuccedere; quamquam
Pondera, quantum in ſe eſt, deorſum deducere pugnent:

No-

INTERPRETATIO.

eo majori impetu Aqua rejicit, ita ut plus media ſui parte ſæpe emergant & exiliant: Nemo tamen, puto, dubitat quin hæc omnia (quantum in ſe eſt) propria ſua vi & naturaliter per vacuum Inane deorſum ferrentur. Similiter credendum eſt, Flammas per Aërem expreſſas poſſe aſcendere, licet propria gravitas deorſum deducere contendat:

VARIÆ LECTIONES.

199. *Revomit.* removet A. marg. G. P. Bm. Q. X. Y.
202. *Feruntur.* ferantur C. Cr. D. E. P.
203. *Debent flammæ quoque.* quoque debent flammæ X. Z.
204. *Pondera.* Pondere Z.
205. *in ſe eſt.* eſt in ſe Q. 1. ineſt X. Y. Z.

NOTÆ.

& libro ſexto: 806.

Nonne vides etiam terra quoque ſulfur in ipſa
Gignier? &c. Lamb.

197. *Nam quam magi' merſimus altum*] Sic reſtitui ex auctoritate veterum codicum, partim ex conjectura, *quam magis, tam magis.* ſic loquebantur politi illi ſcriptores, ut ſup. admonuimus. jam hoc *merſimus altum*, ſeu *alte*, ſignificanter & proprie dictum. Itaque quæ *merſa* hic dicuntur, mox dicuntur *emergere.* Atque hoc totum barbarus homo ſequitur, & probat, quaſi ſuum. vulgata autem ſcriptura *urguimus*, inepta eſt. alii *urſimus* reponunt, quod, ſicubi reperitur, natum eſt ex *merſimus.* Lamb. *Nam quam magis urſimus alte*] Ita veteres omnes & Vulgati. Lambinus tamen: *merſimus*, non recte. Gif. *Quam magis urgimus* B. & alii Codd. *urgere* enim apud Veteres ut *Fervere*, Alii *urſimus.* Creech. Ego *urſimus* præfero, mox enim *preſſimus*, non *premimus.* Dein opponitur prius hoc *τῷ revomit*, efficacius quam ſi legas *merſimus*; eſt enim metaphora a cibo deſumpta, quem qui ſumere vult invito ſtomacho, urget per fauces, unde poſtea ſæpius revomitur. Hav.

199. *Revomit*] Alibi ſcriptum eſt *removet*; minus recte. Lamb. Gif. & Creech.

200. *Plus parte*] dimidia parte amplius. Fab.

203. *Sic igitur debent, &c.*] Quemadmodum (inquit) ligna ſponte quidem ſua deorſum feruntur, ſed per expreſſionem quandam, & vi ſubigente, ſurſum moventur, & in aquam merſa, revomuntur, ac rejiciuntur: ita dicendum eſt flammas non ſuapte natura, ſed vi aliqua expreſſas, per auras ſubvolare. *debent ſuccedere*, id eſt credibile eſt ſuccedere: quod eſt ſurſum moveri. Lamb.

204. *Expreſſæ*] ἐκθλιφθεῖσαι, per expreſſionem emiſſæ. Lamb.

204. *Succedere*] Εἰς τὰ ἄνω φέρεσθαι, ſurſum ferri. Fab.

204. *Quamquam*] Quamvis pondera flammæ contendant naturaliter deducere flammam, deprimere, καταβάλλειν, &c. ſed vis ambientis illam exprimit, ἐκθλίβει. itaque graviori & denſiori elemento cedit, non autem ſponte ſua ſurſum fertur. Fab.

205. *Quantum in ſe eſt*] ſua vi. Lamb.

205. *Deducere*] deprimere & deferre flammas. Lamb.

205. *Pugnent*] contendant. tranſlatio eſt. Lamb.

206.

Nocturnaſque faces Coeli ſublime volanteis
Nonne vides longos flammarum ducere tractus,
In quaſcunque dedit parteis Natura meatum?
Non cadere in terram Stellas, & Sidera cernis?
Sol etiam ſummo de vertice diſſupat omneis
Ardorem in parteis, & lumine conſerit arva:
In terras igitur quoque Solis vergitur ardor.

Trans-

INTERPRETATIO.

Nonne etiam cernere licet Ignita noctu Meteora per Aërem volitantia ducere longos flammarum tractus in quaſcunque partes vagari permittit Natura? Nonne vides etiam Stellas & Sidera in Terram cadere? Sol de alto Cœli culmine Calorem flammaſque ſuas in omnes undique Aëris regiones emittit; & agros radiis conſerit; Ignis igitur Ipſius Solis verſum Terras, & deorſum tendit:

VARIÆ LECTIONES.

209. *terram.* terra G. Y. Z.
211. *Arva.* arvem G. forte *orbem* V.
212. *vergitur.* ſpargitur *Quidam*

NOTÆ.

206. *Sublime volanteis*] Sic habent omnes libri tum manuſcripti, tum typis excuſi. quod eò dico, ne quis putet legendum *ſublima*: quod ſcio, quoſdam conatos eſſe, verenteis ne ſyllaba ultima longa ſit. quod longe aliter eſt. ſic enim idem lib. 4: 134.

Quæ multis formata modis ſublime feruntur.

& libr. 6: 96.

Propterea quia concurrunt ſublime volantes Ætheriæ nubes.

& item Virgil. libr. Georg. 3: 108.

Iamque humiles, jamque elati ſublime videntur.

Idem libr. 10: Æneid. 664.

Sed ſublime volans nubi ſe immiſcuit atræ. Lamb.

206. *Nocturnas faces*] Intellige διάττοντας ἀστέρας. *Trajectiones* Latine dicuntur. Fab.

309. *Non cadere, &c.*] Virg. Æn. 2: 9.

--- *Suadentque cadentia ſidera ſomnos.*

atqui ſtellæ in terram non decidunt, ſed ſicci quidam halitus, ſolis & ætheris ignibus accenſi. Lamb. Fallitur, inquies, Epicurus, & cum illo una Lucretius, neque enim ſtellæ cadunt. Ita eſt: ſed muta nomen, pro ſtellis, pinguem, ſulfuroſam & oleaginoſam exhalationem ponito; quod dicit verum erit tamen. Fab. Fallitur, inquies *Epicurus*, & cum illo una *Lucretius*; neque enim Stellæ cadunt; Ita eſt: ſed muta nomen, pro Stellis pinguem, ſulphuream, & oleaginoſam exhalationem ponito, quod dicit verum erit tamen: Hæc *Faber:* Lambinus & Pareus e Virgilio explicant Lucretium,

--- *Suadentque* cadentia *Sidera ſomnum.*

locum inſpice, eoſque viros nihil agere deprehendes. Creech.

210. *Diſſupat*] id eſt diſſipat, & diſpergit. Utitur & M. Tull. in Lælio: *Ea, contrahere amicitiam; diſſupare diſcordiam.* talia ſunt illa, *ſimilare; ſimulare: recuperare, reciperare: exſulium, exſilium.* quamquam *exulium*, non etiam *exſilium* dici poſſe arbitror. Lamb.

211. *Et lumine conſerit arva*] Tranſlatio. *conſerit* enim poſitum tranſlate pro *complet & colluſtrat.* Lamb.

212. *Vergitur*] propendet, profunditur. Virg. lib. 6. Æneid. 244.

--- *invergit vina ſacerdos.*

ad quem locum notat Servius, *veteres in ſacris*

Tranſverſoque volare per imbres Fulmina cernis:
Nunc hinc, nunc illinc abrupti nubibus Ignes,

INTERPRETATIO.

Cernis quoque Fulmina per imbres tranſverſos ferri, Flammæ e nubibus prorumpentes nunc hinc nunc illinc concurrunt:

NOTÆ.

inferorum, vinum ita libare ſolitos, ut patera in in partem lævam converteretur: quod vergere dicebant. Plaut. Curculione 1: 2: 12.

--- *ipſum expeto tangere, invergere in me liquores tuos*
Sino ductim.

quidam tamen legunt, *ſpargitur ardor.* Lamb. Servius ad 12. Æneid. 727.

Quo vergat *Pondere lethum*

Bene *vergat*, nam morientes Inferos petunt. Et hæc melius Lucretium explicant quam illa quæ alii Interpretes ex Servio ad 6. Æneid. 244. proferunt:

--- *Frontique* invergit *vina Sacerdos*,

Vergere eſt converſa in ſiniſtram partem manu ita fundere, ut Patina convertatur, quod in Infernis ſacris fit: Alii legunt *Spargitur.* Creech.

213. *Tranſverſoſque volare, &c.*] Quemadmodum globi ferrei exprimuntur ex fiſtulis æneis. Lamb.

214. *Abrupti nubibus ignes*] Sic Virgil. libr. 3. Æneid. 199.

--- *ingeminant abrupti nubibus ignes.*

Sic Græci πῦρ ἀπιῤῥωγὸς dicunt, id eſt ignem abſciſſum, & qui nubibus ſciſſis erupit. quod notat Turnebus Adverſ. lib. 5. cap. 27. Ne quis autem hoc loco legendum putet *abruptis*, teſtificor, in quatuor libris manuſcriptis, & in pleriſque excuſis legi *abrupti*, non *abruptis.* Et quòd vulgo in codicibus Virgilianis legitur eo, quem ſupra teſtem produxi, loco, *abruptis*, antiqua exemplaria docent legendum *abrupti.* Lamb. Virgilius. Æn. 3: 19. & 6: 459.

--- Erupti *nubibus ignes*
--- Proruptus *Corpore Sudor* ----

& Æneid 3. v. 199. melius ex Codd. vet. legatur

Abrupti *nubibus Ignes*

quam Abruptis. Creech.

216. *Illud in his quoque*] Nunc incipit diſputare de motu tertio, qui fit per declinationem, ſeu κατ' ἔγκλισιν: quam excogitavit Epicurus duas ob cauſas: Primum, quod ſi corpora prima ſuapte natura ad perpendiculum moverentur duntaxat, neque paullum declinarent; numquam inter ſe copularentur, numquam cohærerent, numquam confligerent; & ita numquam quicquam gignerent: deinde, ut fati neceſſitatem vitaret. qua de re ſic M. Tull. libr. 1. de nat. Deorum: *Cùm videret Epicurus, ſi atomi ferrentur in locum inferiorem ſuopte pondere, nihil fore in noſtra poteſtate, quod eſſet earum motus certus & neceſſarius, invenit quo modo neceſſitatem fati effugeret: quod videlicet Democritum fugerat. ait, atomum, cum pondere & gravitate directo deorſum feratur declinare paullulum. Hoc dicere turpius eſt, quam illud quod vult, non poſſe defendere.* Sed proprius hujus diſputationis locus eſt infra verſu 251

Denique ſi ſemper motus connectitur omnis,
Et vetere exoritur ſemper novus ordine certo:
Nec declinando faciunt primordia motus
Principium quoddam, quod fati fœdera rumpat, &c.

ad quem locum plura dicemus. Lamb. Nunc acturus eſt de motu tertio, qui eſt κατ' ἔγκλισιν, quem Epicurus excogitarat ad fati neceſſitatem avertendam. Sed de eo inferius. Fab. De Seminum motu naturali deorſum, & violento ſurſum fuſe Poëta diſputavit: unde autem motus ille violentus niſi ex ictu? at Gravia æquali velocitate ad lineam per Inane deſcendentia nunquam concurrerent, Alia nunquam aſſequerentur alia, proinde nulla foret omnino Generatio, nihilque exiſteret

Deſertum præter ſpatium & Primordia cæca:

Hoc vitio laborabat *Democriti* ſententia, qui unicum tantum motum κατὰ πληγὴν (ita enim legendum, non κατὰ πλάγιον, ut ex Cicerone manifeſtum eſt, qui libro de Fato, *Quandam vim motus*, inquit, *habebunt, Impulſionis, quam Plagam ille appellat, a Te, Epicure, Gravitatis & Ponderis:*) agnovit: Plutarch. de Plac. Phil. l. 1. C.

Concurſant, cadit in terras vis Flammea volgo.
Illud in his quoque Te rebus cognoſcere avemus:

Cor-

INTERPRETATIO.

& Ignis paſſim in Terras decidit. Te etiam O Memmi *cognoſcere magnopere volo*,

VARIÆ LECTIONES.

216. *avemus.* habemus G. Q. X. Y. Z. *ſed in* Z. *corrigitur.*

NOTÆ.

C. 23. Epicurus igitur duas ſpecies motus naturalis conſtituit, Aliam ad Perpendiculum, aliam ad Declinationem, Ἐπίκουρος δύο εἴδη τῆς κινήσεως, τὸ κατὰ στάθμην, καὶ τὸ κατὰ παρέγκλισιν. Plutarchus de Plac. Phil. l. 1. C. 23. Motus hic Declinationis idcirco neceſſarius eſt viſus, quoniam alioquin nullus inter Atomos ictus futurus fuiſſet, nullaque proinde extitiſſet unquam ullius rei generatio. *Cicero in* 1 *lib. de Fin.* Cenſet Epicurus eadem illa Individua & ſolida Corpora ferri ſuo deorſum pondere ad lineam, hunc naturalem eſſe omnium Corporum motum: Deinde ibidem Homo acutus, cum illud occurreret, ſi omnia deorſum e regione ferrentur, &, ut dixi, ad lineam, nunquam fore ut Atomus altera alteram poſſit attingere, itaque attulit rem commentitiam: Declinare dixit Atomum perpaullum quo nihil poſſit fieri minus, ita effici complexiones, & Copulationes, & adhæſiones Atomorum inter ſe, ex quo efficeretur Mundus omneſque partes Mundi quæ in eo ſunt: Hanc ſententiam v. 35. explicat *Lucretius.* Creech.

216. *Cognoſcere avemus*] Non celabo lectorem, quod leve ac nugatorium fortaſſe cuipiam videatur, ſed ei tamen, qui verſatur in lectione librorum calamo exaratorum, magni ſit momenti: in quatuor libris manuſcriptis legi *cognoſcere habemus*, perſpicue mendoſe. quod eo conſilio notavi, ut ſciat lector minus tritus in hujuſmodi libris, primum in eis aſpirationis notam ſæpe eſſe ſupervacaneam; & contra ſæpe deſiderari: deinde ſæpe *b* pro *u*, & *u* pro *b* ſcriptum reperiri: queadmodum & ſupra breviter admonui, nullo exemplo propoſito. Itaque nunc duo exempla hujus rei inſignia afferam: Unum eſt in oratione Cluentiana, quæ vulgo inſcribitur, *pro A. Cluentio Habito:* in quaque paſſim, *A. Cluentius Habitus* cognomento appellatur, cum & *pro A Cluentio Avito* legendum ſit, & *A. Cluentius* cognomento *Avitus* ſit appellandus. Alterum eſt in Catone majore, ubi vulgo legitur: *Audire te arbitror, Scipio, hoſpes tuus habitus Maſſaniſſa, quæ faciat hodie*, &c. cum legendum ſit, *hoſpes tuus avitus.* de quibus locis me admonuit Petr. Faber Toloſanus, vir doctiſs. cum una Romæ eſſemus: idque ſe à Cujacio, juriſconſulto ætatis noſtræ clariſſimo, accepiſſe addidit. Sic infra in principio libr. 3. cod. Vaticanus habet:

> *Quod te imitari habeo. quid enim contendat hirundo*
> *Cycnis?*

cum perſpicuum ſit, legendum eſſe *aveo.* Sic contra *ovire* pro *obire*, & multa ſimilia in eiſdem libris ſæpe reperimus. Lamb. *Cognoſcere avemus*] veteres libri: *habemus*: antique pro *avemus.* Gif.

217. *Rectum per Inane*] Id eſt motu perpendiculari. Ita autem dicitur rectum Inane, ut *recta regione viai.* neque enim neceſſe eſt legere *vaſtum per Inane*, quod cuipiam videatur. Fab. Id eſt motu perpendiculari, ita autem dicitur *Rectum Inane*, ut *Recta regione viai:* neque enim neceſſe eſt legere *Vaſtum per Inane* quod cuipiam videatur. Hæc *Faber.* Alii illam, quam appoſui, Interpretationem ſequuntur. Creech.

218. *Ponderibus propriis*] innata gravitate. *Firme*] Sic habent libri veteres, de qua ſcriptura judicet lector ingenioſus. nam ex vulgatis alii habent *ferme:* alii, *ferri.* Lamb. *Firme*] Ita veteres libri. Vulgati: *ferme* & *ferri.* Gif.

218. *Ferri incerto tempore, incertiſque locis*] Ridiculum plane videri queat quod hoc loco ſcribit Lucretius, prima corpora moveri incerto tempore, incertiſque locis; dices id ad vitandam fati neceſſitatem valere. Intelligo; ſed non minus ridicula aſſertio foret; cum omnia corpora in Inani *æquivelocia* ſint: de quo dubitari non poteſt, cum pondus ferri 20. librarum cum alio pondere ejuſdem materiæ, quod libræ unius ſit, ſi voles, non citius terram attingat, ſi uno eodemque momen-

Corpora quom deorſum rectum per Inane feruntur,
Ponderibus propriis incerto tempore ferme,
Incertiſque locis ſpatio ſe pellere paullum:
Tantum quod Momen mutatum dicere poſſis.
Quod niſi Declinare ſolerent, omnia deorſum,
Im-

INTERPRETATIO.

Corpora cum per Vacuum innata ſua gravitate deorſum ad lineam tendant, aliquo ſaltem tempore, ſed non uno definito, aliqua etiam parte ſpatii, ſed non una definita, a linea vi ſua propria declinare, ita tamen ut motus ad lineam dicatur vel minimum mutatus; Niſi enim declinarent, Omnia deorſum

VARIÆ LECTIONES.

218. *ferme.* firme A. B. L. Q. Y. Z.

219. *ſe pellere.* ſecedere L. depellere M. G. Bm. Q. X. Y. Z. *Sed rectius* ſe pellere A. B. c. D. P. *&* *Lamb. Not.*

220. *momen.* nomen I. minimum A. marg. Bm. C. D. E. G. P. Q. X. *mutatum.* mutatûs *Turnebus* Adv. 16: 2.

NOTÆ.

mento cadere incipiant. Sed uno verbo dicendum eſt, agi hoc loco non de motu primo, ſed tertio, ſeu de clinamine. Fab. *Incerto tempore*, non uno definito, ſed modo hoc modo illo tempore; *Incertis locis*, Aliis atque Aliis: ita moventur Semina tanquam Animalia quæ v. 256.

--- *Declinant motus nec tempore* certo
Nec Regione loci certa, *ſed ubi ipſa tulit Mens:*

ita *Lucretius* malignus Providentiæ hoſtis ſtupida ſua & bruta ſemina tantum non Animo, & voluntate donat: Creech.

219. *Spatio ſe pellere paullum*] Ita veteres libri. In quibuſdam Vulgatis, antique: *depellere.* Marullus, ut Vulgati fere: *decedere*; male, contra veteres libros. Gif. *Spatio ſecedere paullum*] Omnes, quos vidi, libri manuſcripti habent; *ſpatio ſe pellere:* Pariſienſes, & Veneti antiquiores, & Vicetini *depellere*: quos non ſum ſecutus. *decedere* non rejeciſſem cum præſertim quidam teſtentur ſcriptum reperiri etiam in exemplaribus antiquiſſimis, quemadmodum legitur in Florentinis & Venetis recentoribus, niſi pluris feciſſem cujusdam docti viri conjecturam, qui exiſtimat legendum *ſecedere*, ex antiqua ſcriptura *ſe pellere.* quam tamen ipſam verbis Ciceronis confirmare poſſim ex lib. I. de nat. Deorum: *Omnis autem iſta rerum effigies quomodo ex individuis corporibus oritur? quæ etiam ſi eſſent, quæ nulla ſunt, pellere ſe ipſa tamen, & agitari inter ſe concurſu fortaſſe poſſent: formare, figurare, &c. non poſſent.* Quare *ſe pellere* ſcriptura ſit fortaſſis omnium optima & rectiſſima, cum præſertim in omnibus libris antiquis reperiatur expreſſa, ut in prima jam editione indicavi. Lamb.

220. *Tantum quod momen mutatum dic. poſſ.*] Sic repoſui, ſecutus antiquæ ſcripturæ veſtigia. Nam tres quidem manuſcripti codices habent,

Tantum quod momen mutare dicere poſſis.

Bertinianus autem, & Memm. ſine ulla litura, aut diſſenſione, ita ut excudendum curavi,

Tantum quod momen mutatum dicere poſſis.

quibuſcum congruunt Florentini vulgati. Adrian. Turnebus autem legi volebat,

Tantum quod momen mutatûs dicere poſſit.

Et *mutatus* interpretabatur *mutationis*, ut ſit hæc ſententia: vix dicere poſſis levem mutationem eſſe factam. Jam vero *momen* idem valet quod *momentum*, id eſt exiguus motus, ῥοπή. quidam docti putant legendum,

Tantum quo ad momen, &c.

alii quidam,

Tantum quod minimum momentum dicere poſſis.

Appellabat enim minimum illud ſpatium ἐλάχιστον, ut teſtatur M. Tull. de Fato. *Tantum quod* autem

Imbris uti guttae, caderent per Inane profundum:
Nec foret Offenſus natus, nec Plaga creata
Principiis: ita nil unquam Natura creaſſet.
Quod ſi forte aliquis credit Graviora poteſſe
Corpora, quo citius rectum per Inane feruntur,

In-

INTERPRETATIO.

per infinitum Inane, uti Imbris guttæ, ferrentur: Nullus foret inter Semina ictus, nulla plaga, & ſic Natura nullum unquam compoſitum procreaſſet: Si autem aliquis fortaſſe exiſtimet Graviora Corpora utpote celerius per Inane deſcendentia poſſe Levioribus deſuper incidere, & inde Plagas ictuſque fieri,

VARIÆ LECTIONES.

222. *Imbris.* Imbres X. Y. Z.
223. *creata.* crearet X.
225. *ſi.* niſi X
226. *feruntur.* ferantur E. C. N.

NOTÆ.

tem, locutio veteribus uſitata, Plauto, Terentio, M. Tullio, ceteris: quæ idem fere valet quod *niſi quod*, *hoc tantum*, *non amplius quam quod.* de quo ſatis multa in commentar. ad Æmil. Prob. LAMB. *Momen.* Ita veteres libri, rectiſſime. Vulgati: *minimum mutatum.* In quibuſdam veteribus: *mutare.* Forte: *mutatûs*, ut Turnebus, pro *mutationis.* GIF.

220. *Tantum quod momen mutatum dicere poſſis*] Intelligit clinamen ſeu ἔγκλισιν; quod ut explicet, ait intelligi licere, ſi, quam minimam declinationem cogitare potes, eam principiis tribuas. FAB. *Tantum quod.* Exempla abunde congeſſit Lambinus, pro *tantum*, vel *leviſſime*, &c. FAB. *Momen*] Uſus eſt aliquoties & Manilius. FAB. Ita vet. Lib. Turnebus legit *Momen mutatûs*, i. e. mutationis (ut Ipſe Lucret. *In* Commutatum *veniunt*:) ut ſit hæc ſententia, vix dicere poſſis levem mutationem eſſe factam: Alii, *Tantum quoad Momen*: Alii, Quod *Minimum mutatum*: Cicero lib. de Fato, *Cur declinet Atomus* uno minimo, *non declinet duobus aut tribus?* & Lucret. infra v. 243.

--- *Paulum clinare neceſſe eſt*
Corpora, nec plus quam minimum ----

Gaſſendus: *Minimum momentum.* CREECH.

221. *Quod niſi declinare, &c.*] Breviter v. 4. hunc motum declinationis admittendum docet, Alioquin disjuncta ſemper & diſcreta ferrentur ſemina, tanquam Imbris guttæ, nullæ forent adhæſiones. & complexiones Atomorum, & proinde nulla Compoſita. CREECH.

223. *Nec foret offenſus natus*] id eſt, nec corpora prima umquam inter ſe offendiſſent, & conflixiſſent: non eſſet nata occurſatio, aut offenſio atomorum. *offenſus*, id eſt, ut Græci appellant, ἀπάντησις. utitur eodem vocabulo infra eod. lib. 483.

Aut ex offenſu cum turbant corpore in ipſo.

& libr. 4: 306.

Cogit hebeſcere eum crebris offenſibus aër.

& libr. 6: 332.

Non igitur multis offenſibus in remorando
Hæſitat. LAMB.

Offenſus] Occurſatio. FAB.

225. *Quod ſi forte*] Occupatio eſt. Si quis (inquit) forte exiſtimat, graviora corpuſcula, quo citius directo per inane feruntur, eo magis incidere poſſe in ea quae ſunt leviora, & ita plagas quaſdam gignere, quæ motus genitaleis reddere queant, errat. Nam ſi non eſſet inane, per quod moverentur corpora prima, ſed omne eſſet plenum, & in eo pleno moverentur principia rerum: valeret hæc ratio, & diceret aliquid

qui

Incidere è ſupero Levioribus, atque ita Plagas
Gignere, quae poſſint genitaleis reddere motus:
Avius à vera longe ratione recedit.
Nam per Aquas quaecunque cadunt, atque Aëra rarum:
Haec pro ponderibus caſus celerare neceſſe eſt,
Propterea, quia corpus Aquae, naturaque tenuis
Aëris haud poſſunt aeque rem quamque morari,

Sed

INTERPRETATIO.

unde motus rerum genitales orirentur; Ille profecto plurimum & egregie fallitur: Quæcunque per Aquas aut Aërem deſcendunt pro diverſa ratione ponderum celerius aut tardius feruntur, quia Aër & Aqua omnibus Corporibus non æqualiter reſiſtunt, & eorum motus impediunt, ſed facilius a Gravioribus Corporibus dividuntur, & removentur;

VARIÆ LECTIONES.

227. è. ex Q. I. X. Y. Z. *plagas.* plagis C. E. G. P. X. Z. *ſed ſuperſcrip.* plagas *eadem manu:* plag. Y. *ſed in litura.*
228. *motus.* mores c. O. P.
229. *recedit.* recedat Q.
230. *rarum.* Ita V. Y. Z. arum G. *Reliqui* deorſum
231. *celerare.* tolerare quidam Codd. *Pii.*

NOTÆ.

qui ea niteretur, cum perſpicuum ſit, aquam & aërem facilius cedere corporibus gravioribus, quam levioribus. nunc autem cum probaverimus, corpora prima per inane moveri: dicendum eſt, æque celeriter moveri corpora prima leviſſima atque ea quæ ſunt graviſſima. Lamb. Vide notam ad illum locum, *ferri incerto tempore.* Fab. Motum hunc ad Declinationem κίνησιν κατὰ παρέγκλισιν ita deperit *Lucretius*, ut illum nullo modo ſibi extorqueri patietur; idcirco v. 18. acriter inſurgit in eos, qui exiſtimant graviora ſemina per Inane deſcendentia poſſe aſſequi Leviora, & illa percutere; ita ut non opus ſit iſta, quam fingit Seminum declinatione: Aſſerit omnia Semina æquivelocia eſſe, & pari pernicitate per Inane ferri, ideoque illa quæ pone ſubeunt nunquam poſſe aſſequi præcedentia: Medium quidem facere aliquid ad motus accelerationem & pondere inæqualia, cum per Aquam aut Aërem ſuperne deorſum cadant, non æquivelocia eſſe, retardationem, & Corpora ejuſdem materiæ quod falſum eſt, concedit: Vult autem motum eo velociorem ſemper fieri quo ſpatium liberius ſeu inanius eſt, ut ubi ſpatium denique liberrimum inaniſſimumque eſt, motus ſit velociſſimus, & qui plures in eo ſunt motus ii ſint æque veloces. Creech.

225. *Poteſſe*] Antiquum, & tamen integrum, pro *poſſe*, a verbo *potiſſum*, quod valet *poſſum*, ut ſupra diximus. Lamb.

226. *Rectum*] Margo noſtra *rectim.* quod notandum. Preig.

227. *Incidere e ſupero levioribus*] id eſt, incidere in corpora leviora, & propter levitatem tardiora. ſic loquitur infra paucis poſt verſibus: 240.

Haud igitur poterunt levioribus incidere umquam
Ex ſupero graviora, neque ictus gignere per ſe.

Lamb.

227. *Atque ita plagas gignere*] Sic reſtitui, reclamantibus codicibus omnibus, in quibus legitur *plagis gignere*, veritate ipſa hanc ſcripturam flagitante. hoc enim ſignificat, verendum eſſe, ſi omnia corpora prima æque celeriter per inane ferantur, ne numquam alia aliis incidant: atque ita plagas, ſeu ictus non gignant, ex quibus ictibus motus genitales oriantur. meam conjecturam adjuvat ſimilis ille locus, quem paullo ante teſtem produxi 2: 241.

--- Ne-

Sed citius cedunt Gravioribus exſuperata.
At contra nulli de nulla parte, neque ullo
Tempore Inane poteſt Vacuum ſubſiſtere reij,
Quin, ſua quod natura petit, concedere pergat.
Omnia quapropter debent per Inane quietum
Æque ponderibus non aequis concita ferri.
Haud igitur poterunt Levioribus incidere unquam

Ex

INTERPRETATIO.

At e contra Inane *non poteſt ex ulla parte ulli rei reſiſtere, eamque impedire, & ſiſtere: ſed liberum quo feratur ſpatium pro natura ſua ſemper dabit: Igitur per* Inane *non reſiſtens inæqualia Pondera debent æquali velocitate ferri, ideoque Graviora non poſſunt Levioribus deſuper incidere, neque per ſe ictus iſtos facere qui varient motus,*

VARIÆ LECTIONES.

234. *exſuperata.* exſuperatæ A. B. C. P. Q. exuperata P. *in not.* exuperate X.
238. *Quin.* Cum. X.
240. *poterunt,* potuerunt G. X. Y. Z.

NOTÆ.

--- *Neque ictus gignere per ſe,*
Qui varient motus, per quos natura gerat res.
Lamb.

Plagas] Ita Lambinus; ut *gignere ictus.* inf. vſ. 241. In libris: *plagis.* Gif. & Creech.

228. *Genitales reddere motus*] Ita ut res creentur. Fab.

230. *Deorſum*] Alii *Rarum:* quæ vox reſpondet v. 232.

--- *Naturaque tenuis*
Aëris --- Creech.

231. *Pro ponderibus*] pro ratione ponderum, id eſt prout graviora aut leviora ſunt. Lamb.

231. *Caſus celerare*] Caſus ſuos celeriores habere, citius cadere. Fab.

232. *Naturaque tenuis*] In voce *tenuis* duæ ſyllabæ breves habentur pro una longa: vel *u* fit conſonans: quod item fit locis innumerabilibus. Lamb.

233. *Haud poſſunt æque rem quamque*] haud æque, id eſt non æqualiter, non ſimiliter. nam aqua magis ſubſiſtit corporibus, quam aër. hinc fortaſſe fit, ut homines natare poſſint, qui didicerint: volare nunquam: quod aves poſſunt: lignum in aqua exſtet, neque mergatur; in aëre non exſtet, neque quieſcat, ſed deorſum feratur in terram. Lamb. Hæc *Lambinus*, ſed longe alia eſt, eaque ipſa, quam appoſui, Lucretii ſententia. Creech.

234. *Exſuperatæ*] Convenit cum viciniore nomine: *natura.* Gif.

237. *Quin ſua quod natura petit, &c.*] Uſurpavit hunc verſum ſupra in extremo primi libri. *Quin* autem, id eſt, ut non. Lamb. *Quin*] Ut non. Fab.

238. *Inane quietum*] quod nulli rei reſiſtit, nam quo liberius eſt ſpatium, eo velocior ſecundum Epicuræos motus: *καὶ μὴν καὶ ἰσοταχεῖς ἀναγκαῖον τὰς Ἀτόμους εἶναι ὅταν διὰ τοῦ κενοῦ εἰσφέρονται, μηδενὸς ἀντικόπτοντος, οὔτε γὰρ αἱ βαρεῖς θᾶττον οἰσθήσονται τῶν κούφων, ὅταν γε δὴ μηδὲν ἀπαντᾷ αὐταῖς· οὔτε αἱ μικραὶ τῶν μεγάλων, ὡς πάντα πόρον σύμμετρον ἔχουσαι, ὅταν μηδὲν μηδὲ ἐκείναις ἀντικόπτῃ, οὔθ' ἡ εἰς τὸ πλάγιον διὰ τῶν κρούσεων φορὰ, οὔθ' ἡ κάτω διὰ τῶν ἰδίων βαρῶν τῇ ταχύτητι διαφέρει.* Epicurus ad Herodotum. Creech.

239. *Aeque ponderibus non æquis*] Ex hoc verſu emendavi illum, qui eſt lib. I. eo, quem modo commemoravi, loco. Lamb. Series & ſententia eſt; æque feruntur etiamſi æqua pondera non ſint. Fab. *Atque Ponderibus* e ſuis forſan, quos alibi jactat, MSS. Codd. edidit *Fayus*, tales Codd. tam eleganti viro non invideo. Creech.

241. *Per ſe*] id eſt ſolo motu ad Lineam, ſine ulla Declinatione. Creech.

 242.

Ex ſupero Graviora, neque Ictus gignere per ſe,
Qui varient motus, per quos Natura gerat res.
Quare etiam atque etiam paullum clinare neceſſe eſt
Corpora, nec plus quam minimum, ne fingere motus
Obliquos videamur, & id res vera refutet.
Namque hoc in promptu, manifeſtumque eſſe videmus:
Pondera, quantum in ſe eſt, non poſſe Obliqua meare,

Ex

INTERPRETATIO.

per quos Res cunctas Natura producit. Fatendum igitur eſt Semina declinare perpaulum, at quo nihil poſſit fieri minus, ne fingere videamur Semina obliquo motu ferri, & iſtud figmentum Experientia refutet, Omnibus enim manifeſtum eſt Gravia Corpora cum deſcendant ſua gravitate non poſſe oblique ferri; Et hoc ipſi Oculi demonſtrant:

VARIÆ LECTIONES.

242. *gerat.* Ita A. B. D. I. E. L. N. P. Q. *Gaſſ.* Y. Z. genat *Lamb. & alii.* gerit. X.
243. *clinare.* inclinare A marg. C. E. G. N. X. Y. Z.
245. *Ne.* Nec X.
247. *ſe.* delet G. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

242. *Per quos natura gerat res*] id eſt, adminiſtret res. ſed videtur hoc etiam loco legendum *genat*, non *gerat.* nam quos paullo ante motus genitaleis dixit, per eos motus nunc ait naturam res gignere: quæ idem valent. verumtamen nihil muto. Lamb. Ita omnes libri. Lambinus: *genat*, male. Gif. *Genat.* Gifanius & Pareus huic voci, quam deperit Lambinus, nimium quantum infenſi, legunt *Gerat*, quaſi *Genat* non melius reſpondeat v. 228.

Quæ poſſint genitales *reddere motus.* Creech.

243. *Quare etiam atque etiam*] Refutata, quam modo expoſuerat, opinione, concludit v. 8. Semina declinare perpaullum, & quo nihil poteſt minus eſſe, ita etiam ut non *oblique* moveri dicantur: Senſus enim ipſi docent Gravia deorſum tendentia non obliquo motu ferri, At iidem ſenſus non negant Gravia minimum declinare, declinatio enim minor eſt quam ut percipi poſſit; Ideoque cum non refragentur ſenſus, & poſtulet rerum generatio, quæ ſine iſto motu nunquam prorſus foret, Admittenda eſt Seminum Declinatio. Creech.

243. *Paullum clinare*] Libri vulgati, & nonnulli manuſcript. habent *inclinare.* in uno lib. manuſcripto legitur plane *clinare:* quam ſcripturam probo: eamque puto eſſe corruptam ab eo qui putaret verbum *clinandi* non eſſe Latinum, cum ab eo naſcatur vox *clinamen*, qua infra utitur, vſ. 292.

Id facit exiguum clinamen principiorum. Lamb. Ita veteres quidam. In aliis: *inclinare.* Gif. Alii *Inclinare*; ſed quis *Clinare* rejiceret, qui *Clinamen* v. 292. admittit? Creech.

244. *Nec plus quam minimum*] id appellabat Epicurus ἐλάχιςον, ut teſtantur Laërtius, & M. Tull. lib. de Fato. verba M. Tullii ſunt hæc. *Tertius motus, cum declinat atomus intervallo minimo: id appellat ἐλάχιςον.* Lamb. *Nec pluſquam minimum.* Quod antea dixerat, *Tantum quod momen mutatum dicere poſſis.* ἐλάχιςον Epicuro. Fab.

244. *Ne fingere motus*] Huc pertinent illa M. Tullii libro primo de Finib. *Nam & ipſa declinatio ad libidinem fingitur (ait enim declinare atomos ſine cauſa: quo nihil turpius phyſico) & illum motum naturalem omnium ponderum e regione inferiorem locum petentium, ſine cauſa eripuit atomis. Nec tamen id, cujus cauſa hæc finxerat, aſſecutus eſt. Nam ſive omnes atomi declinabunt, nullæ umquam cohæreſcent: ſive aliæ declinabunt, aliæ ſuo nutu recte*

Ex ſupero quom praecipitant, quod cernere poſſis.
Sed nihil omnino recta regione viaï
Declinare, quis eſt, qui poſſit cernere, ſeſe?
Denique ſi ſemper motus connectitur omnis,
Et vetere exoritur ſemper novus ordine certo,
Nec Declinando faciunt Primordia motus
Principium quoddam, quod Fati fœdera rumpat,

Ex

INTERPRETATIO.

At a recta linea perpaulum non declinare quis Oculus tam acutus qui ſentiat. Denique ſi omnis motus ſemper connectatur, certoque ordine & ſerie novus motus e veteri ſemper oriatur, nec Semina Declinando *faciant motus quoddam principium quod Fati catenas rumpat,*

VARIÆ LECTIONES.

248. *quod.* quo c. O. P. *Gaſſ.*
251. *motus.* motu X. Y. Z.
252. Inſerit verſ. 305. G. Sed in Z. deſiderantur ſequentes verſus uſque verſ. 303. *ſemper novus.* novis atque Q 1.
254. *Fati.* quidam codd. ut & Q 1. X. habent *nati* i. e. innati & inſtituti. P. *in not.*

NOTÆ.

cte ferentur: primum erit hoc quaſi provincias atomis dare, quæ recte, quæ oblique ferantur: deinde eadem illa atomorum, in quo etiam Democritus hæret, turbulenta concurſio hunc mundi ornatum efficere non poterit. Lamb.

245. *Ne fingere motus obliquos videamur*] Neque enim naturæ corporis congrueret; At clinamen illud ſuum haud equidem ſcio an vel levicula aliqua probabilitate defendere poſſit Epicurus, Ciceroni certe non videbatur. *Sed*, ait, *quis eſt qui poſſit cernere principia nihil omnino recta regione viai declinare ſe ſe?* Sic ſolet Epicurus ſcilicet; non vides illa non declinare, ergo ita fit ut dico. Argumentatio fallax eſt, etſi alias vera eſſe poſſit. Fab. Modeſte, et motus vel maxime obliquos æquius poſtulâſſet, ſi ſenſuum judicium timeat, abeant iſti moleſti ſenſus, & hoc uno ſe falli patiantur; Non iniquior eſt Poſtulatio: Nam & ipſa Declinatio (*Cicero primo libro de Finibus*) ad libidinem fingitur, ait enim Epicurus Atomos declinare ſine cauſa, quo nihil turpius eſt Phyſico, & illum motum naturalem omnium ponderum e regione inferiorem locum petentium ſine Cauſa eripuit Atomis: Nec tamen id, cujus Cauſa hæc finxerat, aſſequutus eſt. Nam ſive omnes Atomi declinabunt, nullæ unquam cohæreſcent, ſive aliæ declinabunt, aliæ ſuo nutu recte ferentur, primum erit hoc quaſi provincias Atomis dare, quæ recte, quæ oblique ferantur; deinde eadem illa Atomorum, in quo etiam Democritus hæret, turbulenta Concurſio hunc Mundi ornatum efficere non poterit. Creech.

249. *Sed nihil omnino, &c.*] Ordo eſt: ſed quis eſt, qui poſſit cernere, corpora prima nihil omnino ſe de recta regione declinare? implicata oratio: qualis illa eſt, 1: 755.

Quorum utrumque quid a vero jam, diſtet, habebas.

Verbum *declinare* hoc loco jungitur cum quarto caſu, & eſt ἐνεργητικόν; ut apud Virg. lib. Æn. 4:185.

Nec dulci declinat lumina ſomno.

& apud M. Tull. de Fato: *Quæ ergo nova cauſa in natura eſt, quæ declinet atomum?* Lamb.

251. *Denique ſi ſemper*] Si motus unicus eſſet, neque ulla declinatio daretur, unde libertas homini? Fab. Pro Declinatione ſeminum iterum pugnat *Lucretius*, v. 43. Quoſdam motus eſſe

Ex infinito ne cauſam cauſa ſequatur:
Libera per terras unde haec animantibus exſtat,
Unde eſt haec (inquam) fatis avolſa Voluntas,
Per quam progredimur, quo ducit quemque voluptas?

De-

INTERPRETATIO.

et efficiat ut Cauſa ab æterno non ſequatur Cauſam, unde oritur, unde inquam illa Animantium Voluntas libera, & Fati vinculis exempta; cujus nutu huc & illuc pro libitu movemur,

VARIÆ LECTIONES.

255 *ne.* nec X.
257. *voluntas.* voluptas C. E. O. P. X. Y.
258. *quo.* qua X. *quemque.* quæque C. Q. X. *voluptas.* voluntas C. M. c. E. N. P. Q 1. Y.

NOTÆ.

voluntarios omnes ſentiunt, Libertatem in ſe ipſo quilibet percipit, & ſimilem eſſe in aliis Animalibus non inepte conjicit; illa enim videt motus ſuos non certo tempore, certoque ordine peragere, ſed pro libitu variare, & nutu ſuo vivere. Imo cum Carceres ſubito patefiant, tantum non videmus ipſam voluntatem equi prorumpentem & longe præcurrentem antequam moventur Artus: Primo plauſu erigitur, internus Animi motus præceps fertur, dum Spiritus, qui per nervos in ſingula membra dirigendi ſunt, tardius conveniant. Animique motui moroſius obſequantur. Deinde cum externa vi impellimur, aliquid intus latet quod vi iſti obſiſtat & repugnet; Et aliud plane nos agere ſentimus, cum noſtro nutu, quam cum aliorum impulſu moveamur. Unde vero hæc Libertas? Excute Semina ipſa, nihil tale in iis latet, ex motu directo & ad lineam Fati & neceſſitatis Catena nectitur, ex Ictu (ſi poteſt eſſe Ictus ſine Declinatione) eadem ſequitur Neceſſitas. Relinquitur igitur Sola Declinatio cui ſe debeat Libertas. Motum hunc Declinationis *Plutarchus De An. ſolert.* docet ab Epicuro induci, ὅπως εἰς τὴν ζωὴν ἡ τύχη παρεισέλθη, καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν μὴ ἀπολῆται. *Hanc Epicurus rationem induxit ob eam rem quod veritus eſt ne, ſi ſemper Atomus gravitate ferretur naturali & neceſſaria, nihil liberum nobis eſſet, cum ita moveretur Animus, ut Atomorum motu cogeretur:* Et alibi: Epicurus ab Atomis petit præſidium, eaſque de via deducit, & uno tempore ſuſcipit res duas inenodabiles: Unam, ut ſine cauſa fiat aliquid, ex quo exiſtet ut de nihilo quippiam fiat, quod nec Ipſi, nec cuiquam Phyſico placet: Alteram, ut cum duo Individua per inanitatem ferantur, alterum e regione moveatur, alterum declinet: *Cicero de Fato.* CREECH.

254. *Quod fati fœd. rump.*] i. quod tollat fatum, ſeu fati neceſſitatem. Hac de re ſic M. Tull. lib. de Fato: *Sed Epicurus declinatione atomi vitari fati neceſſitatem putat. Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus & plagam, cum declinat atomus intervallo minimo: id appellat* ἐλάχιστον. *Quam declinationem ſine cauſa fieri ſi minus verbis, re cogitur confiteri. non enim atomus ab atomo pulſa declinat. nam qui poteſt pelli alia ab alia, ſi gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua rectis lineis, ut Epicuro placet? Sequitur enim ut ſi alia ab alia numquam depellatur, ne contingat quidem alia aliam. Ex quo efficitur, etiamſi ſit atomus, eaque declinet, declinare ſine cauſa. hanc rationem Epicurus induxit ob eam rem, quod veritus eſt, ne, ſi ſemper atomus gravitate ferretur naturali ac neceſſaria, nihil liberum nobis eſſet, cum ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur.* Legito, ſi vacas, cetera quæ ſequuntur. Huc eodem pertinet locus ille ex lib. I. de nat. Deor. quem paullo ante teſtem produximus: *Velut Epicurus cum videret, ſi atomi ferrentur in locum inferiorem ſuopte pondere, nihil fore in noſtra poteſtate, quod eſſet earum motus certus & neceſſarius, invenit quomodo neceſſitatem fati effugeret, &c.* Eadem de re ſic Plutar. l. πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα· Οὐδὲ γὰρ αὐτοὶ τῷ Ἐπικούρῳ διδόασιν ὑπὲρ τῶν μεγίστων,

σμι-

Declinamus item motus, nec tempore certo,
Nec regione loci certa, ſed ubi ipſa tulit Mens.
Nam dubio procul his rebus ſua quoique Voluntas
Principium dat: & hinc motus per membra rigantur.

Non-

INTERPRETATIO.

motuſque noſtros variamus non certo ſemper (definito) tempore, nec certo ſemper (definito) loco, ſed ubi, & quando ipſi Animo placuit: Dubitari enim non poteſt, quin hi motus initium a Voluntate ſumunt, & poſtea per artus deferuntur:

VARIÆ LECTIONES.

262 *motus.* homines c. O. Q. 1. *rigantur.* geruntur A. B. I. reguntur C. D. O. Q. 1. vagantur. *Gaſſ.*

NOTÆ.

σμικρὸν οὕτω πρᾶγμα καὶ φαῦλον, ἄτομον παρεγκλῖναι μίαν ἐπὶ τοὐλάχιστον, ὅπως ἄστρα, καὶ ζῶα, καὶ τύχη παρεισέλθῃ, καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν μὴ ἀπόληται. Id eſt, *Neque enim ipſi* (Stoici) *dant Epicuro rerum maximarum cauſa, rem tam parvam & levem, atomum unam, declinare minimo intervallo, ut aſtra, & animalia, & fortuna recipiantur, & ut ne libera voluntas ac poteſtas nobis pereat.* Lamb.

255. *Ex infinito ne cauſam*] Atque ita fit fatum. nam fatum nihil aliud eſt, quam εἱρμὸς, ſeu συμπλοκὴ αἰτιῶν τεταγμένη: id eſt *ſeries*, ſeu *connexio cauſarum ordinata*, ſeu *cauſarum inter ſe nexarum æternitas.* Jam qui introducunt cauſarum ſeriem ordinatam ac ſempiternam, ii mentem hominis libera voluntate ſpoliatam, fati neceſſitate devinciunt, ut ſcribit M. Tull. de Fato. Lamb.

257. *Per quam progredimur*] Ita ex veteribus libris deſcripſi, rectiſſime. Verbum: *inquam*, id poſtulat. *voluptas*, legendum. Marullus: *voluntas*, male. Ita & VI. 388. & lib. I. vſ. 141. Gif.

257. *Fatis avolſa voluntas*] id eſt fatis non alligata. Sic autem legendum hoc loco, non, ut in vulgatis, *avolſa voluptas:* ut contra proximi verſus ſcriptura recta eſt,

Per quam progredimur, quo ducit quemque voluptas.

tale enim eſt illud Virgilianum in Alex. Ecl. 2: 65.

--- *trahit ſua quemque voluptas.* Lamb.

259. *Declinamus*] Inclinamus, variamus, dirigimus, & abſurde *Fayus* Vitamus. Creech.

259. *Tempore certo*] Horæ momento, puncto temporis, ἐν ἀκαρεῖ. Fab.

261. *Nam dubio proc. his r. ſ. quoique vol.*] Voluntas eſt principium motus in nobis. ſic Ariſtot. Phyſic. Lamb.

262. *Et hinc motus per membra geruntur*] ſic conjectura ductus ſcripſi; cum in veteribus libris quibuſdam inveniſſem: *reguntur.* Qua in re variatum etiam apud Salluſt. & ſupra lib. I. vſ. 483. Vulgati: *rigantur.* Recte quoque quidam veteres: *vagantur.* Gif. *Et hinc motus per membra vagantur*] Omnes libri typis excuſi, quos quidem viderim, habent, *per membra rigantur.* quam ſcripturam ſi probabimus, erit tranſlatio; & hunc locum ſic explicabo: *hinc*, id eſt à voluntate, *motus rigantur*, id eſt complentur, aluntur, amplificantur, & propagantur. libro quinto: 594.

Quod maria, ac terras omnes, cælumque rigando Compleat.

In duobus lib. manuſcript. ſcriptum eſt,

Per membra vagantur:

cujus ſcripturæ ſententia plana eſt: eamque, ne quid diſſimulem, ceteris antepono. quidam legendum cenſent,

Per membra reguntur:

atque ita legitur in cod. Memmiano, & Tettiano. ex qua ſcriptura, ſi conjecturæ locus eſt, libenter facerem *genuntur*, id eſt gignuntur. quaſi diceret Lucretius, in nobis à voluntate motus proficiſci, atque oriri. quod quidem idem valet, atque id quod & paullo ante dictum à nobis eſt,

&

Nonne vides etiam patefactis tempore puncto
Carceribus, non poſſe tamen prorumpere Equorum
Vim cupidam tam deſubito, quam Mens avet ipſa?
Omnis enim totum per Corpus materiaï
Copia conquiri debet, concita per artus
Omneis, ut ſtudium Mentis connexa ſequatur:

Ut

INTERPRETATIO.

Nonne etiam vides cum ſubito pateſiant Carceres, Equos ad curſum pronos non poſſe prorumpere tam cito quam Animus ipſe vult: Namque particulæ materiæ (Spiritus) quæ motui inſerviunt, ex toto corpore collectæ debent convenire, ut conjunctæ, (vel uno impetu emiſſæ) imperium Voluntatis faciant:

VARIÆ LECTIONES.

263. *tempore.* temporis D. C. E. O. Q. 1. *puncto.* primo *antiq. exemplaria Pii.* Q. 1.
268. *connexa.* connixa A. B. I. Cr. *Gaſſ.*

NOTÆ.

& Ariſtoteles item tradidit, voluntatem eſſe principium & originem motus in nobis. fuit autem lapſus proclivis, ut ex *genuntur*, fieret *geruntur*: deinde ex *geruntur*, modo *reguntur*, modo *rigantur*. Sic autem loquitur alibi, ut ſupra eod. lib. 80.

Ceſſandoque novos rerum progignere motus.

Qui autem *geri motus* pro *creari* Latine dici poſſe putant, in lingua Latina ſunt hoſpites, ne quid gravius dicam. *gerere* dicitur proprie & nutrix, aut mater alumnum, aut filium, & bajulus onus, & qui veſtitus eſt, veſtem; & coloratus colorem, & ſimilia: tranſlate, Imperator bellum, & magiſtratus perſonam publicam, & *negotiorum geſtor*, ſeu procurator, negotia, & ſimilia. *gerere motus* vero pro *creare* aut *gignere motus*, ſcio latine dici nullo modo poſſe, quicquid blaterent Thraſones.

262. *Rigantur*] Gaſſendus *Vagantur*: Alii Reguntur: De Anima Mundi *Manilius*,

--- Cum Spiritus unus
Per cunctas habitet partes, atque irriget *Orbem*
Omnia pervolitans, Corpuſque Animale figuret. Creech.

263. *Nonne vides etiam pateſ. temp. p.*] Virg. Georgic. 1: 512.

Ut cum carceribus ſeſe effudêre quadrigæ, &c. Lamb.

Tempore puncto] Sic veteres libri. Gif.

265. *Vis cupida Equorum*] ut apud Virgilium Æn. 4: 132.

- - Odora Canum vis. Creech.

265. *Tam deſubito*] Idem lib. 3: 643.

Sæpe ita deſubito permiſta cæde calenteis.

Ennius: p. 296.

Cum deſubito me orat mulier, lacrymanſque ad genua accidit.

Plautus Bacch. 1: 1. 46.

Quid ſi apud te veniat deſubito prandium, aut potatio, &c. Lamb.

265. *Quam mens avet ipſa*] Profert hunc locum Nonius, ſed corrupte. ſcriptum eſt enim in exemplis Nonii, *quam mens habet ipſa*, *b* pro *u*, cum aſpiratione ſupervacanea: quæ duo ſæpe peccantur in codicib. manuſcript. ut ſupra diximus. Lamb. *Quam mens avet ipſa*] Quidam veteres, & in Nonio: *habet.* vide Indicem. Gif.

266. *Omnis enim totum, &c.*] v. 6. Motus voluntarios Animalium obiter, nec inepte explicat: Vult ipſe Animus, deinde colligit Spiritus, qui ſibi obſequantur, per nervos in membra dirigit, languidos fovet, novos & vigentes ſubminiſtrat, ita movetur Animal, & continuatur illius motus. Creech.

267. *Conquiri debet*] In quibuſd. lib. manuſcr. ſcriptum eſt *conciri.* quod non temere admoneo, ſed

Ut videas initium motus à Corde creari,
Ex Animique voluntate id procedere primum:
Inde dari porro per totum Corpus, & artus.
Nec ſimile eſt, ut quom impulſi procedimus ictu,
Viribus alterius magnis, magnoque coactu,
Nam tum materiam totius Corporis omnem

INTERPRETATIO.

Unde manifeſtum eſt motûs initium a Corde fieri, & primum procedere ex Voluntate Animi, (qui in Corde ſitus eſt) & inde per totum Corpus, & omnia membra diſpergi. Neque hic motus ſimilis eſt illi quo movemur, cum vi externa & alterius impulſu agimur, tum enim quilibet experitur totam Corporis ſui

VARIÆ LECTIONES.

269. *initium.* initum D. L. P. *Gaſſ.*
274. *materiam.* materiem Q. Y.

NOTÆ.

ſed ut ſciant ſtudioſi lectores, ſæpe à librariis illis poſitum reperiri *c* pro *qu:* ut *aca* pro *aqua*, *delica* pro *deliqua*, & ſimilia. niſi quis dicat, *concîri* eſſe rectum & integrum. de quo judicent eruditi. Omnino *conquiri* magis probo. LAMB.

262. *Conquiri debet*] In quibuſdam veteribus noſtris, & Lambini: *concîri*; ut fortaſſe ita legendum ſit:

--- conciri debet, concita per artus
Omnis, ut &c. --- GIF.

268. *Connexa ſequatur*] Sic habent omnes libri vulgati: quidam ſcripti, *connixa.* LAMB. *Connixa ſequatur.* Sic ex veteribus quibuſdam malui. In aliis: *connexa.* Variatum eſt & ſupra vſ. 159. GIF. Cum Aliis *Connixa* libentius legerem. CREECH.

269. *Ut videas initum motus, &c.*] Sic habent codd. Aldini recentiores, & Pariſ. & Lugdunenſ. utrique, & manuſcript. Bertin. Memm. Tettian. *initum* autem interpretor *ingreſſum*, ſeu *introitum:* ut libr. 1: 13.

Significant initum perculſæ corda tua vi.

alii habent *initium*, ut manuſcript. Vaticanus, & excuſi Vicetini ac Florentini. quam poſteriorem ſcripturam ſi recipimus, in voce *initium*, *i* & *u* coëunt in unam ſyllabam. ſic idem lib. 3: 272.

--- & mobilis illa
Vis, initium motus ab ſe quæ dividit ollis.
LAMB.

271. *Dari porro*] dari porro, id eſt amplificari, ac dilatari, ſeu permanare, diſtribui, didi. ſic fere ſupra dixit, *dare ſe foras*, ad extr. lib. 1. LAMB.

272. *Nec ſimile eſt, &c.*] Quia hoc fit ab invitis: illud ſponte, & voluntate noſtra. Vide Ariſtot. libr. 3. ἠθικ. Νικομ. ubi diſputat περὶ ἑκουσίου καὶ ἀκουσίου. LAMB. Id eſt, longe aliter fit, cum inviti trudimur; eſt enim aliquid in nobis quod repugnet. FAB. Explicatum modo voluntarium motum v. 12. illuſtrat, comparatione facta inter eum & motum violentum; nam motu violento acti vim externam ſentimus, cum nutu noſtro procedamus, nihi tale: Deinde vi externæ repugnat Voluntas noſtra, aliquando etiam vincit; Unde patet eſſe aliquod Principium internum motus, liberum plane, nec ulla neceſſitate vinctum. CREECH.

272. *Procedimus*] Quidam veteres: *procudimus.* GIF.

273. *Viribus alterius*] Significat id quod Ariſtoteles eo, quem modo dixi, loco *βίαιον*, id eſt *violentum* nominat: quod ſic definit ille: Βίαιον, οὗ ἀρχὴ ἔξωθεν, μηδὲν συμβαλλομένου τοῦ πράττοντος. id eſt, *Violentum eſt, cujus principium eſt extrinſecus;*

Perſpicuum eſt nobis invitis ire, rapique,
Donicum eam refraenavit per membra Voluntas.
Jamne vides igitur, quamquam vis extera multos
Pellit, & invitos cogit procedere ſaepe,
Praecipiteiſque rapit, tamen eſſe in pectore noſtro
Quiddam, quod contra pugnare, obſtareque poſſit,
Quojus ad arbitrium quoque copia materiaï

Co-

INTERPRETATIO.

impulſi molem ſe reluctante ferri, donec Voluntas motum iſtum inhibeat, & ſingula Membra ſiſtet. Nonne ergo jam intelligis, quanquam vis externa multos agat, & invitos movere cogat, rapiatque præcipites, Aliquid tamen eſſe in corde noſtro quod iſti impulſui reſiſtere queat, & reluctari, ad cujus nutum Spiritus. (copia materiæ)

VARIÆ LECTIONES.

275. *eſt nobis.* nobis eſt Y.
276. *Donicum eam.* Donec cauſa X. Donec clauſa e. N. *quid. codd. Pii* Q. Donec eam Q 1. Y. *voluntas.* voluptas Q 1.
277. *extera.* extima A. M. C. E. L. N. P. Q 1. extrema Q. Y.
278. *Pellit.* Fallat K. Q. X. Pellat C. P. Y. Cogat C. P. *in not.* Y. X.
280. *quiddam.* quoddam Q.

NOTÆ.

tus, nihil adjuvante eo quod agit. ſumſit autem partem ἀκουσίου, id eſt *ejus quod fit invite.* nam ἀκούσιον dividitur ἐς τὸ δι' ἄγνοιαν, ἐπίλυπον ὂν καὶ ἐν μεταμελείᾳ, καὶ ἐς τὸ βίαιον, id eſt, *in id quod fit per ignorantiam, quod poſtea moleſtum ſit, cujusque pœniteat, & in violentum.* LAMB.

276. *Donicum eam*] eam, nempe materiam. nonnulli libri habent, *Donec clauſa refr.* unde legendum exiſtimavi, *Donicum eam.* Nam vulgati habent, *Donec eam,* &c. LAMB.

277. *Vis extima*] Nonnulli libri habent *extera.* LAMB. *Vis extera*] Ita omnino legendum puto. ex veteribus libris, ut mox: *Externa quaſi vi.* Marullus: *extima,* & ita vulgati, male. GIF. *Extera* melius quam *Extima* Lambini. CREECH.

278. *Cogit*] βιάζεται, ἀναγκάζει. LAMB.

280. *Quiddam*] nempe voluntatem fati neceſſitate ſolutam. LAMB. & FAB.

283. *Et projectæ refr.*] & profuſa reprimitur, & retro quieſcit. LAMB. Concuſſa, profuſa, εἰς τὸ πρόσθεν ὠθοῦνται. FAB. *Projecta*] Quaſi procul rejecta, *Fayus:* Ama Interpretem. CREECH.

284. *Quare in Seminibus, &c.*] E Libertate Voluntatis motum Declinationis v. 10. demum adſtruit; Ex Ictu nunquam naſcetur iſta Libertas. Ictus quippe eſt vis externa, quæ Libertati maxime adverſatur, Pondus, licet ſit principium motus internum, dum tamen deorſum eodem ſemper tenore tendat, non minus adverſatur Libertati, quam ipſe Ictus, Sola igitur reſtat Declinatio, quæ nec certo tempore, nec certo loco facta neceſſitatem iſtam, quam & Ictus & Pondus inducunt, evitat, & rumpit Fati fœdera. CREECH. *Seminibus*] Primis corporibus. FAB.

285. *Eſſe aliam præt. pl. & pond. cauſ.*] nempe declinationem. Perſpicue igitur hoc loco Lucretius ex Epicuri ſententia tertium genus motus, qui fit per declinationem, ponit. LAMB. *Præter plagas*] per quas fit motus ſurſum. LAMB. *Pondera*] ex quibus oritur motus deorſum, qui proprius eſt omnium corporum. LAMB. Plagæ motum ſurſum efficiunt, pondus autem deorſum; tertium autem faciet ἔγκλισις. FAB.

286. *Unde hæc eſt nobis*] a qua declinatione nata eſt in nobis libertas agendi, fati neceſſitate ſoluta. Marcus Tullius libro primo de natura Deorum: *Epicurus cum videret, ſi atomi ferrentur in locum inferiorem ſuopte pondere, nihil fore in noſtra*

pa-

Cogitur interdum flecti per membra, per artus,
Et projecta refraenatur, retroque reſidit?
Quare in Seminibus quoque idem fateare neceſſe eſt,
Eſſe aliam praeter Plagas, & Pondera cauſam
Motibus, unde haec eſt nobis innata poteſtas:
De Nihilo quoniam fieri Nil poſſe videmus.
Pondus enim prohibet, ne Plagis omnia fiant,

Ex-

INTERPRETATIO.

aliquando per nervos in membra emittuntur; emiſſi aliquando inhibentur, & retro fluere coguntur. Et ſi hoc agnoſcas, neceſſe eſt ut fatere eſſe in ipſis Seminibus aliam motuum Cauſam præter Plagas & Pondus, ex qua Cauſa hæc libera facultas innata oritur: Nihil enim fit e Nihilo. *Pondus enim ipſum, quod Seminibus naturale eſt, efficit ut omnia non Ictibus,*

VARIÆ LECTIONES.

283. *reſidit.* reſidat Q. 1. reſidet Q.
286. *nobis.* ollis A marg. E. C. N. illis *priſca exempp. Pii.*

NOTÆ.

poteſtate, quod eſſet eorum motus certus & neceſſarius, invenit quo modo neceſſitatem effugeret. Legendum eſt autem, ut excudendum curavimus, *nobis innata poteſtas*, ut ſcriptum eſt in codice manuſcript. Vaticano & Memmiano: non, ut habent plerique libri excuſi, *ollis innata poteſtas.* LAMB.

286. *Poteſtas*] Facultas qua reſtamus & adverſamur motui coacto. FAB.

287. *De nihilo quoniam, &c.*] At de nihilo eſſet hæc nobis innata quidlibet agendi poteſtas, ſi non eſſet atomorum declinatio. LAMB. Nihil de nihilo fit; at voluntas libera ex primo aut ſecundo motu eſſe non poteſt; Ergo admittendus alius motus, per ἔγκλισιν ſcilicet. FAB. *De nihilo quoniam, &c.*] Id eſt, res non fiunt ex Nihilo, quia Pondus & Ictus Atomorum id impediunt, at Pondus & Ictus Atomorum non faciunt, ut nobis innata ſit Libertas agendi: Hæc *Fayus:* Quibus nihil abſurdius vel ipſe *Fayus.* CREECH.

288. *Pondus enim*] per quod corpora deorſum moventur per ſe, & ſua ſponte: & cum æquali celeritate moveantur, numquam alterum ab altero tangi poteſt. LAMB. Natura ponderis omnia corpora ex æquo deprimit; quare plagis fieri omnia nequeunt; ſed ne mens noſtra neceſſitatem agendi inteſtinam habeat, debet admitti motus per ἔγκλισιν. FAB.

289. *Sed ne res ipſa*] Sic omnes quidem habent libri: ſed legendum puto, *mens ipſa*, vel reclamantibus libris omnibus, ratione hanc ſcripturam, efflagitante. LAMB. *Res ipſa.* Sic omnes libri. Lambinus tamen: *mens.* vid. Indicem: GIF. Palmaria Lambini correctio. MSS. enim omnes habent *res*; quod hoc loco ſtare poſſet ἀναφορικῶς. ſed nihil præceſſit ad quod referri queat. FAB. Codices omnes *Ne Res ipſa*; Iſtis omnibus Codicibus præferenda eſt Lambini conjectura, ſententia ipſa poſtulat, *Mens*: Hunc locum, de quo nihil Interpretes, difficilem exiſtimo & ita explicandum: De nihilo nihil fit, Ergo Libertas voluntatis ex aliquo oritur; quodnam vero iſtud ſit jam inquirendum eſt; Motus Seminum eſt duplex, Alter naturalis deorſum, qui a *Pondere* procedit, Alter violentus ſurſum, qui ab *Ictu*: jam ab *Ictu* Omnia non fieri manifeſtum eſt, quoniam aliquis motus a Pondere procedit; Iſte autem motus qui a *Pondere* procedit, dum ſit naturalis, & eodem ſemper tenore labatur, *Libertati* non magis favet, quam ipſe *Ictus*; Ne igitur Animus, qui ex Seminibus conſtat, neceſſitate aliqua interna, i. e. motu qui a *Pondere* procedit determinetur, ſola poteſt Seminum *Declinatio* efficere, quæ in incerto loco, incerto etiam tem-

Externa quaſi vi, ſed ne Mens ipſa neceſſum
Inteſtinum habeat cunctis in rebus agendis;
Et devicta quaſi cogatur ferre, patique:
Id facit exiguum CLINAMEN Principiorum
Nec regione loci certa, nec tempore certo,
Nec ſtipata magis fuit unquam Materiaï
Copia, nec porro majoribus intervallis.
Nam neque adaugeſcit quidquam, neque deperit inde.

Qua-

INTERPRETATIO.

& quaſi externa vi agantur: Sed ut Mens ipſa interna neceſſitate non determinetur in omnibus ſuis actionibus, & quaſi devicta cogatur pati (nihil pro libitu agat) minimæ iſti declinationi *Seminum, quo neque in certo loco, neque in certo tempore ſit, debetur. Tota Seminum multitudo nunquam magis ſtipata fuit, nec porro majoribus intervallis diſtabat, (nec rarior, nec denſior) numerus enim Seminum nec augeri poteſt, nec diminui:*

VARIÆ LECTIONES.

289. *Externa.* Extrema D. *mens.* res A. B. C. E. N. P. X.
291. *quaſi.* quia Q 1.
294. *fuit unquam.* fultum quam c. P. Q. Y. fultu quam Q 1.

NOTÆ.

pore facta illius *Libertatis* Cauſa eſſe poteſt. CREECH.

289. *Neceſſum inteſtinum*] neceſſitatem inteſtinam, cujus cauſa efficiens eſſet motus atomorum naturalis certus & neceſſarius, qui fit deorſum. LAMB. *Neceſſe* eſt nomen, nam *Neceſſus*, *Neceſſis*, *Neceſſitas*, & *Neceſſum* lectum eſt: Donatus ad Sc. 5. Act. 5. Eunuchi Terent. CREECH.

292. *Exiguum clinamen*] id eſt, minuta declinatio atomorum. *clinamen* autem à verbo *clino*, *as.* ex quo *acclinis.* Horat. ſatyra ſecunda libri ſecundi: 6.

Acclinis falſis animus, &c.

Sic enim legendum eſſe indicavimus, cum vulgo legeretur *Acclivis*, &c. LAMB.

294. *Nec ſtip. mag. fuit umq.*] id eſt, neque contractiora inter ſe, & denſiora umquam principia fuerunt, neque rariora, & diductiora, quam hodie ſunt. LAMB. Id eſt, nec denſior, nec rarior, ἀραιοτέρα. Quod verum; ſed etſi verum id de ſumma ſummarum ſit; de mundis variis aliter ſe res habere poteſt. FAB. Semina mutari non poſſe olim docuit *Lucretius*, jam v. 14. aſſerit, Univerſam materiam nec minoribus unquam, nec unquam majoribus intervallis diſtinctam, quippe nullum ſemen perit, ita ut hiatus relinquatur; nullum novum ſemen introducitur, Unde ſpiſſius fieret Univerſum: Deinde motus ſeminum eſſe immutabiles, eoſdem olim fuiſſe, qui nunc ſunt, & eoſdem in æternum futuros: Ideoque quales res olim productæ erant, tales iterum produci poſſe: Quippe ubi eadem ſemina, idem ſemper Pondus, & ubi nulla vis externa introduci poſſit, ibi idem motus, qui ex illo Pondere profluit, ſit neceſſe eſt. CREECH.

299. *Et poſt hoc ſ.*] Ita veteres libri, rectiſſime. GIF. *Et poſt hac ſemper*] al. *Et poſt hoc ſemper*, &c. LAMB.

300. *Et quæ conſuerunt*] quidam veteres *conſuerint.* Forte: *qua.* GIF. *Et quæ conſuerunt*] Sic legendum, & ita habent duo libri manuſcripti: alii *conſuerint.* Ridicule autem Thraſo putat legendum, *Et qua conſuerunt*, &c. ut ſit hæc ſententia: & qua conditione prima corpora conſuerunt gigni, eadem conditione gignentur: quaſi vero primordia rerum gignantur, & non res omneis gignant, vel certe ex iis res omnes gignantur. LAMB.

300.

Quapropter quo nunc in motu Principiorum
Corpora ſunt, in eodem anteacta aetate fuêre,
Et poſthac ſemper ſimili ratione ferentur;
Et quae conſuerunt gigni, gignentur eadem
Conditione: & erunt, & creſcent, inque valebunt,
Quantum quoique datum eſt per foedera Naturaï,
Nec rerum Summam commutare ulla poteſt vis.
Nam neque quo poſſit genus ullum Materiaï

Ef-

INTERPRETATIO.

Quapropter in eo motu, quo nunc ſunt ſemina, olim etiam in omni præterito tempore fuerunt. Et eodem poſthac in æternum ferentur: Et quæ aliquando genita fuerunt, ſimiliter in poſterum gignentur, & exiſtent, & augebuntur, & valebunt, prout leges Naturæ permittunt, & uniuſcujuſque rei Natura poſtulat. Nec ulla poteſt vis mutare Rerum ſummam, (Univerſum) nam nullus eſt locus in quem recedere poſſit aliqua Materiæ particula ex Omni (Univerſo) effugiens,

VARIÆ LECTIONES.

300. *conſuerunt.* conſuerint A marg. C. E. N. P. Y.
301. *inque.* vi quo Y. vique Q X.
304. *quo.* quæ Q 1.

NOTÆ.

300. *Eadem conditione*] eadem lege, eodem pacto. LAMB.

301. *Inque valebunt*] & invalebunt, ſeu invaleſcent. τμῆσις. ut Virgil. lib. 9. Æneid. 288. *Inque ſalutatam*: & Lucret. *conque globata, inque pedita, diſque ſupatis, ſeque gregari*, & ſimil. ſexcenta. LAMB.

302. *Quantum quoique dat. eſt*] Verbum *eſt*, quod aberat a pleriſque vulgatis, repoſui auctoritate manuſcript. codicum & aliorum vulgatorum fretus. LAMB.

303. *Nec rerum ſummam, &c.*] id eſt nec τὸ πᾶν, id eſt univerſum, ſeu omne, ut ſæpe ipſe appellat, vis ulla commutare poteſt. longe igitur aliud eſt omne, quam mundus. Nam mundus interibit etiam ex ſententia Epicuri. immo vero idem ſentit, infinitos quotidie mundos & oriri & interire. libr. 5: 92.

Quod ſupereſt, ne te in promiſſis plura moremur,
Principio maria, ac terras, cælumque tuere:
Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Treis ſpecies tam diſſimiles, tria talia texta,
Una dies dabit exitio, multoſque per annos
Suſtentata ruet moles, & machina mundi:

idem eodem libro infra: 244.

--- qua propter maxima mundi
Cum videam membra ac parteis conſumta regigni,
Scire licet cæli quoque idem, terræque fuiſſe
Principiale aliquod tempus, cladem que futuram. LAMB.

305. *Ex omni*] ex ſumma, ex univerſo, ἐκ τοῦ παντός. ut paullo ante diximus.

305. *Neque rurſus, in Omne unde*] Ordo eſt: neque rurſum quicquam eſt, unde, id eſt ex quo, nova vis coorta in Omne irrumpere queat. LAMB. *In Omne*] εἰς τὸ πᾶν LAMB.

307. *Illud in his rebus*] Objectio; Qui fieri poteſt, ut, cum principia perpetuo motu jactentur, ſumma tamen quieſcere videatur? Fateor, inquit, videtur; ſed non quieſcit tamen; Cum e-

Effugere ex Omni, quidquam eſt, neque rurſus, in Omne
Unde coorta queat nova vis inrumpere, & Omnem
Naturam rerum mutare, & vertere motus.
Illud in his rebus non eſt mirabile, quare
Omnia quom rerum Primordia ſint in motu,
Summa tamen ſumma videatur ſtare quiete,
Praeterquam ſi quid proprio dat corpore motus.
Omnis enim longe noſtris ab ſenſibus infra

PRI-

INTERPRETATIO.

neque ullus omnino locus e quo nova vis poteſt in Univerſum irrumpere, Naturam rerum, & motus Seminum mutare. Ne vero mireris quod cum omnia Semina perpetuo motu agitentur, Univerſum tamen alta quiete torpeſcere videatur, nec motus aliquos, niſi forſan particulares quorundam Corporum ſentiamus: Semina enim ipſa longe minora ſunt

VARIÆ LECTIONES.

305. *neque rurſus in omne.* neque in omnes Y. partis in omnes Q.
306. *omnem.* omne G.
312. *infra.* illa D.

NOTÆ.

nim prima corpora pervideri nequeant, qua tandem ratione illorum motus videas? Si pilam videre non potes, quo pacto de illius motu judicabis; FAB.

308. *Illud in his rebus*] ἀνθυποφορὰν. non eſt, inquit, mirum, ipſum univerſum atque ipſam ſummam rerum videri ſtare & quieſcere, cum principia rerum perpetuo motu agitentur. LAMB. Contra *Lucretium* forſan aliquis objiciat, ipſos ſenſus hanc de perpetuo Seminum motu opinionem evertere, nam ſi Univerſa materia agitaretur, unde Rerum ſumma τὸ πᾶν tam alta quiete torpeſcere videatur? Reſpondet Poëta v. 25. inepte id objici, neceſſe enim eſt ut motus ſeminum ſit imperceptibilis, cum ipſa Semina aciem Oculorum fugiant: Deinde ſubjungit, rerum etiam ſenſibilium motus oculos noſtros e longinquo ſpectantes non raro latere, quod exemplis Ovium per agros reptantium, & militum per Campos diſcurrentium illuſtrat. CREECH.

311. *Præterquam ſi quid*] ut cælum, aër, aqua, &c. LAMB. Ut ſunt aër, aqua, cœlum, aſtra, *&c.* FAB.

312. *Omnis enim*] Reſponſio eſt ad ἀνθυποφορὰν ſuperiorem. FAB.

312. *Longe noſtris ab ſenſibus infra*] Videtur legendum,

Noſtris ab ſenſibus ipſa.

verumtamen nihil mutare auſim. LAMB.

312. *Infra*] Lamb. *ipſa.* GIF. *Ipſa* Alii exhibent, ſed Lambinus nihil mutare auſus eſt. CREECH. *Infra jacet longe a ſenſibus.* Id eſt, ſenſus noſtri illa attingere nequeunt. Lambin. *ipſa* pro *infra.* non male; fruſtra tamen de hac lectione dubitabat; nam lib. quoque tertio occurret. FAB.

313. *Quapropter ubi illa*] Cum in duobus libris calamo exaratis ſcriptum reperiſſem: *ubi illum:* ego ex voce *illum* feci *illa*, ut intelligamus corpora prima. quod ſi quis malet legi *illam*, ut ſubintelligamus primorum naturam, non magnopere repugnabo. ſed tum verſu proximo legendum erit *ſurpere debet.* LAMB. *Quapropter ubi illa*, &c. Quandoquidem ea videre non potes, quî tandem eorum motum cognoſcas? FAB. *ubi ipſa.* Lambinus *illa.* Veteres quidam *ipſum.* quidam: *illum.* Marullus: *ipſum.* GIF.

314. *Surpere*] pro ſurripere. ſic Horat. od. 13. lib. 4: 18.

--- *quid habes illius, illius,*
Quæ ſpirabat amores:
Quæ me ſurpuerat mihi? LAMB.

Surpere] Surripere, ſubducere, eripere, furari. Virgilius Æn. 5: 845. *oculos furare labori.* FAB. Sic fere contrahi ac mutilari vocabula ſolent apud Poëtas priſcos, quoties metri neceſſitas poſtulat. Ego vero a me vix impetro, ut credam, tale

Primorum natura jacet: quapropter ubi illa
Cernere jam nequeas, motus quoque ſurpere debent:
Praeſertim quom, quae poſſimus cernere, celent
Saepe tamen motus ſpatio diducta locorum.
Nam ſaepe in colli tondentes pabula laeta
Lanigerae reptant Pecudes, quo quamque vocantes
Invitant herbae gemmantes rore recenti:
Et ſatiati Agni ludunt, blandeque coniſcant:

Omnia

INTERPRETATIO.

quam ut ſub ſenſibus cadant; Cum igitur Semina ipſa videre non potes, certe motus ipſorum, debent eſſe inconſpicui, Nec de hac re dubitabis, ſi conſideres illarum rerum, quas oculis uſurpare poſſumus, motus ſæpe cerni non poſſe, ſi modo ipſæ res ſint longe remotæ; nam ſæpe Oves in monte læta gramina tondentes modo huc, modo illuc tendunt, quocunque herbæ recenti rore gemmantes invitant ſingulas; Agni etiam bene ſaturati ludunt, & laſciviunt;

VARIÆ LECTIONES.

313. *illa.* ipſa A. B. ipſam C. E. G N. ipſos c. P. ipſum O. Q. Y.
314. *quoque.* ibi D. qua P. *ſurpere.* aſurpere. Q. X. Y. Z. ſerpere c. O. P.
316. *diducta.* deducta N. Q. P. X.
318. *reptant.* raptant Q.
319 *invitant.* immutant Q. *gemmantes.* geminantes Q.
320. *ſatiati.* ſociati *Gaſſ.* ſatiat Y. Z. *incertum utrum voluerint* ſatiate *an* ſatiati. *coniſcant.* chroniſcant C. E. N. P. coruſcant G. L. P. *in Not.* Q. I. V. Y. Z. toniſcant X.

NOTÆ.

tale quid ipſis unquam in mentem veniſſe. Porro, ut verbum *ſurripere* hoc loco triſyllabum fiat, cur integra ſyllaba *ri*, hoc eſt, antepenultima potius, quam unica littera *e* in penultima exteritur? Quid ni enim ſcripſerint plene: *ſurripere*, pronunciantes tamen, tanquam ſcriptum esſet: *ſurpere?* ſic lib. II. verſ. 680. legendum ſive pronunciandum erit: *contingere parto*, ut lectio MSS. Voſſii *contingere parato*, pro *contingere parto*, ſubſiſtat, quam ſenſus poſtulat. Et lib. IV. verſ. 965. *degrere bellum*, juxta Gifanii ſcripturam, quæ habet *degerere.* Nec obſtat locus Horatii, a Lambino adductus, ubi, *ſurripuerat*, ſimiliter retineri poterit, & tamen τετρασυλλάβως efferri. non enim poſitio litterarum *pu* præcedentem ſyllabam magis in hoc verbo producit quam *qu* quoties in reliquis occurit. Preig.

315. *Præſertim cum quæ*] Argumentum ductum a rebus; quæ videndi ſenſu percipiuntur. cujus argumenti hæc vis eſt: Si earum rerum, quas cernere poſſumus, motus, aſpectum noſtrum fugiunt propter longum locorum intervallum: quanto veriſimilius & magis cum ratione conſentaneum eſt, principiorum, quæ ſub ſenſum oculorum non cadunt, motus non cerni? Lamb.

317. *In colli*] in colle. ſic alibi *parti*, *voci*, *contagi*, *&c.* pro *parte*, *voce*, *contage*, *&c.* ponere ſolet. Lamb. *In colli.* Sic *parti*, & fortaſſe *voci*, inf. IV. 703. & Gif. Pro *colle*, præter neceſſitatem. Vide, quæ ad lib. V. niſi, quod hoc loco Euphoniæ conſultum videtur. Sic iterum verſ. 322. Preig.

317. *Tondentes pab. l.*] tondentes, id eſt depaſcentes. ſic Virgil. Georg. I: 15.

Tercentum nivei tondent dumeta juvenci.

& Æneid. 3: 537.

Quattuor hic, primum omen; equos in gramine vidi
Tondenteis campum late, candore nivali.

Eadem ratione dictum eſt ab eod. lib. 6: 597.

Roſtroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tondens.

ſic enim legendum, non, ut vulgo, *tundens.* Lamb.

318. *Reptant*] Tranſlatio. Horat. etiam ad homines tranſtulit epiſt. ad Tibull. I: 4. 4.

An tacitum ſilvas inter reptare ſalubreis, &c. Lamb.

319. *Gemmantes*] id eſt, rore perfuſæ, & ita

gem-

Omnia quae nobis longe confuſa videntur,
Et veluti in viridi candor conſiſtere colli.
Praeterea magnae Legiones quom loca curſu

Cam-

INTERPRETATIO.

Quæ tamen omnia e longinquo viſa nobis apparent indiſtincta, & ſpeciem ferunt unius continui Candoris in viridi monte conſiſtentis. Præterea cum numeroſi exercitus patentium Camporum omnes partes urſu.

NOTÆ.

gemmarum ſpeciem præ ſe ferentes, idem lib. 5: 462.

Aurea cum primum gemmanteis rore per herbas, &c. Lamb.

320. *Satiati agni*] Venuſte à Varrone dictum eſt, *agni ſatulli.* Fab. Eleganter *ſatiate* Marginalia Voſſii habent, modo non ſit nomen, ſed adverbium, ut mox: *blandeque.* Preig.

320. *Chroniſcant.*] Adulterinum verbum, cui ſincerum ſubſtituendum eſt *coniſcant*, hoc eſt capite viciſſim arietando ludunt. *Coniſcare* & *conificare* idem quod caput adverſum per vices inurgere mutuis ictibus: quod arieti peculiare eſt, qui frontem adverſarii fronte percutit, & ab eodem repercutitur. Cum Quintilianus *capite conificans* dixit, hoc ſignificare voluit. Quidam *croniſcant* defendunt, a ſaltibus unde *cruſmata:* quaſi ſignificare vellet Lucretius agnos in pratis lætos & pingues ſaltitare. Sunt & qui *croniſcant* pro cornibus decertant interpretantur gratia metri paulum inverſa dictione: ut *croniſcant* poſitum ſit pro *corniſcant*, hoc eſt alterno cornu petunt: & licet agni teneri cornua non habeant: imitantur tamen arietes cornigeros: qui criomachiam exercent. Quid ſi *coruſcant* legis: propter illud Juvenalis.

Sed procul extentum petulans quatit hoſtia funem,
Tarpeio ſervata Jovi, frontemque coruſcat.

Juriſconſultus libro digeſtorum nono *committere* dicit in hoc ſignificatu: cujus verba ſunt hæc. *Cum arietes*, inquit, *& boves commiſiſſent, & alterum occiderit.* Pius. *Blandeque coruſcant.* Secutus fueram jam in prima editione cod. manuſcriptos, Vaticanum & Bertinianum, & typis excuſos, Florentinos, in quibus plane legitur *coruſcant.* nam ceteri vulgati fere omnes habent, partim *chroniſcant*, partim *croniſcant*, partim *coniſcant. coruſcant* interpretabar *dimicant*, cornibus ſcilicet: cornibus ſe mutuo petentes *coruſcationem* quandam referunt. Sic fere Virgil. niſi quod ἐνεργητικῶς uſurpavit Æn. 12: 919.

Cunctanti telum Æneas fatale coruſcat.

idem lib. 1: 661.

--- duo quiſque Alpina coruſcat
Gæſa manu.

vel ſimpliciter coruſcant, trepidant, huc & illuc moventur, ſaltitant. ſic fere Plautus Rud. 2: 6: 42.

Equidem me ad velitationem exerceo.
Nam omnia coruſca præ tremore fabulor.

Neque vero quemquam movere debet, quod Virgilius in eis exemplis, quæ ſupra poſui, hoc verbum ἐνεργητικῶς uſurpat. nam nihilo magis eſt activum, quam *vibrandi* verbum. At cum dicantur ignes & flammæ, & linguæ vibrare, abſolute, ut alibi notavimus: dicimur tamen etiam vibrare enſem, haſtam, venena, &c. active. Sic igitur *coruſcare* proprie abſolutum eſt, quamvis & active interdum uſurpetur. Virg. Georg. 4: 73.

Tum trepidæ inter ſe coëunt, pennisque coruſcant.

ibid. 98.

--- elucent alæ, & fulgore coruſcant,
Ardentes auro.

Hæc igitur ſcriptura mihi videtur probabiliſſima, & me hercule tutiſſima: eamque hac tertia editione retinui. Veruntamen etiam mihi venit in mentem, fortaſſe *coruſſant* eſſe legendum, aut *coruſſunt*, a verbo Græco κορύττω, ex quo fit κορύσσω communiter. credibile enim eſt hinc Lucretium finxiſſe *coruſſo, as* aut *coruſſo, is.* eſt autem κορύπτω, ſeu κορύττω, *cornibus dimico, & cornibus peto.* quo verbo utitur Theoc. & Plato. De ſcriptura autem illa, quæ in nonnullis item libr. veter.

Camporum complent, belli ſimulacra cientes:
Et circumvolitant Equites, medioſque repente
Tramittunt valido quatientes impete campos:

Ful-

INTERPRETATIO.

complent imaginem pugnæ exhibentes, cum Equites circumvolitant, medioſque campos vehementi impetu quatientes tranſcurrunt,

VARIÆ LECTIONES.

325. 326. Amandantur ad verſum 330. C. E. G. N. Q. X. Y. Z.
326. *tramittunt.* transmittunt Q. 1. Z.

NOTÆ.

veter. reperitur, *coniſcant*, quærendum. LAMB. *Blandeque coniſcant*] Ita ex vet. Codicibus reſtitui. Vide Indicem. In quibuſdam veteribus *croniſcant.* Quidam: *coruſcant*, mendose. *Coruſcare* eſt *vibrare.* GIF. Nullibi hoc verbum occurrit, niſi apud Quintilianum ex Cicerone; ſignificatque, ut videtur, arietare. Sed pro *coniſcant* ſunt quibus legendum videatur, *coniſſant*, à κονίζειν, *pulverem jactare* (ut apud Virg. *pedibus qui ſpargat arenam*) quod probare non poſſum vel ob hanc unam rationem, quod cum τῷ *blande* ea vox congruere non poteſt. Lambinus ſuſpicatur legendum *coruſſant* à κορύσσουσι *cornupetunt*; nam quandoque κορύσσειν, quod Vir Doctus negabat, idem eſt ac κορύπτω, ut ὄσσομαι pro ὄπτομαι dicitur, & πέσσω pro πέπτω; erat autem Idiotiſmus Æoleων, qui & pro ἐμπίπτω dicebant ἐμπίσσω. Sed cum in MSS. Codd. legatur vel *croniſcant*, vel *chroniſcant*, haud equidem ſcio an legi debeat *corniſcant*, donec innotuerit quid ſit *coniſcare*, de qua tamen voce infra aliquid ſcribetur. Quid autem, inquies, ſi legatur, *blandeque corniſcant*, nonne ſyllabæ modus facere debebit, quo minus verſus ſtet, cum prima ſyllaba producenda ſit, idque πάσῃ ἀνάγκῃ? At ego aliter longe ſentio; qui ſciam propter *liqueſcentiam* τοῦ R ſyllabam eſſe communem, quemadmodum τὸ φέρβε apud auctorem diligentiſſimum, (Callimachus eſt) hymno in Cererem unice oſtendet; 137.

> Φέρβε βόας, † φέρβε μᾶλα. φέρε ϛάχυν, οἶσε θερισμόν.

Vides in eodem verſu priorem in φέρβε modo

† At MSS. ibi φέρε *Voſſ.*

corripi. Cujus rei olim exempla aliquot ad Phædrum protuli. Ceterum, quod facturum me ſupra pollicitus ſum, illud *coniſcare*, ſi vera lectio eſt, ex *corniſcare* oriri potuit per abjectionem τοῦ R. quemadmodum ex κέντρων fit cento, ex πέρδω pedo, & alia id genus. FAB. Lambinus *Coruſcant*, vel *Coruſſant* a κορύτλω Cornibus peto: *Theocritus* Idill. 3: 3.

> Τὸν Λιβυκὸν Κνάκωνα φυλάσσεο μὴ τὺ κορύψῃ

Schol. μὴ τὺ κορύψῃ· μὴ σε κερατίσῃ, τὸ γὰρ κερατίζειν κορύτλειν οἱ Αττικοὶ λέγουσιν ὡς συντρεχόντων ἀλλήλοις τῶν κερῶν, καὶ τὰς κορυφὰς πλητλόντων, καὶ ῥηγνυμένων. At *Coniſcans* utitur Cicero in Piſonem, *Caput opponis cum eo Coniſcans.* Quintiliani Inſt. l. 8 Cap. 3. quidni igitur *Coniſcant* retineamus, cum ſit apposita vox, & ſignificet *Arietare*, vel *cornibus petere?* Hic vero mira commentus eſt *Fayus*; docet enim Quintilianum lib. 6. Ciceronem voce *Coniſcans* utentem, & hunc ipſum *Lucretii* verſum laudare: Ita Iſti ſemper errant, qui alienis, non ſuis oculis utuntur. CREECH.

322. *Candor*] Intellige veluti συϛροφὴν, ſeu glomeramen album quod longe videtur. FAB.

324. *Belli ſimulacra cientes*] Virg. lib. 5: 674.

> *Qua ludo intentus bello ſimulacra ciebat.*

ibid. 585.

> --- *pugnaque cient ſimulacra ſub armis.* LAMB.

325. *Et circumvolitant equites*] Hos duos verſus alio tranſlatos, in ſuum locum reſtitui. LAMB.

326. *Tranſmittunt valido*] Libri manuſcript. duo, & Aldini antiqui habent, *Tramittunt.* hunc locum profert Macrob. lib. 6. Saturn. ubi oſten-

Ss dit,

Fulgur ibi ad Coelum ſe tollit, totaque circum
Aere renideſcit Tellus, ſubterque virûm vi
Excitur pedibus ſonitus, clamoreque Montes
Icti rejectant voces ad Sidera mundi:
Et tamen eſt quidam locus altis montibus, unde
Stare videtur, & in campis conſiſtere Fulgur.
Nunc age jam deinceps cunctarum exordia rerum,

Qua-

INTERPRETATIO.

tum Fulgur ad Cœlum uſque aſcendit, toti undique campi armorum nitore perfunduntur, diſcurrentium hominum pedibus excitatur ſonitus, & montes clamore icti ad ſtellas uſque reflectunt voces; ſi tamen hæc omnia ex aliqua parte alti montis ſpectes, totum iſtud fulgur videretur continuum, ſine motu ſtare in Campis, & omni ex parte quieſcere: Nunc age jam deinceps accipe

VARIÆ LECTIONES.

327. *Fulgor ibi.* Fulgor ubi G. Z. Fulgor ibi Y.
328. *renideſcit.* reniteſcit Q. 1. X. Y. Z. *ſed in* Y. *Corr.*
329. *clamoreque montes Icti rejectant.* clamor quoque montes Icit & ejectat *vel* ejectant *quidam Codd.*
330. Hic mox collocantur vſ. 325. 326. C. E. G. N. Q. X. Y. Z.
332. *videtur.* videntur E. G. *& alii.*

NOTÆ.

dit, hinc effictum atque imitatum eſſe illud Virgilianum lib. 4: 154. Æneid.

--- alia de parte patenteis
Tranſmittunt curſu campos, &c.

ſic & Valer. Flaccus lib. 3: 434.

--- jamque ipſe recenti
Stat tumulo placida tranſmittens agmina lauro.

Tramittunt.] Ita veteres quidam. In aliis, *Tranſmittunt.* Gif.

326. *Impete*] id eſt impetu: qua voce pluribus locis utitur, ut libr. 4: 418.

Deſpectum prabet ſub terras impete tanto, &c.

& lib. 5: 506.

Aut hominem tanto membrorum eſſe impete natum.

& libr. 6: 185.

Exſtructis aliis alias ſuper impete miro.

quod item nomen indicat A Gellius libr. 19. cap. 6. à Nævio poëta eſſe uſurpatum. Lamb.

327. *Fulgur*] id eſt fulgor: ſic item infra ſex to verſu. videtur enim Lucret. altero pro altero promiſcue & ἀδιαφόρως uti. ut lib. 4: 191.

Et quaſi protelo ſtimulatur fulgure fulgur.

& ſup. hoc eodem libro: 50.

--- neque fulgorem reverentur ab auro.

& lib. 5: 611.

--- nullo qui ſit fulgore notatus. Lamb.

Fulgur ibi ad cæl. ſe t.] Hom. Ιλ. β. 56.

--- ἔκαθεν δὲ τε φαίνεται αὐγή.
Ὡς τῶν ἐρχομένων ἄπο χαλκοῦ θεσπεσίοιο
Αἴγλη παμφανόωσα δι' αἰθέρος οὐρανὸν ἷκε.
Lamb.

Stat. v. Theb. princip.

Tellus jam pulvere primo
Creſcit, & armorum tranſmittunt fulgura ſylvæ. Preig.

328. *Renideſcit*] ſplendore armorum perfuſa hilaritatem quandam præ ſe fert, & quaſi riſu diffundit ſpectatorem. Lamb.

328. *Subterque*] & ſubter pedes, ſub pedibus. Lamb.

330.

Qualia ſint, & quam longe diſtantia formis,
Percipe, multigenis quam ſint variata FIGURIS:
Non quod multa parum ſimili ſint praedita forma;
Sed quia non volgo paria omnibus omnia conſtant.
Nec mirum: nam quom ſit eorum Copia tanta,
Ut neque finis (uti docui) neque Summa ſit ulla:
Debent nimirum non omnibus omnia prorſum

Eſſe

INTERPRETATIO.

Qualia ſint ſemina, quantum a ſe invicem formis diſtent, & quam variis & diverſis figuris donantur: Non quod pauca ſint prædita forma ſimili, Infinita enim ſunt figuræ uniuſmodi) ſed quòd Omnia non ſint ſimilis, & ejuſdem prorſus figuræ: Nec mirum, cùm enim tanta ſit ſeminum multitudo, ut neque finis ſit illorum, uti demonſtravi, neque ſumma ulla, (ut ſit prorſus infinita) Omnia profecto non debent

VARIÆ LECTIONES.

334. *quam.* quæ Q 1.
336. *quod.* quo G. N. Q. Y. Z.
337. *conſtant.* conſtat. G. Z.

NOTÆ.

330. *Rejectant voces*] referunt voces. in quibuſdam cod. manuſcriptis reperi ſcriptum,

Clamor quoque montes
Icit, & ejectat voces ad ſidera. LAMB.

Clamoreque montes Icti rejectant. Quidam veteres: *clamor quoque montes, Icit, & ejectat.* GIF.

330. *Mundi*] veteres quidam: *cœli.* Hoc ex Gloſſa. GIF.

332. *In campis conſiſtere fulgor*] Tunc enim omnia è loco edito videntur luce collecta ſeu repercuſſa conveſtiri, quaſi nimbo igneo. *Nimbus* autem ſæpe nubem radiis auratis fulgentem ſignificat. Virgil. atque ita intelligo. FAB.

333 *Nunc age jam*] Hinc incipit docere, primum atomos formis ſeu figuris inter ſe differre: deinde oſtendet, figurarum diſſimilitudines eſſe finitas: poſtremo, ſingularum figurarum corpora prima eſſe infinita. LAMB. Semel meminiſſe neceſſe tria tantum conjuncta in atomo agnoſcere Epicurum, magnitudinem ſcilicet, figuram & pondus; cetera hinc pendent. FAB. De ſoliditate Seminum, & de affectionibus, Pondere viz. & motu, quæ ex illa profluunt, copioſe diſputavit: Jam de alia Seminum affectione, Figura viz. quæ Magnitudinem conſequitur (Figura enim terminus & modus magnitudinis) dicturus, monet v. 5. Atomos eſſe diverſimode figuratas. Non profecto quod ipſarum figuræ diſcerni viſu magis valeant, quam de magnitudine eſt dictum, ſed quod ea figuratio rationibus variis comprobari poſſit: *Epicurus* apud *Plutarchum* docet Atomos, ἴδια ἔχειν σχήματα λόγῳ θεωρητά. Epicurus Epiſt. ad Herodotum, τὰ ἄτομα τῶν σωμάτων καὶ μεστὰ, ἐξ ὧν καὶ αἱ συγκρίσεις γίνονται, καὶ εἰς ἃ διαλύονται, ἀπερίληπτά ἐστι ταῖς διαφοραῖς τῶν σχημάτων· οὐ γὰρ δύνατον γενέσθαι τὰς τοσαύτας διαφορὰς ἐκ τῶν αὐτῶν (forſan Ἀτόμων) σχημάτων περιειλημμένων. CREECH.

336. *Non quod multa parum*] non quod parum multa ſint corpora ſimili figura nata (nam tantum abeſt, ut pauca ſint, ut etiam ſint infinita) ſed quia omnia corpora non ſunt ſimili inter ſe figura prædita. LAMB. Intelligit multa eſſe ſimili figura, non autem infinita. Ceterum per formam intellige figuram; ut dixi; neque enim, quod nonnullos in fraudem induxit, figura & forma diverſa ſunt. FAB. *Non quod multa parum &c.*] Intelligit multa eſſe ſimili figura, non autem infinita: hæc Faber. Contra Lucretius v. 522.

--- --- *Primordia rerum*
Inter ſe ſimili quæ ſunt perfecta figura
Infinita cluere

vid. v. 691. e quo quid hæc ſibi velint diſces. CREECH.

338. *Nec mirum cum &c.*] primo v. 4. Docet Semina diverſimode eſſe figurata, quod veriſimile non ſit, Corpuſcula illa, cum ſint infinita, eſſe

 figu-

Eſſe pari filo, ſimilique adfecta Figura.
Praeterea genus Humanum, mutaeque natantes
Squammigerûm Pecudes, & laeta Armenta, Feraeque,
Et

INTERPRETATIO.

eſſe ejuſdem formæ, nec prædita figura prorſus ſimili: Præterea, contemplare Homines, Piſces mutos, Arbores, feras, diverſa Avium genera,

VARIÆ LECTIONES.

343. *læta armenta.* Ita enim legimus poſtulante omnino ſenſu, reclamitent licet omnes & impreſſi & ſcripti libri. conſulatur locus. Error exinde videtur ortus, quod in Mſto codice ſcriberetur *arta* compendioſe. *Lond.*

NOTÆ.

figuræ uniuſmodi. Res quaſlibet contemplemur, quo major earum numerus, eo major plerumque figurarum varietas, & idem, quod de rebus aliis, eſt de Seminibus ſentiendum. CREECH.

339. *Ut neque fin. uti d. neque.*] id eſt, ut primordiorum neque finis, neque numerus ſit ullus. Nam τὸ πᾶν dicebant Democritus & Epicurus eſſe infinitum & magnitudine ſpatii infiniti, & multitudine atomorum. LAMB.

341. *Eſſe pari filo*] ſimili textura. tranſlatio à tela. ſic dicimus poëma & orationem eſſe *tenui filo, craſſo filo, ſubtili filo.* Lucretius lib. 4: 86.

Quæ volgo volitant ſubtili prædita filo.

Filum ſignificat etiam interdum extremum cujuſque rei lineamentum, ut libro quinto: 588.

Perparvum quiddam interdum mutare videtur
Alterutram in partem filium.

idem libro quinto:

Forma quoque hinc ſolis debet, filumque videri

Plautus Mercat. 4: 4. 15.

--- *ſatis ſcitum filum mulieris.*

Arnob. lib. 3. adverſus gent. *At vero vos Deos parum eſt formarum quod amplectimini menſione, filo etiam atterminatis humano.* Apulejus lib. de Deo Socrat. loquens de dæmonum corporibus: *Sed fila corporum poſſident rara & ſplendida & tenuia uſque adeo, ut radios omneis tuoris & raritate tranſmittant, & ſplendore reverberent, & ſubtilitate fruſtrentur.* A. Gellius libr. 14. cap. 4. *Facit quippe imaginem Juſtitiæ, fierique ſolitam eſſe dicit à pictoribus, rhetoribuſque antiquioribus ad hunc fere modum: forma atque filo virginali, aſpectu vehementi, &c.* LAMB. Antea dixi in atomo conſiderari debere magnitudinem, figuram & pondus. Lucretio autem figura dicitur quoque forma, quod idem eſt. Sed quia Quintilianus alicubi (x. Inſtit. ut opinor) atomos vocaverat figuras, Gifanius in Indice, ſed diſſimulato monitoris ſui nomine, hoc loco figuram pro atomo ſumi perſuadere cupit; cum tamen nullibi illuſtrius imperitiam ſuam circa has hypotheſes oſtenderit. Locum alium affert è V. 242.

Quippe etenim quorum partes & membra videmus
Corpore nativo & mortalibus eſſe figuris.

Ibi quoque *figuras* pro *atomis* ſumi dicit: Itaque rem novam habemus, *atomos corruptibiles, principia quæ pereant.* ſed hic non ſtabit Gifanius; affert enim & locum alium è IV. 742.

Proinde & ſeminibus diſtant variantque figuris.

Item, 659.

Namque figurarum ut ratio

Item, 660.

Proinde foraminibus debent variare figuræ;

Quibus omnibus in locis ſe plane puerum prodidit; & tamen qui in hoc genere ſcriptorum ſubacti non ſunt, hominis illius fidem, quæ nulla ſit, maximam eſſe crederent; videlicet ſplendida & luculenta editio eſt; ſed præter id quod furatrinæ debuit, οὐδὲν ὑγιές. FAB.

342. *Præterea genus humanum &c.*] Argumentum ab effectis: animantes ipſæ, quæ conſtant

Et variae Volucres, laetantia quae loca aquarum
Concelebrant circum ripas, fonteiſque, lacuſque:
Et quae pervolgant nemora avia pervolitantes:

Ho-

INTERPRETATIO.

quæ flumina, fontes, lacus frequentant; & quæ ſylvas & nemora avia pervolitant,

VARIÆ LECTIONES.

344. *lætantia.* liquentia F.
345. *circum ripas.* ipſos circum O. circum ipſas Q. X.

NOTÆ.

ſtant ex atomis, animantes (inquam) ejuſdem generis & ſpeciei, differunt inter ſe figura. non enim omnes equi, non omnes tauri, non omnes canes (& idem de ceteris ſentiendum) ſimili ſunt figura præditi. Nam ſi ita eſſet, mater prolem non agnoſceret. at mater prolem agnoſcit, ut equa ſuos equuleos, canis ſuos catulos, cerva ſuos hinulos, & contra: ergo atomorum non una eſt figura. hunc verſum cum eo qui proxime ſequitur, citat Non. Marcellus in voce *pecudes*, probans, non ſolum quadrupedes, verum etiam piſces, *pecudes* appellari. Lamb. Secundo v. 7. Variæ Principiorum figuræ arguuntur ex eo, quod omnia naturalia ex iis contexta, Homines, Feræ, Aves, Piſces, &c. diverſimode figurentur. Creech.

342. *Mutæque natantes*] Duo epitheta maxime piſcium propria, *mutæ*, & *natantes*. Ita Græci πλευςὸν γένος καὶ ἄφωνον dicunt. ſed tamen non omneis piſces eſſe mutos tradiderunt Ariſtoteles: alii nonnulli. lege, ſi vacas, quæ annotavimus in commentariis noſtris Horatianis ad illum locum od. 3. lib. 4: 19.

O mutis quoque piſcibus
Donatura cycni, ſi libeat, ſonum.

Squammigerûm autem pro *ſquammigerorum*. Poſitum. ſic infra eod. lib. 1082.

--- ſic denique mutas
Squammigerûm pecudes. Lamb.

343. *Et læta armenta*] Neceſſaria prorſus emendatio, quam Editoribus Londinenſibus acceptam ferimus, & lubenter amplectimur. Preig. & Hav.

344. *Et variæ volucres*] vel diſſimiles, vel varii coloris, & ποικίλαι. Idem lib. 4: 1001.

Tum variæ fugiunt volucres, &c. Lamb.

344] *Lætantia*] Quid ſibi velit hoc *lætantia*, non ſatis diſpicio, niſi forte *lætantia* dixit, ab effectu, quæ lætificant, ſeu lætari faciunt volucreis. Quid ſi legendum dicamus, *fluitantia?* quid ſi *lactantia?* id eſt invitantia. Lamb. Ferri non poteſt illud *lætantia*; Quanquam enim probe ſcio uſitatum fuiſſe apud veteres Latii ſcriptores τὸ *lætare aliquem*, pro *lætitia perfundere, hilariorem reddere*; (nam ecce prodit Livius Andronicus, teque rogatum venit, Lector,

Jamne oculos ſpecie lætaviſti *optabili?*)

tamen minus aptum huic loco id verbum eſt; quod, ut videtur, è verſu ſuperiori in hunc per incuriam deductum eſt;

Squamigerûm pecudes & læta *arbuſta*, &c.

Legendum itaque putaverim *liquentia*. *Loca* autem *liquentia* erunt lacus, paludes, fluvii, maria. Unde Virgilius, qui Lucretium fere plerumque exprimit, (quem enim ante oculos potius haberet, quam Lucretium?) in VI. Æneid. dixit verſu 724.

Principio cœlum ac terras, campoſque liquentes
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, &c.

Ita Græci, ὑγρὰ κέλευθα, *liquidas vias* pro mari, fluvio, *&c.* Primam autem in *liquentia* vel brevem eſſe vel longam, ſi mavis, uſus & conſuetudo poëtarum ſatis oſtendunt. Locus porro Livii, de quo modo agebam, apud Nonium. Marcellum legitur. Fab. Quid ſibi velit hæc vox *Lætantia* neſcit Lambinus, niſi forſan ab effectu loca aquarum dicantur *Lætantia*, quia volucres lætificent: Conjicit autem Legendum *Fluitantia*,

Horum unum quodvis generatim ſumere perge,
Invenies tamen inter ſe diſtare Figuris.
Nec ratione alia Proles cognoſcere Matrem,
Nec Mater poſſet Prolem: quod poſſe videmus,
Nec minus atque homines inter ſe nota cluere.
Nam ſaepe ante Deûm vitulus delubra decora
Turicremas propter mactatus concidit aras,
Sanguinis exſpirans calidum de pectore flumen,

INTERPRETATIO.

contemplare inquam ſingula horum genera, & unumquodque inter ſe figuris diſtare invenies: Neque profecto niſi eſſet figurarum varietas, Proles ſuam Matrem, nec Mater Prolem ſuam cognoſcere valeret; At manifeſtum eſt quod Hæc Animalia, non minus quam ipſi Homines ſe invicem cognoſcunt: Nam ſæpe Vitulus ante pulchra Deorum ſimulachra mactatus concidit juxta thuricremas Aras, calidum Cruoris flumen e pectore emittens;

VARIÆ LECTIONES.

347. *Horum.* Quorum P. Q. V. X. Y. Z.
348. *diſtare.* differre A. marg. K. G. Q 1. V. Y. Z.
351. *mota cluere.* nocluere G. voce cluere c. P. voca cluire Q. vota cluere X.

NOTÆ.

vel *Lactantia*, i. e. invitantia. Faber legit *Liquentia*, ſuamque conjecturam tuetur autoritate Virgilii, qui dixit *Campos liquentes*. Voſſius ad Catullum p. 234. *Lætantia* defendit; & confirmat ex v. 884. lib. 5.

--- *Puer haud quaquam, quin ſæpe etiam tunc*
Ubera Mammarum in ſomnis lætantia *quærit.*
Creech.

345. *Concelebrant*] colunt, celebria reddunt: ut libro primo, 3.

— *quæ terras frugiferenteis*
Concelebras. Lamb.

348. *Inveniens tamen inter ſe diſt. figuris*] Duo libri manuſcripti habent, *diſtare figuras*. Bertinianus autem, *differre figuris*: & ita Memm. alii, *diſtare figuris*. quos ſequor. etiam *differre figuris* probo. Lamb. In veteribus quibuſdam noſtris: *differre*, ut inf. vſ. 684.

--- *Primis differre figuris.* Gif.

349. *Nec ratione alia &c.*] Quarto v. 22. oſtendit hanc diverſimodam figurationem, non tantùm in rerum generibus, ſed in Individuis ejuſdem generis manifeſtam eſſe & conſpicuam: Ex ſola enim diverſa figuratione agnitio Matris a Prole, Prolis a Matre in Brutis: Hoc argumentum illuſtrat præclara deſcriptione vaccæ mactatum vitulum requirentis: & demum quædam de agnitione Matrum ab Hædis & Agnis ſubjungit. Creech.

351. *Nota cluere*] nota apparere, nota eſſe. Lamb. Animalia viz. inter ſe, vel ſibi invicem nota ſunt. Creech.

352. *Ante Deum delubra*] id eſt, ante Deorum ſimulacra & ſtatuas. nam *delubrum* dictum eſt quaſi *delibrum*. eſtque fuſtis delibratus: id eſt lignum, cui cortex detractus eſt: quod venerabantur pro deo. Feſtus. Lamb. Adde Stat. VI. Theb. pag. 267.

Non ſecus ac primo fraudatum lacte juvencum;
Cui trepidæ vires, & ſolus ab ubere ſanguis,
Seu fera, ſeu durus advexit paſtor ad aras,
Nunc vallem ſpoliata parens, nunc flumina queſtu,
Nunc armenta movet, vacuoſque interrogat agros,

Tunc

At Mater viridei ſaltus orbata peragrans,
Linquit humi pedibus veſtigia preſſa biſulcis,
Omnia conviſens oculis loca, ſi queat uſquam
Conſpicere amiſſum Foetum: completque querelis
Frundiferum nemus adſiſtens; & crebra reviſit
Ad ſtabulum, deſiderio perfixa Juvenci.
Nec tenerae ſalices, atque herbae rore vigentes,
Fluminaque ulla queunt ſummis labentia ripis.

Ob-

INTERPRETATIO.

At mater privata Prole ſylvas virides percurrens linquit humi veſtigia preſſa biſulcis pedibus, (ſylvas pede bifido pererrat) oculis ſuis loca omnia perluſtrans, ſi forſan amiſſam prolem uſquam videre poſſit. querelis (querulo mugitu) nemus adjacens implet, ſæpe ad ſtabulum revertitur Prolis amiſſæ deſiderio perfixa; Neque ſalices teneræ, neque gramina rore vigentia, nec ulla flumina ſummis ripis labentia

VARIÆ LECTIONES.

356. *Linquit.* Non quit Q 1. Y. O inquit G. Num quid Q 2. Non quid X.
359. *adſiſtens.* adſiſtens G. aſſidens Q 1. adſittens Y. Z *ſed in* Z. *vulg. lectio reponitur.*
361. *vigentes.* virentes *Gaſſ. & Macrob.* vientes Z.
362. *ulla.* illa G. Z. *non male.*

NOTÆ.

Tunc piget ire domum moeſtoque noviſſima campo
Exit, & appoſitas impaſta avertitur herba.
Preig.

353. *Turicrem. pr. m. c.*] Virgilius libro quarto: 423.
Vidit turicremis cum dona imponeret aris, &c.
Macrobius libro ſexto. Lamb.

355. *At mater virid. ſalt.*] Hunc affectum maternum, matrum omnium communem, ac naturalem erga fætus ſuos, etiam Oppianus Ἀλιευτ. α. deſcribit ſub finem his verbis:

Οἷον δ' ἑλκομένας περὶ πόρτιας ἀγκαλόωσι
Μητέρες, οὐκ ἀπάτερθε γυναικείων ςενάχουσι
Κωκυτῶν, αὐτοὺς δὲ συναλγύνουσι νομῆας, &c.

nam ſatis eſt mihi locum indicaſſe. & item apud Ovid. libro quarto Faſtorum, Ceres amiſſam filiam lamentabili voce requirens, cum vacca vitulum ſuum raptum gemente comparatur:

Ut vitulo mugit ſua mater ab ubere rapto,
Et quærit fœtus per nemus omne ſuos, &c.
Lamb.

536. *Linquit*] Neſcio quis *Non quit: Quit a Quio*, quieſco: *Non Quit*, id eſt non *facit quieſcere* veſtigia, ut apud Plautum *Quieſce iſtam rem: Quieſce iſtum tumultum*: Si eſſet vox *Quio*, quam nondum inveni, lectionem veram eſſe judicarem. Creech.

356. *Biſulcis*] διχήλοις, bifidis. Lamb.

359. *Adſiſtens*] Luctu & dolore orbitatis perfixa ibi ſtans, obſtupefacta. ἐπιςήσασι ἑαυτὴν. Lamb. Neſcio quis *Adſittens*, ex voce σίττα, Heſychius Σίττα; ἐπιφώνημα αἰξίν. Scholiaſtes ad quartum Idyllium *Theocriti*, Σίττα; ἐπίφθεγμα βουκολικὸν, ὅπερ λέγουσιν οἱ βοκόλοι, ὁμοίως καὶ τὸ ψίττα. Idem ad quintum Idyllium: Σίττα, ψίττα; ποιμενικὰ, αἰπολικὰ, βουκολικὰ ἐπιφθέγματα. Ita hæc conjectura Vaccam Lucretii in Paſtorem, Caprarium, vel Armentarium converit: *Adſectans* Alii; *Adſiſtens* i. e. Proximum; Lambinus: *Adſiſtens*, Luctu & dolore orbitatis perfixa ibi ſtans, ſtupefacta, ἐπιςήσασα ἑαυτὴν. Faber. Creech.

359. *Et crebra reviſit*] *crebra*, id eſt crebro, Virgilius Georg. 3: 500.
--- *Et pede terram*
Crebra ferit.
idem libro quarto, 122.
--- *nec ſera comantem*
Narciſſum.
ſic apud Hom. κραιπνὰ pro κραιπνῶς, & ſimilia. Lamb. Plaut. Ter. melius quam *reviſit ſtabulum*. Fab.

360. *Ad ſtabulum*] *reviſit ad ſtabulum*, hone-

ſte.

Oblectare animum, ſubitamque avertere curam:
Nec Vitulorum aliae ſpecies per pabula laeta
Derivare queunt alio, curaque levare:
Uſque adeo quiddam proprium, notumque requirit.
Præterea teneri tremulis cum vocibus Hoedi.

Cor-

INTERPRETATIO.

ectare Illius Animum, ſubitamque Illius curam poſſunt avertere; neque ſpecies aliorum vitulorum, qui per fertiles agros laſciviunt, alio convertunt illius animum, illamque ſolicitudine liberant; tam pertinaciter quiddam quod ſuum eſt, & ſibi cognitum requirit. Præterea teneri cum tremente voce Hœdi

VARIÆ LECTIONES.

365. *alio, curaque.* animum, curaque A. B. D. I. Q. *Gaſſ.* Y. Z. animum, curamque C. E. N. Y. Z.

367. *cum vocibus.* in vocibus *Macrob.*

NOTÆ.

ſte dictum, ut illud Terent. Hecyr. 3: 2: 4.

--- nunc ad eam viſam.

Idem Lucretius libro ſexto: 1236.

Nam quicumque ſuos fugitabant viſere ad ægros, &c.

Plautus Menæchm. 1: 1: 32.

Nunc ad eum inviſo.

Idem Trucul. 2: 6: 17.

Nunc ad amicam decimo menſe poſt,
Athenas Atticas viſo. Lamb.

360. *Perfixa*] Tranſlatio à jaculatoribus. Sic infra libro tertio: 306.

Nec gelidi torpet telis perfixa pavoris. Lamb.

Hinc Horat. *deſideriis icta fidelibus*, &c. Fab.

361. *Nec ten. ſal. atque h. rore vigentes*] quæ ex rore vigorem & vireis colligunt; nonnulli tamen legi malunt, *virentes.* non admodum diſſimile eſt illud ſupra: 319.

Invitant herbæ gemmantes rore recenti:

cum hoc loco congruit ille Virgilianus Georgic. tertio: 520.

Non umbræ altorum nemorum, non mollia poſſunt
Prata movere animum, nec qui per ſaxa volutus
Purior electro campum petit amnis, &c. Lamb.

365. *Derivare queunt anim.*] Sic omnes quidem fere habent libri manuſcr. & vulg. quæ ſcriptura ſi recta eſt, *derivare* poſitum videtur tranſlate pro *avocare*, & *avertere.* Sed locus eſt mihi valde ſuſpectus. Itaque olim in prima editione cum in duobus libris manuſcriptis reperiſſem ſcriptum,

Derivare queunt aio,

cumque ſæpe me antea hic locus cruciaſſet, quod putabam Latinos ita loqui non ſolere, *derivare animum*, pro *avocare animum a moleſta aliqua cogitatione, aut cura:* exiſtimaram hac ſcriptura attente conſiderata legendum, ut ego in prima & ſecunda editione imprimendum curavi,

Derivare queunt alio.

neque me meæ conjecturæ ne nunc quidem pœnitet. *derivare alio* autem, hoc eſt convertere alio, quo modo loquitur lib. 4: 1057.

--- atque alio convertere mentem:

vel traducere alio, quo modo ibid. 1065.

Aut alio poſſis animi traducere motus.

Derivare enim, *alio*, ſeu in aliam perſonam, uſitatum bonis ſcriptoribus. Terent. Phorm. 2: 1: 2.

--- atque ex crimine hoc Antiphonem eripiam,
atque in me omnem iram derivem ſenis?

Mar-

Cornigeras norunt Matres, Agnique petulci
Balantum pecudes: ita, quod natura repoſcit,
Ad ſua quiſque fere decurrunt ubera lactis.
Poſtremo quodvis Frumentum, non tamen omne
Quodque ſuo in genere inter ſe ſimile eſſe videbis,

Quin

INTERPRETATIO.

cornigeras matres ſuas, Petulci etiam Agni matres ſuas Balantes pariter cognoſcunt, ita quiſque (prout Natura ipſa poſtulat) ad ſuæ tantum matris ubera decurrat. Denique Quodvis frumenti Genus contemplare, Omnia tamen illius grana non inter ſe tam prorſus ſimilia invenies,

VARIÆ LECTIONES.

369. *Balantum pecudes* Balatum pecudis A marg. E. P. Q. N. X. balatum pecudes Z. balatu *Tollius* in Fortuit. p. 222. *repoſcit.* pepoſcit N.

370. *fere* feri c. O. P. Q. X. *decurrunt.* decurrit K.

372. *Quodque.* Quidque G. Q. X. Y. Z *ſe* Abeſt Q.

372. *Quin.* quando X. *& bis repoſitum in* Q. *varia manu atque correctum.* quid Z.

NOTÆ.

Marcus Tull. lib. 1. accuſat. *Alio reſponſionem ſuam derivavit.* idem pro Milone: *Dicam enim non derivandi criminis cauſa, ſed ut factum eſt.* idem libr. accuſ. 4. *Quid eſt quamobrem putes te tuam culpam non modo derivare in aliquem, ſed communicare cum altero poſſe?* LAMB. *Derivare queunt animum*] Ita ex omnibus libris legendum. Et Virg. Georg. 3: 520.

--- *Non mollia poſſunt*
Prata movere animum. ---

Et modo hic: *Oblectare animum.* &c. Lambinus tamen: *alio.* GIF. Flectere, avertere, mutare. FAB. Alii *Animum:* ut v. 363.

Oblectare Animum: & Virg. Georg. 3: 520.
--- *Non mollia poſſunt*
Prata movere Animum ---

Alii
Derivare queunt, Animum curaque levare:

Pro *Alio* Reliqui pugnant, & laudant Ciceronem alicubi dicentem, *Alio* reſponſionem ſuam derivavit. CREECH.

365. *Curaque levare*] Sic habent libri veteres: alii, *curamque levare.* quamquam parum refert utro modo ſcribatur. LAMB.

368. *Cornigeras norunt m.*] Ita in veteribus, & Feſto. Apud Macrob. *corniferas.* GIF. *Agnique petulci*] *petulantes & petulci appellantur* (inquit Feſtus) *qui protervo impetu, & crebro petunt, lædendi alterius gratia.* Virgil. Georg. 4: 10.

--- *neque oves, hædique petulci*
Floribus inſultent.

citat Macrobius lib. 6. LAMB.

369. *Balantum pecudes*] oveis. ſic autem eſſe legendum, non, ut habent libri vulgati, *Balatum pecudis*, arguunt veteres codices. ſic Virgilius libro primo Georg. 272.

Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.

Idem libro tertio: 457.

Quin etiam ima dolor balantum lapſus ad oſſa.

Putaveram tamen olim legendum *Balanteis pecudes.* ſic enim fere idem Lucretius loquitur libr. 6: 1130.

--- *etiam pecubus balantibus ægror.*

Sed nunc *balantum* malo. propius enim ad ſcripturam antiquam accedit. LAMB. Ita quidam codices veteres. In quibuſdam: *Balatum.* in quibuſdam: *pecudis.* male. Vide Indicem. Lambinus: *Balantes.* GIF.

369. *Quod natura repoſcit*] Quidam docti legendum cenſent,

Quoad natura repoſcit.

præterea quidam libri vulgati habent,

Quod natura pepoſcit. LAMB.

370. *Ad ſua quiſque fere*] Facit hic verſus ad confirmandam conjecturam meam, ad lib. 1. verſ. 492.

Diſſiliuntque fero ferventi ſaxa vapore.

Quæ loquendi feritas non aliunde videtur profecta, quam a ſupervacanea pro metro ſollicitudine. ſcribo

Diſſiliuntque fere ferventi ſaxa vapore. PREIG.

370. *Ubera lactis*] ubera lactea. ſupra lib. 1: 886.

--- *Lani-*

Quin intercurrat quaedam diſtantia formis,
Concharumque genus parili ratione videmus
Pingere telluris gremium, qua mollibus undis
Littoris incurvi bibulam pavit Aequor arenam.
Quare etiam atque etiam ſimili ratione neceſſe eſt,
Na-

INTERPRETATIO.

quin aliqua ſit inter illa figurarum varietas: Sic & Conchas diſſimiles videmus Terram pingere, (variis figuris ornare) qua Æquor mollibus undis bibulam Arenam litoris incurvi ferit. Quapropter, pariter etiam ſemina,

VARIÆ LECTIONES.

373. *Intercurrat.* Amicus quidam *intercurrant.* confer vſ. 334.
376. *pavit æquor.* lavit æquor A marg. C. D. P, *Gaſſ.* Non.

NOTÆ.

--- *Lanigeræ quali ſunt ubera lactis.* Lamb.

371. *Poſtremo quodvis*] Sic Stoici. Marcus Tull. libr. 2. Acad. *Stoicum eſt id quidem, nec admodum credibile, nullum eſſe pilum omnibus rebus talem, qualis ſit pilus alius: nullum granum. hæc refelli poſſunt: ſed pugnare nolo. ad id enim, quod agitur, nihil intereſt, omnibus ne partibus viſa res nihil differat, an internoſci non poſſit, etiam ſi non differat.* idem ibid. *Vides ne, ut in proverbio ſit ovorum ſimilitudo? tamen hoc accepimus, Deli fuiſſe complureis (ſalvis rebus illis) qui gallinas alere ſolerent. hi cum ovum inſpexerant, quæ id gallina peperiſſet, dicere ſolebant.* Lamb. Eandem ſpecialem, ſeu (ut loquuntur) individualem differentiam agnoſci docet, v. 6. ſiquis, attendat, non modò in herba ſed etiam in granis frumenti, in conchis, & ſimilibus: & demùm v. 4. concludit ſemina ipſa, cum a nullo Artifice ad unam formam facta ſint, debere non minùs quàm res cæteras variis & diverſis figuris ornari. Creech.

371. *Quodvis frumentum*] e verſu 347. repete *Sumere perge.* Creech.

373. *Intercurrat*] Cenſet quidam ex amicis legendum *intercurrant*, ut ſup. 333.

Qualia ſint & quam longe diſtantia formis.

Ego vulgatam amplector. Hav.

375. *Pingere*] variare, ornare. tranſlatio. Lamb.

375. *Tell. grem.*] Virgil. lib. 2. Georg. 326.

Conjugis in gremium lætæ deſcendit. Lamb.

375. *Mollibus*] *Molles undæ* dicuntur, quia facile cedunt aliis corporibus. Virg. Æneid. 9: 817.

Accepit venientem, & mollibus extulit undis.

ſic iterum Lucret. lib. 1: 282,

Quam cum mollis aquæ fertur natura repente
Flumine abundanti, &c. Lamb.

376. *Incurvi*] Valde curvi: ut apud Vergilium Georg. 3: 311.

--- *Incanaque menta*
Ciniphii tondent hirci.

Lavit. Pro *lavat.* Carmen hoc Marcellus advocat. Plautus in Amphit. 5: 1: 50.

Poſtquam peperit pueros lavere juſſit: nos occœpimus.

Virgilius libro ſecundo Georgicon. 3: 359.

Lavit improba teter
Ora cruor. Pius.

Litoris incurvi b. l. æ. a. Hunc verſum profert Nonius in voce *lavit*, ut probet, hoc verbum à veteribus uſurpatum eſſe in tertia conjugatione. quod item admonuimus in comm. Horatianis ad Oden 3. libr. 2. Veruntamen in cod. Bertin. & Vaticano ſcriptum eſt,

Bibulam pavit æquor arenam.

Atque ita hìc reponendum eſſe cenſeo, reclamante atque invito Nonio. *pavire* autem eſt *ferire.* M. Tullius lib. 2. de divinatione: *Sed quia cum paſcuntur, neceſſe eſt aliquid ex ore cadere, & terram pavire, terripavium primo, poſt terripudium dictum eſt, &c.* Quod ſi hæc ſcriptura, quam ſecutus ſum, Nonii auctoritate & teſtimonio non niteretur, ego eam rejeciſſem. quamquam, ut dicam quod ſentio, & jam antea ſatis oſtendi, Nonii auctoritas non ſemper, neque ubivis mihi gravis eſt: ut neque hoc loco. Lamb. Ita in veteribus noſtris. Quidam veteres: *lavit.* Quod deformatum videtur, etſi non ſit malum. Sic Marullus
ex

Natura quoniam conſtant, neque facta manu ſunt,
Unius ad certam formam Primordia rerum,
Diſſimili inter ſe quaedam volitare Figura.
  Perfacile eſt jam animi ratione exſolvere nobis,
Quare Fulmineus multo penetralior ignis,

Quam

INTERPRETATIO.

cum ſint a natura, non facta manu alicujus Artificis ad unam certam formam, debent ferri (eſſe) diſſimilibus figuris prædita. Hinc facile explicare poſſumus cur Ignis fulminis facilius & fortius res penetrat,

VARIÆ LECTIONES.

381. *jam.* Deeſt B. C. E. N. P. Q. Y. Z.

382. *fulmineus.* flumineus Y. Z. *ſed Corr. penetralior.* penetralius C. E. N. P. Q. 1. X. petralior igne G. penetrabilis Q. 1.

NOTÆ.

ex *pavit*, quod in Vet. libris invenerat, etiam fecerat: *lavit.* Ita & legendus Nonius. Retineri ergo poterit percommode. Gif. Ita ex MS. Lambinus, contra Nonium, recte. *Pavit* enim ſignificat percutit, quatit, ferit; idem quod *plangit*, Virg. *Nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.* in Georg. 1: 334. Fab. *Bibulam arenam*] Virg. Georg. 1: 114.

Collectum humorem bibula deducit arena. Lamb.

378. *Natura quoniam conſtant*] Alii: *conſtat*, ut *Natura* ſit recti Caſus, ac ſenſus: quoniam primordiorum natura conſtat, id eſt, ſibi conſtat. Preig.

380. *Volitare*] moveri, ferri. tranſlatio. Lamb.

381. *Perfacile eſt jam &c.*] Hanc pro varietate figurarum contentionem non inanem & inutilem eſſe, ſed variis naturæ Phænomenis explicandis neceſſariam demonſtrat; & ex iis ipſis Naturæ Phænomenis varietatem figurarum egregie & copioſe probat. Primo v. 9. docet cur Ignis Fulminis facilius & fortius res penetrat quam Ignis e Teda vel e Lignis ortus; nempe Ignis fulminis e parvis & ſubtilibus ſeminibus conſtat, dum craſſiora ſunt & hebetiora ſemina iſtius ignis, qui e Teda aut Lignis oritur. Illa Alia ſemina Aliis minora. Creech. *Perfacile eſt jam.*] Sic excudendum curavi, cum à vulgatis abſit particula *jam.* quod & alii κακοήθως poſt ſecuti ſunt quaſi vulgatum. Lamb. *Perfacile eſt animi.* Ita omnes libri. Lambinus tamen: *eſt jam animi.* Mox vſ. 282. quidam veteres, & Vulgati fere omnes: *penetralius*, ut jungatur τῷ *fluat.* Et mox v. 283. Quidam veteres: *cæleſtis.* non male utrumque. Gif.

Ratione animi] id eſt intelligentia. ſupra lib. 1: 449.

Nec ratione animi quam quiſquam poſſit apiſci.

M. Tullius libro primo de invent. rhet. *Nec ratione animi quiſquam, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrabant.* Lamb.

382. *Penetralior ignis*] Sic habet cod. Bertinianus & Memm. vulgati autem *penetralius*, mendoſe. *penetralis* autem actionem ſignificat, ut alias notavimus. Lamb. τομώτερος, penetrantior. ut *penetrabile frigus.* Virg. Fab.

383. *E tedis*] *Teda* ſextum genus eſt arborum cognatarum, quæ picem & reſinam gignunt. ſunt enim hæ ſex, *pinus*, *pinaſter*, *abies*, *picea*, *larex*, *teda.* lege Plin. libri. 16. capite decimo. Lamb.

383. *Quam noſter fluat, &c.*] Videri alicui poſſit legendum eſſe *fuat*, pro *ſit*; ſed nil mutandum; eſt enim illuſtris tranſlatio; *ſed quæ continuo tenebris obducta periret*; deinde illius exempla innumera ſunt apud Lucretium. Fab.

384. *Cæleſtem fulminis ignem*] Codices Ber-

ti

Quam noſter fluat è Tedis terreſtribus ortus.
Dicere enim poſſis coeleſtem Fulminis ignem
Subtilem magis è parvis conſtare figuris:
Atque ideo tranſire foramina, quae nequit ignis
Noſter hic è Lignis ortus, Tedaque creatus.
Praeterea Lumen per cornum tranſit: at Imber

Re-

INTERPRETATIO.

quam ille noſter (communis) qui facibus terreſtribus exortus fluit. Dicere enim licet Ignem Fulminis cæleſtem ſubtilem magis eſſe, quippe e ſeminibus minoribus formis prædítis conſtantem; atque ideo porulos iſtos pertranſire poſſe, quos noſter Ignis tedis lignisque exortus permeare nequeat. Præterea Lux tranſit per Cornu, ſed Aqua non tranſit.

VARIÆ LECTIONES.

385. *e* & A marg. c. F. P. Cr. Q. X. ac Z.
387. *Noſter hic e.* Noſter de C. E N. Noſter qui è Q 1.
388. *cornum.* Ita clare A. B. V. Y. Z. cornua C. cornu *vulgati.*

NOTÆ.

tinianus & Memmianus habent,

Cæleſtis fulminis ignem. Lamb.

385. *E parvis*] In aliis, *&* *parvis*: quod malim. Fab. *Et Parvis* mavult *Faber*, & ſapit. Creech.

388. *Figuris*] *Figuras* & σχήματα vocari docet individua hæc corpuſcula Turneb. Ad. 5: 25. quod quædam ſint hamata, alia uncinata, quadrata. &c. Hav.

387. *Noſter hic*] Quidam putant hinc audendi Virgilio datam anſam cum Æn. 4: 22. inquit:

Solus hic inflexit ſenſus, animumque labantem.

Et apud eundem. Æn. 6: 793.

Hic vir hic eſt tibi quem promitti ſæpius audis.

Sunt tamen qui ſemper *hic* productam volunt, audentque aſſerere hunc non eſſe dactylum pedem. Pius. Sic reſtitui ſecutus codices Ald. antiquos, Vicetinos, Pariſienſes, Lugdunenſes: quibuſcum conſentiunt manuſcripti, Bertinian. & Memm. & jam *hic* pronomen quin breve ſit, non dubium eſt. Virgilius libro quarto Æneid. 22.

Solus hic inflexit ſenſus, &c. Lamb.

388. *Per cornu*] Per laternam corneam: de qua epigrammaticus poëta.

Dux Laterna viæ clauſis feror aurea flammis.

Erat & ex veſica: de qua idem poëta.

Cornea ſi non ſum num quid ſum fuſcior?

Pœni ex ebore tenuiſſimo factitabant: unde Plauto in Aulularia 3: 6. 20.

Curioſus agnus pellucet, ut laterna Punica. Pius.

Per cornu tranſit. Sic habent libri manuſcripti tres: quibuſcum congruunt utrique Aldini, Vicetini, Pariſienſes, Florentini. Sed codex Bertianus *cornum.* per *cornu* autem, ſive *cornum*, laternam corneam intellige. Lamb. *Per cornum.* Ita vet. libri quidam. In aliis: *cornu.* Gif. *Per Cornum* Alii è Veteribus. v. 3. docet eandem Diverſitatem figurarum Cauſam eſſe cur Lux per Cornu tranſit dum Aqua in ſuperficie ſiſtitur. Creech. Voſſius legit *per cornum*, quod maſculini generis eſſe ait cum Priſciano. At *verum* pro *veru*, neutro poſuit Plautus, in Rud. v. 2. 15.

Nam quidem hoc vere natum eſt Verum: ita in manibus conſeneſcit. Preig.

389.

Reſpuitur: Quare? niſi Luminis illa minora
Corpora ſunt, quam de quibus eſt liquor Almus Aquarum:
Et quamvis ſubito per colum Vina videmus
Perfluere, at contra tardum cunctatur Olivom;
Aut quia nimirum majoribus eſt Elementis,
Aut magis hamatis inter ſe, perque plicatis.

At-

INTERPRETATIO.

Quam ob cauſam? ſcilicet quia lucis particulæ minores ſunt, quam illæ e quibus Aqua componatur. Videmus vinum per Colum cito fluere, at e contra Oleum tarde tranſit, quoniam viz. illius ſemina, majora ſunt, quam vini ſemina, aut ſaltem magis hamata, & perplexa;

VARIÆ LECTIONES.

390. *Almus.* alimus Q. Y. Z. *ſed in* Z. *corr. addit* Q. 1. i. e. ſine limo.
391. *colum.* collum G. Q. X. Y. Z.
393. & 394. permutantur in Q. X.

NOTÆ.

389. *Minore*] Bono animo ſit *Fayus*, non ſecum pugnat Lucretius, Alia ſemina aliis minora eſſe libenter agnoſcit, nec tamen ſibi ipſi repugnat, licet ſemina *Minima* eſſe olim dixerit. Per minima enim nihil aliud volunt Epicuræi quam ſimplicia, ſolida Corpora ideoque individua. Creech.

391. *Et quamvis ſubito*] id eſt, quantumvis ſubito. Lamb. *Quantumvis ſubito* mallem cum *Lambino*, quam *Licet ſubito* cum *bono Fayo*. Alia ſemina non tantum Aliis majora, ſed Alia hamata & ramoſa eſſe dum Alia rotunda ſint v. 7. demonſtrat. Vinum enim ideo cito per Colum tranſit, dum Oleum tardius fluit, quoniam Olei ſemina hamata ſunt, & inde perplexior nexus, ita ut non facile adeo exolvantur, & coli foramina penetrent. Creech.

393. *Majoribus elementis*] Atomis craſſioribus. Fab.

394. *Aut magis hamantis*] Quæ ἀγκιϛροειδῆ nominat Epicurus. Lamb.

394. *Perque plicatis*] & valde perplexis. tmeſis: ut *inque peditis*, *conque globatis*, & ſimilia. Lamb.

305. *Non tam deducta*] Sic legendum, non *diducta.* atque hanc ſcripturam confirmant codices, Vaticanus, Bertinian. & excuſi Vicetini, ac Pariſienſ. *deducta* autem interpretor *ſubtilia atque attenuata.* Virgilius Ecl. 6: 5.

Deductum dicere carmen.

Afran.

--- *reſpondit voce deducta.*

Pompon. *Vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba.* lege Macrob. libr. 6. Saturn. Alii *diducta* probant, & interpretantur *diſtracta.* quam ſcripturam, tanquam mendoſam, rejicio: neque eorum qui eam tuentur, me movet auctoritas, quia ut hanc ſcripturam ſcio eſſe veram & rectam, ita illos exploratum habeo pingueis eſſe atque hebeteis &, quod pejus eſt, quodque vel optima ingenia, & ſubtiliſſima judicia corrumpit, malevolentia & livore ſuffuſos. Lamb. *Diducta repente.*] Ita recte; id eſt: diſtracta. Quaſi diceret: atomi hamatæ ſunt initio, nec ſtatim omnes diductæ. Veteres quidam: *deducta.* Gif. tenuia, ſubtilia, λεπτομερῆ, ſi ita de atomo loqui liceret; deductus, tenuatus, metaphora a lana, ut opinor; exempla paſſim. al. *diducta*, ut in Libb. MSS. legitur, quod eſſet *diſtracta*, *divulſa*, *ſeparata*, &c. ſed peſſime, ut opinor. Nam in concretis, atomi non mutant naturam. Ridicule itaque Gifanius, qui ſcribit: *atomi hamatæ ſunt initio, nec ſtatim omnes diductæ.* Plauſum clarum date. Fab. Ipſe Ridendus: Hamata ſemina perplexe connecti quis neſcit? *Semina in Con-*

 cre-

Atque ideo fit uti non tam diducta repente
Inter ſe poſſint Primordia ſingula quaeque
Singula per cujuſque foramina permanare.
Huc accedit, uti Mellis Lactiſque liquores
Jucundo ſenſu linguae tractentur in ore;
At contra tetra Abſinthî natura, ferique
Centaurî foedo pertorquent ora ſapore:

Ut

INTERPRETATIO.

Et inde fit quod ſingula ſemina non tam cito diduci a ſe invicem, & diſtrahi poſſunt, & Coli porulos perfluere. Adde inſuper, quod Lac & mel grati ſint ſaporis, & dum in ore verſentur jucundum ſenſum excitent: at e contra Amarum Abſinthium, & tetra Centaurea ingrato ſapore ſuo diſtorqueant ora;

VARIÆ LECTIONES.

395. *diducta.* Ita A. E. N. Q. X. Y. Z *Reliqui* deducta
327. *permanare.* permanere Z.
398. *Huc.* Hoc A.

NOTÆ.

cretis naturam mutare, nec Ipſe credidit Giſanius Hamatas vero Atomos ſubito diduci non poſſe exiſtimavit, & recte: *Diducta* igitur libenter legerem, cum ſemina hamata, & inter ſe perplicata, niſi diducantur, per Coli foramina permanare non poſſunt. Creech.

396. *Singula quæque, ſingula*] παλιλλογία, ut apud Virgil. Sileno ſeu Ecl. 6. 20.

--- *timidiſque ſupervenit Ægle,*
Ægle Najadum pulcherrima. Lamb.

Exiſtimavit Interpres eſſe παλιλλογίαν in *ſingula.* Mihi vero contra videtur: ſeries enim verborum hæc eſt: *Singula quæque primordia poſſent per ſingula cujuſque foramina permanare.* Fab.

398. *Huc accedit, uti m.*] Aliis argumentis ab effectis, ſeu exemplis potius, docet, prima corpora non iiſdem figuris omnia eſſe prædita. Lamb. v. 10. idem urget argumento e diverſo rerum ſapore ducto; Lac enim & Mel dulcia ſunt, quia conſtant e Corpuſculis ea ratione configuratis, ut in organum guſtatus effuſa, poruloſque ejus ſubeuntia appoſite ipſis eiſdem particulis accommodentur, ſicque ipſum demulceant, leniter placideque afficiant: Abſynthium vero & Centaurium Amara & Acerba, quod Corpuſcula ex quibus conſtant ea ratione configurentur, ut in porulos Organi ſubeuntia haud debitam habeant cum ipſis commenſurationem, unde & particulas ejuſdem compungant, concidant, convellant, organumque adeo dilanient, diſcerpant, aſperiter moveant. Et hinc licet conjectare, Dulcia e lævibus & rotundis Corpuſculis componi, Amara ex aſperis & hamatis. Creech.

400. *Tætra abſinthi nat.*] Supra lib. 1: 935.

Sed veluti pueris abſinthia tætra medentes
Cum dare conantur, &c. Lamb.

400. *Ferique cent.*] & feri centaurii natura: id eſt centaurêum, ſeu centaurîum, productis iis ſyllabis quæ ſunt ante ultimas. *Ferum* autem appellat proprie, reſpiciens Chironem Centaurum partim equum, partim hominem: & ita immanem, agreſtem, & non humanum. *Centaurium* (inquit Feſtus) *medicamentum à Chirone Centauro inventum.* Virgil. Georgic. 3: 270.

--- *grave olentia centaurêa.*

Lucret. lib. 4: 124.

Abrotonique graves, & triſtia centaurea.
Lamb.

Cen-

Ut facilè agnoſcas è laevibus, atque rotundis
Eſſe ea, quae ſenſus jucunde tangere poſſunt:
At contra quae amara, atque aſpera cunque videntur,
Haec magis hamatis inter ſe nexa teneri;
Proptereaque ſolere vias reſcindere noſtris
Senſibus, introituque ſuo perrumpere corpus.
Omnia poſtremo Bona ſenſibus, & Mala tactu,

Dis-

INTERPRETATIO.

& hinc facile colligas Illa quæ ſenſus grato ſapore & jucunde afficiunt (dulcia) e lævibus & rotundis ſeminibus conſtare; at contra quæcunque amara & ingrati ſaporis ſentimus, ex hamatis particulis, & magis inter ſe perplexis conſtare; unde fit ut lædant ſcindantque organa, & ingreſſu ſuo lacerent Corpus. Denique quæ grata ſunt & jucunda ſenſui, quæ ingrata & injucunda,

VARIÆ LECTIONES.

404. *quæ amara.* quæ ut amare. *atque.* & quæ, *corrigit* P. *in not.*
405. *nexa.* cunque *Gaſſ.*
406. *Proptereaque.* Prætereaque O. Q. *reſcindere.* reſtringere C. E. *i. e.* aperire *Turneb. Adv.* 16: 2.

NOTÆ.

Centaurium ipſum, &c. plantæ notiſſimæ. Fab. ut Abſynthium *tetrum*, & lib. 4. *Triſtia* Centaurea. Valeant Grammatici cum bellis iſtis de Immanitate *Chironis* conjecturis, & miſer *Fayus* cum ſuo *Agreſtis*. Creech.

401. *Pertorqueant ora*] id eſt efficiunt, ut, qui ea guſtat ac mandit, os diſtorqueat: quemadmodum ajunt, eos qui herbam *Sardoam* deguſtarint, ore diſtorto mori: unde *riſus Sardonius*. Hom. Ὀδυσσ. Υ: 302.

Σαρδόνιον δ᾽ ἐγέλασσε. Lamb.

404. *Quæ amara*] in voce *quæ*, diphthongus *æ* corripitur, neque eliditur. quod ſæpe fieri ſolere admonuimus in comment. Horat. *quæ amara*, &c. *cunque*, pro *quæcunque amara*, &c. tmeſis. Lamb. Faciunt ut qui in os admiſerint, os ſibi diſtorqueant propter eorum amaritiem. Terent. Eun. 4: 4: 3.

Illud vide, ut ſibi os diſtorſit carnufex.
Fab.

Virgil. imitatur Georg. 2: 246.

At ſapor indicium faciet manifeſtus, & ora
Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaror.
Hav.

406. *Vias reſcindere*] Sic habent duo cod. manuſcr, & typis excuſi Pariſ. Florentin. uni Lugdun. al. *reſtringere.* Lamb. Quidam veteres: *reſtringere.* Vide *Indicem.* Gif. Rumpere, Aperire. Alii legunt *Reſtringere*, quod forſan idem valet. Creech.

408. *Omnia poſtremo bona* &c.] Hactenus de dulci & Amaro ſapore, jam v. 18. docet res aliis etiam ſenſibus jucundas, aut injucundas fieri propter eandem cauſam, quoniam viz. Semina e quibus conſtant ſint lævia & rotunda, vel aſpera & hamata. Sic in gratis Sonis, Odoribus, & Coloribus, rotunda & lævia ſemina, in ingratis autem hamata & aſpera agnoſces. Creech. *Bona ſenſibus & mala tactu.* Commoda ſenſibus aliis, ſed non tactui; quod genus infinita cibaria ſunt. Fab. In hiſce *ſenſibus* & *tactu* dandi caſu accipi poteſt pro *tactui*, & tamen æque recte ablativus dici poteſt; uti docuit Voſſius de Conſtruct. cap. 54. in fine, loca ſimilia adducens & illuſtrans. Virgil. 3. Georg. 416.

Sæpe ſub immotis præſepibus aut mala tactu
Viſpera delituit.

quod & pro *tactui* accipi poteſt, ſicuti *ſenſu* aliquando pro *ſenſui*, atque ita noſtrum *ſenſibus* pa-

rite-

Diſſimili inter ſe pugnant perfecta Figura:
Ne tu forte putes Serrae ſtridentis acerbum
Horrorem conſtare elementis laevibus aeque
Ac Muſaea mele, per chordas Organici quae
Mobilibus digitis expergefacta figurant:
Neu ſimili penetrare putes Primordia forma
In nareis hominúm, quom tetra Cadavera torrent,

Et

INTERPRETATIO.

quippe ſibi invicem contraria, ſeminibus diſparis figuræ conſtant. Ne forte exiſtimes acerbum Serræ ſtridentis Horrorem conſtare ſeminibus æquè lævigatis, ac ſonos muſicos, quos veluti dormientes Organici mobilibus digitis chordas percurrentes excitant, & efformant. Ne etiam credas ſemina eſſe ejuſdem figuræ quæ afficiunt nares Hominum cum fœda cremant cadavera,

VARIÆ LECTIONES.

410. *Ne tu.* Nec tu *Gaſſ.*
413. *Mobilibus.* Nobilibus A marg, c. G. O. P. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

riter diceretur: ut in dandi caſu in Mimiambi Cn. Matii apud Gelll. 15: 25.

Quapropter edulcare convenit vitam,
Curaſque acerbas ſenſibus gubernare. Hav.

410. *Serræ ſtrid. acerb. horr.*] *acerbum horrorem*, tralatio eſt à guſtandi ſenſu ad auditum. Nam acerba ſunt linguæ & palato ingrata propter inſitam immaturitatem: ſerræ horror autem non guſtum ſed auditum offendit. M. Tull. lib. 5. Tuſcul. *Surdi vocem citharœdi non audiunt: ne ſtridorem quidem ſerræ audiunt, tum cum acuitur.* Lamb.

412. *Muſæa mele*] cantilenas muſicas. ſic *cycnea mele* dicit inf. 504.

Et cycnea mele, Phœbeaque dædala chordis.

μέλη, vox Græca, unde *poëtæ melici*, qualis Simonides. Plin. lib. 7. cap. 24. *Inventa memoria eſt à Simonide melico.* de quo Quintil. lib. 11. c. 2. videntur autem hi poëtæ, *melici* appellati, quòd eorum carmina non ad lyram, ſed ad alia organa muſica canerentur. Idem Lucret. lib. 5: 335.

Modo organici melicos peperere ſonores. Lamb. Cantica elaborata & ex arte compoſita. *mele*, *pelage*, *cete*, uſurpantur à Græcis. Fab. Cantica elaborata, & ex arte compoſita. *Mele* ut *Pelage*: v. 504. *Cycnea Mele.* l. 1. v. 933. *Muſæo lepore* v. 946. *Muſæo melle*, lib. 5. v. 336. *Melicos ſonores.* Creech.

412. *Organici*] qui digiti pulſantes organorum chordas, ſeu nervos, ſuaveis inde eliciunt ſonos. Idem lib. 5: 335.

--- *modo organici melicos peperere ſonores:*

quem locum jam jam protuli. Lamb. Qui organa ſeu inſtrumenta muſica tangunt. Fab.

413. *Mobilibus digitis*] Sic legendum, non *nobilibus.* Lamb.

412. *Expergefacta*] excitata. Lamb.

413. *Figurant*] conformant, δαιδάλλουσι. Lamb. Bene. nam in arte canendi ſunt χήματα & χρώματα, ut in ſaltationibus ſeu ſtaticulis. Fab.

416. *Scena*] Scio hoc nomen paſſim in veteribus marmoribus & membranis ſcribi cum diphthongo *æ*, *ſcæna*: veruntamen uſum ſecutus ſum, præſertim cum ſit Græcum σκηνή: η autem vertatur in *e* longum. Lamb.

416. *Croco Cilici*] *Crocum Cilicium* laudatur, ut *oleum Venafranum*, *vinum Falernum.* Ovid. Faſt. 4.

Terque lavet noſtras ſpica Ciliſſa comas.

Plin. lib. 21. c. 6. *Prima nobilitas eſt croco Cilicio in Coryco monte*, &c. perfundebatur autem ſcena cro-

Et quom Scena croco Cilici perfuſa recens eſt,
Araque Panchaeos exhalat propter odores:
  Neve bonos rerum ſimili conſtare Colores
Semine conſtituas, oculos qui paſcere poſſunt,
Et qui compungunt aciem, lacrymareque cogunt:
Aut foeda ſpecie tetri, turpeſque videntur.
Omnis enim ſenſus quae mulcet cauſa, juvatque,

Haud

INTERPRETATIO.

& cum ſcena Croco Cilici recenter conſperſa eſt, & Ara juxta poſita ſuaves Arabici thuris odores exhalat. Neque credas gratos rerum colores qui oculos delectare poſſunt componi e Seminibus ejuſdem formæ cum illis qui pungunt oculos, & lachrymas exprimunt, aut fœdam ſpeciem præ ſe ferunt, & turpes videntur. Quodcunque enim delectat,

VARIÆ LECTIONES.

421. *Tetri turpeſque.* turpes olidique M. fœdi turpeſque V. Z. qui olidi Q 1.
422 *ſenſus.* ſpecies G. V. & alii. *mulcet.* multat M. C. E. N. *not. Pii. cauſſa.* cunque V. & alii. c. P. G. Q. X. Y. Z. *Conſtructio eſt:* omnis cauſa ſenſus &c. *juvatque.* videntes V. & alii. videntur G. Q. Y. Z.

NOTÆ.

croco. Horat. epiſt. ad Auguſt. 2: 1: 70.

Recte, necne crocum, floreſque perambulet Attæ
Fabula, ſi dubitem: clament periiſſe pudorem &c. Lamb.

Croci enim, qui è Cilicia advehebatur, floribus ſcena reſpergebatur. Martialis, alii. *Panchæi* autem Arabiæ pars thurifera. Fab. Croco vino permiſto fundebantur Theatra, ut tradit Plinius, quo & illud ex primo libro ſylvarum trahunt quidam:

Et olenti ſpargere nymbo.

Quod non probo, nam vera lectio ſervat: *thymbra.* FLAVIUS in Conjectaneis, Cap. LXXXVIII. tom. 1. Facis Crit. pag. 988. Sed videndus Gevartius ad Statii locum illum 1. ſylv. in Epital. Stellæ, ubi de *Odoratis imbribus, Cilicum nimbis,* &c. Preig.

417. *Araque propter exhalat*] ita mallem quam *propter odores exhalat.* Creech.

417. *Panchæos*] Arabicos. Virg. Georg. 4: 379.

Panchæis adoleſcunt ignibus aræ. Lamb.

419. *Paſcere*] hoc eſt delectare, tralatio, ſic Terent. Phorm. 1: 2: 35.

Reſtabat aliud nihil, niſi oculos paſcere,
Sectari, in ludum ducere, & reducere.

Virg. l. 1. Æn. 468.

--- atque animum pictura paſcit inani.

Lucr. l. 1: 37.

Paſcit amore avidos inhians in re, dea, viſus. Lamb.

421. *Turpes, tætrique vid.*] Nonnulli legunt; *fœdi turpeſque:* in quibuſdam libris ſcriptum eſt, *turpes olidique.* ſed hoc *olidi* depravatum eſſe puto: alibi *cæli.* ego ex hac vitiata ſcriptura libenter fecerim, *turpes fœdique.* Lamb. Quidam veteres: *turpes olidique.* Et ita Marullus. In quibuſdam: *cæli.* Latet quid. Forte legendum, *cœli. ſpecie cœli*, id eſt: *cœrulei.* Aut, forte legendum: *cæſi.* qui duo colores turpes & feri habentur. Gif.

422. *Omnis enim ſenſus quæ mulcet, cauſa, juvatque*] In eo codices manuſcript. ſecuti ſumus, quod *mulcet*, rejecto illo *multat*, excudendum curavimus (quamquam nonnulli habent, *mulceat*) quibuſcum conſentiunt vulgati Veneti antiq. Vicetini, Pariſienſ. in hoc non ſum ſecutus, quod habent *cumque videntur*, vitioſe, non, ut legen-

 dum

Haud ſine Principiali aliquo laevore creata eſt:
At contra, quaecunque moleſta, atque aſpera conſtat,
Non aliquo ſine Materiae ſqualore reperta eſt.
Sunt etiam quae jam nec Laevia jure putantur

Es-

INTERPRETATIO.

& gratum eſt ſenſibus, id conſtat e lævibus principiis. Quodcunque vero lædit & ingratum eſt, id e ſqualidis hamatiſque ſeminibus componitur. Sunt etiam quædam ſemina, quæ nec lævigata jure dicas,

VARIÆ LECTIONES.

423. *Haud.* Aut. C. E. G. N. Q. *principiali.* principali B. C. E. *lævore.* leviore C. N. læviore E. X. Y. Z.

424. *At contra.* Aut contra C. E. N. X. Z. ſed *corr.*

425. *reperta eſt.* Inſerunt,

At quæ lenis, & eſt jucundo prædita ſenſu;
Hæc aliquo ſine ſeminio graviore creata eſt

C. E. N. P. *graviore.* breviore P.

NOTÆ.

dum eſt, *cauſa, juvatque.* Lamb. Omnes veteres libri:

--- *quæ mulcet cumque videntur*

Marullus, & Vulgati.

--- *multat cauſa, juvatque.*

Veterum librorum illa: *cumque videntur* non intelligo. Modo ea poſuerat. vſ. 404. Gif. De varia lectione hac *mulcet* & *mulctat* diſputat Turneb. Adv. 16: 2. in fine; notatque Priſcianum docere *mulceo* in ſupino *mulſum & mulctum* facere. *Lambinianæ* tamen lectioni adhærere ſeſe dicit. Hav.

423. *Haud ſine princ. al. lævore*] Sic legebat hunc verſum Pontanus, & ita habent cod. Aldini antiq. & Pariſienſ. ita denique emendatum eſt ad oras codicum Lugdunenſium: lævorem principialem intellige lævorem primorum corporum, ſeu principiorum, ut contra ſtatim dicet materiæ ſqualorem. uſus eſt eadem voce lib. 5: 247.

Scire licet cæli quoque idem terræque fuiſſe
Principiale aliquod tempus, clademque futuram.

Lamb.

424. *At contra quæcumque*] Sic legendum, & ita habent cod. Aldini, & Vicetini Pariſ. & aliquot manuſcr. Poſt verſum proximum in omnibus vulgatis libris, (Aldinos, & Vicetinos excipio) reperiuntur duo verſus inepti, & ſupervacanei. Itaque eos rejeci, cum abſint à manuſcript. & in codice Joviani Pontani deleti ſint. Cum hoc ſcripſiſſem, triennio poſt barbarus homo idem ſe feciſſe, hoc eſt, hoc verſus delevisſe dicit. Poteſtne ulla deſcribi major impudentia? ſed quid queror de hoc loco? ubi non eſt ſui ſimilis? Lamb.

425. *Squalore*] Squalor proprie aſperitas eſt; Itaque veſtis auro & ſignis aſpera (ſic enim vulgo loquuntur) *ſqualens auro* dicitur Virgil. alias aliud. Iſtud autem ſqualor fit à *ſqualus*, unde *ſqualitas* & *ſquales.* Sed his locus non eſt. Fab.

426. *Sunt etiam quæ*] Etiam corpuſcula quædam eſſe dicit media inter lævia & aſpera. Lamb. Quoniam ſunt quædam Objecta, quæ ſenſus organa nec prorſus lacerant, ut Amara, nec ita delectant ut Dulcia, ſed titillant potius & grato Dolore excitant, ideo putandum eſt nec prorſus lævia & rotunda eorum ſemina eſſe, nec Hamata & aſpera; ſed Angulis quibuſdam extantibus figurata, ita ut aliquatenus pungere valeant, lacerare non poſſint, v. 5. Creech.

428. *Angululis*] In libris vulgatis & manuſcriptis ſcriptum reperi partim *angellis*, partim *angu-*

gu-

Eſſe, neque omnino flexis mucronibus Unca:
Sed magis Angululis paullum proſtantibus, & quae
Titillare magis ſenſus, quam Laedere poſſunt:
Faecula jam quo de genere eſt, Inulaeque ſapores.

De-

INTERPRETATIO.

neque aduncis apicibus prorſus hamata, ſed potius Angularia, (quæ angulos habent prominentes) & quæ titillare potius quam lædere ſenſus poſſunt; & ſemina iſtiuſmodi figuræ Fæculam, Inulam, & ſimilia componunt.

VARIÆ LECTIONES.

428. *angululis.* angellis V. angeliis G. Y. Z. angellis A. B. C. D. E. I. N. Q 1. *& quæ.* aque Q. abeſt Z.

430. *jam quo.* quo jam Z. *inulæque.* vinique C. E. N. P. Q. X. vitiæque c. O. *caſtigatiora exempl. Pii.* inviæque Y.

NOTÆ.

gululis, quod idem valet. Lamb. & Gif. *Angululis*] Γωνίσκοις, parvis angulis. Fab.

428. *Proſtantibus*] Prominentibus, projectis, extantibus. Fab.

429. *Titillare*] γαργαλίζειν. tralatio. nam titillare eſt certæ partis corporis humani contactu, nempe ejus quæ ſub alis eſt, riſum vel invito excitare. itaque ſolus homo titillatur. hic autem tranſlate poſuit pro eo quod eſt, contactu neque prorſus jucundo, neque plane aſpero & moleſto, ſenſus hilarare, & quaſi diffundere. Lamb.

430. *Fæcula jam quo de g.*] Horat. ſatyr. 8. lib. 2: 7.

--- acria circum
Rapula, lactucæ, radices: qualia laſſum
Pervellunt ſtomachum: ſiſer, alec, fæcula Coa. Lamb.

De fæcula & garo, legendi interpr. Horat. & Martialis. Graeci etiam, ſed voce à Latinis ſumpta, φαίκλην vocarunt. Fab.

430. *Inulæque ſapores*] Sic reſtitui ex auctoritate duorum cod. manuſcript. tametſi Bertinianus habeat, *inviæ*: Memmianus, *initiæ*, non *inulæ*. ſed culpa eſt ſcriptorum librariorum, qui ſcribebant interdum *l* pro *i*, & contra *i* pro *l*. Inulam Horatius & Plinius dicunt amaram. Horat. ſatyr. 8. libr. 2: 51.

Erucas virideis, inulas ego primus amaras
Monſtravi incoquere.

duo alii item manuſcripti habent, *viciæque ſapores*: *vicia* leguminis genus. Virg. Georg. 1: 75.

Aut tenues fætus viciæ, triſtiſque lupini.

vulgati fere omnes habent, *vinique ſapores*. Lamb. Herba notiſſima eſt, *aulnee* noſtris hominibus. Fab.

431. *Denique jam calidos Ignes, &c.*] Ad Tactum tandem venit, & illius objecta diverſimode figurata eſſe docet v. 13. quia Calor & Frigus Organa diverſimodè afficiunt. Deinde Tactum (quem Epicuræi unice admirabantur & amabant) & diverſas illius ſpecies non ſine effuſione quadam Animi, & exultatione explicat. Creech.

432. *Diſſimili dentata*] Sic habent quinque lib. manuſcr. & ita legendum, non, ut vulgo, *tentata*. Lamb. Sed, inquies, igni figura orbicularis conveniet magis; unde igitur *dentata*; dein pruinæ plane aliam figuram deſiderant, quippe igni adverſæ. Sed ignis mordet, pungit; ergo non ita perfecte orbicularis eſt glomeraminis, quin aliquid extet, quod pungat; nam de pruinis certa res eſt. Vir maximus in Phyſiologia *dentatum* hoc loco pro figurato accepit: illum adibis, ſi vacat, pag. cccxxv. edit. prioris. Fab. Figurata, ne putes Lucretium velle Ignis Atomos anguloſæ eſſe, non orbicularis figuræ, & *ſenſus uterque* (ita legit) dicitur, metonymicῶs pro *Utriuſque*: GASSENDUS. Sed plus *Dentata* ſignificat: Semina enim Ignis *compungunt* ſenſum, ideoque neceſſe eſt angulos quoſdam habeant extan-

 tes,

Denique jam calidos Igneis, gelidamque Pruinam,
Diſſimili dentata modo compungere ſenſus
Corporis, indicio nobis eſt Tactus uterque.
Tactus enim, Tactus, (pro Divûm numina ſancta.)
Corporis eſt ſenſus, vel quom res Extera ſeſe
Inſinuat, vel quom laedit, quae in corpore Nata eſt

Aut

INTERPRETATIO.

Denique calidum Ignem, & gelidam pruinam diſſimili figura ſenſus noſtros afficere colligimus ex utriuſque Tactu. Tactus enim (proh Dii ſancti) Tactus eſt ſenſus Corporis, vel cum res externæ intrat in Corpus, vel cum res, quæ nata eſt in Corpore, egreditur,

VARIÆ LECTIONES.

432. *dentata* tentata C. E. N. P. Q. X. *ex codice tamen Pomponii Læti Pius reſtituit* dentata. admorſa Q 1.
433. *tactus.* ſenſus *Gaſſ.*
434. *numina.* corpora. *Lond.*

NOTÆ.

tes. Frigus ad figuram Trigonicam ſeu Piramidalem, quæ nimirum conſtat ex quatuor faciebus triangularibus, Epicurus refert. Etenim in Epiſt. ad Pythoclem Glaciei cauſam declarans, fieri eam dicit κατ' ἔκθλιψιν μὲν τοῦ περιφεροῦς σχηματισμοῦ ἐκ τοῦ ὕδατος, σύνωσιν δὲ τῶν σκαληνῶν, καὶ ὀξυγωνίων τῶν ἐν τῷ ὕδατι ὑπαρχόντων, ἢ καὶ δὲ τὴν ἔξωθεν τῶν τοιούτων πρόσκρισιν, &c. *Dum exploduntur ex Aqua Orbicularia* (effectricia Caloris) *Corpuſcula, coarctantur vero in eadem Aqua reperiuntur Scalena, & Acutangula, aut dum eo Corpuſcula adſciſcuntur extrinſecus, &c.* Eadem *Plutarchus* in libro de primo Frigido. Creech.

433. *Tactus uterque*] tactus ignis, & pruinæ. quidam doctus legendum putat, *tactus utrique*, id eſt tactus utriuſque. Lamb. Quidam legi vellent, *tactus utrique*, (id eſt *utriuſque*) pruinæ & ignis. Ille, ille, quem dicebam modo, ſic ſcribit [Videtur *uterque* dici metonymicῶs pro *utriuſque*] Ego libentius, ut jam alibi, tactum pro tactibilitate ſumerem. Fab.

434. *Tactus enim tact.*] διακοπὴ, ut ſup. princ. libr. 1: 6.

Te, Dea, te fugiunt venti. Lamb.

434. *Pro Divûm numina ſancta*] pro Dii immortales, prò Divûm atque hominum fidem. his exclamationibus uti ſolemus in indignationibus, quaſi hominibus diffiſi ad Deos confugientes. M. Tull. in Lælio: *Nam quis eſt, prò Deûm fidem atque hominum, qui velit, ut neque diligat quemquam, neque ipſe ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis, &c.* innumera ſunt alia apud Plaut. & Terent. exempla. ſic idem Lucret. infr. eod. lib. 1032.

Nam prò ſancta Deûm tranquilla pectora pace,
Quæ placidum degunt ævum, vitamque ſerenam, &c.

Quod autem ad hujus loci ſententiam attinet, ſupra lib. 1. docuit, tactum, ſenſum eſſe maxime corporis proprium, verſ. 305.

Tangere enim & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res:

contra inane neque facere quicquam, neque pati poſſe, ſed duntaxat motionem, ſeu motionis facultatem corporibus præbere: quod his verbis docuit Epicurus, τὸ δὲ κενὸν οὔτε ποιῆσαι, οὔτε παθεῖν δύναται, ἀλλὰ κίνησιν μόνον δι' ἑαυτοῦ τοῖς σώμασι.

Aut juvat Egrediens genitaleis per Veneris res:
Aut ex Offenſu quom turbant Corpore in ipſo
Semina, confunduntque inter ſe concita ſenſum:
Ut ſi forte manu quamvis jam Corporis ipſe
Tute tibi partem ferias, aeque experiare.
Quapropter longe formas diſtare neceſſe eſt,

Prin-

INTERPRETATIO.

& in egreſſu vel lædit, vel delectat ut in Coitu; aut cum ſemina agitata ſibi invicem occurrentia, in ipſo Corpore tumultuantur, & inter ſe concita confundunt ſenſum. Quod genus Tactus ipſe, ſi aliquam partem Corporis manu percutias, experiri potes. Concludo igitur figuras iſtorum ſeminum

VARIÆ LECTIONES.

437. *egrediens.* ingrediens P. *ex codd. tamen eruderatt. reſtit.* egrediens P. *in not.* gradiens Q. X. Abeſt in Y.

438. *offenſu.* offenſa A marg C. E. N. P. Q. X. *corpore.* corpora D.

439. *confunduntque.* confundunt G. Q. V. X. Y. P. compunguntque *Creech. ſenſum.* ſenſu G.

441. *aque.* atque c. G. P. Y. Z.

NOTÆ.

μαστι παρέχεται. De tactu integros commentarios ſcribebant Epicurei. Gif. Ad tactum provocat, ſenſuum omnium principem; nam ſenſus omnes ad tactum revocantur. Itaque uno appellato omnes intelligere poteſt. Ex criteriis autem, quæ tria ſunt, Senſus, anticipationes & paſſiones, primæ partes dandæ ſunt ſenſibus Fab. *Prò divûm numina ſancta*] Poëtice non philoſophice; certe non κατ' Επίκουρον loquitur [proh dii immortales,] quos fruſtra invoces, ſi illos ſecurum agere ævum credideris. Fab. Inconſiderate, ut & omnia de Tactu: Epicurus Ipſe, ὅρκους δὲ καὶ ὁρκισμοὺς μυρίους τοῖς ἑαυτοῦ βιβλίοις ἐγγράφει, ὀμνύς τε συνεχῶς καὶ Μὰ Δία, καὶ Νὴ Δία, ἐξορκῶν τοὺς ἐντυγχάνοντας, καὶ πρὸς διελέγοιτο, πρὸς τῶν θεῶν· vid. Euſebium Præp. Evang. l. 14. Cap. 27. Lucretius imitatur Epicurum, inde hæc exclamatio, & illa infra 1092.

Nam proh Sancta Deûm tranquilla Pectora pace, &c. Creech.

435. *Corporis*] Vir ſummi judicii *Fayus* exiſtimat Corpus hoc in loco idem ſignificare ac in lib. I. v. 305.

Tangere enim & tangi, niſi Corpus, *nulla poteſt res.* Creech.

435. *Res extera*] i. e. exterior. unde a Papinio *exter honor* dicitur. Pius.

438. *Aut ex offenſu*] Sic legendum, & ita habent quattuor libri manuſcripti. uſus eſt eadem voce ſup. 223.

Nec foret offenſus natus, nec plaga creata. Lamb. Jam antea; cum corpora diverſæ naturæ ſe ſe mutuo offendunt, & alteræ alteris intercurrunt. Fab.

438. *Cum turbant*] id eſt turbas excitant, ut accipiamus abſolute, quomodo & ſup. 125.

Corpora, quæ in ſolis radiis turbare videntur. ad quem locum lege quæ annotata ſunt. vel conjunge cum voce *ſenſum*, quæ ſequitur, hoc modo: cum ſemina turbant & confundunt ſenſum, ut ſit ἐνεργητικόν. Lamb. Neutrale eſt, ſeu abſolutum: quamquam & cum τῷ *ſenſum* poſſis jungere. Fab. Ita veteres libri: Vulgati: *offenſa.* Gif.

439. *Confunduntque*] De voce iſta nihil Interpretes, ſemina inter ſe concita Confundunt ſenſum, quia tumultuantur; niſi quis mavult *Compun-*

Principiis, varios quae poſſint edere ſenſus.
  Denique, quae nobis Durata ac Spiſſa videntur,
Haec magis hamatis inter ſeſe eſſe neceſſe eſt,
Et quaſi ramoſis alte compacta teneri.
In quo jam genere in primis Adamantina ſaxa,

Pri-

INTERPRETATIO.

quæ diverſos ſenſus excitant, varias debere eſſe, & diſſimiles. Denique res, quæ ſpiſſæ & duræ nobis videntur, neceſſe eſt ex ſeminibus magis hamatis, & quaſi ramoſis alte (firmiter) compactas jungi. Inter quas res præcipue numeres (in primo agmine ſtant) ſaxa Adamantina,

VARIÆ LECTIONES.

443. *edere.* lædere c. O. P.
445. *eſſe.* Abeſt Q.
446. *quaſi ramoſis.* quaſi per ramos A marg. C. N. P. Q. 1. quia ſunt hamis O. quia ſunt ramis c. *notæ Pii.* ramis Q. ramos alte X.

NOTÆ.

pungunt, ut in v. 420. Creech.

440. *Quamvis jam partem*] Quamlibet voles partem, vel, Ne longius abeam. id enim, ut ſupra oſtendi, ſignificat τὸ *jam.* Fab.

442. *Quapropter longe formas diſtare*, &c.] Recte argumentatur; varios edunt ſenſus: ergo varias figuras habent. Figurarum varietas id efficit; non magnitudo, non pondus, per ſe quidem. Fab.

443. *Var. edere ſenſu*] Amicus quidam meus legi poſſe putabat, *varios reddere ſenſus.* Ego nihil muto. *lædere ſenſus* autem plane mendoſum eſt. Lamb. *Edere ſenſus*] *lædere.* ut ſupra & inf. vſ. 469. Gif. Alii legunt *Reddere*, nihil muto, at *Lædere*, quod amat Gifanius, nullo modo ferri poteſt. Creech.

444. *Denique quo nobis &c.*] Hactenus diverſitatem figurarum probavit ex diverſis motibus quos in Organis ſenſuum objecta excitant: jam alia argumenta congerit, v. 34. e Firmitate & Fluiditate Rerum ducta. Quædam enim ſemina habent hamulos, uniculoſve, quibus poſſint ſeſe invicem irretire, continere, & ſpatiolis inanibus, quantum fieri poteſt, ſecluſis impedire mutuam ſeſe evolvendi diſſociandiſque libertatem: Iſta firma duraque Corpora conſtituunt Æs, Ferrum, Saxa, & ſimilia. Aliæ particulæ læves ſunt & ad orbicularem figuram accedentes, & ex iis Fluida Corpora componas; nam particulæ lævore & orbiculari figura præditæ diſſociabiles ſunt, emobiles, impulſui facile cedunt, & in proclive provolvi poſſunt. Creech.

445. *Hamatis*] M. Tull. lib. 2. Acad. *Ut ille, qui aſperis & lævibus: hamatis uncinatiſque corporibus concreta hæc eſſe dicat, interjecto inani.* Lamb.

446. *Et quaſi ramoſis*] Sic reſtitui ſecutus codicem Bertinianum, & alios duos manuſcriptos. nam ceteri vet. & vulgati habent *per ramos.* Lamb. *Per ramos*, vulgati, & quidam veteres. Gif. Ergo implicatis, ſed extenſione inæquali, perplexabili, &c. veluti ſunt ramorum brachia. Fab.

447. *Adamantina ſaxa*] Nota de lapillo pretioſo & qui nunquam magnæ molis eſt, *ſaxum*: nam de magnete, quem ſaxum vocat alibi, longe aliud eſt. Fab.

448. *Prima acie*] Metaph. à copiis militaribus. Fab.

448. *Ictus contemnere ſueta*] Sic Plin. de adamantibus lib. 37. cap. 4. *Incudibus deprehenduntur, ita reſpuentes ictum, ut ferrum utrinque diſſultet, &c.* Virgilius libr. 6: 552.

Porta adverſa ingens, ſolidoque adamante columnæ,
Vis ut nulla virum, non ipſi exſcindere ferro
Cælicolæ valeant.

Ita-

Prima acie conſtant, ictus contemnere ſueta,
Et validi Silices, ac duri robora Ferri,
Æraque, quae clauſtris reſtantia vociferantur.
Illa autem debent ex Laevibus atque Rotundis
Eſſe magis, fluido quae corpore Liquida conſtant.

NeC

INTERPRETATIO.

ictus violentiſſimos ſolita contemnere, ſaxa etiam ſolida, & durum ferrum, atque Æra (Cardines ex Ære factos) quæ ſub pondere januarum ſtrident. Res autem fluidæ, & quae liquido ſunt corpore e ſeminibus lævigatis & rotundis componuntur,

VARIÆ LECTIONES.

450. *vociferantur.* voce ferantur Q.
451. *autem.* quidem B. C. D. E. I. N. P. Q. X. Y. Z. *laevibus.* lenibus Q 1.
452. *quae corpore.* quia corpora Q 1. *conſtant.* Inferunt:
Namque papaveris hauſtus item eſt facilis quod aquarum
C. E. P. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

Itaque *adamas* ex re dictus, quod nulla vi domari, hoc eſt vinci, aut frangi poſſit: à verbo δαμάζω, ſeu δαμνάω, quod *domare* ſignificat; & particula privante *a*. LAMB. Ita reſpuit ictus, ut ferrum utrinque diſſultet. Ride. Tum de ſanguine hirci, ride id quoque. falſum eſt & nugatorium; nam vel unico malleoli ictu in pulverem abibit; Hircinus autem cruor non magis nocebit quam ſericum aut goſſypium. FAB.

449. *Robora ferri*] Tralatio eſt ab inanimo ad aliud inanimum. nam robur proprie de quercu dicitur. ſic ſup. 1: 881.

Robore cum in ſaxi franguntur. LAMB.

450. *Clauſtris reſtantia*] vectibus, aut clavibus reſiſtentia, ſonitum edunt. quidam legunt *quæ clauſtris exſtantia*, & interpretantur, æra quibus portæ ſunt inductæ atque opertæ. Sed præſtat lectionem receptam tueri: & per *æra* intelligere vel cornices, quibus fores pulſantur, ut placet Adr. Turnebo (κορώνας appellant Græci) vel cardines ahenos, quod ille magis probat. LAMB. De cardinis ſtridore intelligendum. Vir Doctiſſimus qui aliter ſentiebat, alibi erat, aut certe ibi indiligenter fuit. *reſtantia*, quaſi ſuſtinentia. FAB. *Voceferantur*, Voſſ. ad Catull. p. 170. PREIG.

451. *Illa autem debent*] Sic legendum, non, *illa quidem*. LAMB.

452. *Eſſe magis, fluido quæ corpore liq. c.*] Sic habent omnes fere vulgati, quibuſcum conſentiunt duo manuſcripti. ſed cod. Scip. Tettii, & Faërni habent:

Eſſe magis, liquido quæ corpore fluvida conſtant. LAMB.

Quidam veteres: *liquido.* Quid. codices: *fluvida.* GIF.

453. *Nec retinentur enim*] Inter hunc verſum & ſuperiorem interpoſitus fuerat à neſcio quibus hominibus verſus & illepidiſſimus, & ab hujus loci ſententia alieniſſimus,

Namque papaveris hauſtus item eſt facilis, quod aquarum.

eum ego delevi. ſententia autem hujus loci hæc eſt. ea (inquit) ex lævibus & rotundis principiis conſtent oportet, quæ ſunt liquida, & fluida. cui rei argumento eſt, quod eorum glomeramina quæque, id eſt corpuſcula & rotunda, ſeu particulæ glomeris in morem globoſæ, non retinentur inter ſe, id eſt non cohærent inter ſe, neque manent conſtipatæ aut compactæ. LAMB.

453. *Glomeramina*] *Ita vocat atomos rotundas*, ait Giſanius. male; ſed ei ignoſcendum cenſeo: Poſt Lambinum erravit. Numquam enim Lucretius atomos glomeramina vocavit, neque aedo potuit: ſed intelligit moleculas; quod explicaretur,

Nec retinentur enim inter ſe glomeramina quaeque,
Et procurſus item in proclive volubilis extat.
Omnia poſtremo quae puncto tempore cernis
Diffugere, ut Fumum, Nebulas, Flammaſque neceſſe eſt,
Si minus omnia ſunt e Laevibus atque Rotundis,
At non eſſe tamen Perplexis indupedita,

Pun-

INTERPRETATIO.

Corpuſcula enim globoſa nec inter ſe implicantur, & cohærent, & facilius per proclive volvuntur: Denique omnes res, quas diſſipari ſubito & diſpergi cernimus, v. g. Flamma, Fumus, Nebula, ſi non conſtant e ſeminibus lævigatis, & rotundis, tamen non componuntur e Principiis hamatis & inter ſe perplexis,

VARIÆ LECTIONES.

454. *procurſus item in proclive.* perculſus c. G. O. P. Q. X. Y. Z. percurſus P. *in not.* item proclive G. *Hic deſinit codex Gottorpianus.*

456. *Diffugere.* Affugere *pro aufugere* P. Q. X.

457. *omnia* ita A. B. C. D. E. I. P. V. X. Y. Z. *Non. Gaſſ. & melius, ut puto quam* omnibus *quod Lamb. habet.*

458. *perplexis.* adplexis Z.

NOTÆ.

tur, ſi obſcurum foret. Ex multis atomis fit glomeramen; multa glomeramina corpus magnum conſtituunt. Fab. Faber vix ignoſcit Giſanio ſcribenti Lucretium vocare Atomos orbiculares *Glomeramina*; nunquam enim Lucretius Atomos vocavit *Glomeramina*, neque adeo potuit: Sed Fabri Clementiam non implorat Giſanius, & Poëta potuit vocare Atomos *Glomeramina*, vocavit enim. Niſi quis cenſeat Lucretium de figuris ſeminum diſputantem aliud quam ſemina ſignificare velle. Creech.

454. *Et procurſus item*] id eſt, & curſus eorum productus, & porrotenus continuatus, item, id eſt ſimiliter, in proclivem & pronum locum volubilis eſt. *ſimiliter* autem, nempe ut glomeramina inter ſe non retinentur. *procurrere* eſt porro currere, ut *progredi*, *proferre*, &c. porro gradi, & porro ferre, ſeu in publicum gradi, & in publicum ferre. in quibuſdam libris tamen ſcriptum reperi, *Et percurſus item.* Ne hoc quidem reticebo, à codice Bertiniano abeſſe præpoſitionem *in*, quæ eſt ante nomen *proclive.* quæ ſcriptura ſi cui placebit, *proclive* erit adverbium. neque eſt quod quemquam moveat ſyllaba ultima. nam brevem eſſe licet: cujuſmodi eſt in his, *ſublime volantes*, *ſuperne guberna*, & ſimil. Lamb.

454. *In proclive*] A quibuſdam veteribus abeſt. In quibuſdam libris: *percurſus.* Ante hunc verſum in libris vulgatis & veteribus quibuſdam hic eſt verſus, meo judicio nothus:

Namque papaveris hauſtus ita eſt facilis quam aquarum.

In quibuſdam: *idem eſt.* Gif.

455. *Omnia poſtremo &c.*] Quædam ſunt Corpora quæ inter Fluida numeremus, v. 9. Fumus, Nebula, Flamma, &c. quæ vel leviſſimo impetu diſſolvi poſſunt & diſſipari, ideoque ex hamatis & inter ſe perplexis ſeminibus non conſtant. Eadem tamen Corpora ſenſus pungunt, Ut Nebula & Fumus Oculos, Res etiam duras penetrant, ut Flamma lapides & ſaxa: ideoque e lævibus & prorſus rotundis Principiis non componuntur. Hæc autem v. 8. ex Acutis ſeminibus partim componi aſſerit: Iſta eſt hujus loci, qui toties exercuit Interpretes, ſententia. Creech.

455. *Puncto tempore*] id eſt breviſſimo tempore. *puncto* participium eſt. alii legunt *puncto tempori.*

Pungere uti poſſint corpus, penetrareque ſaxa:
Nec tamen haerere inter ſe, quod quiſque videmus
Sentibus eſſe datum: facile ut cognoſcere poſſis
Non è Perplexis, ſed Acutis eſſe Elementis.
Sed quod Amara vides eadem, quae fluvida conſtant,
Sudor uti Maris eſt, minime id mirabile habendum.
Nam

INTERPRETATIO.

ut Corpus pungere, & lapides penetrare valeant: nec tamen illorum particulæ ita ſibi invicem adhærent ut ſentium particulæ; ita ut inde recte conjicias illas omnes res ſubito diſſipabiles non ex hamatis & inter ſe perplexis Principiis, ſed ex acutis componi. Quod vero quædam ſunt & Fluida & Amara, ut Aqua marina, non eſt quod alicui mirabile videatur.

VARIÆ LECTIONES.

460. *Nec tamen.* Ita A. B. C. D. E. I. L. F. M. P. omnes etiam Mſſ. codices. Sed ſenſus omnino poſtulare videtur *Et.* quæ vox in Mſſ. frequentiſſime ſcribitur *Ec.* unde mihi quidem videtur menda ſuam debere originem, oſcitante librario, & reponente *Nec.* Lambinus ſagax admodum Judex, delendos hos tres verſus cenſuit; utrum hac noſtra lectione Lucretii principiis & loco conferendo ſatisfecerimus, penes lectores candidos ſit judicium. *Lond. Ed. quod quiſque.* quod cumque c. O. P. Q. 1. V. X. Y. Z.

461. *ſentibus.* Ita A. B. D. V. *Senſibus* Q. 1. ſenſibus e ſe Y. Z.

464. *Sudor uti maris eſt.* Sudor amarus ut eſt F. matris ut eſt C. *id.* Deeſt C. E. P. Q. 1. X. Y. Z. *habendum.* cuiquam A. B. C. D. I. O. P. M. Q. 1. debet Y. Z. debet minime mirabile cuiquam Q. 1.

NOTÆ.

pori. ego nihil muto. Sic ſupra eodem libro: 263.

> *Nonne vides etiam patefactis tempore puncto*
> *Carcerib. &c.*

& lib. 4: 215.

> *Jamne vides igitur, quam puncto tempore imago*
> *Ætheris ex oris ad terrarum accidat oras?*

Lamb.

Ita libri veteres. Alii: *temporis.* Gif.

457. *Si minus omnibus ſunt*) Ita legit Muretus, elegantius quam vulgati Codd. qui *Si minus Omnia* exhibent. Creech.

457. *Si minus omnibus ſunt*] Muretus legendum putat,

> *Si minus omnibus ſunt:*

on, ut vulgo,

> *Si minus omnia ſunt,*

cui aſſentior. Nam ſupra dixit,

> *Omnia poſtremo,*

ut hic iterare eandem vocem, ſit ταυτολογεῖν. Lamb.

457. *Si minus omnibus ſunt*] Optima hæc Mureti emendatio eſt. Id eſt, ſi non omnia fumi, nebulæ, &c. ſunt rotunda. Fab.

459. *Pungere uti*] In quibuſdam libris ſcriptum eſt, *pandere:* in nonnullis impreſſis, *pangere:* utrumque mendose. Lamb.

460. *Nec tamen hærere, &c.*] Hunc verſum, & duos, qui deinceps ſequuntur, ὀβελίζω, ac delendos cenſeo, tanquam inculcatos, adulterinos, neque Lucretianos germanos. quod cur ita ſentiam, cum poſſim pluribus aliis argumentis firmiſſimis probare, his tribus contentus ſum: quorum hoc primum, quod ſint ſupervacanei: alterum, quod ſententiam corrumpant: tertium, quod horum

 ver-

Nam quod fluvidum eſt, è Laevibus atque Rotundis
Eſt, at Laevibus, atque Rotundis miſta doloris

Cor-

INTERPRETATIO.

Quod Fluidum enim eſt e lævigatis & rotundis ſeminibus conſtat, at cum iſtis lævigatis & rotundis quædam Semina aſpera (quæ dolorem excitare poſſunt) miſcentur:

VARIÆ LECTIONES.

465. *fluvium.* fluvidus Q. 1. Z. *forte pro* fluvidius.
466. *at.* e. O. Y. Z. *doloris.* volare c. O. P. dolori Q. 1.

NOTÆ.

verſuum ſcriptor dicat cognoſci poſſe, res illas, fumum, nebulas, flammas, & ſimil. conſtare ex acutis elementis, cùm dicere debeat, ex lævibus & rotundis. nam acuta elementa in iis rebus locum non habent. LAMB. Inducit hos tres verſus Lambinus. Ego ob librorum conſenſum, non auſim. Sed pro *ſenſibus* ex veteribus libris reſtitui *ſentibus*, ut melior ſit ſenſus. GIF. Hos tres verſus optime ejecit Lambinus; neque enim à Lucretio eſſe poſſunt. In ſecundo typographicus error eſt, *ſenſibus* pro *ſentibus.* Quæ vox unice probat non eſſe Lucretii; aliquo enim exemplo opus fuit ejuſdem naturæ, cujus erant fumus, nebulæ, *&c.* Ibi autem ſentes & dumos arripit. Lambini vero ratio nil probat: cum dicit debuiſſe dicere auctorem illorum verſuum, *non acutis ex elementis*, ſed, lævibus atque rotundis; non ita eſt. Id enim homo nugator, quiſquis ille fuerit, de ſentibus dictum volebat, non de corpore fluido. FAB. Hos tres verſus agnoſcunt Codd. rejicit Lambinus; Aſſeritque ſupervacaneos eſſe: quaſi non debuit Lucretius affirmare Fluida iſta pungentia & penetrantia Acuta ſemina non minùs quàm lævia & rotunda continere: Atomi enim vel læves vel rotundi non pungunt Corpus, neque penetrant: libenter igitur retinerem ſi eſſet quod pro *Sentibus* reponi poſſit. CREECH. Fumus, inquit, flammæ &c. effectu quidem Senitibus ſunt ſimiles, ſed non cohærentia & duratione; atque ita pungunt quidem ſubito &c. at non diu, quoniam acuta modo ſunt, non vero ramoſa & perplexa, ut ſentes. HAV.

463. *Sed quòd amara*] Occurrit tacitæ objectioni. poterat enim quiſpiam dicere: ſi, quæ fluida ſunt, ea conſtant primordiis lævibus & rotundis: amara autem, & cetera quæ lædunt ſenſus, ex aſperis, hamatis, & ſqualidis: quid aqua marina fiet, quæ liquida eſt ſimul, & hamata? LAMB. Alia ſunt fluida, quæ ſimul & Amara aut acerba v. g. Aqua Marina; Hæc omnia componi aſſerit v. 14. partim e lævibus & rotundis, unde iſtorum Fluiditas, partim e ſqualidis & aſperis, unde Acerbitas & Amaritudo; denique demonſtrat iſtiuſmodi corpora ex particulis diverſimodè figuratis compingi, quoniam ſeparari poſſunt, Percoletur enim per Arenam Aqua marina, aſperas particulas deponit, & cum lævibus ſuis tantùm & rotundis ſeminibus dulcis fluit. CREECH.

464. *Sudor uti maris eſt*] Sudor eſt maris, id eſt aqua marina. Empedoclis eſt hoc. Nam Empedocles dicebat, mare eſſe *ſudorem terræ*, ut teſtatur Ariſtoteles libro ſecundo μετεωρ. capite tertio, eum reprehendens, his verbis: Ὁμοίως δὲ γελοῖον καὶ εἴ τις εἰπὼν ἱδρῶτα τῆς γῆς εἶναι τὴν θάλατταν, οἴεταί τι σαφὲς εἰρηκέναι, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς. πρὸς ποίησιν γὰρ οὕτω εἰπὼν, ἴσως εἴρηκεν ἱκανῶς· ἡ γὰρ μεταφορὰ, ποιητικόν. πρὸς δὲ τὸ γνῶναι τὴν φύσιν, οὐχ ἱκανῶς. id eſt, *Similiter autem ridiculum eſt etiam, ſiquis, cum dixerit terræ ſudorem eſſe mare, exiſtimet ſe plani & manifeſti aliquid dixiſſe: quemadmodum Empedocles, Nam ad poëſin quidem ita locutus, ſatis dixit: ſed ad cognoſcendam maris naturam, parum.* LAMB. Hic verò, ſicubi aliàs, mirificos ludos præbent Interpretes. *Sudor maris*, inquiunt, *eſt aqua maris.* Bene ſane. Sed quid ita tandem; Quia ſcilicet teſtimonio Ariſtotelis probari poteſt ex veteribus Phyſicis nonnullos ita fuiſſe locutos. Sed ego utrumque falſum eſſe omnibus ſuffragiis facile vincam; id quod mox apparebit. Locus ille Ariſtotelis legitur in ſecundo Meteorologicorum pag. 555. edit. Pariſienſis: en tibi hominis verba, ex cap. II. in quo de maris ſalſugine ex profeſſo agit: Ὁμοίως δὲ γελοῖον, καὶ εἴ τις εἰπὼν ἱδρῶτα τῆς γῆς εἶναι τὴν θάλατταν, οἴεταί τι σαφὲς εἰρηκέναι. καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς· πρὸς ποίησιν γὰρ, &c. id eſt, *Neque minus ridicule dixerit quiſpiam, uti ab Empedocle factum videmus, qui mare ſudorem eſſe telluris dixerit*, &c. Hoc quidem loco Ariſtoteles ſo-

Corpora; nec tamen haec retineri Hamata neceſſe eſt:
Scilicet eſſe globoſa, tamen cùm Squalida conſtent,

Pro-

INTERPRETATIO.

non tamen neceſſe eſt hæc ſemina aſpera hamata eſſe, & inter ſe perplexa cohærere, ſufficit ſi ſint globoſa ſimul & aſpera;

VARIÆ LECTIONES.

467. *tamen.* tantum P. *retineri.* retinere C. E. P. Q. X. *neceſſe eſt.* neceſſum N. Q.
468. *eſſe.* eſte Q. *conſtent.* conſtet Y. Z.

NOTÆ.

ſolens more ſuo facit, ut meliores carpat; quaſi ſcilicet agatur de genio τῆς διδακτικῆς: ſed id aliàs videbitur; ad rem veniendum. Empedocles, διὰ μεταφορᾶς ſcribens, dixit, mare eſſe *ſudorem terræ*; At Lucretius *ſudorem maris* nominat, ô bone: An igitur Lucretium inter & Empedoclem quidquam erit quod utrique convenire poſſit? An vero, quod, ſi quid unquam aliud, ridiculum eſt, mare ipſum *ſudor maris* fuerit? non, ut opinor. Deinde negamus hoc quoque, Lucretium hîc de ſalſugine, ſeu, ut veteres loquebantur, de *amarore* maris egiſſe: Hoc enim ſex ſeptem demum verſibus inferius faciet:

Et quo mixta putes magis aſpera lævibus eſſe
Principiis, unde eſt Neptuni corpus acerbum,
Eſt ratio ſecernundi, &c.

Ubi *Neptuni corpus* mare eſt. Quamobrem ſatis confido fore neminem, cui de noſtra conjectura, niſi ſi certa potius emendatio vocanda eſt, dubitandum videatur. Agitur enim tantum de ſudore, qui, ut & lacrymæ, ſalſus & amarus eſſe, vel ſenſus judicio, vel auctoritate Ariſtotelis & Plutarchi, comprobatur. Legendum itaque:

Sudor amarus *ut eſt*, &c.

His addo & aliud: Quod de Empedoclis ſententia legerant Interpretes, ſi in locum convenientem conferre volebant, debuiſſe ea, quæ hic ſcripſerunt, ad hos libri. V. verſus retuliſſe, ubi diſputat Lucretius, qua ratione factum fuerit, ut mare e terra expreſſum ſit. Ibi enim diſerte *ſudorem terræ* vocavit: vſ. 484.

Inque dies quanto circum magis ætheris æſtus,
Et radii ſolis cogebant undique terram
Verberibus crebris, extrema ad limina apertam,
In medio ut propulſa ſuo condenſa coïret;
Tam magis expreſſus ſalſus de corpore ſudor
Augebat mare manando, compoſque natantes.

Quid vero quod in MSS. Codd. ad oram horum verſuum, de quibus ſuperius actum eſt, adſcriptum legitur, DE SUDORE SALSO? non igitur aliter olim legebatur hic locus, quam ut a me reſtitutus fuit. Poterant fortaſſe hæc fuſius tradi; ſed doctioribus ſcribimus, quibus hæc ſat erunt. Nam *ſalſum* & *amarum*, ἁλμυρὸν & πικρὸν, alterum pro altero ſumi non eſt, opinor, cur probem, cum ea res notior ſit, quam ut hinc illinc petitis ex utraque lingua teſtimoniis egere videatur. FAB. *Sudorem maris* vocat ſalem. Auctor Et. M. in λιβδύμεθα. vide T. Fabri Ep. Crit. p. 188. ubi non recte corrigit Porphyrii locum, qui ſic legendus τὴν θάλατταν ἐκάλει βύνων δάκρυον. vide quoque verſus Empedoclis apud Plutarchum lib. 1. c. 3. placit. Philol. ubi νῆστιν vocat mare. Voss. Faber legit *Sudor amarus ut eſt* & aſſerit *Lucretium* his 7. v. de ſudore tantum diſputare: Hæc conjectura illi mirificè placet, & fruatur; non invideo. *Sudor Maris* ſeu *Udor Maris* lege. non quia, ut Interpretes, Empedocles olim vocavit Mare *Sudorem terræ*, (ἱδρῶτα τῆς γῆς Ariſtoteles 2. Metorolog.) Sed quia *Sudor* ſeu ut Alii *Udor*, idem eſt ac *Humor*: vid. Varronem de lingua Lat. lib. 4. voce *Uſus*. De *Sudore* autem & non de Aqua marina hic loci agere Poetam iſti ſoli dicunt qui indiligenter legunt. CREECH.

464. *Minimè id mirabile habendum*] Sic habent plerique codices typis excuſi: quos ſecutus ſum. nam manuſcripti hoc loco depravati ſunt: ex quibus

 qui-

Provolvi ſimul ut poſſint, & laedere ſenſus.
Et quò miſta putes magis Aſpera Laevibus eſſe
Principiis, unde eſt Neptuni corpus acerbum:

Eſt

INTERPRETATIO.

num enim ſimul facile provolvi poſſunt, (*in proclive labi*) *& ſenſus lædere: Et ut magis credas Aſpera Semina lævigatis immiſta eſſe, e quibus ita miſtis mare fit ſalſum,*

VARIÆ LECTIONES.

470. *Et.* At Z. *quo.* quod P. X. Y. Z.

NOTÆ.

quidam cum aliis vulgatis congruentes, habent *mirabile cuiquam:* alii, *mirabile debet.* ex qua ſcriptura vitioſa, facere auſim, *mirari debes.* Lamb. *Minime id mirabile cuiquam*] Ita veteres libri, haud ſcio, an recte. Marullus & Vulgati: *habendum.* Gif.

465. *Nam quod fluvidum eſt*] Hîc *m* non eliditur: qua de re ſuprà diximus libro. 1. Reſpondet autem iis quæ objecta fuerant, hoc modo; Non eſt quòd quiſquam miretur, eadem interdum eſſe & amara, & fluida: quamvis dixerimus fluida conſtare è lævioribus & rotundis elementis: amara, ex aſperis, ſqualidis, & moleſtis. Nam in his quæ ſunt amara ſimul & liquida, dicendum eſt primordiis rotundis, politis, & lævibus eſſe admiſta quædam doloris & moleſtiæ corpora, id eſt horrida, aſpera, & ſqualida: quo fit ut provolvi poſſint ſimul, & ſenſus lædere. Lamb.

466. *Mixta doloris*] *Admixta*, forte rectius. Gif.

466. *Doloris corpora*] id eſt aſpera, & ſqualida. Lamb. Aſpera, inæqualia: unde dolor & inſuavis motus. Fab.

467. *Nec tamen hæc retineri hamata*] id eſt, nec tamen hæc hamata inter ſe retineri & hærere neceſſe eſt. ſic ſuprà locutus eſt: v. 453.

Nec retinentur enim inter ſe glomeramina quæque. Lamb.

468. *Scilicet eſſe globoſa, tamen cùm ſqual. conſ.*] Sic habent omnes libri & manuſcripti, & typis excuſi: neque eſt quòd quiſquam dubitet de integritate ſcripturæ. *ſcilicet* autem poſitum pro *ſcire licet:* ut apud Terentium Heaut. 2: 3: 117.

— ſcilicet facturum me eſſe.

ibidem. 5: 1: 19.

Continuò injeciſſe verba tibi Dromonem ſcilicet.

ſic apud Plautum *videlicet* pro *videre licet*, in Sticho 4: 1: 49.

Videlicet parcum illum fuiſſe ſenem, qui dixerit.

ibidem paullo pòſt verſ. 51.

Videlicet illum fuiſſe nequam adoleſcentem, qui illico,

&c. ſic idem Lucretius ſuprà 1: 211.

Eſſe videlicet in terris primordia rerum,
Quæ nos,

Ita totius hujus loci hæc ſententia eſt: Scire licet, ea principia ex quibus conſtat aqua marina, eſſe globoſa, cùm tamen conſtent, id eſt, ſint, ſqualida. debet autem diſtinctionis nota ſcribi poſt vocem *globoſa*, ut *tamen cum* ſic intelligamus, quaſi dictum ſit *cum tamen.* Jam antea: Scias licet eſſe globoſa; neque aliter veteres. Ceterum poſt *globoſa* diſtinctiunculam ponito, ut legas conjunctim, *tamen cùm*, id eſt, *quamvis.* Fab. Scilicet, *ſcire licet*, ut ſæpe Lucretius; quodcunque enim eſt Fluidum ex orbicularibus & globoſis principiis conſtat. Creech.

470. *Magis aſpera*] Cave iſtud *magis* cum *aſpera* jungas: nam cum τῷ *putes* connecti debet: alioqui à ſenſu abieris. Fab.

471. *Unde*] à quibus, nempe principiis aſperis. Lamb.

471. *Eſt Nept. corp. acerb.*] id eſt, aqua marina, ſalſa & amara eſt. infra eod. lib. 654.

Hic ſi quis mare Neptunum, Cereremque vocare
Conſtituet fruges, & Bacchi nomine abuti
Mavult, quàm laticis proprium proferre vocamen
Concedamus, ut, &c.

Arnobius l. 3. adverſus genteis, traditum eſſe à veteribus ſcribit, *Neptunum eſſe appellatum ex eo*

quòd

Eſt ratio ſecernundi, ſeorſumque videndi.
Humor dulcit ubi per terras crebriùs idem
Percolatur, ut in foveam fluat, ac manſueſcat.

INTERPRETATIO.

eſt aliqua ratio ſeparandi iſtas particulas, & ſeorſum videndi. Aqua enim marina dulceſcit cum per terras frequenter percolatur ut in foſſam defluat,

VARIÆ LECTIONES.

473. *dulcit.* dulcis A marg. C. E. P. X. Y. dulcet L.

NOTÆ.

quòd aqua nubat terram. Cicero verò lib. 2. de nat. Deorum, à *nando. acerbum* impropriè poſuit pro amaro: vel *acerbum* intellige, linguæ injucundum, ingratum; ac moleſtum, ut ſup. Lamb. Aqua marina, quod exemplum poſt ſudorem nunc ſumit. Fab.

472. *Eſt rat. ſecern.*] id eſt, ratio & via eſt aliqua ſecernendi ejus quod dulce eſt, ab eo quod eſt amarum. Lamb.

472. *Seorſumque videndi*] *Sevidendi*, ut ſecernendi, à verbis ejuſdem ſignificationis. Fab.

473. *Humor dulcet, ubi*] Conjectura ductus ita ſcripſi. Vide Indicem. Vulgati *dulcis*. Gif. *Hum. dulcet, ubi, &c.*] Si vulgatam & receptam ſcripturam tuebimur, *humor dulcis*, hic erit ordo: ita (ſubintellige) ut humor, nempe dulcis in foveam fluat, & manſueſcat, ubi idem humor, nempe dulcis, crebrò percolatur, id eſt permanat, & pertranſit, ut, &c. Sed videtur legendum, *Humor acerbus:* ut ſit hic ordo, Ubi humor acerbus percolatur crebriùs ita, ut, &c. vel, ut quidam exiſtimat malè de me meritus, *Humor dulcit, ubi*, &c. vel, *Humor dulcet. dulcet* autem, ſeu *dulcit*, id eſt *dulceſcit*, ut idem ille notat. cur enim cuiquam, quantumlibet improbo atque injuſto, ſuum eripiam? niſi fortè hoc quoque illi alienum eſt, non ſuum. *humor* porrò, nempe ſalſus, & marinus. Licet etiam, ut mihi videtur, legere, *Percolatus*, ut ſit hic ordo verborum: Eſt ratio ſecernundi humoris ſalſi, ab eo qui dulcis eſt, ubi, id eſt quando, humor (marinus ſcilicet) crebriùs idem percolatus, ita ut in foveam fluat & manſueſcat, dulcit, ſive dulcet, id eſt dulceſcit. quod ſi cui placebit, ſic erit diſtinguendum,

— Seorſumque videndi
Humor dulcit ubi, per terr. crebriùs idem
Percolatus, &c. Lamb.

474. *Percolatur*] Quaſi per colum purgatur, unde *colatus* apud Tertull. lib. 1. ad Nationes, *Serenitas colata*, pura ſcilicet, *innubilus æther*, Virg. *Virus* autem antea occurrit pro humore. Fab.

475. *Linq. en. ſup. tæt. &c.*] Nam aqua marina (inquit) ſuperà, id eſt in ſuperiore parte terræ, linquit primordia tætri viri, id eſt humoris naturalis marini. Ita autem legendum eſſe, quemadmodum excudendum curavimus, vincunt lib. tres manuſcript. & Ald. antiq. & Pariſ. niſi quòd in Pariſ. & uno manuſcript. legitur,

Liquit enim tætri ſuperà prim.

Priſc. autem libr. 6. hunc verſum paullo aliter profert. ſic enim ille,

Liquit enim ſuperà tætri veſtigia viri.

ſed vel aliud agebat Priſc. vel ſcriptoris librarii peccatum eſt. Lamb. Priſcianus lib. 6. *Linquit veſtigia.* Quidam veteres etiam: *liquit*. Gif. *Viri.* Servius ad Virgil. Georg. 1: 128. *Hodie tres tantum habet caſus: hoc virus, hoc virus, ò virus. Antiqui hujus viri dicebant. Lucretius*

— tetri primordia viri. Hav.

476. *Quo magis*] Quia ſunt aſpera ſcilicet. Fab.

477. *Quod quoniam docui &c.*] Hoc eſt quod probandum ſuſcipit; Variant Figuræ Atomorum, & eſt illarum varia magnitudo, ut jam oſtenſum eſt, ſed tamen illa varietas infinita non eſt; etſi ſit

Linquit enim ſuprà tetri Primordia viri
Aſpera, quò magis in terris haereſcere poſſunt.
Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quae
Ex hoc apta fidem ducit: Primordia rerum
Finita variare FIGURARUM ratione.

INTERPRETATIO.

& ibi fiat mitior: ſuprà enim relinquit ſemina tetri ſalis, quæ quia aſpera ſunt, ideò facilius hærent, & remanent in terra quàm alia lævigata ejuſdem Aquæ ſemina. Cùm verò de figurarum diverſitate ſalis diſputavi, aliam opinionem exponam, quæ ex priori pendet, & ab illa confirmabitur: viz. Varietatem figurarum Seminum eſſe finitam.

VARIÆ LECTIONES.

475. *Linquit enim ſupra.* Nequit enim ſeparare O. *ſupra tetri.* ſuperante ſalo Q 1. ſuperando atri *vel* tetri Q 2.

476. *hæreſcere.* horreſcere c. O. P. Q. *poſſunt.* poſſint Y. Z.

478 *Ex.* Et *Edd. Cr.* mendoſe. *apta.* acta P. in not. *ducit.* ducat A. B. C. D. E. P. X. Q.

479. *Finita --- ratione.* Finitas rationes A marg. C. E. N. P. Q. X. *variare* variata Z.

NOTÆ.

ſit indefinita, ſeu incomprehenſibilis. Id primò probat v. 22. ex ipſa ſeminum, quam olim demonſtraverat, Parvitate: Ut enim Figurarum varietas foret Infinita, neceſſe eſt ut immenſa ſit ſeminum quorundam moles, cùm ſola immenſa magnitudo ſit infinitæ varietatis figurarum capax. Si Corporis figuram mutare velis, tranſpone partes, quot ſunt diverſæ poſitiones tot erunt diverſæ figuræ; Idem in ſemine aggredere, omnibus modis partes, quæ in illo concipi poſſunt, verſa & tranſpone, & finitam tantùm figurarum varietatem in tantillo Corpore agnoſces. Epicurus docuit, εἶναι τὰ σχήματα τῶν Ατόμων ἀπερίληπτα, οὐκ ἄπειρα. *Plutarchus* de Placit. Phil. l. 1. C. 3. Ατόμοι ταῖς διαφοραῖς οὐχ ἁπλῶς ἄπειροί εἰσιν, ἀλλὰ μόνον ἀπερίληπτοι, εἰ μὴ μέλλει τις καὶ τοῖς μεγέθεσιν ἁπλῶς εἰς ἄπειρον αὐτὰς ἐκβάλλειν, οὔτε ἐν τῷ ὡρισμένῳ μεγέθει ἀπείρους ἐννοεῖν διαφορὰς ἀδύνατον. Epicurus ad Herod. Ita rectè legit *Gaſſendus*: Meibomius autem ſuis emendationibus omnia turbavit. CREECH.

478. Ε'ξαφθεῖσα, ἐχομένη, annexa, connexa, pendens. *fidem* autem i. e. probationem: ut & Græce πίστις in eadem notione. FAB. *Apta*, *Adepta* Barthius. ut in v. 636. Claudiani de Bello Getico.

O meritam nomen fælicibus apta *triumphis.* CREECH.

478. *Primordia rerum*] Hoc illud eſt quod probandum ſuſcipit: Variant figuræ atomorum, & eſt illarum varia magnitudo, ut jam oſtenſum eſt: ſed tamen illa varietas infinita non eſt, etſi indefinita, ſeu incomprehenſibilis. Incommoda jam proferet. Cui addas hoc ad illuſtrationem, Atomorum non unam eſſe magnitudinem; Sed magnitudinis varietas quanta erit, non debet certe eſſe infinita: alioqui fieret ut unica atomus Totum eſſet; at eo ducit te invitum figurarum varietas: nam infinitæ figurarum varietates neceſſario infinitas magnitudines poſtulant. Quæ ſequuntur, his ita expoſitis, plana ſunt & perſpicua. FAB.

479. *Finita variare figurarum ratione*] Sic legitur hic verſus in quinque lib. manuſcriptis, niſi quòd in uno ſcriptum eſt *variata*, non *variare*. In codicibus autem Aldinis antiq. Vicet. Pariſienſ. & ceteris vulgatis,

Finitas variare figurarum rationes.

qua-

Quod ſi non ita ſit, rurſum jam Semina quaedam
Eſſe infinito debebunt corporis auctu.
Namque in eadem una quojuſquojus brevitate
Corporis, inter ſe multum variare Figurae
Non poſſunt: Fac enim minimis è partibus eſſe

INTERPRETATIO.

Si verò hoc non ita eſſet, Quædam ſemina infinitæ forent & immenſæ magnitudinis: Non enim poteſt eſſe magna varietas figurarum, cùm omnia

VARIÆ LECTIONES.

482. *Namque in eadem una quojuſquojus.* Namque eædem una cujuſvis in C. E. Namque quod eadem una c. O. Nam quod eadem una cujuſvis in P. Namque in eadem una cujuſvis in A. B. C. E. Y. Z. uniuſvis X.

484. *fac enim.* fateor. c. O. P. fatemur Q. face enim Q 1. fac enim X.

NOTÆ.

quarum lectionum utra ſit potior, judicet lector. verbum *variare* quidem neminem movere debet, ſi hoc loco abſolutè poni præter morem videatur. nam etiam alibi eodem modo uſurpatur, ut infrà eod. libro, quinto abhinc verſu. Nunc ad hujus loci ſententiam veniamus. Poſteaquam docuit, primorum corporum figuras diſſimileis eſſe ac diſpares, docet jam, eas ipſas figurarum diſſimilitudines ac varietates finitas eſſe. qua de re ſic Laërt. ex ſententia Epicuri: Πρὸς δὲ τούτοις τὰ ἄτομα τῶν σωμάτων καὶ μεστὰ, ἐξ ὧν καὶ αἱ συγκρίσεις γίνονται, καὶ εἰς ἃ διαλύονται, τῇ ἐνεργείᾳ ἀπερίληπτα περιληπτά ἐστι ταῖς διαφοραῖς τῶν σχημάτων. οὐ γὰρ δυνατὸν γενέσθαι τοσαύτας διαφορὰς ἐκ σχημάτων ἐνεργείᾳ περιειλημμένων, &c. id eſt, *Præterea corpora individua & plena, ex quibus res compoſitæ concretæque gignuntur, & in quæ diſſolvuntur, comprehendi non poſſunt re & uſu, figurarum autem differentiis poſſunt. Non enim fieri poteſt, ut tot rerum naturalium differentiæ ex figuris re comprehenſis naſcantur.* In unaquaque autem figuratione ſimpliciter infinita ſunt corpora individua: differentiis autem non ſunt infinita, ſed eò tantùm, quòd re comprehendi non poſſunt, infinita. Sic propemodum Plutarchus περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλ. εἶναι δὲ τὰ σχήματα τῶν ἀτόμων ἀπερίληπτα, οὐκ ἄπειρα. id eſt, *Figuras autem atomorum re comprehendi non poſſe, non tamen eſſe infinitas.* Lamb. *Finita variare. Finitas.* rationes. Et ita infr. *variare figuras*, & *ratio figurarum* nihil eſt aliud, quam *figuræ*, Lucretiano more. Ut *ratio animi.* Gif.

480. *Quod ſi non ita ſit*] Tale eſt argumentum Lucretii: Si eſſent infinitæ atomorum figuræ, eſſent aliquæ atomi immani & immenſa magnitudine: hoc falſum: ergo & illud. minorem propoſitionem ſic probat, *Nam* &c. Lamb.

482. *Namque in eadem una quojuſquojus brevitate*] Secutus ſum in hoc verſu religiosè codices veteres, niſi quòd ex *quojuſvis*, feci *quojusquojus*, id eſt *cujuſque*, ut *quicquid* pro *quicque* uſurpari ſolet & apud hunc poëtam, & apud alios ſcriptores: *quojuſvis* autem, aut *cujuſvis*, ferri non poteſt in hoc verſu. Lamb. *cujuſvis in.* Ita veteres omnes libri. *in.* in *eadem* non exteritur. Numeri ſunt Enniani. Cicero de orat. Male vulgati & Lambinus: *cujus*, *cujus.* Gif.

484. *Fac enim*] Sic habet cod. Bertinianus, quem ſecutus ſum. alii, *face enim.* Lamb. Ita veteres. Marullus & Vulgati: *face.* Vide Indicem. Gif.

485. *Tribus vel Pluribus auge*] Non, Tres aut plures partes addas, ut alii Interpretes; ſed ſupponas, e tribus aut pluribus, i. e. definito partium numero conſtare. Quælibet figuratio poſitionem partium peculiarem exigit, porro autem partes magnitudinis finitæ tot modis tranſponi, & componi poſſunt, ut nullus tandem poſitionis modus ſuperſtes fiat: alioquin enim novæ & novæ

Corpora prima tribus, vel paullo pluribus auge;
Nempe ubi eas parteis unius Corporis omneis,
Summa atque ima locans, tranſmutans dextera laevis,
Omnimodis expertus eris, quam quiſque det ordo
Formaï ſpeciem totius Corporis ejus:
Quod ſupereſt, ſi forte voles variare figuras,
Addendum parteis alias erit: inde ſequetur
Adſimili ratione alias, ut poſtulet, ordo,

Si

INTERPRETATIO.

Corpora ſint parva, ſuppohas enim ſemina conſtare e minimis aliquibus partibus. e tribus v. g. aut paulo pluribus, Cùm partes has cunctas unius ſeminis diverſo ordine diſpoſuiſti (alias modo imas, modò ſiniſtras locaſti) tum omninò expertus fueris quam figuram unaquaque partium poſitura toti illius ſeminis Corpori det, Deinde, ſi forſan plures figuras velis inducere, tum addas neceſſe eſt alias partes, & ſimiliter ſi plures figuras velis,

VARIÆ LECTIONES.

486. *lævis.* Gronov. Obſ. 3: 1. p. 433. notat Membr. Ger. Voſſii habere *lævius*, ut ſuſpicari, inquit, poſſis iſtud *lævis* natum ab illis, qui contractionem vocalium auctori frequentem non obſervarunt. *Hæc ille, verum in* Z. *eſt quidem* lævius, *ſed ſuperſcrib. eadem manu* lævis.

488. *Omnimodis.* omnimode N. omnimodi Y. Z. omnimodo X.

489. *Formai.* Formarum A. B. C. D. E. I. N. P. Q. X. *ejus.* augmen *Gaſſ.*

490. *voles.* vales Q. X. Y. velis *Gaſſ.*

492. *Adſimili.* A ſimili N. At ſimili Q 1.

NOTÆ.

væ in infinitum partes eſſent, ex quibus magnitudo tandem infinita conciperetur, cujuſmodi ſane in Atomo nón eſt., quæ infra viſum longè conſiſtit. *Gaſſendus.* Creech.

488. *Omnimodis expertus eris.* Libri manuſcript. ſic habent. alii. *Omnimode expertus fueris. omni modis* autem, id eſt omnibus modis. Lamb.

Omnimodis] *Omnimode, Omnimodo.* Gif.

489. *Formai ſpec.*] *Formarum ſpeciem* habet ſecunda mea editio: ſed primæ editionis lectionem, *Formaï*, hic affero. Lamb. Ita & paulo infra. Lambinus: *Formai.* Gif.

491. *Addendum parteis altas erit*] id eſt, parteis alias addere oportebit: quod loquendi genus notavimus ſupra libro primo: 112. ad illum verſum,

Æternas quoniam pœnas in morte timendum:

& item ad 139.

Multa novis verbis præſertim cùm ſit agendum.

ſic Varro lib. 8. de lingua Latina: *Sic omneis repudiandum arteis, quòd in medicina, & in aliis multis diſcrepant ſcriptores.* Lamb.

392. *Adſimili ratione*] Sic reſtitui librorum manuſcriptorum auctoritate fretus. Virg. lib. 6: 602.

Quos ſuper atra ſilex jamjam caſura, cadentique
Imminet aſſimilis. Lamb.

495. *Quare non eſt ut cred. p.*] οὐκ ἔστιν ὅπως πιστεύῃς, id eſt *non poteſt*, vel *non debet fieri, ut credas.* Lamb.

497. *Immani*,] id eſt ingenti, ut apud eundem, *immania* templa. Lamb.

497. *Maximitate*] Vox rara *maximitas*: quam ut

Si tu forte voles etiam variare figuras.
Ergo formaï novitatem corporis augmen
Subſequitur: quare non eſt ut credere poſſis,
Eſſe infinitis diſtantia ſemina formis,
Ne quaedam cogas immani maximitate
Eſſe, ſuprà quod jam docui, non poſſe probari.
Jam tibi Barbaricae veſtes, Meliboeaque fulgens
Purpura Theſſalico concharum tincta colore, &

Aurea

INTERPRETATIO.

alias partes iterum addas neceſſe eſt: Ergo ut varietas novarum figurarum major fit, ita & Corpus fit majus, ideoque non potes concipere infinitam varietatem figurarum in ſeminibus niſi etiam velis quædam ſemina infinitæ magnitudinis; quod olim demonſtravi non poſſe eſſe. Deinde Barbaricæ veſtes, ſplendens Melibæa purpura Concharum Theſſalicarum colore tincta,

VARIÆ LECTIONES.

494. *formai.* formarum N. X. Y. Z. *corporis.* corporum Q.
498. *poſſe.* eſſe, antiqui codd. *Pii. probari.* probare Q. X. Y. Z.
500. *Theſſalico.* thalaſſico P. *in not. i. e.* maritimo. *tincta.* tecta c. P. Q. X. Y. Z. *&* Abeſt X. Y.

NOTÆ.

ut probet eſſe Latinam, hunc verſum profert Nonius Marcellus. Utitur Arnobius libro ſexto: *Aut verò in vaſtis porrigere ſe longius, atque in maximitate producere.* Lamb. Vox Lucretiana: quæ tamen faſtidio faſtidioſulas aures non magis radere debet quam *proximitas* ſæpe apud Ovidium. Fab. Sic *Proximitas* apud Ovidium, *Optumitas*, & *Opulentitas* apud Plautum. Creech.

499. *Barbaricæ veſtes*] id eſt Babylonicæ. idem libro quarto: 1023.

Cùm Babylonica magnifico ſplendore rigantur.

veſtes ſunt purpureæ textiles, aut acu pictæ, ex Babylonia avectæ, vel dic Phrygias ſignificari: Lamb. Phrygiæ, Perſicæ, Babylonicæ. Hæc omnia à conſequenti dicuntur, & plane neceſſaria ſunt ex poſitis. Eo enim fieret, ut quæ hodie ſplendidiſſima, ſuaviſſima, *&c.* ſunt, ea ab aliis aliiſque tandem vincerentur: denique eadem incommoda, quæ modo de magnitudine dicebam, enaſci videres. Fab.

499. *Meliboeaque*] Feſtus: *Melibœa purpura à nomine inſulæ, in qua tingitur, eſt dicta.* Virgil. lib. 5. Æneid. 251.

Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Melibœa autem Theſſaliæ eſt urbs, de qua Strabo lib. 9. & item Stephanus de urbib. Lamb. *Melibœa.* Meliboea Theſſaliæ oppidum infectura purpuræ nobile. nam quod excerpta Serviana inſulam faciunt, nugæ. Fab. *Jam Tibi Barbaricæ veſtes, &c.*] v. 15. Aliam accipe rationem: Si aliæ & aliæ figuræ in Infinitum concederentur, nullæ eſſent extremæ qualitates rerum naturalium certæ & determinatæ; quando figuratione nova ita variarentur, ut & quacunque optima melior, & quacunque peſſima deterior exoriri poſſit. Veſtes pretioſiſſimi coloris, odores, ſoni, & ſapores optimi ab Aliis ſuperarentur, nec amplius in Honore eſſent; dum quæ jam ingratiſſima videntur, & quæ maximè averſamur, præ aliis deterioribus quotidiè exortis eligeremus. A Peneo ad Sepiada, Gyrtona, *Melibæa*, Caſtanæa; pares ad famam, niſi quod Philoctetes Alumnus Melibæam Illuminat. *Pomponius Mela* lib. 2. Cap. 3. Ad quem locum *Voſſius*, Non

ob

Aurea Pavonum ridenti imbuta lepore
Saecla novo rerum ſuperata colore jacerent:
Et contemptus odor Myrrhae, Melliſque ſapores,
Et Cycnea mele, Phoebaeaque daedala chordis
Carmina conſimili ratione oppreſſa ſilerent.
Namque aliis aliud praeſtantius exoreretur.
Cedere item retrò poſſent in deteriores
Omnia ſic parteis, ut diximus in meliores:

Nam-

INTERPRETATIO.

Aurata etiam Pavonum genera ſplendidis venuſtiſque coloribus decorata, novo & fulgentiori rerum colore ſuperata ſordeſcerent, & deſpicerentur: Myrrhæ etiam odor contemneretur, & ſapor mellis, Cygnorum cantus, Phœbea Carmina, quæ vario fidium ſono canuntur, ſimiliter victa & oppreſſa ſilerent; Aliud enim Aliis excellentius ſemper produci poſſet: Et ut dixi res omnes in partes meliores progredi poſſe (meliora poſſe eſſe quàm quæ nunc optima ſunt)

VARIÆ LECTIONES.

501 *ridenti.* rident. C. E. P. Q. X. Z. integer verſus abeſt Y.

502. *Sæcla, novo rerum.* Sedula quæ rerum C. E. N. codd. *Pii.* Sed nova quæ rerum. c. Sed nova ſi rerum P. Q. X. *novo.* nova Y.

503. *odor.* ſuodor Q. udor Y. Z. *quaſi legend. eſſet*; *ſudor Myrrhæ.* Smyrnæ O. Q. X. Y. Z.

506. *pr. exoreretur.* pr. exoriretur Q. X. retro quoque tetrius eſſet Y. vſ. 506. 507. 508. in Y. & Z deſunt.

NOTÆ.

ob Philoctetem tantum urbs hæc illuſtrior erat aliis iſtis duabus, ſed & ob Purpuræ tincturam, Lucretius lib. 2: 499.

— *Melibœaque fulgens*
Purpura Theſſalico concharum tincta colore.

Sed & Virgilii locum, cùm inquit Æn. 5: 251.

- - *Quam plurima circum*
Purpura Mæandro duplici Melibæa *cucurrit.*

de hac ipſa urbe interpretantur: Alii tamen quod ſciam Theſſalicæ, vel Melibæenſis purpuræ non meminerunt; Præterea, Feſtus Pompejus dicit inſulam fuiſſe, *Melibæa purpura a nomine inſulæ, in qua tingitur, vocatur.* Atqui hæc *Melibœa* in receſſu Sinus, quem Oſſæ & Pelii promontoria efficiunt, erat ſita, nihilque minus erat quàm Inſula. Locum itaque Lucretii & Virgilii de Phænicia purpura accipiendum eſſe exiſtimo: In ditione enim Apamiæ, quæ Pella dicta erat a Macedonibus, caputque fuit aliquamdiu omnium Syriæ civitatum, inſulam Melibæam eleganter deſcribit Oppianus, ſitam in Oronte flumine, qui antequam mari mergitur, latè circa illam ſtagnat. *Theſſalicas* verò illas conchas, dixit Lucretius, quia a Theſſalis vel condita eſt, vel nominata eſt ita Phænicia Melibæa. Theſſali enim & Macedones innumeris Syriæ locis patria indidere cognomina. Hinc illa in Syria vocabula, Berrhœa, Edeſſa, Lariſſa, Heraclea, Ægæ, Chalcis, Europos, Dium, Maronea, Pieria, Cyreſtica, aliaque infinita. Creech.

500. *Tincta colore: & aurea*] Aberat à vulgatis omnibus copulatio & poſt vocem *colore:* quam reſtitui conjectura ductus, cùm reperiſſem ſcriptum in duobus cod. manuſcr. *coloret.* Lamb.

501. *Aurea pav. ridenti imb. col. &c.*] Sic habent. cod. manuſcripti, & ita legendum. quod item jam pridem admonuit P. Victorius annotat. in epiſt. 19. lib. 15. *ſæcla* autem, id eſt genera. vulg. *Sedula,*

Namque aliis aliud retrò quoque tetrius eſſet
Naribus, Auribus, atque Oculis, Oriſque ſapori.
Quae quoniam non ſunt in rebus reddita, certa &
Finis utrimque tenet Summam: fateare neceſſe eſt
Materiam quoque finitis differre Figuris.
Denique, ab Ignibus ad gelidas, hiemiſque Pruinas
Finitum eſt, retroque pari ratione remenſum eſt.
Finit enim Calor, ac Frigus, mediique Tepores

In-

INTERPRETATIO.

ſic poſſe retrò cedere in deteriores partes (deteriora poſſe eſſe quàm quæ nunc peſſima ſunt) Aliud enim aliis ingratius foret Olfactui, Auditui, Viſui, & Guſtui. Cum verò res iſtiuſmodi nunquam ſint, & ex utraque parte tam malis quam bonis terminus ſtatuatur (quædam ſunt peſſima, quædam optima:) neceſſe eſt ut concedas varietatem figurarum ſeminum finitam eſſe. Denique ab Ignibus calidis, ad gelidas Hyemis pruinas finitum eſt, & ſimiliter e contra a gelidis Hyemis pruinis ad calidos Ignes finitum eſt:

VARIÆ LECTIONES.

509. *retrò quoque tetrius.* retroque ut acrius Q. X.
511. *certa &.* certaque A. B. certa C. E. N. P. Q. X. Y. Z.
513. *materiam.* materiem N. *finitis.* infinitis Y. Z.
515. *remenſum eſt.* remenſum N. X.
516. *Finit.* Finis C. E. N. Omnis P. Q. X. Y. Z. *frigus.* frigidus O.

NOTÆ.

Sedula, quæ rerum, &c. Lamb. Ita & libri noſtri in quibuſdam: *ſæcula novo.* Vulgati: *ſedula quæ rerum:* peſſime. Gif. Pulcra, *Venus aurea* (quamquam ex hiſtoria) *equi aurei* apud Pind. in I. Olymp. *aureus puer.* Apul. χρυσοῦς ἵππους. Ariſtænet. Fab.

503. *Smyrnæ*] Veteres libri ita rectiſſime. Vulgati: *myrrhæ.* Gif.

503. *Myrrhæ.* Vet. Codd. *Smyrnæ*; idem ſonat, μύῤῥα γὰρ ἡ σμύρνα παρ᾽ Αἰολεῦσιν, ἐπειδὴ τὰ πολλὰ τῶν μύρων διὰ Σμύρνης ἐσκευάζετο. Athenæus. p. 668: vid. etiam *Theophraſtum* de Odoribus. Creech.

504. *Cycnea mele*] cantiones cycnorum. cycnos traditum eſt moribundos ſuaviſſimè canere. Plato in Phædone: Κύκνοι ἀποθανούμενοι τότε δὴ μάλιστα ᾄδουσι, γεγηθότες ὅτι μέλλουσι παρὰ τὸν θεὸν εἰσιέναι, οὗ εἰσὶ θεράποντες: id eſt, *Cycni morituri tum maximè canunt, lætantes quòd ad Deum ituri ſunt eum, cujus ſunt miniſtri.* μέλη autem Græcum eſt, ſic ſuprà, 412.

Ac Muſæa mele, &c. Lamb.

504. *Dædala chordis*] variata, πεποικιλμένα chordis: quæ varios ſonos reddunt chordis: vel varietate grata, & jucunda. *Phœbea* autem intellige quæ cithara canuntur Nam Poëtæ Phœbum cithara canentem faciunt. Hom. Ιλ. α. 603.

--- οὐ μὲν φόρμιγγος περικαλλέος, ἣν ἔχ᾽ Ἀπόλλων.

Et Mercurius Phæbo pro virga quam ab eo accepit; lyram ei viciſſim donaſſe dicitur. Lamb. Quæ vario fidium ſono canuntur, &c. Fab.

507. *Cedere item retro poſſent*] Senſus eſt: Quod de præſtantia certorum unguentorum, purpuræ, canticorum, quæ quandoque oppreſſa ſilere modo dicebam, id contra de fœtore, ſono ingrato, turpitudine, &c. dicas licet. Nullus enim adeo tæter odor eſt, qui non infinitis partibus tætrior fieret. Fab.

511. *Quæ quon. n. ſ. in reb. redd.*] id eſt, quæ quoniam in rebus locum non habent, vel non ſunt rebus attributa, vel in rebus non reperiuntur, &c. Lamb.

Cer-

Inter utrumque jacent, explentes ordine Summam.
Ergo finita diſtant ratione creata,
Ancipiti quoniam mucrone utrimque notantur,
Hinc Flammis, illinc rigidis inſeſſa Pruinis.
Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quae
Ex

INTERPRETATIO.

Calor enim in Igne, & Frigus in pruina extrema ſunt, & inter hæc medii tepores jacent explentes ordine ſummam, (qui intendi uſque ad Calorem in Igne, & remitti uſque ad frigus in pruina poſſunt: Hi igitur tepores finita tantum ratione a ſe invicem diſtant, ex utraque enim parte habent terminos, Hinc calidis Ignibus, Illinc gelidis pruinis incluſi. Quoniam verò de hac re ſatis diſputavi, aliam exponam opinionem, qua

VARIÆ LECTIONES.

517. *utrumque.* utraſque X. Y. Z. *ſummam.* ſumma Y.
519. *mucrone.* mucroni. Z.
520. *inſeſſa.* infeſſa A. B. X. Y. Z. *Turneb. Adv.* 27: 14. infenſa c. O. P. Q.

NOTÆ.

511. *Certa & finis*] & quoniam certa finis, &c. alii legunt, *certaque finis*, ut ſit verſus hypermeter. ſed errant. Lamb. *Certaque*] Ita lego omnino. In libris omnibus fere, *certa.* Lambinus: *certa* &. Vide in Indice: *Verſ. Dactyl.* Gif.

512. *Utrinque*] & ab iis rebus quæ ſenſus vehementer offendunt, & ab iis quæ magnopere delectant: vel à duobus extremis contrariis. Lamb.

514. *Ab ignibus*] à caloribus æſtivis. Lamb. Hunc locum de Zonis accipiendum non puto, ſed de vi intenſiſſima ignis, de frigore, de tepore, &c. Fab. Confirmat v. 7. quia vulgò res determinantur contrariis qualitatibus, quæ ita extremæ ſunt, ut plures quidem gradus medios, at nullum prorſus extra ſe habeant. Creech.

515. *Finitum eſt*] ſpatium. Lamb.

515. *Retroque*] à frigoribus hibernis ad calores æſtivos. Lamb. *Retroque remenſum eſt*] A pruinis ad ignes; res plana. Nota tamen paſſivæ ſignificationis *remenſus*, ut *adeptus*, *expertus* & alia id genus epud Saluſtium. Fab.

516. *Finit enim*] Declarat id quod obſcuriùs dixerat. *finit* autem legendum, non *finis.* Sed aliter hac de re M. Tull. lib. 6. de rep. & Virgil. & ceteri, quamquam Lucret. de ſumma rerum agit, ſeu de omni: M. Tull de mundo. Epicurei enim non unum mundum, ſed plureis & innumerabileis eſſe volunt. ſic igitur M. Tull. *Cernis autem terram quaſi quibuſdam redimitam & circumdatam cingulis: è quibus duos maximè inter ſe diverſos, & cæli verticibus ipſis ex utraque parte ſubnixos obriguiſſe pruina vides: medium autem illum & maximum ſolis ardore torreri.* Virg. Georg. 1: 233.

Quinque tenent cælum Zonæ, quarum una coruſco, &c. Lamb.

519. *Ancipiti quon. mucrone*] hinc calore, illinc frigore dominante. *mucrone*, id eſt fine, ut interpretatur Adr. Turnebus. Lamb. Terminum intellige, ultra quem nec frigus intendatur, nec calor. Fab.

519. *Notantur*] Metaphora à terminis depactis: alioqui locus vulgo non intelligitur. Fab.

520. *Inſeſſa pruinis*] Si hanc ſcripturam recipimus, ut rectam & germanam, *inſeſſa* interpretabimur obſeſſa & circumfuſa, aut obtecta: atque ita habent libri ferè omnes vulgati, præter Aldinos antiq. in quibus impreſſum eſt *infenſa.* In manuſcriptis autem aliis ſcriptum reperi, *inſenſa*, & ita habent Vicetini: in aliis, *infeſſa*: quæ ſcripturæ varietas facile declarat, locum eſſe corruptum. ego aliquando exiſtimavi legendum, *infeſta pruinis.* ſic enim loquuntur Latini: *viæ latrociniis infeſtæ, ætas aliorum libidine infeſta: mare prædonibus* ſeu *piratis infeſtum*, pro *infeſtatum.* ſed Adrian. Turneb. cujus judicium plurimi, ut debeo, fa-

cio,

Ex hoc apta fidem ducit: Primordia rerum,
Inter ſe Simili quae ſunt perfecta figura,
Infinita cluere: etenim diſtantia quom ſit
Formarum finita, neceſſe eſt, quae Similes ſint,
Eſſe Infinitas: aut ſummam Materiaï

Fi-

INTERPRETATIO.

ex hac pendet, & ab illa confirmabitur; viz. Semina quæ ſunt unius & ejuſdem figuræ Infinita eſſe: *nam cum Varietas figurarum ſit tantùm finita, ſemina quæ ſunt ejuſdem & ſimilis figuræ debent eſſe numero Infinita, alioquin*

VARIÆ LECTIONES.

522. *ducit.* ducat Z.
525. *finita.* infinita Q. I. *ſimiles.* ſimili *Gaſſ.*

NOTÆ.

cio ait, ſcripturam antiquorum codicum, defendi poſſe, ſi intelligamus, *inſeſſa pruinis* dictum pro *ſeſſa in pruinis*, id eſt deſinentia in pruinas: ſeu finita pruinis, ſeu fatigata pruinis. quod concoquere non poſſum. Lamb. Ita vett. libri fere. In quibuſdam tamen: *infenſa*. In vulgatis *inſeſſa*, *infeſta*. Gif. Sic omnino legi debere credidi: etiamſi *infeſta* ferri queat, in notione paſſiva. *Inſeſſa* autem, Turnebi, non placet. *Inſeſſa* vero, occupata, ut locus *inſeſſus* ab hoſte, &c. Fab. Obſeſſa, circumfuſa, Alii *Infeſta*: Turnebus *Inſeſſa Pruinis*, i. e. *Feſſa in Pruinis*, ſeu deſinentia in Pruinas, ſeu Pruinis finita; ita ingenio & acumine ſuo abutitur Vir ille magnus, ut imperiti Librarii errores explicet, & defendat. Creech. Legendum haud dubie *inſeſſa*, quod vel unus locus Statii evicerit, qui eſt lib. XII. Theb. p. m. 516.

Somnoſque ferarum
Prætereo horrendis inſeſſa cubilia monſtris.

Ubi appoſite de ferarum cubilibus, quibus decumbunt, participio *inſeſſa* utitur, ita ut neque *infesſa*, *neque infenſa.* neque *infeſta* pro eo ſubſtitui ullo colore queat. Manifeſto autem Lucretium, ut ſolet, imitatur. Vide etiam Canteri Nov. lect. lib. II. cap. VIII. Preig.

521. *Quod quoniam docui*] Probavit diſſimiles figuras finitas eſſe; jam v. 7. ſubjungit aliam Epicuri ſententiam, *Semina viz. quæ ſunt ſimilis figuræ numero Infinita eſſe*, Infinita Orbicularia Infinita ovata, Infinita Pyramidalia, atque ita de cæteris; Addit deinde rationem ex Infinitate ſeminum ſuperius probata; Quippe, cùm ſpecies figurarum finitæ ſint, perſpicuum eſt, ſi, quæ ſub ipſis continentur Atomi, finito forent numero, nullam fore in Univerſo Atomorum Infinitatem. Καθ' ἑκάστην δὲ σχημάτισιν ἁπλῶς ἄπειροί εἰσιν Ἄτομοι, οὐ γὰρ τὸ πᾶν εἴη τῷ πλήθει τῶν Ἀτόμων ἄπειρον, εἰ μὴ ἁπλῶς ἄπειροι ἂν εἰσιν αἱ καθ' ἑκάστην τε σχημάτισιν ὁμοῖαι. Epicurus ad Herodotum. Creech.

522. *Ex hoc apta fidem ducit*] Sic ſupra. 477.

Quod quoniam docui, perg. conn. rem, q.
Ex h. apta fid. ducat, pr.
Finita var. &c.

& M. Tull. Tuſc. libr. 5. *Fulgentem gladium è lacunari ſeta equina aptum demitti juſſit.* idem Acad. lib. 2. *Mundus undique ex ſe aptus.* Idem de Finib. lib. 4. *Ordo rerum conſervatus, & omnia inter ſe apta, & connexa.* Ab hoc loco incipit docere, cujuſque figuræ primordia inter ſe ſimilia, eſſe infinita: quod hoc modo probat: Diſſimilitudo, ſeu diſtantia figurarum, finita eſt, ut antè probatum eſt. at ſi ſimiles principiorum figuræ, erunt etiam finitæ; fiet, ut ſumma materiæ ſit finita. hoc falſum (contrarium enim ſuprà probatum eſt) ergo & illud. Lamb.

522. *Primordia rerum inter ſe ſimili*, &c.] Probavit diſſimiles figuras eſſe finitas; ſi autem ſimiles itidem finitæ eſſent, ſumma finita foret: at finita eſſe ſumma non poteſt; ergo. Fab.

524. *Etenim diſtantia, &c.*] Non adſcripſiſſem

Finitam conſtare: id quod non eſſe probavi.
Quod quoniam docui, nunc ſuaviloquis, age, paucis
Verſibus oſtendam, corpuſcula Materiaï
Ex infinito ſummam rerum uſque tenere,
Undique protelo Plagarum continuato.

Nam

INTERPRETATIO.

tota ſeminum multitudo eſſet numero finita, quod falſum olim demonſtravi. Quod cùm aſſeruerim, jam age brevi ſuavique Carmine docebo, ſemina ab æterno rerum ſummam tenere (omnia rerum genera conſervare) per plagas ex omni parte continuatas:

VARIÆ LECTIONES.

528. Abeſt c. Q. Y. Z.

NOTÆ.

In hac tertia editione hoc quiddam leve, ſic eſſe ſcriptum in tribus lib. manuſcript. Vaticano, Memm. & Bertiniano, niſi homo barbarus, & quod gravius eſt, inſignitè impudens, & contumelioſus, poſt meas duas editiones, contendiſſet, hunc verſum ita legendum & ſcribendum,

Infinita cluêre. enim diſtantia cum ſit, &c.

cui neminem doctum & ſanum crediturum puto. Eſt enim verſus ipſo quidem planè digniſſimus, Lucretio verò indigniſſimus. Quòd autem ait à Marullo factum *etenim*, ex *enim*, quod erat in manuſcriptis: magnum & impudens mendacium. nam, ut de aliis taceam, liquet mihi dejerare, ita ſcriptum eſſe hunc verſum, ut edidi, in cod. Bertin. quem ſcio nunquam in Marulli manus incidiſſe. quid eſt eſſe ſycophantam, ſi hoc non eſt, ea conferre & ementiri in alterum, præſerſertim doctum & clarum virum, (mitto dicere, mortuum, quo quid ſceleratius?) quæ perſpicuè falſa ſunt? Lamb.

524. *Cluere. enim*] Sic habent veteres libri. Marullus fecit: *etenim*, male. Vide Indicem: *Enim.* Gif. Pro *Enim* contendunt Gifanius & Pareus, quibus nihil magis diſplicet quàm verſus Integer. Creech.

528. *Quod quoniam doc. nunc ſuavil.*] Nunc incipit docere, infinita materiei corpuſcula, ab æterno tempore uſque continuata plagarum impulſione, ſummam rerum continere, & ita res omneis naturaleis ſingulareis ab æterno uſque tempore progignere & procreare. Lamb. Quatuor ſequentes verſus tanquam inidoneos argumento explicando prætermiſit *Gaſſendus*; Et abeſſe poſſunt, ſi conſideremus *Lucretium* de figuris ſeminum diſputare, ſi verò particulare, quod ſequitur, argumentum ſpectemus, neceſſarii videntur: Atomorum ſub unaquaque figura infinitatem modò probaverat: Objectionem verò imminentem prævidentem prævidet, quæ ut meliùs unà cum reſponſione intelligatur, quatuor his verſibus Lectorem monet, quid expectare debuit. Creech.

528. *Nunc age oſtendam*] Summam rerum ſtare, & contineri per continuatas ab æterno plagas. Fab.

531. *Protelo*] id eſt, impulſu, ſeu tenore, ut interpretatur Donatus in Phorm. ubi hunc verſum Lucret. profert. ad illum locum,

Ne te iratus ſuis ſævidicis dictis protelet.

docetque *protelum dictum eſſe vel* à πρὸ & ἑλεῖν, *vel ab aſſiduo telorum jactu.* Utitur eadem voce idem Lucretius lib. 4: 191.

Et quaſi protelo ſtimulatur fulgure fulgur.

Eſt autem hîc, ut opinor, ſignificatque, longè, productè, perpetuò, & continuo tenore. *protelare, longè propellere* (inquit Feſtus) *ex Græco videlicet* τῆλε, *quod ſignificat longè.* Turpill. apud Nonium:

Propter peccatum pauxillum indigniſſimè
Patria protelatum eſſe, ſævitia patris.

le-

Nam quod rara vides magis eſſe animalia quaedam,
Fœcundamque minùs Naturam cernis in illis;
At regione, locoque alio, terriſque remotis
Multa licet genere eſſe in eo, numerumque repleri.
Sicuti Quadrupedum cum primis eſſe videmus

In

INTERPRETATIO.

Quamvis enim quædam Animalia vides numero pauca, & Naturam in illis producendis minus fæcundam eſſe, nihilominus in alia regione, in alio loco, & terris remotis poſſunt eſſe plura ejuſdem Generis; Exempli gratia, in genere Quadrupedum Elephantos

VARIÆ LECTIONES.

533. *minus.* magis C. E. P. N. Q. X. Y. Z. *adde de permutatione harum vocum apud librarios Collegam Clariſſ. P. Burmannum ad Quintil. Declam. p.* 153.
535. *genere.* genera C. P. Q. Y. Z.

NOTÆ

lege & Nonium in verb. *protelare:* ubi hos verſus Lucilii profert,

Quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri
Ducere protelo validis cervicibu' poſſent.

Sic Catull. ad Catonem:

— *hunc ego, ſi placet Dionæ,*
Protelo rigida mea cecidi. Lamb.

Plura hic poſſem, ſi luberet: ſed nolim onuſtum his notis Lucretium. *Protelum* proprie eſt *tenor ille ducti aratri per ſulcos.* Itaque *protelum* erit continuata actio & ἄπαυςος. Reliqua forte ad Terentium olim, ni me harum rerum tædeat. Fab. *Protelare* Fugare, Terent. Phor. Act. 1. Sc. 3.

Ne Te iratus ſuis ſævidicis dictis protelet.

vid. denique *Voſſium* ad Catullum. p. 123. Creech. Hinc *protelare* apud Tertullianum, aſſiduum Lucretii imitatorem. De Pœnit. Cap. 4. *Hæc te peccatorum fluctibus merſum perlavabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit* & de ſpectat. cap. 1. *Tanta eſt enim vis voluptatum, ut & ignorantiam protelet in occaſionem.* & alibi. Adde Scalig. ad Varron. p. 250. & ad Virg. catalecta p. 240. Hav.

532. *Nam quòd*] ἀνθυποφορά. Dicet aliquis (inquit) eſſe quædam animalia alia aliis rariora, verbi gratia, elefantos, monocerotes, phœnices: Cùm igitur elefanti rari ſint, debent eorum corporum primorum, ex quibus conſtant; figuræ eſſe raræ & finitæ: ergo quædam corporum primorum figuræ ſunt finitæ. hæc eſt ὑποφορά, ſeu objectio. Lamb. Objici poterat, ſpecies quaſdam animantum & aliorum concretorum rariores eſſe quam aliorum: Quid tum, inquit? ſi in hoc mundo ita ſe res habeat; in aliis, qui infiniti numero ſunt, aliter fit. Fab. Objicit ſibi, poſſe videri finitas eſſe Atomos ſub aliquibus figuris, cùm rariora quædam, & minùs frequentia Animalia eſſe videamus; & Reſpondet v. 37. primùm, Illa, quæ hic ſunt rara, abundare alibi; Elephantes v. g. quos Roma vix unquam vidit, in India eſſe plurimos. Deinde quamvis unica unius generis res eſſe in Orbe concederetur, niſi tamen infinitæ ejuſdem formæ eſſent Atomi, futurum non fuiſſe, ut ea res naſceretur, & procreſceret: idque allata comparatione egregiè illuſtrat. Creech.

533. *Fæcundamque minùs*] Sic neceſſariò legendum, non ut vulgo, *Fæcundamque magis.* Loquitur enim de animalibus raris duntaxat, in quibus natura ſit minùs fæcunda. Lamb. Sic veteres noſtri, & Lambinus. Vulgati: *magis.* Gif. *Fœcundamque minus*] Alii *magis*, quos ſequi nolo; *Fæcundam minus naturam in Illis*, Infæcundiora Animalia, *Gaſſendus:* quod diſplicet. Creech.

534. *At regione, locoque alio*] Hæc eſt ſolutio objectionis. Lamb.

535. *Multa licet genere eſſe in eo*] id eſt, poſſunt eſſe multa: vel nihil obſtat, quò minùs multa ſint animalia ſingularia in eo genere, alio in loco, etiamſi apud nos pauca & rara ſint. *genere* autem le-

In genere anguimanos Elephantos, India quorum
Millibus è multis vallo munitur eburno,
Ut penitus nequeat penetrari; tanta ferarum
Vis eſt, quarum nos perpauca exempla videmus.
  Sed tamen id quoque uti concedam, quam libet, eſto
Unica res quaedam nativo corpore Sola,
Quoi ſimilis toto terrarum non ſit in orbe:

In-

INTERPRETATIO.

anguimanos contemplemur, India enim tot millia Elephantorum nutrit, ut vallo eburno impenetrabili muniri videatur: Tanta eſt Elephantorum multitudo in India, licet Nos Romæ rarò videamus. Ut tamen non moroſus ſim, ſit res aliqua, quamcunque vis, unica & ſola, & cui in toto terrarum orbe nulla ſit ſimilis;

VARIÆ LECTIONES.

536. *Millibus.* Mollibus O. Milibus. Y. Z. *vallo* valli Y.
541. *quamlibet.* quam lubet. Q. 1. quam jubet Y. Z.
543. *non ſit in orbe.* ſit orbi Y. non ſit in orbi Z.

NOTÆ.

legendum, non *genera.* ſic ſtatim,

Sicut quadrupedum cum primis eſſe videmus
In genere anguimanos, &c.

& infrà,

Eſſe igitur genere in quovis primordia rerum, &c. Lamb.

Ita rectè; ut mox: *in genere, &c.* & verſ. 567. *Eſſe igitur genere in quovis, &c.* Gif.

535. *Numerumque repleri*] Qui reſpondeat aliorum frequentiæ. Fab.

537. *Anguimanos*] In hanc ſententiam ita ſcribit libro de opificio Lactantius. *Jam enim manus amiſſa dignitate, quam nunc habet, mobilitate nimia promuſcidis ſimilis mirabiliter videretur: eſſetque hoc plane anguimanus: quod genus in illa immaniſſima bellua mirabiliter effectum eſt.* Pius. Quibus manus eſt tortilis, flexilis, lubrica, volubilis ſerpentis in morem. M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. *Manus etiam data elephantis, &c.* Iterum Lucret. lib. 5: 1031.

Inde boves Lucas turrito corpore, tetros
Anguimanos, belli docuerunt vulnera Pœni
Sufferre,

&c. Elefanto autem pro manu eſt proboſcis. Sed de elephantis lege Plinium libro 8. cap. 10. Lamb. Quorum manus, ſeu proboſcis, eſt veluti anguis. Fab.

537. *India quorum mil. è mult.*] Nam (ut ſcribit Plin. lib. 8.) *poſtium vicem in domiciliis præbent dentes elephantorum: ſæpeiſque in iis & pecorum ſtabulis pro palis fieri ex his dentibus Polybius tradidit.* Pius & Lamb.

538. *Vallo munitur eburno*] Reſpicit tabulam aliquam in qua India vallo eburno cincta eſſet. Quæ dicuntur ab aliis, &c. nihil moror. Fab. In Extremis Africæ poſtium vicem in domiciliis præbere, ſedeſque in iis, & pecorum ſtabulis palos Elephantorum dentibus fieri Polybius tradit, autore Goluſſa regulo: Plin. l. 8. C. 10. idem *Lucretium* voluiſſe *Lambinus* docet, & ex illo *Fayus*: frigidè: Reſpicit tabulam aliquam in qua India vallo eburno cincta eſſet: *Faber*, qui Lucretium ubique *Tabulas* ſpectantem inducit: Maximam Indiæ vim in Elephantis ſitam eſſe quis neſcit? Illorum ope ſe, ſuamque patriam Indi defendebant. Hæc cogita, & mentem Lucretii attinges. Creech. Mira ad hunc locum Lambinus, & Faber narrant. Verum ſenſum Creechius tetigit. Omnino enim de Elephantis, apud Indos, in aciem produci ſolitis, ſuiſque dentibus, tanquam vallo eburno Indiam munientibus loquitur Auctor. Gemina loquendi ratio eſt, qua utitur lib. V. verſ. 26.

De-

Infinita tamen niſi erit vis Materiaï,
Unde ea progigni poſſit concepta; creari
Non poterit: neque quod ſupereſt, procreſcere, alique.
Quippe etenim ſumant oculi, finita per Omne
Corpora jactari unius genitalia reji;
Unde, ubi, qua vi, & quo pacto congreſſa coibunt
Materiae tanto in pelago, turbaque aliena?

Non

INTERPRETATIO.

niſi verò illa ſemina e quibus componi poſſit, eſſent numero infinita, iſta res nunquam fuiſſet producta, nec deinde aucta & nutrita: Supponamus enim Finita *ſemina alicujus rei per Infinitum Inane jactari, Unde, ubi, qua vi, & quo modo convenient iſta ſemina in tanto diſſimilium ſeminum turbine jactata & diſperſa: Nullo modo, uti opinor, convenire poſſunt; ſed veluti cum multæ rates naufragium patiantur,*

NOTÆ.

Denique quid Cretæ taurus Lernæaque peſtis,
Hydra venenatis poſſet vallata colubris?

& lib. IV. Theb. Statius.

Et galea annoſi vallatur dentibus apri.

Denique, lib. IX. de Elephantis Libycis, in aciem eductis, adeoque ad ipſam veluti interpretationem hujus loci Lucretiani:

Stat niveis longum ſtipata per agmina vallum
Dentibus. Preig.

Joſephus lib. 2. de Bello Jud. cap. 16. §. 4. pariter (ut ibidem oſtendimus pag. 189. Edit. noſtræ) inpenetrabiles Britannos dicit propter murum eorundem, mare ſcilicet, quo a continenti dividuntur. Σκέψασθε δὲ καὶ τὸ Βρεττανῶν τεῖχος, οἱ τοῖς Ἱεροσολύμων τείχεσι πεποιθότες. i. e. *Porro & Britannorum murum conſiderate, qui Hieroſolymorum muris adeo confiditis.* Hav.

541. *Sed tamen id quoque*] Hujus loci hæc ſententia eſt: Verùm eſto, demus, unam rem unius generis in toto orbe terrarum eſſe natam. niſi erunt tamen infinita materiae corpora ſimilia, & ejuſdem formæ, ex quibus ea res conflata in lucem proferri queat: neque creari, neque creata procreſcere & ali poterit. Lamb. Ingenioſior argumentatio quam videatur. Fab.

543. *In orbe*] Nihil mutavi, quamvis libri duo manuſcripti habeant, *in orbi.* Satis eſt mihi admonuiſſe lectorem, utrumque uſurpatum eſſe à veteribus. Lamb. *In orbi.* Ita in veteribus quibuſdam; quod rectius puto. In aliis tamen: *orbe.* Gif.

546. *Quod ſupereſt*] Nota, ſed & alibi, poſitum αὐτὶ præterea Fab.

536. *Alique*] Non ſimpliciter nutriri, verum & ad adultam pervenire ætatem; uti docuit Turneb. Adv. 5: 27. ſicuti & in illis inf. 1129.

Donicum aleſcendi ſummum tetigere cacumen

& I: 192.

— *Quæque ſua de materia grandeſcere alique.* Hav.

547. *Omne*] τὸ πᾶν. Lamb.

548. *Unius genitalia rei*] quæ ad unam rem gignendam valeant. Lamb.

550 *Materiae tanto in pelago*] id eſt, in tanta atomorum multitudine, & copia, &, ut verius dicam, infinitate. Lámb. Non potuit Elegantiùs, cùm perpetuò agitentur ſemina, & ſint omni æquore magis irrequieta. Creech.

550. *Turbaque aliena*] id eſt, in turba atomorum diſſimilis figuræ. Lamb. Intelligit atomos quæ ad conſtitutionem aliorum generum ſeu ſpecierum neceſſariæ ſunt. Fab. *Inhabili ad cœtum*, F[illegible]us, ut ſolet: Lucretius autem intelligit *Atomos* quæ ad conſtitutionem aliorum generum neceſſariæ ſunt. Creech.

551. *Rationem conciliandi*] Liber Vaticanus habet, *conciliari.* ego tamen nihil muto. Lamb. *Conciliari*, quidam libri veteres. Gif. *Conciliandi*] In notione paſſiva, Quam rationem haberent cur conciliarentur, & σύγκριμα aliquod facerent? Ita jam ſupra I: 1021. *neque enim conſilio ſe locarunt.* Fab

Non (ut opinor) habent rationem conciliandi:
Sed quaſi naufragiis magnis multiſque coortis,
Disjectare ſolet magnum mare tranſtra, guberna,
Antennas, proram, malos, tonſaſque natanteis,
Per terrarum omneis oras fluitantia apluſtra;

Ut

INTERPRETATIO.

mare agitatum ſolet disjectare Tranſtra, Gubernacula, Antennas, Proram, Malos, Remos natantes, & Apluſtra fluitantia per omnia littora,

VARIÆ LECTIONES.

552. *multiſque*, ventiſque C. E. P. M. N. Q 1.
553. *guberna*. carinas C. E. N. P. Q. caverna Y. cavernas Z.
554. *tonſas*. tenſas N.
555. *fluitantia*. fluctantia D. *apluſtra*. plauſtra I. Q. X. Z. tranſtra Q 1.

NOTÆ.

552. *Sed quaſi, &c.*] id eſt, quemadmodum, &c. Sic ſæpe alibi poëta noſter, exempli cauſa, lib. 3. 148.

> *Et quaſi cum caput, atque oculus, tentante dolore,*
> *Læditur*, &c.

Idem lib. 4: 162.

> *Et quaſi multa brevi ſpatio ſummittere debet*, &c.

Sic & M. Tullius in Catone majore: *Et quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, avelluntur; ſi matura & cocta, decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas.* Lamb.

552. *Magnis multiſque coort.*] Sic repoſui, ſecutus libros omneis manuſcriptos, cum in vulgatis legatur, *ventiſque coortis*: quæ ſcriptura, quamvis videatur ſpecioſa & probabilis (ſic enim locutus eſt lib. 6: 578.

> *Ventus ubi, atque anima ſubito vis maxima quædam*
> *Aut extrinſecus, aut ipſa ab tellure coorta eſt, &c.*]

placet tamen mihi magis antiqua. Lamb. Marullus contra omnes veteres: *ventis*. Gif.

553. *Magnum*]. Tumidum, commotum, *&c.* ſupra. Fab.

553. *Tranſtra, guberna.*] Sic reſtitui, ſecutus veſtigia veteris ſcripturæ. nam cum reperiſſem in tribus libris manuſcriptis, *tranſtra, caverna*; in uno, *tranſtra curva carina*: ſtatim conjeci *caverna* corruptum fuiſſe ex *guberna*; atque ex *guberna* factum eſſe *guverna*, *u* pro *b*: deinde *caverna*: poſtremo *carinas*: quod poſtremum eſt in libris vulgatis. quam meam conjecturam ſpero doctos viros, eoſque maximè, qui verſati ſunt in lectione membranarum antiquarum, probaturos. uſus eſt Lucret. eadem voce libr. 4: 441.

> --- *& recta ſuperne guberna.*

guberna autem idem valet quod *gubernacula.* qua de voce plura ad illum locum dicemus. Lamb. Lambinus *guberna* egregie, ex veteribus libris. In aliis & vulgatis: *carinas.* Gif. Egregia Lambini emendatio. *guberna*, id eſt *gubernacula.* Fab.

554. *Antemnas*] *Antemna*, (ut ſcriptum eſt in vocabulario Cl. Puteani) κέρας πλοίου: id eſt *cornu navigii.* Lamb.

554. *Tonſaſque natanteis*] id eſt, remos fluctuanteis. Virg. lib. Æneid. 7: 28

> --- *& in lento luctantur marmore tonſæ.*

Ennius:

> *Pone petunt, exin referunt ad pectora tonſas.*

Idem,

Peſte

Ut videantur, & indicium mortalibus edant,
Inſidi maris inſidias, vireiſque, dolumque
Ut vitare velint, neve ullo tempore credant,
Subdola quom ridet placidi pellacia ponti:
Sic tibi ſi finita ſemel Primordia quaedam
Con-

INTERPRETATIO.

ut videantur, & admoneant Homines Inſidias, vires, & dolum infidi Maris vitare, nec unquam credere, cùm tranquilla facie æquor ſubdolè adblanditur, & ſubridet: Sic ſi ſemina alicujus rei Finita

VARIÆ LECTIONES.

559. *pellacia.* pallacia Z.
560. *finita.* infinita Y. *& in* Z. *a pr. manu.*

NOTÆ.

Poſte recumbite, veſtraque pectora pellite tonſis.

Tonſa (inquit Feſtus) *remus, quòd quaſi tondeatur ferro. Tonſæ,* ut interpretatur auctor vocabularii Latinogræci, κῶπαι. LAMB. Remos. Ennius apud Feſtum, *Poſte recumbite, veſtraque pectora tollite tonſis.* Lege, *pone recumbite;* exprimit geſtum remigum. FAB.

555. *Apluſtra*] *Apluſtra* (inquit Feſtus) *navium ornamenta, quaſi ampluſtria, quia erant ampliùs, quàm eſſent uſu neceſſaria,* ſcriptum eſt in vocabulario Latinogræco Cl. Puteani, *Apluſtrum,* πτερὸν πλοίου, ὡς Ἔννιος· καὶ ἄκρον τῆς πρύμνης. Cic. in Arato,

Navibus abſumtis fluitantia quærere apluſtra.

quemadmodum autem Lucretius, & M. Tull. dixerunt, *fluitantia apluſtra:* ſic Virgilius libr. 10: 306. *fluitantia tranſtra.* LAMB. ἄφλαστα ornamenta navium erant, non in prora, ut plerique veterum ſcripſerunt, ſed in puppi. ornamenta enim quæ in prora erant, *acroſtolia* dicebantur. De his & aliis id genus olim multa obſervaram: ſed illa omnia in lib. I. Schefferi Viri diligentiſſimi, quos ille de militia navali veterum edidit, occupata video. FAB. Verbum *fluitare* in hoc negotio mire placuit Lucretii imitatoribus, Virg. x. Aen. 306.

Fragmina remorum quos & fluitantia tranſtra
Impediunt.

Petronius, Carm. de Bello Civili, proprius Noſtro accedens:

Unde omnes terras, atque omnia littora poſſit
Aſpicere, ac toto fluitantes orbe catervas.
PREIG.

557. *Inſidi maris inſ.*] Itaque Herodotus in Polyhymn. ex perſona Perſarum regis, mare δολερὸν ποταμὸν appellat. & Pittacus unus è ſeptem dicere ſolebat, πιστὸν γῆ, ἄπιστον δὲ θάλασσα: id eſt, *fida res, terra; infida, mare.* LAMB. Virg. Æn. III. verſ. 69.

Inde ubi prima fides pelago placataque venti
Dant maria, &c. PREIG.

559. *Pellacia*] id eſt fallacia, à *pelliciendo.* Utitur eadem voce etiam libr. 5: 1002.

Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem, ridentibus undis.

Pellicere (inquit Feſtus) *in fraudem inducere.* idem alibi in verbo *Lacit, Lax fraus eſt.* Virgil. libr. 2. Æneid. 90.

--- *invidia poſtquam pellacis Vlyſſei*
(*Haud ignota loquor*) *ſuperis conceſſit ab oris.*

Arnobius lib. 4. adverſus genteis: *Quis eſt, inquam, qui credat, ad humanas accubuiſſe Deum menſas, interemtum avaritiæ cauſa, fefelliſſe ſupplices ambiguitate reſponſi? præcellere in furum ordine?*

Z z 2 ad-

Conſtitues, aevom debebunt ſparſa per omne
Disjectare aeſtus diverſi Materiaï:
Nunquam in concilium ut poſſint compulſa coire.
Nec remorari in concilio, nec creſcere adaucta.
Quorum utrumque palam fieri manifeſta docet res,
Et res progigni, & genitas procreſcere poſſe:
Eſſe igitur genere in quovis Primordia rerum
Infinita palam eſt, unde omnia ſuppeditantur

Nec

INTERPRETATIO.

conſtitues, diverſi materiæ æſtus illa ita diſpergerent, & perpetuò disjectarent, ut nunquam coire, nunquam ſi forte convenirent in cœtu remanere, aut aliis accedentibus augeri valerent. At verò nihil evidentius, quàm quòd Res gignuntur, & genitæ augentur; ideoque haud obſcurum eſt, ſemina uniuſcujuſque rerum Generis Infinita numero eſſe, e quibus res creantur & augentur.

VARIÆ LECTIONES.

561. *omne.* omnem A. B. Y.
562. *Æſtus.* æſtu Z. *diverſi.* diverſæ Z.
563. & 564. tranſponuntur in Y. Z.

NOTÆ.

adulteraſſe? ſerviſſe! vulneratum eſſe? & adamaſſe? & per omneis libidinum formas inceſtarum cupiditatumque circumegiſſe pellaciam? LAMB. Recte *placidi p. p.* non vero *penitus*, uti citat Philargyrius ad Virg. Georg. 4: 443.

Verum ubi nulla fugam reperit fallacia.

ubi docet quosdam codices quoque habere *pellacia*, ſicuti Æn. 2: 90. *pellacis Ulyxi.* Adde Janum Rutgerſ. Var. Lect. lib. 6. cap. 15. HAV.

561. *Aevum debebunt ſparſa per omne*] Quidam libri ſcripti habent, *ævum debebunt ſparſa per omnem.* LAMB. *Per omnem*] Hoc rectiſſimum ex veteribus libris puto. In aliis. *omne.* GIF. Al. *ævum omnem:* nam & *ævus* dicebant, ut alia id genus ſexcenta. FAB. *Omnen* Giſanius; & fruatur: *ævus* enim Veteres. CREECH.

562. *Æſtus Materiaï*] Modò dixit *Materiæ Pelagus*, & jam *Æſtus Materiæ.* CREECH.

563. *In concilium ut poſſint comp. coire*] in concilium coire, id eſt conciliari, congregari. LAMB.

567. *Eſſe igitur genere*] Concludit; cujusque generis primordia eſſe infinita. LAMB.

567. *Genere in quovis*] Vel ex hoc loco apparet ſuprà legendum,

Multa licet genere esſe in eo, &c. LAMB.

569. *Nec ſuperare queunt motus utique exitiales*] id eſt, nec utique motus exitiales, & peſtiferi, res genitas ſuperare & funditus perimere poſſunt, quin exſtinctæ aliquando renaſcantur: nec genitales, & ad gignendum utiles, & ſalutares, queunt easdem in perpetuum ſervare. mendosè in omnibus lib. ſcriptum & impreſſum eſt *exitialeis.* legendum enim *exitiales*, in recto caſu. LAMB. Aliud v. 12. continetur argumentum, quod ſuperius conſequitur: ſi finita uniuſmodi figuræ ſemina ſupponamus, tum res ex iis finitis ſeminibus conſtitutæ, cùm ſemel ſolutæ fuerint, nunquam inſtaurarentur: Si finita fuerint ſemina fruſtra generationem & augmentationem rerum expectaremus. At quid certius quàm Res alias naſci & augeri. aliàs diminui & interire? Unde ſemina ſimilis figuræ numero infinita eſſe concludendum. CREECH. *Exitiales*] Eſt rectus caſus, ut mox: *auctifici motus*, contrarii hiſce. GIF.

570. *Salutem*] Rerum ſcilicet. FAB.

573. *Sic æquo geritur, &c.*] Sic æquali (inquit) principiorum certamine ſeu prœlio bellum geritur ab æterno tempore. Nam neque res genitæ

ina-

Nec ſuperare queunt motus utique Exitiales
Perpetuò, neque in aeternum ſepelire ſalutem;
Nec porro rerum Gentiales Auctificique
Motus perpetuò poſſunt ſervare creata.
Sic aequo geritur certamine Principiorum
Ex infinito contractum tempore bellum:
Nunc hic, nunc illlic ſuperant vitalia rerum,
Et ſuperantur item; miſcetur Funere Vagor,

Quem

INTERPRETATIO.

Neque profectò Motus quibus res deſtruuntur perpetuò ſuperare, rebuſque vitam auferre poſſunt; nec motus quibus res gignuntur & augentur res creatas perpetuò conſervare; contentio inter ſemina (exitialia & genitalia) ab æterno exiſtens tam pari virtute, parique ſucceſſu protrahitur: Nunc hic nunc illic genitalia rerum ſemina prævalent; nunc vincuntur; Vagitus Infantum miſcetur cum gemitu morientium,

VARIÆ LECTIONES.

569. *utique.* itaque Q. Y. Z.
576. *ſuperantur item.* ſuperant urnæ c. O. P.

NOTÆ.

manent æternæ, neque in perpetuum intereunt; ſed & res quæ genitæ ſunt, intereunt; & quæ interierunt, renaſcuntur. Ita fit, ut ſumma rerum ſit æterna, cùm res ſingulares quotidie naſcantur & moriantur, oriantur & occidant. Lamb.

574. *Contractum*] Sic idem lib. 4: 965.

Nautæ cum ventis contractum cernere bellum. Lamb.

575. *Vitalia rerum*] id eſt, res vitales. quemadmodum apud Horat. epiſt. ad Scævam, 1: 17: 15.

--- tu poſcis vilia rerum:

id eſt res vileis. quem locum nos in omnibus libris corruptum reſtituimus ex auctoritate codicum manuſcript. *Res vitaleis* autem intellige, quæ ad vitam aliquid conferunt, & adjuvant. Lamb.

576. *Et ſuperantur item*] Videri poſſit hic verſus ex Lucilio ſumptus, nam in veteri codice ex ſecundo Lucilii profertur:

Et ſuperant urnæ, miſcetur funere vagor.

Sed locus bis corruptus eſt; Quanquam ſcio urnam ad mortualia pertinere. Fab.

576. *Vagor*] vagitus. Feſtus: *Vagorem* pro vagitu poſuit Ennius libr. 16.

Qui clamorem oppugnatis vagore volanti.

Et Lucr. lib. 2: 576.

Et ſuperantur item, miſcetur, &c.

producit teſtem hunc eundem Lucretii verſum Nonius, ſed corruptum. Lamb.

577. *Viſentes luminis oras*] naſcentes. lib. 1: 23.

— dias in luminis oras
Exoritur. Lamb.

578. *Nec nox ulla d. &c.*] id eſt, neque nox ulla diei ſucceſſit, neque dies ullus noctem excepit, quo non ab altera parte puerorum naſcentium vagitus auditus ſit: ab altera, vox eorum qui mortem amicorum aut propinquorum lamentantur ac deplorant. Atque, ut breviùs complectar, eodem die, & eadem nocte, alius naſcitur, alius diem obit ſupremum. Lamb.

581. *Illud in his reb.*] Nunc docet, nullam rem genitam uno primordiorum genere conſtare. Lamb.

 581.

Quem pueri tollunt viſentes luminis oras:
Nec nox ulla diem, neque noctem aurora ſecuta eſt,
Quae non audierit miſtos Vagitibus aegris
Ploratus, mortis comites, & funeris atri.
 Illud in his obſignatum quoque rebus habere
Convenit, & memori mandatum mente tenere:
Nil eſſe, in promptu, quorum natura tenetur,
Quod genere ex uno conſiſtat Principiorum:

Nec

INTERPRETATIO.

neque ulla nox diem, neque ulla dies noctem ſequitur, quæ non audivit Ploratus mortem & triſte funus comitantes infirmis vagitibus Naſcentium immiſtos. Hoc inſuper obſignatum habeas, & tenaci memoriæ retinendum credas: nihil inter omnes iſtas res, quas comprehendimus, conſtare ex uno genere ſeminum.

VARIÆ LECTIONES.

578. *aurora.* aura Z.
583. *tenetur.* videtur A marg. C. E. N. P. Q. 1. X. Y.
584. *conſiſtat.* conſtare Z.

NOTÆ.

581. *Obſignatum*] id eſt memoriæ mandatum, in pectore conditum. tranſlatio ducta à tabulis obſignatis. ea enim *obſignare* ſolemus, quæ ab aliis videri nolumus, quæque diligentiſſimè cuſtodienda eſſe putamus. ſic Arnobius loquitur libro 3. adverſ. genteis: *Quia fornicem Lucilianum, & Marſyam Pomponii, obſignatum memoria continetis.* Lamb. Dicimus *reconde hoc imis ſenſibus.* Virg. Ecl. 3: 54.

Senſibus hæc imis, res eſt non parva, reconde.

Sed quæ talia ſunt ut condantur, fere plerumque obſignantur; iis ἐπιβολὴ σημείου apponitur, &c. itaque metaphoricῶς, Hæc in animo habe, ſerva. Fab.

582. *Et mem. m. m.*] Declarat quod obſcuriùs dixerat, καθ' ἑρμηνείαν. Lamb.

583. *Nil eſſe, &c.*] nihil eſſe in promptu poſitum, nihil natum, nihil genitum, quod ex uno genere principiorum, aut quod ex omnibus unius figuræ & ſimilibus principiis conſtet. *nil eſſe in promptu* autem, ſubintell. *eorum, quorum* &c. Lamb. *Nihil eſſe, in promptu quorum, &c.* Sic interpunxi, & ſcripſi. Vulgati aliter; & poſt, *videtur.* Gif. Uno verbo id probat quod veriſſimum eſt, nil eſſe ſimplex in concretis: quomodo enim fieret, ut multæ ejuſdem generis magnitudines, & ejuſdem generis figuræ cohærerent ſine vinculo; itaque diverſum aliquid eſſe debet. Series verborum: *Nihil eorum omnium*, quorum natura nobis nota ſit, tale eſſe, ut conſtet, &c. Fab.

583. *Quorum natura tenetur,*] id eſt, quæ nota ſunt, ſeu quorum natura nota eſt. Porrò autem ſic habent libri manuſcripti: vulgati,

Quorum natura videtur. Lamb.

586. *Et quàm quicque magis multas vis, &c.*] Priſc. hunc verſum profert libr. 6. (quamvis eum paullo aliter legat) docens *vis* à Lucr. numero multitudinis uſurpatum eſſe: ut etiam à Salluſt. lib. 3. hiſtor. *Malo jam aſſuetum ad omneis vis controverſiarum.* utitur eadem voce in eodem numero & libr. 3: 366.

Et quaſi multæ vis unius corporis exſtant.

Animadvertat autem literarum ſtudioſus, etiam uſitatum fuiſſe bonis ſcriptoribus hoc loquendi genus: *quàm magis, ita magis; quàm magis, ita plura.* nam uſitatius illud, de quo alibi diximus, *quàm magis, tam magis.* Sic autem citatur hic verſus à Priſc.

Et

Nec quidquam, quod non permiſto Semine conſtet.
Et quàm quidque magis multas vis poſſidet in ſe
Atque poteſtates, ita pluria Principiorum
In ſeſe genera, ac varias docet eſſe figuras.
Principiò, Tellus habet in ſe Corpora prima,
Unde Mare immenſum volventes flumina fontes
Adſiduè renovent: habet, Ignes unde oriantur.
Nam multis ſuccenſa locis ardent ſola terrae.

Exi-

INTERPRETATIO.

nec qicquam eſſe quod non componitur ex pluribus ſeminum generibus; & unamquamque rem, quo plures diverſas facultates viresque habeat, eò plura ſeminum variis figuris præditorum genera continere. Principiò, Terra in ſe continet ſemina, e quibus fontes volventes flumina quotidie renovent immenſum Mare; continet etiam ſemina e quibus Ignes naſcuntur, Terra enim multis in locis accenſa ardet,

VARIÆ LECTIONES.

585. *quod non permiſto ſemine.* quod permiſto de ſemine Q. 1.
586. *quam quidque.* quæcunque Q. V. Y. Z. quàm quiſque E. quidque A. N. B. D. quo quicque N. quo quiſque P. quo quodque P. *in not. Et quam quicque magis multas vis.* Et quam multarum rerum vis *Priſcian. multas vis.* vis multas Q. Y. Z.
587. *pluria.* plurima C. E. P. Q. 1. Y. Z.
588. *ac.* & Q. 1.
590. *flumina.* frigora Q. 2. X. V. Y. Z.
592. *ſola.* loca *Gaſſ.*

NOTÆ.

Et quàm multarum rerum vis poſſidet in ſe. Lamb.

Ita ex veteri libro. Vulgati: *quo:* & mox: *plurima.* In Priſciano: *Et quam multarum rerum vis;* male, uti puto. Gif.

586. *Multas vis*] Facultates, *vis*, virtutes. Ita in plurali uſurpatum à Salluſtio eſt. Fab.

587. *Ita pluria*] Sic legendum. Nam ſic reperio veteres eſſe locutos. quod quidam ſemidocti & arrogantes non videntes, ſuppoſuerunt hoc loco *plurima.* Idemque & alibi fecerunt. Lamb.

588. *Docet*] oſtendit, declarat. tralatio eſt. Lamb.

589. *Principio tellus, &c.*] Parecbaſis ad myſteria Cybeles. Vide hic, Lector, admirabile politiſſimi Poëtæ ingenium. Gif. Primum, tellus primordia omne genus habet. humorem, ignem, herbarum, frugumque materiam. Fab. Primum argumentum v. 9. ducit e Terra, quam e diverſis ſeminum generibus conſtare nemo negabit, qui fontes ebullientes, flammas erumpentes ex illius viſceribus viderit, aut qui illam arbores producere, & Hominibus Feriſque Alimenta ſubminiſtrare conſideraverit. Iſta enim omnia ex ſeminibus ejuſdem magnitudinis ponderis, & figuræ oriri nequeant. Deinde v. 61. multa ſubjungit de Terra, prout Mater Deorum & Cybele dicta a Veteribus Poëtis fuit, ornamenta illius Deæ deſcribit, myſteria totius fabulæ explicat, deridet ſuperſtitionem, & tandem *Providentiam* ipſam convellit. Creech.

590. *Unde mare imm. vol.*] id eſt, ex quibus fontes flumina volubilia & delabentia in mare effundentes, mare redintegrent: quod partim à ventis, partim à ſole minuitur, partim à terra, dum

Eximiis verò furit ignibus impetus Ætnae.
Tum porrò nitidas Fruges, Arbuſtaque laeta
Gentibus humanis habet unde extollere poſſit.
Unde etiam fluidas Frondeis, & Pabula laeta

Mon-

INTERPRETATIO.

:puè violentis ignibus furit Ætna. Deinde continet ſemina e quibus ſegetes opimas, fœcundas Ar-:s utiles Hominibus produceret; e quibus etiam mobiles frondes, & læta gramina

VARIÆ LECTIONES.

593. *Eximiis.* Ex imis M. C. E. N.
596. *fluidas.* fluvios c. P. Q. Y. Z. fluviis K.

NOTÆ.

dum per terrarum meatus dimanans, ad caput amnium revertitur: ut idem Lucretius ait libr. 5. 262.

> *Quod ſupereſt, humore novo mare, flumina, fonteis*
> *Semper abundare, & latices manare peremneis,*
> *Nil opus eſt verbis: magnus decurſus aquarum*
> *Undique declarat, &c.* Lamb.

Fontes volventes *flumina*, id eſt, fluenta. Fab. *Frigora* Codex Voſſii quod Salmaſio unicè placet. Creech.

591. *Adſiduè renovent*] Sic legendum, & ita ſcriptum eſt in libr. manuſcriptis: niſi quòd Vaticanus librarii culpa habet, *removent.* Lamb.

591. *Habet, ignes unde*] habet corpora, ex quibus ignes oriantur. Lamb.

593. *Eximiis verò*] Sic habent omnes lib. manuſcripti. omnes ferè vulgati, *Ex imis.* quos non ſum ſecutus. *Eximiis* autem interpretor *egregiis, inſignibus, non vulgatis, neque uſitatis.* Lamb. *Eximiis vero*] Sic veteres libri omnes. Vide Indicem: *Eximius.* Marullus ex Virg. lib. V. fecerat: *Ex imis*; contra veteres libros. Gif. Magnis, Plautus in Trinummo dixit *Eximios ſumptus* Creech.

593. *Impetus Ætnæ*] Sic puto *impetum Ætnæ* dictum eſſe, ut *impetum cæli* lib. 5: 830.

> *Principio quantum cæli tegit impetus ingens.*

De Ætnæ autem ignibus copiosè diſputabit libr. 6. Lamb.

594. *Tum porrò nit.*] Porrò autem habet primordia in ſe incluſa, unde fruges & arbores hominibus efferre, & pabula mutis animantibus ac feris ſubminiſtrare poſſit. Lamb. *Nitidas*] ſuprà lib. 1: 253.

> *At nitidæ ſurgunt fruges, ramique vireſcunt, &c.*

& infrà eodem libro, in extr. 1157.

> *Præterea nitidas fruges, vinetaque læta,* &c. Lamb.

596. *Fluidas*] Quæ cibatui eſſe poſſunt, ſin minus, in ſtramenti loco illa erunt. Fab. Molles, teneras, ſeu vento facilè mobiles, Codex Voſſii *Fluvios*, Quæ vox v. 874. aliquo modo confirmatur, ſed *Fluidas* malo. Creech. *Unde etiam fluidas frondeis, &c.*] Reſtituendam veterem Cod. Voſſii lectionem cenſet hoc loco Salmaſius, epiſt. 48. nempe:

> *Unde etiam fluvios, frondeis & pabula læta*

At contentus fuit Lucretius, dixiſſe, tellurem hominibus fruges & arbuſta ſuppeditare, de potu nihil ſollicitus; quare igitur plura feris annumeraret? præterea: *nitidæ fruges* & *fluidæ frondes, arbuſtaque* & *pabula læta* quam egregie inter ſeſe reſpondent; ut taceam fluviorum implicitam mentionem factam verſ. 590. etiamſi pro: *volventes flumina fonteis*, ibi legas: *volventes frigora fonteis*, quod idem ille Vir doctus tantopere laudat eadem epiſtola. Preig.

598. *Quare magna Deûm mater*] Hæc eadem Cybele à poëtis appellatur, & Cybeli cultrix, & Dindymene, & Berecynthia. Arnob. lib 3. adverſus genteis: *Terram quidam è vobis, quod cunctis ſufficiat animantibus victum, matrem magnam*

eſſe

Montivago generi poſſit praebere ferarum,
Quare magna Deûm mater, materque ferarum,
Et noſtri genetrix Haec dicta eſt Corporis una.
Hanc veteres Grajûm docti cecinere Poëtae

Se-

INTERPRETATIO.

genti ferarum per montes erranti ſubminiſtrare valeat. Quam ob cauſam Hæc una Terra Magna Deûm mater, mater ferarum, *& noſtri Corporis (Hominum) Genetrix vocatur, Docti veteres Græci Poëtæ cecinerunt Hanc (Magnam Deûm matrem) ſublimem in Curru agitare Leones binos ad jugum junctos*

NOTÆ.

eſſe dixerunt: eandem hanc alii, quòd ſalutarium ſeminum frugem gerat, Cererem eſſe pronuntiarunt: nonnulli Veſtam, quòd in mundo ſtet ſola, ceteris ejus partibus mobilitate in perpetua conſtitutis, &c. Idem lib. 7. *Sed & magna mater accita ex Phrygio Peſſinunte juſſis conſimiliter vatum, ſalutaris populo, & magnarum cauſa lætitiarum fuit. &c.* ſequitur ſtatim: *Nihil quidem aliud ſcribitur miſſum ab Attalo Rege, niſi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis ſine ulla impreſſione qui poſſet, coloris furvi atque atri, angulis prominentibus inæqualis: & quem omnes hodie ipſo illo videmus in ſigno oris loco poſitum, indolatum, & aſperum, & ſimulacro faciem minùs expreſſam ſimulatione præbentem, &c.* de eadem lege Herodianum lib. 1. & Ovid. Faſt. 4. & M. Tullium oratione de haruſp. reſponſ. & Varr. libr. 5. de lingua Lat. Lamb. *Magna deûm mater*] Et abſolute Μεγάλη, unde μεγαλήσια. Fab. *Quare magna Deûm*, &c.] Incipit Fabula, Favete; Terra, quæ parit Omnia, Mater Deorum, Hominum & ferarum dicta eſt; ſacra inſtituuntur, quæ partim ad Phyſicam, partim ad Ethicam trahit *Lucretius*; Illa quæ Jovem ſpectant proponit deridenda: Sed ipſa prodit Dea. Creech. Lepide Hydaſpes ad Ægyptios qui *Nilum* ſimileſque Deos celebrant, reſpondet apud Heliod. lib. 9. pag. 457. τὸν γοῦν ποταμὸν τοῦτον, εἴτε καὶ καθ' ὑμᾶς θεὸν, καὶ κῦτος ἅπαν τὸ ποτάμιον, ἡ Αἰθιόπων δεῦρο παραπέμπουσα, δικαίως ἂν παρ' ὑμῶν τυγχάνοι σεβάσματος, μήτηρ ὑμῖν γινομένη θεῶν. i. e. *Cæterum cum fluvium hunc, ſeu veſtra opinione Deum, & omnium fluviorum cumulum, Æthiopum terra ad nos deducat, merito a vobis coli debet, quæ vobis Deorum mater exiſtat.* Hav.

601. *Sublimem in curru*] Sic hunc verſum reſtitui, reclamantibus libris omnibus, conjectura ſola ad hanc ſcripturam, niſi fallor, rectam, & veram ductus. Atque hæc meæ conjecturæ ratio eſt. Ita ſcriptum erat in emendatis illis & antiquiſſimis libris, *Sublimem in curru.* annotatum eſt poſtea ab aliquò ſtudioſo ad oram libri è regione hujus loci idque ſignis duobus ſimilibus appoſitis, *Sedentem:* quæ erat interpretatio vocis *Sublimem:* Deinde, qui ex illo codice aliud exemplum deſcripſit ſcriptor librarius, exiſtimans vocem *ſublimem* eſſe mendoſam, & *ſedentem* in ejus locum ſubſtituendum, ita fecit: deinde ſemidocti, hunc verſum legentes, cùm animadverterent primam ſyllabam vocis *ſedentem* eſſe brevem, neque huic loco convenire, repoſuerunt ſatis temere *ſedibus.* ita ex *ſublimem*, *ſedibus* factum eſſe puto. hæc mea conjectura eſt. quæ mihi ita demum εὐστοχία videbitur, ſi doctis probabitur: ſin minùs, primùm fatebor me parum vidiſſe: deinde rogabo, ut aliquid meliùs reperiant. nam mea quidem ſententia, vox *ſedibus* hoc loco inepta eſt. Dictum eſt autem à Lucretio *ſublimen in curru*, & item à Sex. Julio Frontino lib. 1. Stratagematum, cap. 9. ita ut à Virg. *Sublimes in equis* libr. 7. Æneid. 285. nam *ſublimis in curru* nihil aliud ſignificat, quàm qui, vel quæ vehitur in curru, & ſedet in ſella curuli. quòd ſi barbarus homo, qui hanc meam emendationem non tam malevolentia & invidia, quàm cæcitate mentis, & ignoratione bonarum artium impeditus, improbavit, ac damnavit, cognoviſſet: vulgatam lectionem non defendiſſet. Sic Livius lib. 38. *Itaque iret conſul ſublimis curru, multijugis, ſi vellet, equis: uno equo per urbem verum triumphum vehi, &c.* Poſſem hujus locutionis plura afferre exempla: ſed ita in promtu res eſt iis qui aliquid vident in litteris, ut non egeat exemplis. Virgilius videtur hunc locum imitatus libr. 6: 784.

 Qua-

Sedibus in curru bijugos agitare leones:
Aëris in ſpatio magnam pendere docentes
Tellurem; neque poſſe in Terra ſiſtere Terram.
Adjunxêre Feras, quia quamvis effera proles
Officiis debet molliri victa parentum.

Mu-

INTERPRETATIO.

innuentes, viz. ingentem Terram in medio Aëre ſuſpenſam pendere, neque Terram, tanquam fundamentum, collocari: Feras (Leones) addiderunt, ut docerent Prolem quantumvis efferam Parentum officiis devictam miteſcere debere; Caput illius murali corona cinxerunt,

VARIÆ LECTIONES.

601. *Sedibus.* Ita A. B. C. E. N. P. Q. MSti omnes V. quoque. At *Lamb. Aliique* ſublimem. *Sed (licet de Codice ſomniet Creech) ſine auctoritate ulla. vide Gronov. Notam.*

604. *quia.* quod A. B. C. D. E. I. P. Q. Y. Z.

NOTÆ.

— — *Qualis Berecynthia mater*
Invehitur curru Phrygias turrita per urbeis
Læta Deûm partu, centum complexa nepotes,
Omneis cælicolas, omneis ſupera alta tenentes.

ad quem locum notat Servius, *quia ipſa eſt terra, quæ urbeis ſuſtinet, iccirco deſignari* (al. *adſignari*) *ei coronam cum turribus.* Lamb. *Sedibus in curru*] Male contra omnes libros Lambinos: *Sublimem.* Niſi fallor enim, deſignat Poëta, eam vehi ſella curuli. Gif. Sic optime Dionyſius; in aliis, *ſedibus:* quam lectionem qui probant, ἀκρισίαν ſuam produnt. Fab. *Sublimem in curru,* &c.] *Sedibus,* Codd. Giſanius: *Seditus, Seduli,* vel *Sedulem,* Palmerius: ſed iſtorum Omnium libris vel conjecturis præferendus eſt antiquiſſimus Lambini Codex. Creech. Quod ita omnino ſcribendum dicit Lambinus, ubi omnes libri: *ſedibus in curru,* quale eſt tandem? Quid ſimile *ſedibus,* & *ſublimem*? At ille tamen ad ſua ſomnia abit, & quomodo mendum inoleverit inaniſſimus conjectator comminiſcitur. Nec eo dico, quod ſtudium improbem; ſed quod eum mundo impoſuiſſe, & qui non aliter eſſet: noluiſſe a quoquam leviter reprehendi, æquo animo non fero. Quanto verius, ſcripſiſſe Lucretium:

Seditus in curru bejugos agitare leones?

Ut *ſeditus* adverbium ſit, qua forma alia multa; aut

Seduli in curru

Ut enim *ſella* aut *ſedes curulis,* ita *currus ſedulis.* Neque mala ſcriptura *ſedulem in curru,* ut *curulem* dicimus: quæ omnia, vulgato mendo affinia ſunt. PALM. SPICIL. Tom. IV. Fac. Crit. pag. 695. Tam acriter nove effictis, nullaque Auctoritate comprobatis vocibus inſtructus Lambinum aggreditur Ille, quid facturus tandem, ſi rite armatus cum ipſo in arenam deſcenderet! Preig. Lambinus reclamantibus, ut ipſe ait, omnibus libris, ſubſtituit: *Sublimem in curru,* proque eo vehementer pugnat, & quomodo librarii *Sublimem* in *Sedibus* transformare potuerint, rationes comminiſcitur. Giſanius tuetur ſcripturam veterem, qua deſignetur ſella curuli vehi ſolitam. Palmerius: *Seditus* aut *Seduli,* aut denique, *Sedulem in curru,* conjectat. Sed videtur aliquid voluiſſe Lucretius, quod neſcio an aliter facile exprimere potuerit Id docet Varronis fragmentum apud Auguſtinum ex lib. XVI, rerum divinarum: *Eandem dicunt Matrem Magnam: quod tympanum habeat, ſignificari eſſe orbem: quod turres in capite, oppida: quod ſedes fingantur circa eam, cum omnia moveantur, non moveri.* Ergo *Sedibus in curru,* intellige ex Varrone, circa eam factis vel fictis. Hinc εὔθρονον appellat Apollonius lib. I: 1092.

Αἰσονίδη, χρειώ σε τόδ' ἱερὸν εἰσανιόντα
Δινδύμου ὀκρυόεντος, εὔθρονον ἱλάξασθαι
Μητέρα συμπάντων μακάρων. Gron. obſ. l. III. c. V.

601. *Bijugos agit. leones*] Macrob. lib. I. Saturn. cap.

Muraliquе caput ſummum cinxêre Corona:
Eximiis munita locis quòd ſuſtinet Urbeis:
Quo nunc inſigni per magnas praedita terras
Horrificè fertur divinae Matris imago.
Hanc variae gentes antiquo more ſacrorum
Idaeam

INTERPRETATIO.

Quoniam egregiis locis munita urbes ſuſtinet, & jam corona iſta turrita decorata Imago divinæ Matris ſummo cum Horrore Vulgi per urbes & regiones portatur: Hanc diverſæ gentes, ex antiquo ſacrorum ritu

VARIÆ LECTIONES.

607. *Eximiis.* Extremis. A. Ex imis a. E. N.

NOTÆ.

cap. 21. *Quis enim ambigat matrem Deûm terram haberi? Hæc dea leonibus vehitur, validis impetu atque fervore animalibus: quæ natura cæli eſt: cujus ambitu aër continetur.* Hac de re ſic Virgil. libr. 3. Æn. 113.

Et juncti currum dominæ ſubiere leones.

Aliam mox cauſam ſubjungit Lucretius. LAMB. *Leones*, &c. *aëris in ſpatio*] Leonis enim natura ardentiſſima eſt & rapida. FAB.

604. *Adjunxere feras, quia*] Ovid. lib. 4. Faſtorum aliam vult cauſam eſſe;

— — *Cur huic genus acre leonum*
Præbeat inſolitas ad juga curva jubas?
Deſieram. cœpit: feritas mollita per illam
Creditur. id curru teſtificata ſuo eſt. LAMB.

Aliam rationem dat Oppianus ex Poëtico figmento, Curetes videlicet ob ſervatum Jovem in leones a Saturno fuiſſe mutatos; quibus pro ſervata vita Jupiter poſtea regnum in feras dederit

— καὶ ἐριγδανὸν θοὸν ἅρμα
Ῥείης εὐωδῖνος ὑπὸ ζευγλῆσιν ἄγουσιν

i. e. *& terribilem celerem currum Rheæ fæcundæ ſub jugis trahunt.* Locus integer exſtat Lib. Κυνηγ. tertio, mox a principio. HAV. *Quamvis*] quantumvis. LAMB.

606. *Muraliquе*] Sic ab Ovid. *turrifera*, à Virgil. *turrita* appellatur. dabatur autem muralis corona ei qui primus murum ſubiiſſet: quæ erat aurea. Et poëtæ urbeis appellant εὐστεφάνους, id eſt *pulcris coronis ornatas*, ſeu *pulcrè coronatas.* Hom. Ιλ. τ. 98.

Ἤματι τῷ, ὅτ' ἔμελλε βίην Ἡρακληείην,
Ἀλκμήνη τέξεσθαι εὐστεφάνῳ ἐνὶ Θήβῃ.

id eſt. *quo die Alcmena Herculem erat paritura in urbe Thebe, ſeu Thebis bene coronatis.* quod interpretatur Euſtathius, εὐτειχίστῳ, id eſt *quæ bonis & firmis muris ſeptæ ſunt.* LAMB.

607. *Eximiis munita locis*] Sic habent libri manuſcripti, quibus uſus ſum. vulgati ferè omnes, *Ex imis.* ego antiquam ſcripturam probo, veruntamen judicet lector. Quidam teſtantur ſe ſcriptum reperiſſe in libris ſuis veterib. *Extremis mun. locis.* Arnobius lib. 5. aliam rationem affert, his verbis: *Verum Deûm mater adoleſcentuli fatum ſciens, interque homines illum tamdiu futurum ſalvum, quamdiu eſſet ſolutus à matrimonii fœdere, ne quid accideret mæſti, civitatem ingreditur clauſam, muris ejus capite ſublevatis: quod eſſe turritum ratione ab hac cœpit.* LAMB. *Ex imis munita*] Sic in Veteri quodam; rectiſſime. Vide Indicem. Lambinus: *Eximiis.* Vulgati: *Ex imis.* GIF. In priori tamen editione: *Extremis* habuit. Al. *extremis.* nihil intereſt. aliis, *ex imis*; quod nec magis neceſſe eſt. FAB.

608. *Quo nunc inſigni*] Quâ corona. LAMB. Nota, ſigno, &c. Coronam muralem intelligit, ob turres. FAB.

609. *Horrifice*] Non poteſt ſatis laudari iſtud *Horrifice*; quis enim, (de vulgo loquor,) non imis medullis cohorreſcat, ubi pulſatis æramentis nu-

Idaeam vocitant Matrem, Phrygiaſque catervas
Dant comites, quia primùm ex illis finibus edunt
Per terrarum orbem Fruges coepiſſe creari.
Gallos attribuunt, quia numen qui violârint
Matris, & ingrati Genitoribus inventi ſint,
Significare volunt indignos eſſe putandos,
Vivam progeniem qui in oras luminis edant.
Tympana tenta tonant palmis, & Cymbala circum

Con-

INTERPRETATIO.

vocant Matrem Idæam, *Illamque turba* Phrygum *circumcingunt, quia docent ſegetes in Phrygiæ primum ortas inde in totum Terrarum Orbem derivari: Gallos (Viros exſectos) attribuunt, ut ſignificent eos qui matrem (quam in loco Numinis habere debent) violaverint, aut Patribus ingrati inventi ſunt indignos eſſe qui liberos gignerent: Tenta Tympana palmis pulſata, & cymbala cava circum reſonant, Cornua rauco ſono undique minantur,*

VARIÆ LECTIONES.

613. *orbem.* orbes X. Y.
614. *Attribuunt.* at tribuunt Q. L.

NOTÆ.

augæ prodeunt hujuſmodi; Fab. Sic v. 623.

--- *Impia Pectora vulgi*
Conterrere metu, *quæ poſſunt numine Divæ.* Creech.

611. *Idæam vocitant matrem*] *Phrygiam*, è Phrygia advectam. Lamb. Veram Etymologiam eſſe arbitror (quod dico aliis indictum eſt) non quam Lucretius, & alii omnes attulere; ſed hanc; ἴδαι ſunt montes & loca ſaltuoſa, (Heſychius, Euſtath. Herodotus in Melpomene ſect. cclix. ubi male Interpres; quod monuiſſe ſat eſt.) unde & ἴδη pro ligno ſeu materia tectonica apud eundem. At primi homines glande veſcebantur, & in quercu penuarium iis erat. Hinc itaque Mater Deûm *Idæa.* Sed poſt inductum tritici uſum, φρυγία dicta fuit; nam triticum φρύγειν ſeu *torrere* ſolebant: quod hodieque fit circa farinam, ubi major alendi pueri cura eſt. Notandum in primis quod ait Lucretius, eas appellationes ex antiquo ritu ſacrorum profectas. Addo amplius ex Virgil. & aliis, ritum illum ſeu τελετὴν ex Crete in oras Helleſponti deportatum: Sed Cretes id omne à Syris habebant. Verum abit hora. Pæne oblitus eram ἴδην à ſchol. Theocr. pro herba ſumi, in Idyll. l. locum quæritabit qui otio abundabit. Fab. His aliquid reponeretur ſi otium fuiſſet, at quid damni ſi veras omnium Deorum Gentium Etymologias neſciremus? Creech.

613. *Fruges*] Παρὰ τὸ φρύγεσθαι. qui aliter ſentiunt, μακρὰν χαίρειν ἐάσομεν. Fab.

614. *Gallos attribuunt*] Feſtus: *Galli, qui vocantur matris magnæ comites, dicti ſunt à flumine, cui nomen eſt Gallo: quod qui ex eo biberint, in hoc furere incipiant, ut ſe privent virilitatis parte. Alii putant ideo eos ſibi genitalia incidere, quia violaverint nomen patris, matriſve, ne poſſint ipſi fieri parentes.* lege Ovid. hac de re, eodem lib. Lamb. Matris Deûm comites, agyrtas, *&c.* quorum Reverendus, & Venerabilis antiſtes *Archigallus* à Tertulliano dicitur in Apologetico ſect. xxv. id eſt *archicaſtratus.* Fanatica illa mendicabula à Gallo fluvio, *&c.* nolo ridere hodie, ringor enim. Itaque de D. Hieronymo nil dicam. Res certe quam mirificiſſima eſt, tam & profecto ridiculiſſima eſt. Scilicet in re nova, novis verbis opus arbitror. Adi præter ceteros Herodianum. Fab.

615. *Matris.*] Si fabulas enarrare vellem de

Tym-

Concava, raucifonoque minantur Cornua cantu,
Et Phrygio ſtimulat numero cava Tibia menteis,
Telaque praeportant violenti ſigna furoris,
Ingratos animos, atque impia pectora volgi
Conterrere metu quae poſſint numine Divae.
Ergo quom primùm magnas invecta per urbeis
Munificat tacita Moraleis muta ſalute:
Aere atque Argento ſternunt iter omne viarum

Lar.

INTERPRETATIO.

& Cava Tibia Phrygiis numeris Animos furiat; Præportant Tela violenti furoris ſigna, quibus ingratos & impios vulgi Animos terrere poſſint, magnumque Potentiæ & Majeſtatis hujus Divæ horrorem excitare: Igitur cum primum magnas per urbes portata muta beat Homines tacita ſalute, totam, quam portatur, viam ære & argento ſternunt Cultores,

VARIÆ LECTIONES.

619. *minantur.* citantur K.
620. *cava.* cana Q.
623. *Numine.* Amicus quidam *Numinis.*
626. *iter.* inter X. ite Z. *omne viarum.* omnia circum C. E. N. P. *in not.* Q. I. omnia mirum c. O. P. Q. X. omnia virum Y. Z.

NOTÆ.

Tympanis, de *Cymbalis*, proferrem multa; ſed hæc nihil ad Lucretium; tantum monebo *Fayum*, Poëtam de *Magna illa Deûm mâtre* in hoc verſu nihil cogitâſſe; Matres, quibus nos homines puſilli orti ſumus, divinitate donat; & impios adverſus illas liberis prorſus indignos eſſe aſſerit. CREECH.

616. *Indignos .... qui progeniem edant*] Nam Galli, ſi Diis placet, ex eo genere erant, de quo illa Terentii ancillula alicubi (Eun. 4: 4: 24.) dixit, *Sed nil poteſſe.* FAB.

617. *Qui in oras*] in voce *qui*, *i* vocalis non eliditur, & corripitur. LAMB.

618. *Tympana tenta tonant*] Profert hunc verſum Nonius Marcellus in voce *tenta.* quem cùm lego, & pronuntio, aut ab alio pronuntiari audio, tympani ſonitum audire mihi videor. LAMB.

618. *Et cymbala circum concava*] *Cymbala* dicta ſunt ἀπὸ τῦ κύπτειν; quaſi κύφαλα; quia incurva, & cava. Itaque epithetum addidit valde accommodatum. LAMB.

620. *Phrygio numero*] Harmonia Phrygia, quæ enthuſiaſtica. de Lydia, Ionica, Dorica, Myxolydia, &c. paſſim. de quibus ex profeſſo Glareanus & Zarlinus diligentiſſimus Muſicorum. FAB.

Phrygio.] Phrygius numerus, Enthuſiaſticus; & ad furorem excitandum maxime idoneus. CREECH.

620. *Cava tibia*] Non temere: paulo enim craſſior & longior erat Phrygia tibia quam ceteræ. FAB.

621. *Telaque præportant*] Queis ſibi lacertos quandoque conſcribillabant. Vide Tertullian. ubi ſupra: ſed quos non? ſi lubeat. FAB.

Telis iſtis non tantùm terrebant vulgus, ſed ſibi lacertos quandoque conſcribillabant; inde v. 631.

--- *In numerumque exultant* ſanguine pleti. CREECH.

625. *Munificat*] donat, munerat. Scitum illud Antiſthenis, quod refert Clemens Alexand. προτρεπτικῷ: qui, cùm μητραγύρτῃ, qui ap-

pel-

Largifica ſtipe ditantes, ninguntque roſarum
Floribus, umbrantes Matrem, comitumque catervas.
Hîc armata manus (Curetas nomine Graji

INTERPRETATIO.

arga ſtipe ditantes Deam, & tota roſarum imbre Matrem, & comitantes Catervas conſpergunt: Tum Caterva armata Hominum (Græci vocant Curetas Phrygios) per manus reſte data inter ſe ludunt, & in numerum ſaltant ſanguine aſperſi;

VARIÆ LECTIONES.

628. *ninguntque.* pinguntque A. B. vinciuntque O. P.
621. *catervas.* caterva Y. Z.
629. *Graji.* Græci Q. 2.

NOTÆ.

pellantur à Græcis, id eſt matris Deorum ſtipis coactores, ſtipem ab eo poſcerent; reſpondit, *οὐ τρέφω τὴν μητέρα τῶν θεῶν, ἣν οἱ θεοὶ τρέφουσιν*, id eſt, *non alo matrem Deorum, quam Dii alunt.* Lamb. Verſus plane admirabilis., & tanto admirabilior, quod ab his nugis Lucretium philoſophia vindicarat. Fab. *Munificat*, &c.] Verſus plane admirabilis, & ſcomma acutiſſimum. *Mater* enim illa *Magna* Lapis rudis, nec dum arte elaboratus, non admodum loquax & garrula, beneficia multa haud dubiò contulit, at quæ dedit tacebat Ipſa. Interim miſelli Homines ſpargebant flores, & ſtipem erogabant, immemores Antiſthenis, qui Nummum pro Dea poſcenti dixit, *οὐ τρέφω τὴν μητέρα τῶν θεῶν, ἣν οἱ θεοὶ τρέφουσιν.* Creech.

626. *Sternunt iter omne viarum*] Sic reſtituit hunc locum Adr. Turnebus ex libris veteribus. Nam omnes vulgati habent, *ſternunt iter: omnia circum*, &c. Lamb. Sic veteres quidam. Alii: *omnia mirum.* Reliqui: *iter omnia circum.* ut etiam legi poſſit: *itera.* Sed repugnat Cariſius, lib. 1. Gif. *Iter omne viarum.*] Meliùs quàm, *Iter omnia circum.* Creech.

627. *Largifica*] larga, munifica, liberali. Auctor vocabularii Latinogræci mihi à Cl. Puteano commodati. *Largus*, inquit, *δαψιλής.* Lamb.

627. *Stipe*] Nummo ſignato, ut docet Feſtus. cui rei teſtimonio, inquit, eſt, quòd datur militi *ſtipendium*: & quòd cùm ſpondetur pecunia, *ſtipulari* dicitur. Huc pertinent illa Ciceronis libr. de Legibus 2. *Stipem ſuſtulimus, niſi eam, quam ad paucos dies propriam Idææ matris excepimus, &c.* Lamb. De ſtipe Matris Deorum, vide Cic. lib. 11. de Legib. Gif. Nam quiſque *κεράτιον* dabat Matri D. quis enim renuat? quis exigua ſtipe cœlum non mereat? ſed qui ſapiebant, ſtipi parcebant tamen. *Tacita ſalute*, bene tacita, &c. ex eo enim læti frugum proventus erant ſcilicet, ab ope divina, nullo boum, nullo hominum ſudore. rem commodam? Fab.

627. *Ninguntque*] & tantam roſarum copiam effundunt, atque aſpergunt, ut *ninguere* ſeu *ningere* videantur. tralatio eſt. à *ninguo* fit *ninguidus.* Auſon. epiſt. 2. ad Paul.

--- Jam ninguida tinguit
Oppida Iberorum.

quidam tamen legi volunt, *pinguntque.* Ego nihil mutandum cenſeo. Lamb. *Pinguntque roſarum Floribus*] Ita ex vet. cod. quodam malim, quam *vincuntque*, vel, quod in aliis: *ninguuntque.* Gif. *Ninguntque*] Νιφάδες Cyrilli Lex. νείφειν, βρέχειν. vide quoque Heſych. V. νῆφε & νιφάδες. *Adſcribitur in Ora Cod. N. Roſarum ῥόδων,* (utinam Latine dicere poſſem) Ita apud Pindarum Danaë dicitur ad ſe ſe recipere Iovem *auro ningentem.*

Χρυσῷ μεσονύκτιον
Νίφοντα δεξαμένα
Τὸν φέρτατον θεῶν.

Quidam Codd. habent, *pinguntque.* Fab. Claudian. de Nupt. Hon & M. verſ. 291.

Nec

Quos memorant Phrygios) inter ſe forte catenas
Ludunt, in numerumque exſultant ſanguine fleti; &
Terrificas capitum quatientes numine criſtas,

Di-

INTERPRETATIO.

& nutu capitum terrificas criſtas quatientes, repræſentant Dictæos Curetas, *qui dicuntur olim in Creta occultaviſſe decantatum vagitum infantis Jovis,*

VARIÆ LECTIONES.

630. *catenas.* caterva C. E. N. P. Q 1. caterva. D. X. catervas. Q. Y. *forte* caterva Cludunt. V.

631. *fleti.* Ita A. B. O. quoque. P. *in not.* Q. Y. Z. freti c. O. P. Q. X. pleti D. V. læti *Alii.* dein *&.* deeſt A. B. C. D. E. X.

632. *Terrificas.* Turrificas Q 1.

NOTÆ.

Nec ſignifer ullus
Nec miles pluviæ flores diſpergere ritu
Ceſſat, purpureoque Ducem perfundere nimbo.

vide Gevartium ad Stat. in Epithalam: Stellæ lib. 1. ſylv. qui Lambinianam Lectionem contra Gifanium egregie defendit. Statius in Epithal. Stellæ, ſyl. ita habet

Me blandus Amor nec gratia ceſſat
Amplexum niveos optatæ conjugis artus
Floribus innumeris, & olenti ſpargere nimbo.

Non *Thymbra*, ut ad eum locum docet Gevartius, qui ea occaſione Lucretii lectionem Lambinianam contra Gifanium defendit.

Et fortaſſe hoc loco non male cuipiam ſubierit cogitare, an non vox *nimbus* a *ningendo* ſive *ninguendo* derivetur. Iterum enim Claudianus in Conſulatu Probini. verſ. 45.

Quippe velut denſo currentia munera nimbo
Cernere ſemper erat.

Nimbi inquit Henſius poëtis paſſim hæc munera dicuntur quæ in populum ſpergebantur. Mart. 8. Ep. 78.

Nunc veniant ſubiti laſciva numiſmata nimbi

ſic bene veterrimus Vaticanus. Non *ſubitis nimbis* Preig.

629. *Curetas*] Virgilius Georg. 4: 150.

--- Pro qua mercede canoros
Curetum ſonitus, crepitantiaque æra ſecutæ, &c.

Callimach. εἰς Δία vſ. 52.

--- Οὖλα δὲ Κούρητές γε περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο,
Τεύχεα πεπλήγοντες, ἵνα Κρόνος οὔασιν ἠχὼ
Ἀσπίδος εἰσαΐη, καὶ μή σεο κουρίζοντος·

iidem Corybantes nominantur. Ovid. lib. quem ſuprà dixi:

Pars manibus clypeos, galeas pars tundit inanes:
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus, &c.

Virgil. lib. 3. Æneid. 111.

Hinc mater cultrix Cybeli, Corybantiaque æra.

Hi ſunt pueri & ſacerdotes magnæ matris Deorum, de quibus lege Diodorum Sicul. lib. 1. & 5. & Strabonem libr. 10. cujus mihi hæc pauca verba aſcribere libet. Τούτους δ᾽ ὠνόμαζον Κουρῆτας, νέους τινὰς, ἐνόπλιον κίνησιν μετ᾽ ὀρχήσεως ἀποδιδόντας, προστησάμενοι μῦθον τὸν περὶ τῆς τοῦ Διὸς γενέσεως, ἐν ᾧ τὸν μὲν Κρόνον εἰσάγουσιν εἰθισμένον καταπίνειν τὰ τέκνα ἀπὸ τῆς γενέσεως εὐθύς· τὴν δὲ Ῥέαν πειρωμένην ἐπικρύπτεσθαι τὰς ὠδῖνας, καὶ τὸ γεννηθὲν βρέφος ἐκποδὼν ποιεῖν, καὶ περισώζειν εἰς δύναμιν· πρὸς δὲ τοῦτο συνεργοὺς λαβεῖν τοὺς Κουρῆτας, οἳ μετὰ τυμπάνων, καὶ τοιούτων ἄλλων ψόφων, καὶ ἐνόπλου χορείας, καὶ θορύβου περιέποντες τὴν θεὸν, ἐκπλήξειν ἔμελλον τὸν Κρόνον, καὶ λήσειν ὑποσπάσαντες αὐτοῦ τὸν παῖδα.

id

Dictaeos referunt Curetas: qui Jovis illum
Vagitum in Creta quondam occultâſſe feruntur,
Quom pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum pulſarent aeribus aera,
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,

Ætern

INTERPRETATIO.

cùm Pueri armati circa Puerum ſaltantes æra æribus (gladiis clypeos) pulſarent; ne Saturnus illum adeptus dentibus ſuis comedendum traderet,

VARIÆ LECTIONES.

633. *illum.* ſuperſcr. in Z. *olim.*

635. *Pernice chorea.* Inſerunt: *Armati in numerum ſtarent: pernice chorea, Armati* &c. C. E. P. N. *Armati & in numerum pernice chorea* Y. Z. delendum cenſet *Lambin.*

637. *mandaret.* manderet Z. *ſed eraſa illa vulg. reponitur lectio man. ead.*

NOTÆ.

id eſt, *Hos autem Curetas nominabant, adoleſcenteis quoſdam, armatam ſaltationem referenteis, proferentes de Jovis ortu fabulam: in qua Saturnum quidem introducunt liberos ſuos ſtatim ut nati ſunt, devorare ſolitum: Rheam autem partus dolores celare, & puerum editum ſummovere & ſervare conantem: atque ad hanc rem Curetas aſſumentem, qui cum tympanis, & talibus aliis rebus ſonoris, & ſaltatione armata, & ſtrepitu Deam officioſe circumeuntes, terreant Saturnum, furtimque ei ſuum filium ſubtrahant.* His accedunt illa ex Apollodoro: Οἱ δὲ Κούρητες ἔνοπλοι ἐν τῷ ἄντρῳ τὸ βρέφος φυλάσσοντες, τοῖς δόρασι τὰς ἀσπίδας συνέκρουον, ἵνα μὴ τῆς τοῦ παιδὸς φωνῆς ὁ Κρόνος ἀκούσῃ. id eſt, *Curetes autem armati in antro infantem cuſtodientes, clypeos haſtis collidebant ne Saturnus pueri vocem audiret.* Eadem de re & Arnob. lib. 3. fere conſimilia ſcribit. LAMB.

630. *Inter ſe f. cat.*] Repoſueram olim, *terque quaterque*, conjectura ductus: cùm in lib. vulg. impreſſum reperiſſem, *fortè catervæ.* venerat enim mihi in mentem, ſcriptum eſſe in libro aliquo antiquo, *terce caterce*, pro *terque quaterque* (ſæpe enim *c.* pro *qu* reperitur ſcriptum in membranis antiquis) ex *caterce* poſtea factum eſſe *caterve*, ex *terce*, *fortè.* Sed in ſecunda editione libris veteribus repetitis, & accuratiùs conſideratis, & approbata Turnebi ſententia, *catenas* edendum curavi. *catenas ludere* autem, ſi recta omni ex parte ſcriptura eſt, valet catenas in choreis ducendis imitari, quod *reſtim ductare* dicit Terent. Adelph. 4: 7: 34. Itaque putabam hîc legendum, *catenas Ducunt.* Sed nihil affirmo. Ex eo autem, quod Curetes armati ſaltant, ſaltationis genus intelligere debemus ἐνόπλιον: *ſaltationem Purrhicam*, ſeu Πυῤῥιχὴν poſteriores appellarunt. Fuit enim alterum genus, quod ἵλεων dixerunt, quodque ἐνοπλίῳ altera ex parte reſpondet. Utrumque genus ſignificat Hom. Ιλ. σ. 597.

> Καί ῥ' αἱ μὲν καλὰς στεφάνας ἔχον, οἱ δὲ μαχαίρας
> Εἶχον χρυσείας ἐξ ἀργυρέων τελαμώνων.

i. *puellæ quidem corollas geſtabant, juvenes verò gladios habebant ex balteis argenteis pendenteis.* LAMB. Ita in veteribus quibusdam. Lambinus: *terque quaterque. Catenæ* accipi poſſunt choreæ, adluſione facta ad reſtim, quam olim ductitantes, maxime in rebus divinis, ſaltitabant. In plerifque tamen veteribus: *caterva*, forte optime, ut ſit catervâ ſexti caſus, poſitum pro: *catervatim, turbatim,* &c. GIF. Imo *catervatim* fortaſſe hoc loco legendum, ut verſus ſit hypermeter, in Indice: *Verſus hypermetri*, cenſet idem GIF. quem conſule. Haud infelici tamen conjectura Iſ. Voſſius inter alia protulit: *fronte coruſca Ludunt*, &c. ut ſupra de agnis vſ. 320. *Ludunt, blandeque coruſcant.*

Et

Aeternumque daret Matri ſub pectore volnus;
Propterea Magnam armati Matrem comitantur:
Aut quia ſignificant Divam praedicere, ut armis,
Ac virtute velint Patriam defendere terram:
Praeſidioque parent, decorique Parentibus eſſe.

Quae

INTERPRETATIO.

& mater immenſo, æternoque dolore affligeretur: Hanc ob cauſam Matrem magnam *armati comitantur, vel ut ſignificent Deam monere, ut omnes parati forent patriam* Terram *Armis defendere, & parentibus decori & adjumento eſſe:*

VARIÆ LECTIONES.

639. Propterea. Præterea c. O. *ita legend. cenſet Pius.* Q. 1.

NOTÆ.

Et Virg. Georg. 2: 526.

Inter ſe adverſis luctantur cornibus hœdi.

Nam κοϱύσσειν eſt *vibrare, jactare caput.* Et Curetas *coruſcaſſe* galeas, & enſes notum eſt. Pr. Saltatio Pyrrhicha deſcribitur, & *ludere catenas*, eſt orbem quaſi catenatum modo laxiorem, modo ſtrictiorem ſaltatione efficere; ut *Phœbi mendacia ludere* apud Suetonium, imitari Phœbi faciem & habitum, in Auguſto cap. 70.

Impia dum Phœbi Cæſar mendacia ludit,
Et nova Divorum cœnat adulteria.

Orbicularem hanc Pyrrhichamque ſaltationem deſcribit hiſce Apulejus Aſini ſui lib. 10. *Nam puelli puellæque virenti florentes ætatula, forma conſpicui, veſte nitidi, inceſſu geſtuoſi, Græcanicam ſaltantes pyrrhicham, diſpoſitis ordinationibus decoros ambitus inerrabant, nunc in orbem rotarum flexuoſi, nunc in obliquam ſeriem connexi, & in quadratum patorem cuneati, & in catervæ diſcidium ſeparati.* Hav.

639. *Catenas ludunt*] Locum hunc ſibi corruptum videri, ait Giſanius, in Indice; ego autem nil mutandum contendere poſſum, non propter locum illum notiſſimum ex Adelphis, *Tu inter eas reſtim ductans ſaltabis*; ſed propter alium longe aptiorem ex XXVII. Livii petitum, quem nemo, ut opinor interpretum vidit. Is ita habet. *In foro pompa conſtitit; & per manus reſte data; virgines ſonum vocis pulſu pedum modulantes inceſſerunt.* Fab. *Forte catenas ludunt.* Olim repoſuit Lambinus, *Terque quaterque*: deinde approbata Turnebi ſententia *forte Catenas* edidit, & *Ducunt* pro *Ludunt* ſcribendum putavit: Addit *Faber*; Locum hunc ſibi corruptum videri ait Giſanius, (qui amat *Catervâ* i. e. Catervatim) Ego autem nihil mutandum contendere poſſum, non propter locum illum notiſſimum ex Adelphis, *Tu inter eas reſtim ductans ſaltabis*, ſed propter alium longè aptiorem ex 27. Livii petitum. Is ita ſe habet, *In Foro pompa conſtitit, & per manus reſte data Virgines, ſonum vocis pulſu pedum modulantes, inceſſerunt.* Alii ſcribunt *Canentes.* Quidam *Coruſcans*: Curetas enim clypeos & Enſes coruſcaſſe notum eſt, & mox ipſe *Lucretius* confirmat. Creech.

631. *Læti*] Libri veterus habent *fleti*, unde ſuſpicetur aliquis legendum *pleti*, i. repleti, completi. *Fleti* tamen retinent alii, & interpretantur *aſperſi, madefacti.* Lamb. *Sanguine fleti.* Sic veteres libri quidam. Vulgati *freti*, male. Vide Indicem. Forte etiam: *pleti.* Vide Indicem. Vulgati: *læti*, male. Gif. Alii *Fleti* i. e. Aſperſi. Alii *Pleti*, i. e. Repleti vide v. 621. Creech. Magis multo placeat quod in al. *ſanguine fleti*, aſperſi ſanguine, ſeu ſanguineis guttis in modum lacrymarum. Fab.

632. *Numine*] Nutu, motu. Virg. Æneid. Fab. Horrore Deæ, *Fayus*: viz. Magna mater criſtis Curetum inſidet: *Numine*, nutu, ſic Servius ad 4. Æneid. Creech.

633. *Qui Jovis illum vag.*] Hoc pulchrè deſcribit Callim. iis verſib. quos paullo antè protuli. & Ovid. eod. lib.

Tutus ut infanti vagiat ore puer. Lamb.

633. *Illum*] Semper aliquid inſigne notat *Ille.*

Virg.

Quae benè, & eximiè quamvis diſpôſta ferantur,
Longè ſunt tamen a vera ratione repulſa.
Omnis enim per ſe Divôm natura neceſſe eſt
Immortali aevo ſumma cum pace fruatur,

Se-

INTERPRETATIO.

Quæ omnia licet probè & ingenioſè inventa & inſtituta videantur, tamen ab ipſa rei veritate ſunt longiſſimè remota: Neceſſe enim eſt ut omnes Dii, eò quòd Dii ſunt, æternam agant vitam maximo in otio,

NOTÆ.

Virg. paſſim. hoc loco ſignificat *decantatum*, de quo poëtæ tot nugas, &c. Fab.

635. *Cum pueri*] Verſum inter hos: *Cum pueri*, & *Armati*, &c. interjectum, quia in veteribus libris non erat, ſuſtuli. Eſt iſte:

Armati in numerum ſtarent: pernice chorea.
Gif.

636. *Armati in num. ſtarent*] Hunc verſum delendum cenſeo. Lamb.

636. *Pulſarent æribus æra*] Citat hunc verſum Cariſius lib. 1. Lamb.

637. *Malis mandaret*] In veteri quodam noſtro: *manderet*, haud ſcio, an rectius, ut eſſet tribrachus dactyli loco. Gif. *Ne Saturnus eum malis mandaret*] i. ne maxillis eum permitteret, & ita devoraret. Nam Saturnus, ut oſtendimus ex Strab. filios ſuos devorare ſolitus eſſe fingitur. unde etiam à Latinis *Saturnus* dictus eſt M. Tull. l. 2. de nat. Deor. *Saturnus autem appellatus eſt, quod ſaturetur annis. ex ſe enim natos comeſſe fingitur ſolitus, quia conſumit ætas temporum ſpatia, anniſque præteritis inſaturabiliter expletur.* Sic Græci Saturnum Κρόνον dicunt, quaſi χρόνον. i tempus. quod negat eſſe Deum Arnob. lib. 3. adverſ. genteis: *ex quo ne Saturnum quidem.* Quòd autem Thraſo quidam *manderet* legit, ſecunda brevi, ut ſit tribrachus loco dactyli, εἰς κόρακας cum ſuo verſu. Ex hujus loci ſimilitudine verſus poëtæ cujuſdam veteris, quos profert M. Tull. lib. 4. Tuſcul. quæſt & lib. 3. de orat. ad Q. fratrem, qui in omnibus, quos quidem viderim, libris, corruptè leguntur; ſic reſtiti:

Impius hortatur me frater, ut meos malis miſer
Mandem natos.

vulgò enim legitur *manderem* pro *mandem*. Atque ut aliud ex alio incidit, fateor, non tam librarii culpa, quàm mea, factum eſſe, ut verſus ille Horatianus, qui eſt ſat. 3. l. 2. 71.

Cùm rapies in jura malis ridentem alienis,

non fuerit cum multis aliis locis emendatus in prima editione. Habebam enim ſcripturam codicum manuſcriptorum in meis adverſariis: ſed cùm ſuſpenſus atque occupatus eſſem pluribus curis & cogitationibus, in eo verſu dormitavi, eumque ita, ut legitur in vulgatis libris, excudi neglexi. Sed legendus ita eſt,

Cùm rapies in jus malis ridentem alienis.

Jam *malis alienis*, id eſt *maxillis alienis. malis* autem, ſeu *maxillis alienis ridere*, ut docet Euſtathius, eſt non libenter, neque ex animo ridere, quaſi non tuis, ſed alienis maxillis rideas. quod ſumtum eſſe ex illo Homeri verſu, Οδυσ. υ. 347.

Οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελώων ἀλλοτρίοισιν,

id eſt,

Illi autem malis jam ridebant alienis:

indicavit mihi Jo. Auratus, collega meus, vir doctiſſimus, à Simeone Boſio per litteras admonitus. Sed nunc ſecunda editione Horatiana emendatus & explicatus eſt. Atque (ut ad Lucretium redeam) non deſunt quidam docti, qui antiqua ſcriptura, quæ reperitur in codice Memm. percuſſi, putent legendum *mandêret* ſecunda ſyllaba longa, ut intelligamus, *mandeo, des, det*, uſurpatum eſſe à Lucretio pro *mando, dis, dit.* quod à nullo vetere grammatico traditum eſſe puto, neque id me uſquam legere memini. Lamb. Ταῖς γνάθοις ὑποβάλλοι, intra maxillas conderet, &c. Fab. *Manderet* Gifanius, quem, qui velit, audiat. Creech. Amant poëtæ hanc periphraſin ut videtur, quoties de voraci quadam comeſtione ac devoratione potius quam comeſtione agitur. Sic lib. III. 885.

Ut

Semota a noſtris rebus, ſejunctaque longè.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Ter-

INTERPRETATIO.

ut nullam noſtrî curam habeant, ut ſint expertes doloris, a periculis etiam tuti, propriis ſuis dotibus ad fælicitatem ſatis inſtructi; ut Hominum cultu non indigeant, nec delectentur pietate eorum, nec impiis iraſcantur:

NOTÆ.

Ut aut putreſcat corpore poſto
Aut flammis interfiat malisve ferarum

ſimile quid obtinet apud Virg. III. Æn. 225.

Sed non ante datam cingetis mœnibus Urbem
Quam vos dira fames, noſtræque injuria cædis
Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas

& VII. 114.

Ut vertere morſus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
Et violare manu maliſque audacibus orbem
Fatalis cruſti.

Unde & merito tanquam prorſus ἀπροσδιόνυσος hinc faceſſat iſta dubitatio Giſaniana, quin & Lambiniana de lectione, *malis manderet.* Preig.

638. *Volnus*] Dolorem, Fab.

639. *Propterea magnam*[Sic habent omnes libri manuſcripti, præter Vaticanum in quo ſcriptum eſt, *Præterea.* Lamb. Hanc eſſe ſcripturam veriſſimam ſententia evincit; hic enim verſus ad præcedentes pertinet. Propterea, id eſt, in memoriam ilius partus, & Cretenſium Curetum. Unde & ſupra. *Dictæos referunt, &c.* Eſt enim eadem Dea. Deinde aliam addit cauſam Poëta: *Aut quia ſignificant*, &c. Quod ergo quidam libri habent, *Præterea*, mendoſum eſt. Et in Vet. q. noſt. *Matrem armati.* Gif.

640. *Divam prædicere.*] Malim *prodicere*; eſt enim ſignificantius & plenius. Fab.

641. *Patriam def. terram*] πατρίδα γαῖαν. Lamb.

642. *Decorique*] & ornamento. Lamb.

642. *Præſidioque parent.* &c. ſic lib. 3. verſ. 910.

Non poteris factis tibi fortibus eſſe tuiſque
Præſidio.

& Horat. Odar. I: I: 2.

O & præſidium & dulce decus meum. Preig.

643. *Quæ bene & eximiè*] Ingenium Poëtarum agnoſcit; Rem ipſam rejicit; Quid enim beata otio æterno Numina Terras, Colonos, Arva, & ſegetes curarent? Vocibus *Neptuno*, *Cerere*, *Baccho*, pro *Vino*, *Mari*, *Segete*, uti licet, at Deos ne fingas. Creech.

643. *Diſpoſta*] id eſt, diſpoſita, ut ſemper alibi, *repoſta*, *compoſta*, & ſimil. pro *repoſita* & *compoſita.* Lamb.

643. *Ferantur*] Sint. quemadmodum *habetur* plus ſemel apud Saluſt. pro *eſt.* *Virtus clara æternaque habetur.* Fab.

645. *Omnis enim per ſe*] Hi verſus poſiti jam ſunt ſup. lib. I. in principio. Lamb. Molliſſima Epicuræi Dei Imago, ut languidus otio, ut ſupinu jacet; τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον, οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει, ὥστε οὔτε ὀργαῖς, οὔτε χάρισι συνέχεται· ἐν ἀσθενεῖ γὰρ πᾶν τὸ τοιοῦτον. Epicurus ad Menæceum. Quis talem Principem, imo Hominem non deſpuat? Creech. Sic ridet metum, ne Saturnus Jovem *Malis mandaret adeptus.* *Summa cum pace.* Sic *Saturni* & magnæ Matris diſſenſionem. *Semota a noſtris rebus* &c. ut univerſam illam ſacrorum ſcenam refutet. *privata dolore*, quale æternum illud ſub pectore vulnus fuiſſet. *Periclis*, velute ne Jupiter puer a Saturno patre devoraretur.

Ipſa ſuis pollens opibus nihil indiga noſtri, ut oſtendat quam ſtulte ditare præſumerent Cybelem argento, ære, largifica ſtipe. *Nec bene promeritis capitur*, ut nempe munificet tacita mortaleis muta ſalute nec *tangitur ira*, ut non opus ſit conterreri numine divæ vulgi pectora impia; Attentius Lucretii hoſce verſus hoc loco perluſtranti patebit quidem alieno inculcatos eoſdem; & anticipatos lib. I. Preig.

652. *Sed quia mult.*] Quidam legunt, *Sed quia*, quod malo, quàm *Et quia*, quod eſt in libris ferè omnibus vulg. & manuſcript. Lamb. *Et quia.* *Sed* v. quidam. Gif.

654. *Hîc*] Gall. dixeris, *& là deſſus, ſi quelqu'n*, &c. Ita exponendus ille Terent. locus, *Atque in*

Terra quidem vero caret omni tempore Senſu:
Sed quia multarum potitur Primordia rerum,
Multa modis multis effert in lumina ſolis.
Hîc ſi quis Mare Neptunum, Cereremque vocare
Conſtituet Frugeis, & Bacchi nomine abuti

Ma-

INTERPRETATIO.

Terra quidem nullo prædita eſt ſenſu, at quia continet ſemina multarum rerum, ideo multis modis multas res producit. Ideoque ſiquis velit appellare mare Neptunum, *ſegetes* Cererem, *& Vinum vocare* Bacchum.,

VARIÆ LECTIONES.

652. *Sed.* Et A. B. C. D. E. N. Q. Y. Z.
653. *lumina.* lumine Z.
654. *Hic.* Huc A. marg. c. O. P. Hinc *a'ii.*
655. *nomine.* numen. Q. 1. Numine X. Y.

NOTÆ.

eo diſputant, &c. Fab. *Hic ſi quis.* In quibuſdam libris legitur, *Huc ſi*, &c. quidam docti legi volunt, *Hinc ſi quis*, &c. Lamb. *Hic ſi quis.* *Huc* v. q. Gif.

654. *Mare Neptun.*] *Quòd aqua nubat terram* (inquit Arnob. lib. 3.) *appellatus eſt* (*inquiunt*) *cognominatuſque Neptunus.* At M. Tullius libr. 2. & 3. de natura Deorum, *Neptunus à nando dictus eſt* inquit. *Nubat* porrò apud Arnobium, nequis fortè de hoc verbo hîc erret, valet *tegat.* ex quo illud, *caput obnubilo.* Lamb.

654. *Cereremque voc. conſt. fr.*] M. Tull. libr. 2. de natura Deorum: *Itaque tum illud, quod erat à Deo natum, nomine ipſius Dei nuncupabant, ut cùm fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum, ex quo illud Terent. Sine Cerere & Libero friget Venus: tum*, &c. A *Cerere* autem dicti ſunt *Cerriti*, quaſi *Cereriti:* id eſt furioſi, & inſani, & à Cerere percuſſi. qua voce utitur Horatius ſat. 3. lib. 2: 278.

Cerritus fuit, an commota crim. m. &c.

ad quem locum adnotavimus ſatis multa. utitur & Plautus: utitur & M. Tull. in epiſt. 5. libr. 8. ad Attic. quem locum eo libentius lectori indicabo, quòd nondum ullis in exemplis emendatè legitur. Sic igitur Cicero: *Etſi ſolet eum, cùm aliquid furioſè fecit, pœnitere. numquam cerritior fuit, quàm in hoc negotio.* Sic autem legendum eſſe princeps vidit Simeo Boſius Lemovix. nam vulgò legitur, *certior.* Lamb.

656. *Vocamen*] Utitur hoc eodem vocabulo. Arnobius lib. 2. adverſ. gent. Lamb.

657. *Dicat & orbem*] Ita ex veteribus libris malui, quam *dictitet*, vel potius: *dictet &* Gif.

657. *Dictitet.*] Voſſ. *dicitet* quaſi antique pro *dicat* poſitum, a *dicitare.* Preig.

658. *Dum re ſit re tamen apſe.*] Sic ex veteribus libris ſcripſi. Vulgati: *dum vera re tamen haud ſit.* Idem. Id eſt, dum tamen *re apſe*, quod valet re ipſa, ſeu revera, non ſit. ſic reſtitui conjectura ductus. Nam cùm reperiſſem in omnibus libris vulgatis, paucis exceptis,

Dum vera re tamen haud ſit:

in manuſcriptis verò,

Dum vera re tamen ipſe:

facilè ſuſpicatus ſum, primùm cum declarans aliquis illud *apſe*, tanquam obſcurum, adſcripſiſſet ad oram libri *vera*, tranſlatum eſſe hoc *vera* in contextum verborum Lucretii: deinde *apſe*, factam eſſe *ipſe*: ita totum verſum corruptum eſſe. *re apſe* autem dixiſſe veteres, teſtatur Feſtus: utiturque teſtimonio Pacuvii in armorum judicio,

Si non eſt ingratum reapſe, quod feci bene.

uſur-

Mavolt, quam Laticis proprium proferre vocamen:
Concedamus ut hic terrarum dictitet Orbem
Eſſe Deûm Matrem, dum re non ſit tamen apſe.
Saepe itaque ex uno tondentes gramina campo
Lanigerae pecudes & Equorum duellica proles,

Bu-

INTERPRETATIO.

potius quam proprio nomine illius liquoris uti, Permittamus etiam ut idem appellet Terrarum Orbem Deûm Matrem, *quamvis re ipſa non ſit. Sæpè igitur Oves, & bellica Equorum proles, & cornigeri Boves in eodem prato gramina tondentes,*

VARIÆ LECTIONES.

657. *dictitet.* dicitet. V. Y. Z. dicat & A. B. I.

658 *dum re non ſit tamen apſe.* dum vera re tamen haud ſit A marg. C. E. N. P. id ſit *codd. Pii.* dum re vera ſit ipſe *Non.* dum vera re tamen ipſe V. (Q. *quoque, ſed corr. erat* id ſit.) X. Y. Z.

660. *duellica.* bellica O.

NOTÆ.

uſurpat & Apulejus libr. 1. de aſino aureo: *Ad hæc Meroë (hoc enim ei reapſe nomen magis, quàm fabulas Socratis, convenire ſentiebam) immò ſuperſit hic ſaltem, &c.* Idem libr. 2. *At ſacerdos, ut reapſe cognoſci potuit, nocturni commonefactus oraculi, miratuſque congruentiam mandari muneris, &c.* M. Tull. lib. 1. de Divinatione, *Formæ reapſe nullæ ſunt: ſpeciem tantùm animis offerunt.* & lib. 1. de Finib. *Quamobrem ordiamur ab eo, quod primum poſui: quod idem reapſe primum eſt.* idem in Lælio: *Securitas ſpecie quidem blanda, ſed reapſe multis locis repudianda.* Plaut. Rud. 4: 3: 41.

--- *minùs, quàm reapſe experiundo*, &c.

Cùm hunc locum ita reſtituiſſem etiam in prima editione tamen homo injuſtiſſimus, triennio pòſt auſus eſt hanc reſtitutionem ſibi vendicare, duarum vocularum ordine immutato. nam cùm ediderim,

Dum re non ſit tamen apſe:

gravis auctor ait ſe ſcripſiſſe,

Dum non ſit re tamen apſe.

Sic ſolent fures: earum rerum quas furati ſunt, formas immutant, ne cognoſcantur. Sed quid de hoc loco queror, cùm alii ſint innumerabiles? Lamb. Emendatio Lambini, *reapſe.* Sed θαυμάσιος Giſanius ſuo jure illam ſibi vindicavit. Fab.

659. *Sæpe itaque ex uno*] Poſt degreſſionem de matre Deorum, redit ad diſputationem inſtitutam, in qua oſtendit, nullam rem eſſe, quæ ex uno genere principiorum conſtet, quod nunc exemplis multis collectis docet. Lamb. Hic redit ad rem. Gif. Nunc tandem ad inſtitutum redit, Nihil ex uno aliquo primordiorum genere conſtare. Fab. Finita *Magnæ Matris* pompa, ad inſtitutum redit, & ſecundò v. 8. probat varia ſeminum genera in rebus ſingulis inveniri, v. g. in iiſdem herbis, in eadem Aqua, quæ cùm Alimento ſint tam variis Animantium generibus, Equis, bobus, &c. neceſſe ſit varia contineant Principiorum genera, quæ ſingulis accommodentur. Creech.

660. *Duellica proles*] *duellica*, id eſt bellica. Nam *duellum* idem valet quod *bellum*, *duis* idem quod *bis*, & *duonum* dixerunt veteres pro *bonum.* Feſtus: *Duellum bellum, videlicet, quòd duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur.* in voce *duellica*, *u* & *e* in unam ſyllabam coëunt. alii dicunt in voce *equorum*, *m* elidi, ut in metiendo verſu ita legamus, *& equorum duellica proles.* Jam per *equorum duellicam prolem*, equos intellige, e-

 quus

Bucceriaeque greges ſub eodem tegmine coeli,
Ex unoque ſitim ſedantes flumine aquaï,
Diſſimili vivunt ſpecie, retinentque parentum
Naturam, & mores generatim quaeque imitantur:
Tanta eſt in quovis genere Herbae Materiaï
Diſſimilis ratio: tanta eſt in Flumine quoque.
Jam verò quamvis animantem ex omnibus unam

Oſſa

INTERPRETATIO.

ſub ejuſdem Cæli tegmine viventes, & ex eodem flumine bibentes diſſimili ſpecie vivunt, Parentum naturam retinent, moreſque ſingulis ſuis generibus convenientes; Tanta eſt varietas ſeminum in quovis Herbarum genere, tanta in unoquoque flumine: obſervandum etiam quòd unumquodque

VARIÆ LECTIONES.

662. *ſub eodem.* eodem ſub N. Y. Z.
663. *retinentque.* retinente Q. *ſed correct. ab aliquo* retinentque, *ab alio mutatum iterum ut prius erat.* retinente parente Q 1. X. Y. Z.
667. *Jam.* Hinc A. B. C. D. E. I. P.
Jam verò. Hinc porro N. Q 2. Y. Z.
quamvis unam. quemvis unum C. N. P. quamvis una Q 2 Y.
animantem. animantum P.

NOTÆ.

quus enim animal eſt bellicum. Virgil. Æneid. 3: 540.

Bello armantur equi, &c. LAMB.

Bellica. alia hujus mutationis exempla in I. FAB.

661. *Buceriæque greges*] Ita libri omnes, & Nonius. Puto tamen legendum: *Buceræque.* Vide Indicem. GIF. Citat hunc verſum teſtem Nonius in voce *buceriæ*, & in voce *greges*, docens *greges* reperiri etiam in genere fæmineo. *Bucerum* (inquit Feſtus) *de bobus dicimus.* Eſt autem *Bucerum* vox ducta e duabus Græcis, βȣ̃ς *bos*, & κέρας *cornu. Buceræ* porrò, quod quidam putant, legi non poteſt. nam κέρας, unde hoc nomen factum eſt, habet priorem ſyllabam brevem. LAMB. Græcè quidem βȣ́κερως, & βȣκέρατος dicitur, βȣκέρελος haud ſcio an reperiri queat. Ceterum olim dicebant *grex*, ut hæc lex, à *gregis* primo caſu. In hac voce ſupplendæ ſunt gloſſæ Philoxeni. *Bucerum*, γέννημα βιός. Recte vidit Vulcanius legendum eſſe βοὸς, ſed locum mutilum eſſe, id vero eſt quod haud vidit: Legendum enim, *Bucerum ſæclum*; itaque *ſæclum* erit γέννημα, quod mihi ad I. lib. exciderat, properanti. Philoxenus reſpiciebat locum Lucretii, *bucera ſæcla*, in quinto & ſexto. FAB. *Buceriæ* quoque citat Servius ad Virg. Georg. 3: 227. HAV.

663. *Retinentque Parentum*] Quidam Codd. *Retinente Parente*, i. e. Tellure retinente ſuam Naturam: quo nihil ineptius. CREECH.

665. *Tanta eſt*] ἐπιφώνημα. LAMB.

667. *Jam verò quamvis an.*] Sic habent libri manuſcripti. vulgati autem, *Hinc porrò* &c. LAMB.

667. *Ex ſe ea corpora tr.*] Sic hunc locum reſtitui, cùm in codic. manuſcriptis *corpora* ſcriptum reperiſſem. quidam vir doctus tamen legendum putat, *ex ſo corpore*, id eſt ex ſuo corpore. LAMB. Neque illud in terra modo, in aqua, &c. verum eſt; ſed in uno quovis concreto tanta varietas partium eſt, ut quod de illis grandioribus corporibus dictum fuit, minime mirabile habendum ſit; cum in minimis reperiri queat. FAB.

Priori

Oſſa, Cruor, Venae, Calor, Humor, Viſcera, Nervi
Conſtituunt, quae ſunt porro diſtantia longe
Diſſimili perfecta figura Principiorum.
  Tum porro quaecunque Igni flammata cremantur.
Si nil praeterea, tamen ex ſe ea corpora tradunt,
Unde Ignem jacere, & Lumen ſubmittere poſſint:
Scintillaſque agere, ac latè differre Favillam.

INTERPRETATIO.

Animal, Oſſa, Cruor, Venæ, Calor, Humor, Viſcera, Nervi, quæ omnia conſtant ex ſeminibus diſparis figuræ, componunt. Deinde Corpora, quæ accenſa igne comburuntur, ſi nil præterea præbent, tamen ex ſe tradunt Corpora, è quibus flamma, lumenque fit, e quibus etiam ſcintillæ exiliant, & favilla latè diſpergatur:

VARIÆ LECTIONES.

672. *ea.* Deeſt D. *ex ſe ea corpora.* hæc in corpora A. B. C. hæc in corpore N. P. Y. Z. hæc in corpore aluntur V. *tradunt.* Ita A. B. C. P. I. E. D. M. F. L. a. traduntur Y. Z. *Ed. Lond.* cur *trudunt* reponat neſcio, verbum enim *tradere*, pro gignere ex ſe, infinitis in Locis Lucret. uſurpat, ſicuti ex Indice videri poteſt.

NOTÆ.

Priori argumento aliud v: 4. connectit: Quin etiam quæ accommodantur uni Animanti neceſſe eſt generum adhuc diverſiſſimorum ſint, cùm varia variis ipſius partibus, Venis, Viſceribus, Nervis, Oſſibus, &c. coaptentur. Creech.

671. *Tunc porro quæcunque &c,*] Quartò v. 7. arguit ex Ligno, & aliis rebus igne reſolutis; Cùm enim in Ignem, in lucem, in fumum, & cineres reſolvantur, exiſtimandum eſſe videtur non fieri reſolutionem in alia quàm quæ reipſa continebantur; neque ex Ligno perire aliud, quàm connexionem & ſitum partium, ſive ſpecialem exiſtendi modum, Formam, Qualitatem, Speciem, Accidens, Eventum, cujus cauſa erat, & dicebatur Lignum. Ideò in Ligno aliiſque rebus varia illa genera ſeminum, e quibus Lux, Fumus, Cineres conſtant, latere concedendum eſt. Creech.

672. *Tamen hæc in corpora tradunt*] Ita vetus liber; ut *in*, pro, *intus*, ſeu ἔνδοθεν accipiatur, quod equidem nuſquam legi. Forte etiam, *exin*, pro ἔνδοθεν. Lambinus: *ex ſe corpora*; nimis remote. Vulgati: *hæc in corpore*, id eſt, in illorum corporibus hoc eſt inſitum, hanc habent vim ingenitam, inquit Pius; male, quia & contra veteres libros, & ſententiam, ac elegantiam eſt. Sententia eſt: omnis quæ crematur materies, corpora & figuras continet etiam varias, tam unde eliciatur ignis, quam unde lumen, ſcintillæ, ac favillæ, quæ ſunt diverſa omnia: ſi nihil aliud, certe *tradunt* id eſt, edunt, proiciunt talia intus corpora, unde, &c. In ſcriptura hæreo. Gif.

672. *Ex ſe ea Corpora*] *Hæc in ſe Corpora*, ut *in* pro *Intus* ſive ἔνδοθεν accipiatur; Giſanius. *Ex ſe ea Corpora*; Lambinus reſtituit; Alii legunt *Ex ſo*, vel *Ex ſuo Corpore:* Creech. Non video quo ſenſu trudant ex ſe corpora, unde &c. Omnino locus hic mihi videtur deſperatus. donec quid melius occurrat ego quidem amplecterer tamen *hæc in corpore aluntur.* Preig. Vide V. L. noſtras. Hav.

673. *Unde*] id eſt, ex quibus corporibus, &c. Lamb.

673. *Ignem lacere*] Ita ſcripſi conjectura ductus, In libris: *jacere.* Vide Indicem. Gif. *Lacere.* i. e. Elicere, Giſanius. qui ingenio nimis indulget Creech.

674.

Caetera conſimili mentis ratione peragrans,
Invenies intus multarum Semina rerum
Corpore celare, & varias cohibere Figuras.
  Denique multa vides, quibus & Odor & Sapor una
Reddita ſunt, quom adoles; inprimis pleraque dona,
Relligione animum turpi quom tangere parto.

Haec

INTERPRETATIO.

Si reliqua omnia pari modo contempleris, invenies illa multarum rerum Semina variis figuris prædita continere: Deinde multa ſunt in quibus odorem ſimul & ſaporem ſenties, præcipuè in illis ſacrificiis, quibus ad expiandum fraudem altaria ſuperſtitioſè cumulas;

VARIÆ LECTIONES.

676. *intus.* igitur a. B. C. E. N. P. Q 1. Y. Z.

677. *Corpore.* Corpora C. D. E. P. Y.

678. *eſt odor.* eſt color A. B. O. Q 1. *quidam codd. Pii.* Turn. Adv. 15: 2. & color I. Y. Z & calor c.

679. Deeſt c. Delent L. F. E. permutatur cum 680. in Y. Z. *quom adoles.* Ita D. L. cum adolent P. C. E. N. cum odore *Reliqui.*

679. & 680. Inverſo ordine leguntur P. C. E. N. *cum tangere parto.* contingere porro c. P. quoquo contigere pacto *codd. Pii.* Et tantum cupido contingere dente parato C. E. N. contingere parto Q. *ubi hic verſus ſequitur:* reddita *ſunt c. m dolore* (*alii* cunque dolore) inprimis pleraque dona. Contingere parato *MSS. Voſſ. ſeu* Y. Z. & Q 1 . *ſed* Q 2. parto.

NOTÆ.

674. *Differre*] διαφέρειν, in diverſas parteis ferre. LAMB.

675. *Mentis ratione*] Sic dictum *mentis ratione,* ut alibi *animi ratione.*

> *Perfacile eſt jam animi ratione exſolvere nobis,*

&c. lib. tertio vſ. 696. LAMB.

677. *Corpore celare*] in corpore ſuo incluſa & abdita habere. LAMB.

677. *Cohibere*] continere in ſuo corpore incluſas. LAMB.

678. *Denique, quibus & color, &c.*] Ita ex veterum librorum veſtigiis, & conjectura reſtitutus eſt locus, & explanatus. Vide infra, lib. III. verſ. 268. De aliis ſcripturis dicere nimis eſſet longum. GIF. *Denique m v. quib. eſt odor & ſap.*] Secutus ſum in hoc verſu libros vulgatos: qui omnes ſic habent, exceptis antiq. Venetis. manuſcripti autem ſic:

> *Quibus & color & ſapor una.*

quos quamobrem non ſimus ſecuti, mox dicemus. LAMB.

679. *Reddita ſunt cum odore*] Alii, *cum adoles:* Hunc verſum rejicit Lambinus, ſequentem etiam delet *Faber.* Nam quæ Latinitas? *Tangeris Animum religione turpi parto?* Dein, cur hoc exemplum potiùs quam aliud quodvis! an quia neceſſe ſit immolare Capellam, Ovem, &c. ut noſcamus multa eſſe, quibus & Odor & Sapor una ſint? Hæc *Faber*: Acutè, ut ſolet, Uterque enim, aut Neuter rejiciendus: Neutrum rejicio, Latinitas enim haud abſimilis iſti, quam v. 63. legimus, & quamvis non neceſſe ſit immolare Capellam, Ovem, &c. ut noſcamus multa eſſe quibus Odor & Sapor una ſint; tamen haud indecorum Poëtæ Epicuræo duos verſiculos ſubinde infarcire, quibus Deos obiter ſugillet, & rideat Pietatem. Alii legunt *Contingere parato;* Tibi

Haec igitur variis debent conſtare Figuris:
Nidor enim penetrat, qua Succus non it in artus:
Succus item ſeorſum, & ſeorſum Sapor inſinuatur
Senſibus, ut noſcas privis differre figuris.
Diſſimiles igitur Formæ glomeramen in unum
Conveniunt: & res permiſto Semine conſtant.

Quin

INTERPRETATIO.

Hæc autem ex Seminibus diſparis figuræ conſtare debent, Odor enim intrat in Corpus per eos meatus per quos ſapor non penetrat, Sapor etiam per proprios meatus ſenſibus inſinuatur, unde colligas illorum ſemina diſparis eſſe formæ: Concludendum ſemina diverſis figuris induta Corpus unum componere, & res conſtare ſemine permiſto:

VARIÆ LECTIONES.

683. *ſeorſum.* rurſum c. P. ſurſum Q. Y. mox in Aliis *& rerum.* quod deeſt Q. 1. Y. Z. & ſeorſum V. quia non P. qua nec Q. 1. *ſapor.* ſapori Z.

NOTÆ.

bi nempe parato contingere ſive inquinare Animum turpi religione: & *Contingere* faciunt Tryſyllab. ut infra *degere duellum*: imperite ut patet ex v. 660. — Leg. autem.

--- *Quibus & Odor & ſapor una*
Reddita ſunt, cum adoles -- Creech.

680. *Relligione anim. turpi cum tang.*] Sic hunc verſum reſtitui, partim auctoritate veterum codicum fretus, partim conjectura ductus. Nam cùm reperiſſem in codicib. manuſcriptis aliis,

Relligione animum turpi contingere parato:

aliis, *contingere patro:* in nonnullis excuſis, ut Pariſ. *contingere porro:* ex *contingere*, feci *cùm tangere*, id eſt, cùm tangeris. ex *parato*, aut *patro*, feci *parto*, (quæ vox reperitur integra in cod. Venet. antiq.) approbante, atque adeò mihi præeunte noſtro Adriano Turnebo. Hunc igitur verſum ſic declaro: *Cum tangere animum religione*, id eſt, cùm Deorum timore conturbaris, atque æſtuas, turpi parto, ob turpe partum, id eſt propter ea lucra, quæ tu mentiendo, pejerando, fraudando, & malis artibus feciſti, ſeu cùm ob tuas injurias, furta, & rapinas diis immortalibus ſacrificas, ut eos tibi propitios & placatos reddas. hæc eſt hujus verſus ſententia. Sed liberet nunc mihi de toto hoc loco, id, quod ſentio, exprómere. Non te diutius ſuſpenſum, lector tenebo, verſum

Reddita ſunt, cum adoles in primis pleraque dona:

vel, ut in nonnullis libris reperitur, & maximè manuſcript.

Reddita ſunt cum odore, &c.

adulterinum eſſe puto: atque ita à Lucretio ſcriptum eſſe arbitror, quemadmodum excudendum curavi: totiuſque hujus loci hæc mihi videtur eſſe ſententia. Denique multa vides odore ſimul & ſapore prædita, nempe quo tempore tua turpia lucra animum tuum mordent, urunt, & cruciant: id eſt, cùm hoſtiis immolandis Deos placare ſtudes: hæc igitur, quæ tu immolas, quæ prædita ſunt odore ſimul & ſapore, debent variis conſtare figuris. Sed quærat aliquis, unde in contextum carminis Lucretiani irrepſerit hic alienus verſus? dicam quod mihi venit in mentem. ad hunc verſum,

Relligione animum turpi cùm tangere parto,

ſtudioſus aliquis fortaſſis annotavit, i. *cùm adoles dona Diis oblata:* ſeu, *cùm ſacrificas.* hanc annotatiunculam arripuit alius, & ex ea, additis quibuſdam, quæ ad ſuperiorem verſum pertinere poſſent, verſum illum fecit ineptum:

Reddita ſunt, cûm adoles, &c.

ex quo poſtea concinnavit alius,

Reddita ſunt cum odore, &c.

Quin etiam paſſim noſtris in verſibus ipſis
Multa Elementa vides multis communia verbis;
Quom tamen inter ſe Verſus, ac Verba neceſſe eſt
Confiteare alia ex aliis conſtare Elementis.
Non quod multa parum communis Littera currat,
Aut nulla inter ſe duo ſint ex omnibus îſdem:
Sed quia non volgo paria omnibus omnia conſtant.

Sic

INTERPRETATIO.

Quinetiam in ipſis noſtris verſibus paſſim vides multas literas multis vocibus communes, Interim tamen fateberis verſus alios & verba alia ex aliis Literis componi, non quod paucæ tantum literæ iſtis verſibus & verbis communes ſint, aut nulla duo verba ex literis iiſdem conſtant, ſed quia omnes verſus & omnia verba non ex iiſdem prorſus literis componuntur:

VARIÆ LECTIONES.

687. *quin.* quando Q 1. & Q. *ſed ibid. prius in* quin, *dein ab alio in* quando *rurſus mutatum.*
691. *quod* quo A. B. C. E. N. P. Q. Y. Z. *currat.* curat Q.
692. *nulla.* multa. c. P. *iſdem.* iidem c. O. eadem C. E. N. Y. Z.
693. *conſtant.* conſtent Q 1. coniſtet Y.

NOTÆ.

& eadem opera corrupit ſuperiorem, in quo erat,

Quibus eſt odor & ſapor unà,

& ſubſtituit,

Quibus & color & ſapor unà, &c.

cùm hîc Lucretius de duobus tantùm loquatur, nempe odore & ſapore, ſeu nidore & ſucco: cumque ex ſententia Epicuri colorum varietas non ſit ex diſſimilitudine figurarum, ſed ex varia & diſſimili poſitura, ordine, motu, &c. ut mox docebit ipſe Lucretius. Cùm hæc ſcripſiſſem, itaque hunc locum, ut nunc editus eſt, edendum jam ab initio curaviſſem, homo barbarus, paucis quibuſdam immutatis, & retento eo verſu, quem damnavi, hujus loci, aut certè verſus hujus, *Relligione animum*, &c. emendationem ſibi arrogavit, ſuum tenens inſtitutum. Lamb. Secundum verſum ejiciendum putat Lambinus, & merito: tertium autem nihilo magis ſtare debere exiſtimo. Nam quæ Latinitas? [*tangeris animum relligione turpi parto.*] Dein cur hoc exemplum potius quam aliud quodvis? an quia neceſſe ſit immolare capellam, ovem, *&c.* ut noſcamus multa eſſe quibus & ſapor & odor unà ſint? Fab. Locus mirifice vexatus, cui quodnam aliud ſolatii afferri queat, quam ut MSS. veſtigiis inſiſtamus, non video. In iis: *contingere parato* verſu abhinc tertio reperitur, quod cum concoquere non poſſent Interpretes, hinc illæ lachrymæ. Scribe itaque.

Denique multa vides, quibus & color & ſapor una
Reddita ſunt, cum odore, imprimis pleraque dona,
Relligione animum turpi contingere parato.

Et color, & ſapor, cum odore, q. d. quibus præter *colorem*, quem vides, & ſapor cum odore redditus tibi eſt. *Contingere parato*, q. *conting're parato.* Vide quæ ſupra ad verſ. 314. i. e. tibi parato, & paranti immolare victimas. Et hoc exemplum potius, quam quodvis aliud adhibuit, qui ridet, & indignatur, vel nulla occaſione data, illam quam vocat Religionem. Sic ſupra verſ. 352. & paſſim. Pr.

681. *Hæc igitur variis debent, &c.*] Hæc igitur, quibus eſt odor & ſapor unà, dicendum eſt variis figuris conſtare. Lamb.

682.

Sic aliis in rebus item communia multa,
Multarum rerum quom ſint Primordia, rerum
Diſſimili tamen inter ſe conſiſtere Summâ
Poſſunt: ut merito ex aliis conſtare ferantur
Humanum genus, ac Fruges, Arbuſtaque laeta.
Nec tamen omnimodis connecti poſſe putandum eſt
Omnia: nam volgo fieri Portenta videres,

Se-

INTERPRETATIO.

Sic aliæ res, licet contineant ſemina multis rebus communia, ipſæ tamen poſſunt eſſe inter ſe prorſus diſſimiles, ita ut jure dicamus Homines ex aliis ſeminibus, ex aliis fruges, ex aliis arbores conſtare. Nec tamen putandum eſt ſemina cujuſvis figuræ conjungi poſſe, tum enim vulgo monſtra nata cerneres:

VARIÆ LECTIONES.

695. *rerum.* vero P. *Pr.* *rerum* Ita Z. P. X. verum *Voſſ.* longe *Alii.*
697. *ferantur.* feratur Q 1. Y. Z.

NOTÆ.

682. *Nidor*] Quem paullo antè dixit odorem nunc nidorem dicit. nidor, inquit, ea via penetrat in artus, qua ſucco, ſeu rerum ſapori præcluſus aditus eſt: & contrà ſuccus ſeorſum in ſenſus inſinuatur. ex quo intelligere licet, nidorem & ſuccum, ſeu odorem & ſaporem, non ejuſdem figuræ principiis conſtare. LAMB.

683. *Et rerum*] *Seorſum* Codd. rectiùs; ut & *Privis* pro *Primis* in ſequenti verſu haud abſurdè legitur. CREECH. *Succus enim ſeorſum, & rerum ſapor &c. rerum* vox intempeſtive huc intruſa. repete *ſeorſum* cum Voſſ. unde litura in MSS. PREIG. & HAV.

684. *Privis*] Egregie & hoc loco *privis* habet Marginalis noſter. Sic infra 3: 723. 4: 570. 5: 275. opinor. PREIG. & HAV.

685. *Glomerantur in unum*] In unum concilium & cœtum. LAMB. *Glomeramen in unum*] Gaſſendus. *Glomerantur in unum.* CREECH.

687. *Quin etiam noſtris, &c.*] Uſus eſt eadem ſimilitudine, atque adeò iiſdem verſibus ſuprà libro primo. LAMB. Sententiam ſuam illa, qua ſæpe utitur, ſimilitudine v. 12. illuſtrat, objectionem ſubinde proponit, & ſolvit. Si enim, dicet aliquis, communia ſint multis rebus ſemina, unde res ipſæ ſunt diverſæ? ſimilia Semina res ſimiles efficerent. Hunc verò Argutatorem Lucretius jubet intueri verſus ſuos, in illis multas literas communes multis vocibus inveniet, at voces ipſas inter ſe diverſas eſſe, ex iis etiam diverſa Carmina componi negari non poteſt. Pari ratione, licet in multis rebus communia ſint Semina, res tamen ipſæ, quæ ex iſtis ſeminibus ſimilibus componuntur prorſus diverſæ eſſe poſſunt. CREECH.

691. *Non quo multa parum*] Debet ad id referri quod de ſimilium figurarum infinitate dixerat verſu 525. contra autem de numero finito diſſimilium verſu 481. Cui & aliquid germanum poſt paucos verſus occurret. videl. verſu 721. FAB. & CREECH.

692. *Ex omnibus iſdem*] Sic legendum, niſi malis legere, *iiſdem. iſdem* Marcus Tullius in perfecto oratore uſurpatum tradit ab Ennio: *templis isdem, eiſdem erat verius* (inquit) *nec tamen opimius. male ſonabat iiſdem. impetratum eſt à conſuetudine, ut peccare ſuavitatis cauſa liceret.* LAMB.

695. *Longe diſſimili tamen*] quanto verius: *verum* PR. Imo *rerum.* opponit enim Primordia & Summam, conf. verſ. 688. 689. HAV.

696. *Diſſimili ſumma*] i. e. Res dicantur ex diſſimili ſeminum congerie, ſi totam compagem ſimul intueare, componi. CREECH.

698. *Arbuſtaque*] Quin & hic *armentaque* ſubſtituas, nihil impedit. PREIG.

699. *Omnimodis*] id eſt omnis generis, ſeu cujuſvis figuræ, videlicet principiis. uſus eſt eadem voce ſup. hoc eodem libro. 488. pro *omnibus modis*:

Omnimodis expertus eris. LAMB.

Quam-

Semiferas Hominum ſpecies exiſtere; & altos
Interdum Ramos egigni corpore vivo:
Multaque connecti Terreſtria membra Marinis.
Tum flammam tetro ſpiranteis ore Chimaeras
Paſcere Naturam per terras omniparenteis.
Quorum nil fieri manifeſtum eſt: omnia quando
Seminibus certis certa genetrice creata

Con-

INTERPRETATIO.

quædam Animalia partim Ferina, partim Humana ſpecie (Centauri) exiſterent, aliquando etiam Arbores ex Animali Corpore ſurgere, & terrena membra marinis connecti, & Naturam per Terras omnia producentes nutrire Chimæras, tetro ore ignem ſpirantes videres. At nulla iſtiuſmodi monſtra eſſe manifeſtum eſt, ſiquidem conſtat res cunctas certa genetrice certiſque ſeminibus ortas

VARIÆ LECTIONES.

704. *flammam.* flammas Z.
705. *omniparentis.* omnipotentis X. omnia parientes Z.

NOTÆ.

Quamvis multa ſemina ſint multis rebus communia, Unaquæque tamen res eam exigit diſpoſitionem, ut Atomi ipſam conſtituentes eas, quæ ſunt ſibi congruæ, adſciſcant, ac velut conſocient, alias prætereant, & reſpuant: Ex quo rursùm fit, ut cùm res diſſolvitur, congruæ quæque ſe mutuò trahant, & ab incongruis expediant. Sed audire pleniùs ex Lucretio juvat, qui rem ipſam v. 10. proponit, & cauſam reddit, quòd alioquin monſtra quotidiè naſcerentur; Centauros, Chimæras, & omnia Poëtarum figmenta videremus. Nulla autem iſtiuſmodi apparent portenta, quia ex certis quibuſdam, non ex omnigenis Seminibus naſcuntur res; certis inſuper aluntur. CREECH.

701. *Semiferas hom. ſpecies*] Ut hippocentauros. de portentis lege libro quinto: 835.

Multaque tum tellus etiam portenta creare
Conata eſt, mira facie, membriſque coorta.
LAMB.

702. *Ramos egigni corp.*] id eſt, ramos gigni à corpore vivo: ut apud Horatium, 2 Sat. 2: 105.

-- *Tanto emetiris acervo:*

quod genus obſervatum & notatum eſt à nobis ad illum locum. LAMB. Ramos è corpore vivo hominis egigni prorſus mirabile ſit; ſed nec fortaſſe mirabile non ſit, quod de inſitione arboris cum homine legitur in vita Peireskii, circa Paſtorem quemdam Tarraconenſem, qui cum forte in prunulum incidiſſet, ita illa radices egit in thorace medio, ut & flores & fructus tulerit. lib. v. FAB. Narrat Gaſſendus l. 5. de vita Peireskii. Paſtor Tarraconenſis in prunulum incidit, ſpinaque ad eam partem implantata, ſic per biennium radices egit, ut poſt reſectos ſurculos varios, aliqui tandem prodierint, in quibus flores & fructus viſi: Non deſtitit inſtare Peireskius, donec Cardinalis Barberinus curavit fidem fieri per illius loci Archiepiſcopum, & Eques Puteanus non literas modò atteſtantes, ſed ſurculos etiam accepit, & cum illo communicavit: Hæſit verò deinceps minùs, cùm accepit ſimile quidpiam contigiſſe in Thuſcia, circa Gallinæ cujuſdam collum, & Frontiniani in Occitania, circa digitum Piſcatoris, in quem cùm implantata fuiſſet Spinula Scorpionis marini, res eò evaſit, ut Chirurgus inde eduxerit tres piſciculos generis Scorpionum; Quanquam hæc omnia qui viderit, fidem habere tutiorem poteſt. CREECH.

704. *Chimæras*] Chimæram ſic deſcribit Homer. Ιλ. ζ. 181.

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.

&c.

Conſervare genus creſcentia poſſe videmus.
Scilicet id certa fieri ratione neceſſe eſt.
Nam ſua quoique Cibis ex omnibus intus in artus
Corpora diſcedunt: connexaque convenienteis
Efficiunt motus: at contra aliena videmus
Rejicere in terras Naturam: multaque caecis
Corporibus fugiunt è corpore percita plagis,

INTERPRETATIO.

dum creſcunt genus ſuum conſervare poſſe, Nec aliter profectò poteſt fieri, hoc enim ab immutabili & certa cauſa procedit: Ex omnibus alimentis propriæ unicuique Animali particulæ in membra Illius Animalis diſcedunt, & conjunctæ conſpirant in motus iſti Animali convenientes, & vitales; particulas autem quæ noxiæ & incongruæ ſunt videmus Naturam in terram ejicere;

VARIÆ LECTIONES.

709. *certa.* contra Q. 1.
711. *diſcedunt.* deſcendunt C. E. N. P. X.
715. *quoiquam.* quoquam P. Q. 1. Y. Z. *intra.* inter A marg. inter Y. Z. indu *conject. Cr.* V. apte Voſſ. *alii.*

NOTÆ.

&c. id eſt, ut vertit noſter Lucretius libro quinto: 903.

Prima leo, poſtrema draco, media ipſa chimæra.

Virg. lib. 6: 288.

--- *flammiſque armata chimæra.* Lamb.

705. *Paſcere Naturam*] Alere ſe, vel ut aliis placet, vaſtare, depaſcere, devorare totam Naturam: *Fayus:* Sic omnia. Creech.

705. *Terras omniparenteis*] γαῖα παμμήτωρ à Græcis dicta. Lamb.

707. *Certa genitrice*] Sup. 168.

Quippe ubi non eſſent genitalia corpora quoique,
Qui poſſet mater rebus conſiſtere certa? Lamb.

709. *Scilicet id certa &c.*] Octo qui ſequuntur verſus non tam conſtituunt diverſum argumentum, quâm præcedentis rationis poſteriorem partem explicant: Res enim e certis ſeminibus ortæ ideò dum creſcunt, genus ſuum conſervant, nec in aliud degenerant, Quia Natura ex alimento iſtas tantum ſeligit particulas quæ ſibi aptæ & convenientes ſunt, incongruas verò ſecernit, & rejicit: Hinc Rami vivo Corpore nunquam egignuntur, quoniam Corpus humanum particulas materiæ arboribus alendis aptæ ejicit, nec in alimentum unquam convertit: & idem de reliquis monſtris dicendum. Creech.

713. *Sua*] Convenientia, ſpecifica. exemp. gr. ex pane id educit homo per coctionem, quod ſpeciei humanæ convenit, canis contra, quod canino generi. Fab.

711. *Corpora diſcedunt*] Sic legendum, & ita habent quinque libri manuſcripti. ex omnibus cibis ſua cuique, id eſt propria & accommodata cuique, corpora prima diſcedunt, id eſt diduntur ſeu diſtribuuntur in artus. Lamb.

713. *Multa cæcis corporibus fugiunt è corpore*] Multa, quæ non videas, è cujuſque animantis corpore partim rejiciuntur, partim ſponte fugiunt, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι συννῆφθαι τοῖς οὐχ ὁμογενέσι. Fab. Quod Statica Experimenta egregiè confirmant. Creech.

715. *Quæ neque connecti quoiquam*] Libri omnes vulgati habent *cuiquam.* quidam libri ſcripti, *quoiquam.* quo modo loquebantur veteres, quos ſequor. Lamb. *Quoiquam*] Ita veteres libri. Gif.

715. *Neque intra*] Libri manuſcripti aliquot ha-

Quae neque connecti quoiquam potuêre, neque intra
Vitaleis motus conſentire, atque animari.
  Sed ne forte putes animalia ſola teneri
Legibus his: eadem ratio res terminat omneis.
Nam veluti tota natura diſſimiles ſunt
Inter ſe genitae res quaeque, ita quamque neceſſe eſt
Diſſimili conſtare figura Principiorum;
Non

INTERPRETATIO.

multæque particulæ ſenſui non ſubjectæ aliarum ictibus fugatæ e Corpore clam recedunt: quæ particulæ non potuerunt aliis conjungi, nec in ipſo Animalis corpore in vitales & convenientes motus conſpirare: Ne verò forſan exiſtimes ſola Animalia his legibus teneri, (propter diverſitatem figurarum ſeminum diverſa eſſe) eadem diverſitas cæteras res omnes differre facit: ut enim res quæque genitæ inter ſe tota ſua natura differunt, ita neceſſe eſt unamquamque

VARIÆ LECTIONES.

716. *animari.* imitari D. E. N. P. Q. 1. Y. micare *Turneb.* agitari *alii.* imitare Z.
720. *quamque.* cumque Q. 1. Y. Z.
718. *eadem.* quædam C. E. N. Q. 1. Y. quidam Z. *res terminat.* diſcriminat C. E. N. P. diſterminat A. B. D. Cr. Z. *omnes.* omnia A. B. D. Cr. C. E. N.
722. *quod.* quo N. Q. 1. Y. Z.

NOTÆ.

habent *inter.* Lamb. *Intra*] veteres quidam: *inter.* Gif. Quidam Codd. *Inter:* Alii *Inte:* forſan *indu* legendum. Creech.

716. *Atque animari*] Sic reſtitui, reclamantibus lib. omnibus, in quibus legitur *atque imitari*, levi mutatione facta. nam ſume *atque imitari*, ut habent omnes libri vulgati, & manuſcripti, (niſi quòd unus habet *imitare*) deinde ex *e* facito *a*, poſtremo ex *imit*, *nim:* totidem enim ſunt pedes: habebis *animari.* quam correctionem nemini erudito, maximè in libris veteribus verſato, violentam viſum iri confido. Turnebus autem mavult leg., *atque micare.* & *micare* interpretatur *moveri.* alii lectionem vulgatam retinent. eamque interpretantur *conformari*, ſimilia fieri. Ego nullius judicium reprehendo, nullius diligentiam inſector. (quamquam ſcripturam *imitari* nullo modo probo, ejuſque interpretationem multò minùs: illam autem alteram, *micare*, mihi refellere licet.) Sed meam conjecturam confirmare poſſum verbis Ciceronis ex lib. 1. de nat. Deorum: *Si eſſent corpora individua, quæ nulla ſunt, pellere ſe ipſa, & agitari inter ſe concurſu fortaſſe poſſent: formare, figurare, colorare, animare non poſſent.* & ex lib. 6. de repub. *Hiſque animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſidera & ſtellas vocatis: quæ globoſæ & rotundæ divinis animatæ mentibus, circulos ſuos orbeiſque conficiunt celeritate mirabili.* Adjuvat eam & illud Arnobii ex lib. 1. adverſus gent. *Immo ſi arbores, glebæ, ſaxa, ſenſu animata vitali vocis ſonitum quærent, & verborum articulos integrare, &c.* Idem lib. 2. non longè à princip. *Utrùm illum tellus uliginis alicujus converſa putrore, tamquam vermeis, animaverit, tamquam mureis?* Poſtremò ſic ferè loquitur Lucretius noſter lib. 5: 146.

Quandoquedem nequeunt vitaliter eſſe animata.
Lamb.

Lege *imitari*, & ſic omnes libri. Gif. Hæc Lambini conjectura eſt (*animari*) contra omnes libros, inquit; ſed tale quid ſenſus poſtulat. MS. certe codices habent *imitari*; quare quærendum eſſet aliquid quod ab illa ſcriptura propius abeſſet. Nullum autem video verbum quod ſententiæ

Non quod multa parum ſimili ſint praedita forma:
Sed quia non volgo paria omnibus omnia conſtent.
Semina quom porro diſtent, differre neceſſe eſt
Intervalla, Vias, Connexus, Pondera, Plagas,
Concurſus, Motus, quae non Animalia ſolum
Corpora ſejungunt, ſed Terras, ac Mare totum
Secernunt, Coelumque à Terris omne retentant.

Nunc

INTERPRETATIO.

rem componi ex principiis diſparis figuræ; non quod pauca tantùm ſemina ſint ejuſdem formæ, ſed quod omnia non ſint ſimilis prorſus & uniuſmodi figuræ. Cùm autem Semina diverſas figuras habeant, neceſſe eſt ut Intervalla, meatus, connexus, pondera, plagæ, concurſus, motus, diverſa ſint; quæ non ſolum Animalia, ſed Terras, Mare, & Cœlum

VARIÆ LECTIONES.

723. *quia.* quod N.
724. *cum.* tam Q.
726. *motus: quæ non.* motuſque & non c. P. aliter P. in not.
727. *corpora.* corpore Q.
729. *dulci.* dulce Z.

NOTÆ.

tiæ magis conveniat, & ad libros manu deſcriptos accedat magis, quam *adigitari*; ſi vero (quod infinita apud Lucretium exempla ſuadent) vocem illam diviſeris interferendo *que*, non male huic loco conſultum fuerit. Lego igitur, *adque igitari*, id eſt, *& adigitari*, ſeu *adigi intra vitales motus*, &c. Nulla certe vox magis propria occurrere poſſit, & quam ſententia pronius admittat. Sed cum iſtud *igitari* non intelligerent exſcriptores, ſuum illud *imitari* procuderunt, quod & ſenſus reſpuit, & Latinitas probare non poteſt. Fab. Hæc eſt conjectura Lambini contra omnes libros, qui *Imitari* exhibent, ſuamque conjecturam v. 146. lib. 5. tuetur

Quandoquidem nequeunt vitaliter eſſe animata.

Faber dicit quærendum eſſe aliquid quod ab illa ſcriptura *Imitari* propius abeſſet, Nullum autem videt verbum quod Sententiæ magis conveniat, & ad libros manu deſcriptos accedat magis, quàm *adigitari*; Si verò (quòd Infinita apud Lucretium exempla ſuadent) vocem iſtam diviſeris interferendo *que*, non malè huic loco conſultum fuerit. Legit igitur *adque igitari*, i. e. *& adagitari*, ſeu *agitari intra vitales motus*. *Micare* id eſt *Moveri*. Turnebus. Creech.

717. *Sed ne forte putes*] Quod de Animalibus dixerat, id porro exiſtimandum de cæteris rebus, quæ pari modo ex certis, proprioque modo diſpoſitis Atomorum generibus conſtant: Communia licet in omnibus ſemina reperiantur, Alia tamen certa accedunt, illa efficiunt ut diverſa ſint intervalla, diverſi motus, ſitus, poſituræ, &c. Et inde oritur rerum varietas, & differentia. Creech.

718. *Eadem ratio res terminat omneis*] Cùm reperiſſem in quattuor libris manuſcriptis ita ſcriptum,

Eadem ratio diſterminat omneis:

ego repoſui,

Res terminat omneis.

quæ lectio mihi videtur recta. Lamb. *Ratio diſterminat omnia.* Sic fere libri veteres. Quidam Vulgati: *omnes.* Lambinus: *res terminat omnis.* etiam non male. Gif. *Eadem ratio res terminat omnes.* Ita Lambinus, cùm Codd. *Diſterminat Omnia.* quod probo. Creech.

724. *Differre neceſſum eſt intervalla &c.*] *Neceſſum eſt* repoſui ſecutus libros ſcriptos: quamquam utrùm legatur, *neceſſum eſt*, an *neceſſe eſt*, parum intereſt, niſi quod illud magis Lucretianum eſt. cum hoc loco congruunt illa, ſup. 1: 905.

Jamne vides igitur, paullo quod diximus antè,
Permagni referre, eadem primordia ſæpe
Cum quibus, & quali poſitura contineantur,
Et quos inter ſe dent motus, accipiantque? Lamb.

728. *Retentant*] Ne cælum cum terris miſceatur

Nunc age dicta meo dulci quaeſita labore
Percipe: ne forte haec Albis ex Alba rearis
Principiis eſſe, ante oculos quae Candida cernis:
Aut ea, quae Nigrant, Nigro de Semina nata:
Neve alium quemvis quae ſunt induta colorem,

Pro-

INTERPRETATIO.

a Terris differre faciant: Nunc age, dicta mea, quæ jucundo labore congeſſi, percipe; ne forte credas res illas, quas vides Albas, *ex* Albis *Seminibus componi; aut* Nigras *e* Nigris, *aut res alio quovis colore imbutas, ideo iſtius Coloris eſſe,*

VARIÆ LECTIONES.

733. *Neve.* Nive A. B. Q. Y. *quæ.* quem *Gaſſ. induta.* imbuta A. B. D. E. I. N. P. X. Y. Z.

NOTÆ.

tur. Lamb. Optime concludit; Semina quidem diſtant; ſed niſi intervalla, viæ, motus, *&c.* itidem differrent, omnia prorſus, cœlum, mare, ſidera, *&c.* confunderentur. Fab. *Retentant*, ne Cœlum cum Terris miſceatur, *Lambinus*: Optimè concludit: Semina quidem diſtant, ſed niſi Intervalla, Viæ, Motus, &c. itidem differrent, Omnia prorſus, Cælum, Mare, Sydera &c. confunderentur: *Faber*. Ita vox iſta *Retentant* eſt vis maximæ, niſi illa impediret, Cælum Mari, Mare Terris miſceretur, at nihil tale voluit *Lucretius*, ad illum *Retentant* idem planè quod *diſtinguunt*, aut *faciunt differre*. Creech.

729. *Nunc age dicta meo*) Nunc aggreditur ad docendum, prima corpora colore vacare, atque adeò omnibus qualitatibus, præter figuram, magnitudinem, & pondus. qua de re ſic Laërtius: Φησὶ δ' ἐνδοτέρω μηδὲ ποιότητά τινα περὶ ἀτόμους εἶναι, πλὴν σχήματος, καὶ μεγέθους, καὶ βάρους· τὸ δὲ χρῶμα παρὰ τὴν θέσιν τῶν ἀτόμων ἀλλάττεσθαι. id eſt, *Ait autem interius neque qualitate ulla atomos eſſe præditas, præterquam figura, magnitudine, & pondere: colorem autem expoſitura atomorum variari.* M. Tull. libr. 2. de nat. deor. *Iſti autem quemadmodum aſſeverant ex corpuſculis non colore, non qualitate aliqua, quam ποιότητα Græci vocant, non ſenſu præditis, ſed concurrentibus temere, atque caſu, mundum eſſe perfectum, vel innumerabileis potius in omni puncto temporis alios naſci, alios interire?* Lamb. Prima corpora calorem non habent, neque adeo ullas qualitates, præter, ut jam bis antea, oſtenſum eſt, pondus, magnitudinem & figuram. Fallitur enim Cicero, qui dicat lib. II. de Natura Deorum, nullam omnino qualitatem corpuſculis tribuere Epicureos. *Iſti autem quemadmodum aſſeverant ex corpuſculis non colore, non qualitate aliqua, quam ποιότητα Græci vocant, non ſenſu præditis, ſed concurrentibus temere atque caſu mundum eſſe perfectum*, &c. Fab. Καὶ μὴν καὶ τὰς Ἀτόμους νομιστέον, μηδεμίαν ποιότητα τῶν φαινομένων προσφέρεσθαι πλὴν σχήματος, καὶ βάρους, καὶ μεγέθους, καὶ ὅσα ἐξ ἀνάγκης σχήματος συμφυῆ ἐστι. Ποιότητες γὰρ ἄλλαι, οἷον χρῶμά τε, καὶ θερμότης, παρὰ τὴν θέσιν τῶν Ἀτόμων μεταβάλλουσιν, διὸ καὶ ταῖς Ἀτόμοις οὐκ ἐνυπάρχουσι. *Epicurus ad Herodotum.* Eandem ſententiam Lucretius exponit, & v. 9. Semina affirmat colorum expertia, neque opus eſſe alborum ſeminum, ut Album foret Compoſitum, neque nigrorum, ut Nigrum. Creech.

Induta colorem] Emendatio Lambini, in libb. *imbuta*, quod Latini ſermonis ratio improbat. Deinde ex Epicuri ſententia corpora non poſſunt dici imbuta colore.. Fab. Cui crederem, ſi probâſſet. *quem* Gaſſend. Creech.

730. *Albis ex*] Sic habent libri manuſcripti: quæ ſcriptura præterquam quòd ſuavior eſt, etiam Lucretiana eſt. Lamb. *Albis ex*] Veteres libri ita. Marull. & Vulgati: *ex albis.* Anaſtrophas amat Titus noſter. Vide lib. iv. verſ. 600. & lib. vi. verſ. 183. Gif.

732. *Nigrant*] id eſt, nigra ſunt. Virgil. lib. 4: Æneid. 120.

His

Propterea gerere hunc credas, quod Materiaï
Corpora conſimili ſint ejus tincta colore.
Nullus enim Color eſt omnino Materiaï
Corporibus, neque par rebus, neque denique diſpar:
In quae corpora ſi nullus tibi fortè videtur

Poſſe

INTERPRETATIO.

quia Semina ejus erant eodem Colore tincta; In Seminibus enim nullus eſt omnino Color neque ſimilis, neque diſſimilis illi, qui, in rebus quas componunt apparet. Quæ Corpora (nullo viz. Colore tincta)

VARIÆ LECTIONES.

735. &. 736. Deſunt E. *colore.* coloſe Y. Z. *ſed in* Z. colore *ſuperſcribitur.*

NOTÆ.

His ego nigrantem commiſta grandine nimbum,
Dum trepidant alæ, &c.
Deſuper infundam.

hunc locum memoria teneat lector. erit enim nobis uſui ad locum quendam, qui ſequitur, emendandum. LAMB.

733. *Neve alium*] Quidam libri manuſcripti habent *Nive*, pro *Neve.* quod docti probant, ut antiquum: ne ego quidem improbo. Verum tamen nihil mutavi: ſatis eſt mihi lectori indicaſſe. LAMB. *Nive*] Ita quidam libri. Alii: *Neve.* GIF.

733. *Alium quemvis quæ ſunt i. c.*] Sic reſtitui partim conjectura & ratione ductus, partim quattuor librorum manuſcriptorum auctoritatem ſecutus; in quibus cùm ſine ulla litura ſcriptum reperiſſem, *imbuta colorem*, primùm cœpi mecum diligentiùs atque attentius hanc ſcripturam conſiderare, & ita exiſtimare, non temere in eod. manuſcript. reperiri ſcriptum *colorem:* qui caſus cum videatur cum participio *imbuta*, non poſſe cohærere (verbum enim *imbuere* ſemper conjungitur cum ſexto aut ſeptimo caſu) veriſimile eſſe, mendum ſubeſſe in voce *imbuta.* deinde mihi venit in mentem, ſi quis fortè contenderet legendum *colore*, ut eſt in vulgat. non ſatis aut verè, aut propriè dici aliquid *imbutum colore*, cùm color vel ſit ipſa corporum extremitas, vel in corporum extremitate, ſeu extremo cortice conſiſtat, non interius manarit: *imbuta* autem & *tincta* ea dicantur à Latinis, quæ à Græcis ὀινοποιά. Præterea *imbutum* de odore aut ſucco aliquo dicitur, non de colore, ut apud Horat. epiſtol. 2. libr. 1: 69.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Præterea infra ita loquitur, 796.

Scire licet quàm ſint nullo velata colore.

ac *velari colore*, & *indui colorem*, ſimillima ſunt: immo verò eadem figura dicta ſunt. tralatio enim ſumta eſt ab iis animantibus quæ veſtiuntur. Poſtremò eo, qui deinceps ſequitur, verſu, ita loquitur, *gerere colorem:* quod item de perſona & veſtitu dicitur. M. Tull. Offic. lib. 1. *Eſt igitur proprium munus magiſtratus, intelligere ſe gerere perſonam civitatis.* ſic Lucr. 5: 1419. loquens de pelle:

Ut letum inſidiis, qui primus geſſit, obiret.

Sic Horat. de Ariſtippo epiſt. 1: 17: 29. ad Scævam:

Perſonamque geret non inconcinnus utramque.

ibid. de eod. vſ. 28.

Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet.

Ex quibus intelligere licet, Latinè dici, ut *induere* & *gerere perſonam*, ita *induere & gerere colorem:* & *velari colore*, & *contingi* ſeu *tingi colore*, & *circumlini fuco*, ut ſtatim loquitur: *imbui colore* autem nullo modo. Ita adductus ſum, ut *induta colorem* reponerem. LAMB. *Imbuta colorem*] Ita omnes libri veteres. Cur ergo mutemus, vel in *induta* cum Lambino, vel aliter? GIF.

735. *Tincta colore*] Propriè dictum. nam quæ tincta ſunt, etiam colorata dicuntur. ſed *imbuta colore* Latine

Poſſe animi injectus fieri, procul avius erras,
Nam quom Caecigeni, Solis qui lumina nunquam
Adſpexêre, tamen cognoſcant corpora Tactu,
Ex ineunte aevo nullo contincta colore:
Scire licet menti quoque noſtrae Corpora poſſe
Verti in notitiam nullo circumlita fuco.

INTERPRETATIO.

ſi concipi non poſſe exiſtimes, infinitum erras: nam cum Cæci nati, qui nunquam Solis lucem viderint, Tactu cognoſcunt Corpora, quæ nullo unquam Colore imbuta ſentiebant, inde poſſumus colligere, res etiam nullo tinctas a noſtra mente concipi poſſe.

VARIÆ LECTIONES.

739. *fieri.* ferri D.
740. *lumina.* numina Q. Z.
741. *Aſpexere.* Diſpexere A marg. P. deſpexere Q r. X. Y. Z.
742. *contincta.* conjuncta c. O. Q. P. X. Y. Z. contacta L.
743. *m. q. n.* noſtræ quoque menti. Q. X. Y. Z.
744. *Verti.* Vorti Y. Z.

NOTÆ.

ne dici non poteſt: omnino malim *tacta.* Lamb.

737. *Neque par rebus neque denique diſpar*] Id eſt, nullus omnino. Fab.

738. *In quæ corpora ſi null. &c.*] id eſt, quæ corpora ſi tibi videntur non poſſe cogitatione aut ratione comprehendi: vel ſic, quæ corpora ſi exiſtimas neminem animo complecti poſſe, &c. *injectus animi* id eſt animi adjectio ad rem aliquam, & cogitatio. Sic M. Tull. *injicere animum* dixit lib. 1. de nat. Deor. *In quam magnitudinem regionum ſe injiciens animus, & intendens, ita latè longèque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi videat.* Sic Arnobius dixit *oculorum injectum*, lib. 1. non longè ab extr. *Quod oculorum* (inquit) *ſuſciperet injectum*: & eodem libro, infra, *jaculationem mentis.* Lamb. *Animi injectus* eſt comprehenſio. Senſus itaque verborum hic erit: Si negas poſſe concipi ejuſmodi corpora ſine omni colore, falleris; neque enim ad cognitionem corporis neceſſarius eſt color; cum ii, qui cæci nati ſunt, corpus cognoſcant, per alias qualitates ſcilicet; colorem, frigus, pondus, figuram, &c. Fab. Senſit *Lucretius* ſe multis ægrè perſuaſurum fuiſſe nullos eſſe in Seminibus, & proinde neque in ipſis Compoſitis, Colores. Præjudiciis enim penitùs obedientes, pauci credunt ſe aliquid Corporeum poſſe concipere, quod non ſit Coloratum; ideoque ſemina, quæ mente percipi non poſſunt, utpote Coloris expertia, ſibi obtrudi non ferunt. Hiſce præjudiciis v. 9. breviter occurrit. Cæci res percipiunt, quarum tamen Colores nunquam viderint; nec omnis rerum perceptio unà cùm Sole occidit, in denſiſſimis tenebris non minùs illa, quæ tangimus, percipimus, quam illa quæ medio die & luce clariſſima verſamus. Creech.

739. *Animi injectus*] Venuſtè admodùm: Res percipiendæ ab Animo videntur remotæ, in eas ſeſe injicit mens, & arreptas percipit: Alii pro *Fieri*, *Ferri.* Creech.

740. *Cæcigeni*] cæci nati. Lamb.

741. *Adſpexere*] Nonnulli libri habent; *diſpexere.* Lamb.

742. *Nullo contincta colore*] Non dicit, corpora naturalia nullo colore eſſe contacta, ſed ea cognoſci à cæcis ſolo tactu, non oculorum ſenſu, cui ſubjicitur color. Cæco enim nihil eſt coloratum, cum ei ſemper ſint tenebræ: color autem non niſi luce cerni queat: utpote qui ita definiatur ab Ariſt. lib. *περὶ αἰσθήσεως καὶ αἰσθητοῦ* τὸ τοῦ διαφανοῦς ἐν σώματι ὡρισμένῳ πέρας: i. *pellucidi in corpore finito extremum:* quod quidem extre-

Denique nos ipſi caecis quaecunque tenebris
Tangimus, haud ullo ſentimus tincta Colore.
Quod quoniam vinco fieri, nunc eſſe docebo.
Omnis enim Color omnino mutatur in omneis:
Quod facere haud ullo debent Primordia pacto,
Immutabile enim quiddam ſuperare neceſſe eſt;

Ne

INTERPRETATIO.

Deinde quæcunque nos ipſi in Tenebris tangimus non ſentimus ullo colore eſſe tincta. Cùm verò hoc ita eſſe certum ſit, conabor ulterius demonſtrare: Omnis enim Color in omnes mutari poteſt, At Rerum Semina nullo modo mutari debent, neceſſe enim eſt ut aliquid ſit Immutabile,

VARIÆ LECTIONES.

746. *tincta.* tacta L.
747. *quoniam.* quando Q. I.
748. *mutatur in omneis.* mutatur in omni C. P. mutatur omnis Y. Z.
750. *quiddam.* quoddam Q.

NOTÆ.

tremum cerni non poteſt, niſi illud διαφανὲς, re ſeu functione ſit διαφανές: quod eſt lumen. Atque hæc ex ſententia Ariſt. *contacta* autem puto legendum potiùs, ut habent tres libri veteres, quàm, ut vulgati, *contincta*. Lamb. Relative ad cæcigenos; neque enim unquam corporis ullam cognitionem ſibi peperere ope coloris. Fab. Pro *Convincta* Lambinus *Contacta*: ut & *Tacta*, v. 746. Creech.

744. *Fuco*] Color eſt, ἁπλῶς. Virg. Fab.

744. *Vinco*] Argumentis allatis oſtendo id fieri; nunc id neceſſarium eſſe demonſtrabo. Fab.

747. *Vinco fieri*] Probo argumentis, & quaſi expugno. Sic ſæpe loquitur Horat. ut ſatyr. 3. lib. 2: 225.

Vincit enim ſtultos ratio inſanire nepotes.

& M. Tull. Parad. ὅτι πάντες οἱ μωροὶ μαίνονται, *Ego verò te non ſtultum, ut ſæpe, non improbum, ut ſemper; ſed dementem, & inſanum, rationibus* (*ſeu*, ut alii legunt, *rebus*) *vincam* (ſeu *advincam*) *neceſſariis.* ſic enim legendum cenſeo, non, ut vulgò, *addicam.* Lamb. Quoniam probavi Semina Coloris expertia, percipi poſſe, *Nunc eſſe docebo*, Rerum Principia nullis Coloribus eſſe tincta: ita ut deeſſe videatur verſus

Corpora Materiæ nullo contincta Colore.

Vinco fieri) ut apud Horatium 2: 3: 225.

Vincit enim Stultos ratio inſanire Poëtas.

Integer verò ſit locus; conjecturam meam non pertinaciter defendam, Lucretius v. 9. primò probat Rerum Semina non eſſe colorata, quia omnis Color mutari poteſt, At Semina Rerum ſunt immutabilia, aliter Omnia in Nihilum reciderent. Ποιότης πᾶσα Ατόμοις ἐνυπάρχουσα καὶ ἰδία μὴ μεταβάλλει, ὡς καὶ αἱ Ατόμοι μηδὲν μεταβάλλουσιν· ἐπειδήπερ δεῖ τι ὑπομένειν ἐν ταῖς διαλύσεσι τῶν συγκρίσεων στερεὸν καὶ ἀδιάλυτον, ὃ τὰς μεταβολὰς οὐκ εἰς τὸ μὴ ὂν ποιήσαιτο. Αἱ δὲ ποιότητες οὐκ ἐνυπάρχουσαι, καὶ μὴ ἰδίαι, οἷον χρῶμά τε καὶ θερμότης, ἐν τῷ μεταβάλλοντι οὐκ ὥσπερ ἐκεῖναι καταλείπονται, ἀλλ' ἐξ ὅλου τοῦ σώματος ἀπόλλυνται. Epicurus Epiſt. ad Herodotum. Inde *Lucretius.* Si Color eſſet intrinſecus Seminibus, Semina forent mutabilia, Omnis enim Color mutabilis. Creech.

747. *Omnis enim color omnino mutatur in omnes*] Hæc ratio eſt: Si intrinſecus eſſet color principiis, mutabilia eſſent; &c. Omnem autem colorem cum in omnes colores verti ait, debet id, opinor, de mediis intelligi. Fab.

748. *Omnis enim col.*] Sic habent cod. manuſcr. niſi quòd in duob. ſcriptum eſt, & *omneis*, pla-

Ne res ad Nihilum redigantur funditùs omnes.
Nam quodcunque ſuis mutatum finibus exit,
Continuò hoc mors eſt illius, quod fuit ante.
Proinde Colore cave contingas Semina rerum:
Ne tibi res redeant ad Nilum funditùs omnes.
Praeterea, ſi nulla Coloris Principiis eſt
Reddita natura, at variis ſunt praedita Formis;
E quibus omnigenos gignunt variantque Colores.
(Praeterea magni quòd refert Semina quaeque
Cum quibus, & quali poſitura contineantur,

Et

INTERPRETATIO.

niſi concedere velis omnes res in Nihilum redigi. Cujus enim Natura mutatur, id deſinit eſſe quod antè fuit: Ne igitur dicas Semina Rerum colore aliquo imbuta eſſe, niſi etiam velis res omnes in Nihilum poſſe redigi. Præterea ſi Semina non ſint naturaliter Colore tincta, ſed variis figuris prædita, ex qua varietate Figurarum omnis Varietas Colorum oriri poteſt, (magni enim refert cum quibus ſingula Semina, & quali ordine conjunguntur,

VARIÆ LECTIONES.

755. Hinc uſque ad verſum 806. non apparent in Z. loco ſuo, ſed in fine adſcripta inveniuntur eadem manu. 757. *at.* & Q. 1. Y. Z.
759. *Præterea.* Propterea A. B. C. D. E. I. N. Cr. Q.
760. *quali.* qualibus Q.

NOTÆ.

planè mendosè. Quod autem ad hujus loci ſententiam attinet, ſic argumentatur Lucret. Si prima corpora eſſent aliquo colore contacta, ſeu tincta, mutarentur. nam color omnis in quemvis alium colorem mutatur. (quod intellige de mediis coloribus) At prima corpora immutabilia eſſe docuimus: ergo prima corpora coloris omnis ſunt expertia. Lamb. *In omnis*] Ita in veteribus libris, ſc. *colores.* Gif.

750. *Immutabile enim quiddam*] Hunc verſum cum tribus qui deinceps ſequuntur, poſuit lib. 1: 790. Lamb. *Quiddam*] Veteres quidam: *quoddam.* Gif.

756. *Præterea ſi nulla*] id eſt, Præterea; etſi principia omni colore vacent, at tamen diſſimilibus & variis figuris ſunt prædita: Itaque principia diſſimilium inter ſe figurarum, alio atque alio ordine poſita, varios colores efficiunt. Hæc igitur verba,

--- *Si nulla coloris principiis eſt*
Reddita natura,

ſic declaro: etiamſi hoc ſit verum, nullum colorem principiis eſſe attributum, aut innatum, &c. Lamb. Occurrit interrogationi; Unde igitur colores, ô Lucreti? Nil facilius; Colores enaſcuntur & variantur ex mixtura atomorum. Fab. Secundò v. 19. Docet Semina nullis Coloribus imbuta eſſe, quia fruſtra aliquis Semina Colore tingat: Varias figuras Atomis attribue; & ex diverſo Earum Ordine, Diſpoſitione, & poſitura varii Colores orirentur. Exempli gratia, Mare eſt Cærulei Coloris, at agitatum fluctibus albeſcit: Semina viz. quæ in uno ordine diſpoſita Cæruleum colorem exhibebant, jam in alio conſtituta Album colorem induunt: At verò ſi Color Cæruleus eſſet Seminibus nativus, nulla agitatione iſta Principia ſpeciem albam oſtentarent. Creech.

759.

Et quos inter ſe dent motus, accipiantque:)
Perfacilè extempló rationem reddere poſſis,
Cur ea, quae Nigro fuerint paullo ante Colore,
Marmoreo fieri poſſint Candore repente:
Ut Mare, quom magni commôrunt Æquora venti,
Vertitur in canos candenti marmore fluctus:
Dicere enim poſſis Nigrum, quod ſaepe videmus,
Materies ubi permiſta eſt illius, & ordo
Principiis mutatus, & addita, demptaque quaedam;
Continuò id fieri ut Candens videatur, & Album:

Quòd

INTERPRETATIO.

& quos motus impertiant, & quos accipiant viciſſim;) facilè potes rationem reddere cur illa Corpora quæ paulò ante Nigra erant, brevi Candida evadant: v. g. Mare, cùm procella undas turbaverit canis fluctibus albeſcit. Dicere enim potes, quando Semina rei, quæ Nigra plerumque apparet, loco priori moventur, & illorum ordo ſituſque mutatur, quando quædam de novo addita, quædam detracta ſunt, tum rem iſtam candidam ſubito apparere;

VARIÆ LECTIONES.

762. *extemplo.* exemplo C. E. N. Q. Y.
765. *poſſint.* poſſunt Z.
766. *candenti.* candenti e P.
768. *illius* ullius Q.
769. *Principiis.* Principio Q.

NOTÆ.

759. *Propterea, magni quod refert,*] Ita omnino lego. Gif. Recte. Creech.

760. *Extemplo*] Id eſt continuò. de qua voce, ejuſque ratione, lege Varronem lib. 6. de lingua Latina. Lamb.

764. *Marmoreo candore*] Candore exquiſitiſſimo, & eo qui ad Parii aut Lunenſis marmoris candorem proximè accedat. Horat. od. 19. libr. 1: 5.

Urit me Glyceræ nitor Splendentis Pario marmore purius: Lamb.

766. *Candenti marmore*] Vetus quidam noſter: *in marmore.* Gif. Corpus politum, marmor dicitur, etiamſi ſolidum non ſit. Ita Græci, ita Latini, de mari, de papillis, *&c.* Fab.

765. *Ut mare*] Id probat à ſimili. Lamb.

767. *Dicere enim poſſis, nigr. q. ſ. v. &c.*] Hujus loci hæc ſententia eſt. Dicere poſſis, mare, quod interdum nigrum videtur, continuò fieri ut candidum videatur, ubi ejus principia inter ſe permiſta ſunt, & ordo principiorum immutatus eſt, & quædam principia ſunt addita, quædam detracta. quod non fieret, ſi mare cæruleis ſeu nigris principiis conſtaret. Lamb.

669. *Principiis mutatus*] Quidam veteres: *Principio.* Forte legendum: *Principium*, ut infra hoc libro, 936. Gif.

774. *Marmoreum*] id eſt, candidum marmoris inſtar. Lamb.

775. *Sin alio; atque alio*] Si quis dicet (inquit) ſemina maris alia alio colore eſſe contacta, & ex diſſimilibus coloribus unum colorem effici, quemadmodum ex diſparibus figuris fit alia figura, exempli cauſa, ex triquetris ſeu triangulis quadratum neceſſe erit, quo modo in figura quadrata alias figuras ineſſe videmus; ita & in puro maris colo-

Quod ſi Caeruleis conſtarent Æquora ponti
Seminibus, nullo poſſint Albeſcere pacto.
Nam quocunque modo perturbes, Caerula quae ſint
Nunquam in Marmoreum poſſunt migrare Colorem.
Sin alio, atque alio ſunt Semina tincta colore,
Quae Maris efficiunt unum purumque Nitorem:
Ut ſaepe ex aliis Formis, variiſque Figuris
Efficitur quiddam Quadratum, unaeque figurae:
Conveniebat, uti in Quadrato cernimus eſſe

INTERPRETATIO.

ſi verò e Seminibus cærulei Coloris Mare componeretur, nullo modo potuiſſet Album fieri: Quocunque enim ſitu & ordine collocces Semina Cærulei Coloris, illa albedinem nunquam induere valerent. Si autem dicas Semina iſta e quibus Mare, quod unius Coloris videtur eſſe, conſtat, variis Coloribus eſſe prædita, ut ſæpe ex Corporibus diverſimodè figuratis Corpus, quod totum Quadratum eſt, & ſimplicis Figuræ, componitur; Tum ſequeretur, quòd ſicut in iſto Quadrato Corpore

VARIÆ LECTIONES.

772. *poſſint.* poſſunt X. poſſent Y. Z.
775. *Sunt.* ſint Q. X.
777. *Ut.* Et Y.
778. *quiddam.* quoddam O. *unæque figuræ.* unaque figura a B. C. D. E. I. Q. (*in quo adſcribitur* eſt. *& ſic habet* N.) X. Y. Z. *ſed in* Y. *&* Z. *eſt* figuras.

NOTÆ.

re, aut in uno quovis alio, diſſimileis colores comparere. at hoc non fit. non igitur, &c. Lamb. Sententia horum verſuum eſt: Dixerit fortaſſe quiſpiam, aquam maris ex variis & diverſi coloribus atomis concreviſſe, unde ille & ille color, modo cæruleus, modo albus enaſcatur, uti quadratum ex duobus aut quatuor triangulis incluſis componitur, quæ ipſa triangula alias intra ſe ſe figuras habeant; ſed non ita eſt, inquit; nam in quadrato diſſimiles formas cernere potes extra quas eſt quadratum, (id eſt quas in ſe ſe habet & continet quadratum) in aqua autem marina, nil tale videas? Atque adeo objectio nulla eſt, qua quidam inſtarent, non alba ex albis, non nigra ex nigris, ſed alba ex nigris & contra [*Tum porro quæ ducit & inlicit*...... uſque ad, *Sed variis de*] Videlicet oſtendit vanam eſſe objectionem, cum principia omnino mutari nequeant; quod fieret tamen, ſi quantum in ſe eſt, vel alba forent vel nigra. Fab.

778. *Unæque figuræ*] Sic reſtituit M. Antonius Muretus, a codicibus manuſcript. ad veram ſcripturam conjectura, & propè manu ductus. Nam cùm hunc locum in cod. Vaticano una legeremus, in eoque reperiſſemus, *unaque figura*, in aliis duobus, *una figura eſt*, immo, ne mentiar, *figura eſt*, ſuſpicatus eſt ille è veſtigio legendum, *unæque figuræ.* cui ego continuò aſſenſus ſum, & maneo in ſententia. ſic enim veteres loquebantur. Plaut. Trucul. 4: 3: 16. *iſtæ dedi.* Terent. Heaut. 2: 3: 30.

--- *Hoc ipſa in itinere alteræ*
Dum narrat, fortè audivi.

Idem. Eun. 5: 7: 3.

Mihi ſolæ ridiculo fuit.

Cic. pro Tullio: *Hoc judicium ſic exſpectant, ut non*

Diſſimileis Formas; ita cernere in Æquore ponti
Aut alio in quovis uno puroque Nitore.
Diſſimileis longè inter ſe, varioſque colores.
  Praeterea, nihil officiunt, obſtantque Figurae
Diſſimiles, quo Quadratum minus omne ſit extra:
At varii rerum impediunt, prohibentque Colores,
Quo minus eſſe uno poſſit res tota Nitore.
  Tum porro, quae ducit & inlicit, ut tribuamus
Principiis rerum nonnunquam, cauſa, Colores,

Occi-

INTERPRETATIO.

diverſas variaſque Figuras exiſtere videamus, ita etiam in Mari, aut alio Corpore unius & ſimplicis Coloris diverſos varioſque Colores cerneremus. Deinde Diverſæ & diſſimiles Figuræ non impediunt quò minùs extima totius Compoſiti Corporis ſuperficies Quadrata eſſet, at diſſimiles Colores impedirent quò minus tota res uno ſimplici Colore imbuta videretur. His adde, quod conceſſa illa, quam modo memoravi, conjectura, tota iſta ratio, propter quam Colores Rerum Seminibus tribuimus,

VARIÆ LECTIONES.

780. *æquore.* æquora Q. I. X. Y. Z.

784. *quo.* quod P. *omne ſit extra.* eſſet in illis M. E. N. *ſincera exemplaria Pii. in not.* eſſe ſit extra. Q.

785. *varii.* varios *Gaſſ.* varia Y.

787. *Quæ ducit & inlicit ut tribuamus.* quod dicunt illicitum, hoc tribuamus C. quod ducit ut illicitum hoc E. N. quod dicunt in licitum tribuamus P. Q. X. *ut.* abeſt Y.

788. *colores.* coloris N.

NOTÆ.

non unæ rei ſtatui, ſed omnibus conſtitui putetur. ſic Lucret. ſup. lib. 1: 689.

--- neque ſunt igni ſimulata. neque ullæ
Præterea rei.

& lib. 6: 392.

Et potius nullæ turpis ſibi conſciu' rei. Lamb.

Unaque figura] Ita Veteres omnes; rectè. Similem ſyntaxin explicat Macrobius lib. vi. cap. 8. Lambinus: *unæque figuræ*; rectè quidem, ſed libros ſequi malim. Vulgati: *figura eſt*; male. Gif. Sic *Iſtæ*, *Alteræ*, *Solæ*, *Ullæ*, *Nullæ*, Plautus, Terentius, Cicero, Lucretius. Creech.

780. *Diſſimileis formas*] Figuras, nempe triquetras, ſeu triangulas. nam ex triangulis conſtant quadrata. Lamb.

784. *Præterea nihil officiunt &c.*] V. 4. Hoc effugium nullum eſſe demonſtrat. Corpora enim diverſæ figuræ in alteram diverſam figuram conſentire poſſunt, ut Triangula in Quadratum, at non eadem eſt Colorum ratio, nec diverſi Colores unquam unum ſimplicem componunt. Creech.

784. *Quo quadratum minus omne ſit extra*] Sic excudendum curavi, ſecutus librorum manuſcriptorum teſtimonium. quamquam mihi non diſplicet ea ſcriptura, quam amicus quidam meus ex vulgata leviter immutata traxerat.

Quo quadr. minus inſit in illis.

ille enim ex verbo *eſſet*, fecerat *inſit.* ſed omnino antiqua ſcriptura melior eſt, & ſi rem propiùs ſpectes, verior. quadratum enim ex triangulis factum, extra triangula eſt, non in triangulis. Lamb. Ita *Lambinus* e Codd. dum *Marullus*, &

Nar-

Occidit, ex Albis quoniam non Alba creantur:
Nec quae Nigra cluent, de Nigris: ſed Variis de.
Quippe etenim multo procliviùs exorientur
Candida, de nullo, quam de Nigrante colore.

Aut

INTERPRETATIO.

perit; quoniam tum ſequeretur Res Albas non ex Albis Seminibus fieri, aut Nigras e Nigris; ſed ex Seminibus diverſorum Colorum. Inſuper obſervandum eſt, quod Res aliæ facilius orirentur e Seminibus nullo Colore præditis, quàm ex Seminibus vel nigro, vel alio Colore imbutis.

VARIÆ LECTIONES.

789. *quoniam.* quando Q 1. *creantur.* creatur Y. Z.
790. *variis de.* variantur. E. C. N. variant ſe P. variis ſunt Q 1. varia ea Y. Z.
791. *etenim.* & enim Q 1.
792. *nullo.* villo C. pullo O. P. *de nigrante.* nigro nata E. N. P. Q 1. X. Y. Z. *videatur.* videaritur E. ſic habetur in Originali. Non tamen ad hunc verſum pertinet. Vide num ad verſ. 803. notandum ſit. ſed unde Nardius; Illud: *videaritur?*

NOTÆ.

Nardius: Minus eſſet in illis. Creech. *Extra*] In ſuperficie, & ambitu, atque ita veteres libri. Vulgati, & Marullus: *minus eſſet in illis.* Gif.

787. *Tum porrò, quæ ducit & inlicit, ut tribuamus, &c.*] Hæc eſt vera hujus loci ſcriptura, quam ego cùm in codice Bertiniano & Memm. expreſſam reperi, tum Adriani Turnebi auctoritate comprobatam illuſtravi. Vix autem me puto fidem lectori facturum, ſi enumerem lectionis hujus loci diſſimilitudines & differentias. Nam cùm uſus ſim quinque libris manuſcriptis, octo impreſſis & ampliùs, vix treis reperi qui inter ſe congruerent: cùm alii haberent, *quæ ducit in illicitum; ut trib.* alii, *quod dicunt inlicitum trib.* alii, *quæ ducit & ut illicitum hoc*, &c. Hujus igitur veræ & rectæ ſcripturæ hæc ſententia eſt: Tum porrò ea cauſa, quæ nos ducit & illicit, ut nonnunquam principiis rerum colores tribuamus, nempe hæc, quoniam ex albis non creantur alba, nec nigra ex nigris, ſed ex contrariis, aut diſſimilia: hæc, inquam, cauſa occidit, id eſt nulla eſt. Quippe etenim, &c. hic eſt ordo verborum, quo explicato, etiam ſententia explicata & aperta eſt. Cùm hæc jam pridem ſcripſiſſem, homo barbarus & inhumanus hanc emendationem & ſcripturam ita commemorat, & laudat, non ut meam, ſed ut noſtrûm communem: idemque de illa ſuperiore *omne ſit extrà.* Hanc proximam quæ ſequitur, *ſed variis de*, tacitus probat & ſequitur, itemque illam quæ ſequitur, *quàm de nigrante* &c. poteſt ne fingi βάσκανος ullus impurior? ſed quid hic ſtomachor? talem ſe præbuit in ceteris, ut dixi jam antea ſæpius, quàm me decuit. Sentio enim quam ſit indecorum cum talibus ſycophantis velitari, Sed tamen injuriæ magnitudo, & rei indignitas fecit, ut hæc lectori indicanda exiſtimarem. Lamb. *Tum porro, quæ ducit, & inlicit, &c.*] Hæc veriſſima ſcriptura, etiam ex libris noſtris, & Lambino. Ordo verborum eſt iſte: cauſa quæ induceret, ut principiis tribueremus colores (cauſa autem illa comprehenſa eſt parentheſi) illa, inquam, cauſa occidit, id eſt, nulla eſt, Quippe etenim, &c. Gif. *Tum porro &c.*] Iterum v. 7. pugnat; Qui dicunt unum ſimplicem colorem ex Seminibus alio atque alio Colore tinctis effici poſſe, priorem deſerunt Opinionem, unicamque ſuæ ſententiæ rationem evertunt: Hi enim poſtulabant Colorata Semina, ut Alba Corpora ex Albis Seminibus, & Nigra ex Nigris orirentur. Si tamen e Principiis diverſimodè coloratis Niger, aut Albus Color oriretur, tota illa, cui priùs fidebant, Ratio perit: Deinde ſubjungit Album Colorem (& idem de aliis dicendum) citiùs naſci poſſe ex Seminibus nullo, quàm e Principiis vel nigro, vel alio quovis Colore tinctis. Ita hos verſus expono, quos Alii Interpretes nondum intellexerint. Creech.

787. *Ducit & inlicit* Id eſt *Suadet:* Ita fæliciter reſtituit *Lambinus* locum maximè corruptum. Creech.

789.

Aut alio quovis qui contra pugnet, & obſtet.
Praeterea, quoniam nequeunt ſine Luce Colores
Eſſe, neque in Lucem exiſtunt Primordia rerum:
Scire licet quam ſint nullo velata Colore.

Qua-

INTERPRETATIO.

Præterea quia Colores non poſſunt eſſe ſine Luce, Rerum autem Semina in Lucem prodire non poſſunt; exinde ſequitur Rerum Semina nullo Colore eſſe tincta. Quomodo enim poteſt eſſe Color in tenebris,

VARIÆ LECTIONES.

794. *lucem.* luce N.

NOTÆ.

789. *Ex albis quoniam*] Hæc ratio eſt, cui obviam ire voluit. FAB.

790. *Sed variis de*] Id eſt de variis & differentibus. ἀναςροφή. cum in libris manuſcriptis reperiſſem partim *variis ea*, partim *variis ad*, & ita in Vicetinis, ego *ſed variis de* reſtitui. nam ceteræ ſcripturæ, *ſed variant ſe*, *ſed variantur*, *ſed variata*, (quam poſtremam Pontanus ſubſtituerat) omnes ſunt depravatæ. LAMB.

791. *Quippe etenim multo*] Hæc eſt ratio, ſeu αἰτιολογία, quare cauſa illa, quæ illicit ad tribuendos principiis colores, nulla ſit. LAMB. Contra illam rationem, *ex albis quoniam*, &c. FAB. Inſuper obſervandum: Hanc interpretationem tota diſputatio confirmat. CREECH.

792. *Candida de nullo, quam de nigrante colore*] Poſtremam hujus verſiculi partem depravatam, feliciter, doctorum virorum judicio reſtitui in antiquum ſtatum. Nam cum reperiſſem ita ſcriptum in cod. Vaticano,

Quam de nigro nate colore.

ex *nigro nate*, feci *nigrante*, quæ ſcriptura perſpicue, & ſine controverſia, recta eſt. *nigrante* autem interpretor *nigra*, ut ſupra *nigrant* interpretatus ſum *nigra ſunt*: 732.

Aut ea quæ nigrant, nigro de ſemine nata.

Virgilius libro quinto Æn. 97.

Totidem nigranteis terga juvencos.

Et 8: 353.

--- cum ſæpe nigrantem
Ægida concuteret dextra.

Atque hanc emendationem miror Thraſonem ſibi non vendicaſſe, ejuſque approbatione tacita, hoc eſt maligna & invida, contentum fuiſſe: qua moderatione tamen in aliis locis quamplurima uſus eſt, ſi moderatio appellanda talis injuria eſt. LAMB.

794. *Præterea quon. nequeunt ſine luce*] Sic argumentatur: Sine luce colores non cernuntur. corpora prima non cernuntur. ergo corpora prima nullo ſunt colore prædita. Syllogiſmus invalidus quidem eſt: omnes tamen ejus partes veræ ſunt. Nam ſine luce colores non cerni etiam Ariſtoteles docet. Sic enim ille: Τὸ ἐν φωτὶ ὁρώμενον, χρῶμα. διὸ οὐχ ὁρᾶται τὸ χρῶμα ἄνευ φωτός. τοῦτο γὰρ ἦν τῷ χρώματι εἶναι, τὸ κινητικῷ τοῦ κατ' ἐνέργειαν διαφανοῦς. id eſt, *Quod in luce cernitur, color eſt. idcirco ſine luce color non cernitur. hæc enim eſt coloris eſſentia, ac definitio, quod vim habet movendi id, quod eſt re & functione pellucidum.* Idem docet colorem eſſe adſpectabilem in eo; quod per ſe adſpectabile eſt: nempe ἐν ἐπιφανείᾳ, id eſt *in extremitate corporis*, ſeu *in ſummo cortice.* Extremitas autem per ſe adſpectabilis, quia in ſe habet, per quod cerni poſſit, nempe colorem. pellucidum porro aſpectabile eſt non per proprium colorem ſed per alienum. LAMB. Syllogiſmus Epicurei commatis; ſingulæ partes veræ ſunt; τὸ δὲ ὅλον ἀσυλλόγιστον. FAB. Iterum v. 15. concludit *Lucretius* Semina eſſe Colorum expertia, quia Color nil aliud ſit quam Lux in Corpore refracta, vel à ſuperficie opaci Corporis reflexa: De Luce refracta nihil Poëta, at ſi Priſma ſeu Trigonum vitreum vulgare oculis apponas, ſenties radios Lucis geminam refractionem paſſos varios Colores exhibere: Obſervat autem Plumas circa Columbæ collum, aut in Pavonis Cauda

prout

Qualis enim caecis poterit Color eſſe tenebris,
Lumine qui mutatur in ipſo; propterea quod
Recta aut obliqua percuſſus Luce refulget?
Pluma Columbarum quo pacto in Sole videtur:
Quae ſita cervices circum, collumque coronat:
Namque alias fit uti rubro ſit clara Pyropo:
Interdum quodam ſenſu fit, uti videatur

In-

INTERPRETATIO.

cùm omnis color in Luce mutetur, & varius appareat prout recto vel obliquo Lucis radio Corpus illuſtratur: Quod in plumis circa collum Columbæ Sole illuſtratæ videre licet. Aliquando enim rubri ſeu flammei coloris & inſtar Pyropi fulgentis apparent,

VARIÆ LECTIONES.

798. *qui mutatur in ipſo.* qui in ipſo mutatur Q. 1. Y. Z.
799. *percuſſus.* percuſſis Q. 1.
803. *quodam.* quoddam.

NOTÆ.

prout recto aut obliquo radio Lucis illuſtratæ ſunt, modo flavum, modo viridem, modo flammeum &c. Colorem diffundere. Et Inde arguit in denſis tenebris in quas Lux nulla penetrat, & ex quibus nulla reflectitur, nullos prorſus Colores eſſe; ac proinde Colores qui redeunte Luce in rebus cernuntur, procreari ab ipſamet Luce, pro diſpoſitionibus quas res habent ad eam recipiendam, reflectendam, refringendam, & referendam ad Oculos. Ideoque quoniam Semina nunquam in Lucem veniunt; aut radios reflectunt, quaſi in denſiſſimis tenebris obruta, ſunt prorſus excolora. Epicurus in libro adverſus Theophraſtum ſecundo dicit, οὐκ εἶναι τὰ χρώματα συμφυῆ τοῖς σώμασιν, ἀλλὰ γεννᾶσθαι κατὰ ποιάς τινας τάξεις, καὶ θέσεις πρὸς τὴν ὄψιν. Et rurſum, οὐκ οἶδα ὅπως δεῖ τὰ ἐν σκότει ὄντα φῆσαι χρώματα ἔχειν. Plutarchus adv. Colorem. CREECH.

795. *Sed variis de*] Sic lego cum Lambino; vel. è. Nam vetus codex: *ea, ad.* GIF.

798. *Propterea quòd rect. aut obl.*) Alius enim color eſt, ſi rectus ſit luminis angulus: alius, ſi obliquus.

799. *Percuſſus*] Sic legendum, non *perculſus*, ut habent nonnulli typis impreſſi: & ita ferè loquitur infrà: 953.

Qui quoniam quodam gignuntur luminis ictu, &c. & lib. 5: 703.

Luna poteſt ſolis radiis percuſſa nitere. LAMB. Vulgati: *perculſus*; male. Vide *Percuſſus*, in Indice. GIF.

799. *Recta aut obliqua percuſſus luce*] Nam ex variantia anguli recti aut obliqui variatur color. FAB.

800. *Pluma columbarum*] M. Tull. in Lucullo: *Neque verò hoc loco exſpectandum eſt, dum de remo inflexo, aut de collo columbæ reſpondeam. neque enim is ſum, qui, quidquid videtur, tale dicam eſſe, quale videatur.* LAMB. *Quo pacto*] ὥσπερ, quemadmodum. LAMB.

801. *Quæ ſita cerv. circ. collumque cor.*] Ordo eſt: quæ circum ſita, id eſt circumpoſita, ſeu circumdata, cervices & collum columbarum coronat. Fortaſſe imitatus eſt illud Nævii Iliad. lib. 1.

Collum marmoreum torquis gemmata coronat. LAMB.

Quæ circumpoſita, περικειμένη, coronat, cingit collum & cervicem columbæ. Cervix τὸ παχὺ & τὰ ὄπισθεν, collum τὸ πρόμηκες & τὰ ἔμπροσθεν ſignificabit. FAB.

802. *Pyropo*] Pyropus genus eſt metalli. Plin: libr.

Inter Caeruleum virideis miſcere Smaragdos.
Caudaque Pavonis, larga quom Luce repleta eſt,
Conſimili mutat ratione obverſa Colores.
Qui, quoniam quodam gignuntur Luminis ictu,
Scilicet id ſine eo fieri non poſſe putandum eſt.
Et quoniam plagae quoddam genus excipit in ſe
Pupula, quom ſentire Colorem dicitur Album,

Atque

INTERPRETATIO.

Aliquando virides colores, tanquam Smaragdos cum Pyropis cum iſto rubro & flammeo permiſtos exhibent. Pavonis etiam Cauda, cum larga luce impleatur, pro diverſa ad Lucem poſitura non minus quam Plumæ Columbarum varios colores induit. Cum autem hi Colores Lucis ictui originem ſuam debeant, credendum eſt, eos ſine Luce exiſtere non poſſe. Et quoniam Pupilla Oculi alio ictûs genere percutitur, cum colorem album ſentire dicatur,

VARIÆ LECTIONES.

804. *cæruleum.* cæruleos *Gaſſ.*

808. *Scilicet id ſine.* Scire licet ſine A. B. C. E. N. P. Q. X. Y. Z. *eſt.* Deeſt B. C. E. P.

NOTÆ.

libr. 34. capite 8. *Æs in uncias duas, additis auri ſcrupulis ſenis, prætenui pyropi bractea igneſcit.* Iſidorus *Pyropum* ait *eſſe metalli genus ex dimidia parte auri, & dupla argenti.* eſſe & gemmam quam Latini *carbunculum* appellant, nonnulli putant. Sed videtur legendum potiùs,

Rubro ſit clara pyropo,

quàm, ut vulgò legitur,

Claro ſit rubra pyropo.

idque vel ex Ovidii verſu intelligere licet libr. 2: Metam. 1.

Clara micante auro, flammaſque imitante pyropo. LAMB.

802. *Claro ſit rubra pyropo*] Ita in Veteribus. Nihil muto. Lambinus: *rubro ſit clara.* GIF. A Lambino hæc lectio eſt. Vulg. *claro ſit rubra pyropo.* Ex Ovid. in Metamorph. *Pyropus* autem, ſeu metallum quoddam, ſeu auri argentique κρᾶμα, ſive carbunculum putes, haud magni intereſt. FAB. *Rubro ſit cl.* Ita cum *Lambino* contra omnes Codd. *Rubrum Pyropum* dixit *Lucretius* ut v. 804. *Virides Smaragdos.* CREECH.

803. *Quodam ſenſu*] Ut Gall. *en un certain ſens,* ubi de viſione agitur, id eſt, ut mox loquetur, *quodam luminis ictu.* FAB.

808. *Scilicet id ſine eo f. n. p. putandum eſt*] Vel ſic legendum, ut excudendum curavi, cùm in tribus libr. manuſcriptis reperiatur ſcriptum, *putandum eſt:* vel ſic,

Scire licet ſine eo fieri non eſſe putandum.

Cùm hæc ſcripſiſſem in prima editione, Thraſo ille impudentiſſimus dixit me alteram ſcripturam probaſſe, altera improbata. Poteſt quiſquam mentiri impudentius? LAMB.

808. *Scire licet*] Ita veteres libri. Lambinus: *Scilicet id.* GIF.

808. *Sine eo*] Ictu ſcilicet. FAB.

809. *Et quoniam plagæ quoddam*] Audi quomodo cernamus ex ſententia Epicuri: quod ſumit argumenti loco ad probandum, rerum primordia coloris eſſe expertia. viſus fit ictu quodam (inquit) nempe διὰ τὸ τῶν εἰδώλων εἰς τὴν ὄψιν ἐμπτώσεως, id eſt *per imaginum incurſionem in videndi ſenſum*, & per plagam, ſeu ictum quendam: qui ictus alius eſt, ſi oculus ſentiat album colorem: alius, ſi nigrum: & ita de ceteris. at ictus non fit ſine tactu. tactus autem non eget colore,

ut

Atque aliud porro; Nigrum quom, & caetera, ſentit,
Nec refert ea, quae tangas, quo forte Colore
Praedita ſint, verum quali magis apta Figura:
Scire licet, nil Principiis opus eſſe Colores:
Sed variis Formis varianteis edere tactus.
Praeterea, quoniam non certis certa figuris
Eſt natura Coloris, & omnia Principiorum
Formamenta queunt in quovis eſſe Nitore:

Cur

INTERPRETATIO.

& alio planè diverſo cùm Corpus nigri, aut aliûs Coloris ſentiat; & cùm nihil omnino referat quæ colore ea quæ tangis imbuta ſunt, ſed multùm qua figura ſunt prædita, certi eſſe poſſumus Semina non neceſſario poſcere Colores; ſed varias figuras, è quibus iſta ictuum varietas procedat. Præterea quoniam certus Color non attribuitur certis figuris, & omnia figurarum genera, quibus Semina donantur, poſſunt cujuſvis Coloris eſſe;

VARIÆ LECTIONES.

811. *aliud.* alium Q 1.
812. *tangas.* tangis B. C. D. E. Y. tangit c. O. P. Q. X.
813. *ſint.* ſunt Q. X. Z.
814. *colores.* colore C. E. N. P. Q 1. X. Y. Z.
815. *tactus.* tractus Q 1.
816. *quoniam.* quando Q 1. & *ſic paſſim ibi. non.* niſi N.

NOTÆ.

ut ſuo officio fungatur. nihil refert enim, quo ſint colore prædita ea quæ tangis. ergo prima corpora nullo colore contacta ſunt. Sed quod ad diſputationem attinet de cauſa viſus, ſeu aſpectus, Ariſtoteles viſus cauſam eſſe arbitratur τὴν τῶν ὁρωμένων ἐνέργειαν, ποιότητα ἐνεργοῦσαν εἰς τὴν ὄψιν: id eſt, *eorum quæ cernuntur, qualitatem vim ſuam expromentem atque explicantem in videndi ſenſum.* Plato & Stoici aliter ſentiunt: quin ne hi quidem inter ſe planè conſentiunt. qua de re lege A. Gellium libro quinto, capite decimo quinto. ſed de his plura ſuo loco etiam à nobis dicentur lib. 4: Lamb. Aliud argumentum v. 7. continetur: In omni Coloris perceptione Pupilla oculi percutitur, Alium verò ictum ſentit cùm albus Color repræſentetur, & alium cùm Niger, aut quivis alius. At quid Semina poſtulent Colores quibus diverſimodè percutere & ferire poſſint? Principia iſta ſint tantum diverſimodè etiam diſpoſita, inde variæ Imagines orirentur, à quibus Oculus diverſimodè percuteretur, & diverſi motus in Organis excitarentur. Viſus enim, ſecundum *Epicurum*, διὰ τὸ τῶν εἰδώλων εἰς τὴν ὄψιν ἐμπτώσεως. Creech.

814. *Opus eſſe colores*] Sic legit Nonius: profertque etiam verſum ex Plauto in Capt. 1: 2: 61.

Jam maritimi omnes milites opus ſunt tibi.

poſſem alia exempla afferre quàm plurima. Cæſ. libro quinto de bello Gall. *Quæcunque ad proximi diei oppugnationem opus ſunt, noctu comparantur.* Marc. Tullius epiſt. ad Curionem, *Dux nobis & auctor opus eſt.* Idem Lucr. ſup. lib. 1: 1050.

Infinita opus eſt vis undique materiaï.

& libro 3: 980.

Materies opus eſt, ut creſcant poſtera ſæcla.

& libr. 4: 1261.

Nec motus opus ſunt noſtris uxoribus hilum. Lamb.

816.

Cur ea; quae conſtant ex illis, non pariter ſunt
Omnigenis perfuſa Coloribus in genere omni?
Conveniebat enim Corvos quoque ſaepe volanteis
Ex albis album pennis jactare colorem,
Et nigros fieri nigro de ſemine Cycnos,
Aut alio quovis uno, varioque colore.
Quin etiam quanto in parteis res quaeque minutas
Diſtrahitur magis, hoc magis eſt ut cernere poſſis
Eva-

INTERPRETATIO.

Cur etiam illa Corpora, cujuſcunque generis ſint, quæ conſtant ex iis Seminibus, variis coloribus ornata &c. diſtincta non appareant? Oporteret enim Corvos volantes album Colorem ex Albis pennis ſæpe ſpargere: Cygnos etiam nigros oriri ex nigro Semine, aut aliûs cujuſvis Coloris eſſe, ex Seminibus alio quovis Colore perfuſis. Inſuper, quo magis dividis res aliquas in partes minutas, eò magis

VARIÆ LECTIONES.

822. *pennis.* pinnis P. *Gaſſ.* Q. 1.
825. *quanto.* quando Z.

NOTÆ.

816. *Præterea quoniam non certis*] Sic habent libri omnes manuſcripti, quibuſcum congruunt aliquot typis excuſi. ſententia autem & vis hujus argumenti hæc eſt. Præterea (inquit) demus, prima corpora colore eſſe prædita: non dicent ii qui hoc volunt, in certis figuris certum ineſſe colorem: verbi gratia, omnia corpora prima triquetræ ſeu triangulæ figuræ, eſſe nigra, omnia quadrangulæ formæ, eſſe cærulea, &c. ſed in unaquaque figura fatebuntur eſſe principia diſſimilibus coloribus prædita: verbi gratia, primordia triangulæ figuræ alia eſſe alba, alia nigra, alia mediorum colorum. Fingamus igitur, corvos majore ex parte conſtare ex primordiis triangulis: quæ, ut diximus, non ſunt unius coloris. Fiet igitur, ut corvi naſcantur non nigri, ſed vel albi, vel virides, vel cærulei, vel verſicolores. Atqui hoc non fit: ergo principia non ſunt colorata. Legendum autem eſt,

Præterea quoniam non certis;

non, ut vulgò, *niſi certis.* Lamb. Sed ponamus primordialia corpora colorata eſſe; an ideo dicent iſti certas figuras talem & talem colorem habere? Certe fateantur neceſſe eſt in multis figuris multa eſſe corpora diverſorum colorum; inde quid fiet? ut certarum ſpecierum (de cycnis, corvis & aliis id genus loquor) colores ita varientur, ut prorſus ſibi non conſtent. Id non fit; ergo falſa ſuppoſitio. Fab. Aliud v. 9. ſubjungit Argumentum, partim ex confeſſione eorum contra quos diſputat, partim ex conſtantia Colorum, qui in diverſis rerum generibus apparent, ductum. Qui colorata fingunt ſemina certos Colores certis figuris non attribuunt, non affirmant Quadrata omnia Semina Nigra eſſe, nec Rotunda Alba, Triangularia Cærulea &c. Unde igitur iſta in quibuſdam rerum generibus conſtantia? Cur omnes Corvi *Nigri*, Cygni interim *Albi?* Profecto utrumque genus variis coloribus perfuſum videremus, cùm Semina, è quibus componuntur, variis coloribus contingi poſſint. Creech.

816. *Non certis*] Vulgati, male: *niſi.* Gif. *Non certis*, è MSS. *Lambinus. Niſi certis*, Nardius, imperitè. Creech.

Evaneſcere paullatim, ſtinguique Colorem:
Ut fit ubi in parvas parteis diſcerpitur Aurum,
Purpura, Poeniceuſque color clariſſimus multo,
Filatim quom diſtractus diſperditur omnis:
Noſcere ut hinc poſſis, prius omnem efflare Colorem
Particulas, quam diſcedant ad Semina rerum.

Po-

INTERPRETATIO.

evaneſcere & extingui rerum iſtarum Colorem ſentis; ut cum Aurum in minuta ramenta diſcerpitur: Et ſi Purpuram filatim diſtrahas, ſplendidiſſimus Purpuræ iſtius Color totus abit & evaneſcit; & inde potes colligere, Particulas alicujus Corporis omnem Colorem amittere antequam ad Semina perventum eſt.

VARIÆ LECTIONES.

827. *Evaneſcere.* Et vaneſcere Z. *ſtinguique.* ſtrictimque *Gaſſ.*
829. *multo.* omni c. N. P. ultro. *in Marg* Z.
830. *diſtractus.* diſtrahitur c. N. P. diſtractum eſt Q. X. Y. Z.
832. *diſcedant.* deſcendant c. P. deſcendunt Q. Q1. X. diſtendunt Q2. diſcedunt Y. deſceduant. Z.

NOTÆ.

822. *Ex Albis album pennis*] Melius forſan *Pennis* quàm *Pariter* Gaſſendi. Creech.

825. *Quinetiam quanto*] Aliud argumentum, quo utitur ad probandum, primordia rerum coloris eſſe expertia. Quo quicque minutiores in parteis ſecatur, eo magis evaneſcit ejus color. finge igitur, rem aliquam in parteis ita parvas eſſe diſſectam, ut illæ fugiant ſenſum oculorum. tum ſcilicet intelliges, earum colorem evanuiſſe, atque exſtinctum eſſe. quod ſi ita eſt, multo credibilius eſt, ſemina rerum, quæ ſunt ſubtiliſſima, & ſimpliciſſima, & minima, colore omni carere. Lamb. Quo quidque in minutiores partes diſcerpitur, tanto evaneſcit magis ex oculis color; quid igitur de incomprehenſibili tenuitate primorum corporum dicas? Fab. Iterum 8. v. diſputat. Quodlibet Corpus coloratum divide, quò minutiores fiunt particulæ, eò dilutior fit Color, & tandem, imo dum particulæ manent ſenſibiles, evaneſcit: impudenter igitur expectamus Colores in Seminibus rerum, quos in exilioribus Corporum partibus fruſtra quærimus. Creech.

827. *Stinguique colorem*] i. exſtingui. *ſtinguo* verbum ſimplex: compoſita *exſtinguo*, *reſtringuo*, *diſtinguo*; *præſtinguo.* uſus eſt eodem verbo & l. 4: 1091.

Ardorem in membris qui ſtinguere poſſit.

& M. Tull. Arato.:

Quem neque tempeſtas perimet, neque longa vetuſtas
Interimet, ſtinguens præclara inſignia cæli.

Idem in prognoſt.

Ut cùm Luna means Hyperionis officit orbi,
Stinguuntur radii cæca caligine tecti. Lamb.

Exſtingui. Ceterum imitationem Platonis eſſe arbitror, qui colorem flammam è corporibus manantem eſſe dicebat. Locus eſt in Timæo. p. DXLII. edit Læmatianæ, & quidem adſcribi dignus: Τέταρτον δὴ λοιπὸν ἔτι γένος ἡμῖν αἰσθητικὸν, ὃ διελέσθαι χρὴ συχνὰ ἐν ἑαυτῷ ποικίλματα κεκτημένον· ἃ ξύμπαντα μὲν χροὰς ἐκαλέσαμεν, φλόγα τῶν σωμάτων ἑκάστων ἀποῤῥέουσαν, ὄψει σύμμετρα μόρια ἔχουσαν πρὸς αἴσθησιν. *Nunc quartum ſentiendorum genus dicendum, quod dividere oportet, multas enim varietates complectitur; quas omnes vocavimus colores, flammam* ſcilicet *ex ſingulis corporibus effluentem, quæ viſui ad ſentiendum partes convenientes habeat.* Περὶ τῆς ἀποῤῥοῆς ferme eadem in Menone dixerat, ex Pindaro & Gorgia; quæ cum Lucretianis alibi facere poſſint. Fab. *Stinguique Colorem.* Sic lib. 1. v. 667.

Ignes

Poſtremò, quoniam non omnia Corpora Vocem
Mittere concedis, neque Odorem: propterea fit,
Ut non omnibus attribuas Sonitus, & Odores:
Sic, Oculis quoniam non omnia cernere quimus,
Scire licet, quaedam tam conſtare orba Calore,
Quam ſine Odore ullo quaedam, Sonituque remota:

Nec

INTERPRETATIO.

Denique cum admittas cuncta corpora non Sonum reddere, aut Odorem emittere, ideoque Sonum & Odores cunctis Corporibus non attribuis; Pariter, quoniam oculis noſtris Omnia videre non poſſumus, ſcire licet tam eſſe quædam Corpora omni Colore deſtituta, quam Alia quædam privata Sonitu omni, & Odore;

VARIÆ LECTIONES.

834. *concedis.* concedas Q. *fit.* ſit N.

NOTÆ.

Ignes in cœtu ſtingui.

Gaſſendus tamen, *ſtrictim.* Faber arbitratur *ſtinguique colorem* eſſe imitationem *Platonis*, qui Colorem flammam è Corporibus manantem eſſe dixit; frigidè. Certè *Lucretius* vel nunquam inſpecto *Platone* dixiſſe potuit Purpureum & Puniceum Colorem, qui pene igniti videntur, extingui. Creech.

829. *Pœniceuſque color*] Duo libri manuſcript. habent,

Puniceuſque color:

tres *Pœniceuſque*: quod probo. dictum enim *Pœniceus* pro *Puniceus*, ut *mœnera* pro *munera*. Pœniceus autem, ſeu Puniceus color, differt à purpureo & cæruleo. Ac differentia quidem Pœnicei coloris & cærulei nota eſt: ſed Pœnicei & purpurei fortaſſe non cuivis nota eſt. Purpureus color igitur ex ſanie & cruore purpuræ piſcis conficiebatur. Ex quo eum credibile eſt ruborem fuiſſe nigricantem. Pœniceus color verò fortaſſe ex palma & ſimilibus plantis fiebat, iſque rubor dilutior & floridior erat. Virg. Melib. Ec. 7: 32.

Puniceo ſtabis ſuras evincta cothurno.

Idem lib. 12: 76.

--- *Cùm primùm craſtina cælo*
Puniceis invecta rotis aurora rubebit.

Varro lib. 4. de lingua Latina, *Pœnicum, purpura genus ex Karthagine primùm allatum.* idem, *Pœnica pavimenta ex lapide Numidico.* Lamb. Ita (*pœniceus*) omnes Veteres fere. Gif. Purpura denſior erat, puniceus color, lætior & dilutior. Eadem, puto, differentia, quæ inter *roſeum* & *coccinum* apud Tertull. lib. IV. adverſus Marcionem. Fab.

833. *Poſtremò quoniam*] Argumentum à ſimili. quædam ſunt corpora odore, & ſonitu, ſeu voce carentia. nihil obſtat igitur, quò minùs etiam ſint corpora quædam coloris expertia, nempe corpora prima: quæ ſub oculos non cadunt, & iccirco non egent colore. Lamb. Corpora ſunt quæ certis quibuſdam qualitatibus carent, cur non, (à ſimili,) & prima corpora careant colore, ſenſibilitate, frigore, ſiccitate, &c. Fab. Demum v. 8. premit adverſarios. Omnes concedunt ea Corpora quæ Nares ſentire nequeant inodora eſſe; Illa inſuper quæ Aures non audiunt ſonum non habere. Quidni igitur fatendum illa etiam Corpora quæ Oculi percipere non valent eſſe Colorum expertia? De qualitatibus enim ſoli ſenſus judicant, nec credendum eſt ullam qualitatem alicui Corpori competere, quam illi ſenſus non attribuunt. Creech.

839. *Nec minùs hæc*] Feſtus hunc verſum profert in voce *ſagax*, docetque *ſagaceis appellari multi ac ſollertis acuminis.* Lamb.

840. *Notiſque*] Sic malui ex vet. cod. Vulgati: *notaque.* Gif.

841.

Nec minus haec animum cognoſcere poſſe ſagacem,
Quam quae ſunt aliis rebus privata, notiſque.
Sed ne forte putes ſolo ſpoliata Colore
Corpora prima manere: etiam ſecreta Teporis
Sunt, ac Frigoris omnino, calidique Vaporis:

Et

INTERPRETATIO.

Animumque ſagacem hæc Corpora) nullo Colore induta) æquè poſſe cognoſcere, ac illa Alia, Sonitu, Odore, cæteriſque notis deſtituta. Ne verò credas Rerum Semina ſolo Colore privata, ſcias illa Caloris, Frigoris, expertia eſſe;

VARIÆ LECTIONES.

840. *notiſque.* notaque N. Q. 1. Y. Z.

NOTÆ.

841. *Sed ne forte*] Poſteaquam docuit, corpora prima colore eſſe ſpoliata, probat jam aliis etiam qualitatibus carere, ut calore, frigore, ſiccitate, humore, ſucco, odore, ſonitu. Lamb. Etiam aliis qualitatibus privata eſſe prima corpora. Gif. Satis de Coloribus: cæteris etiam omnibus qualitatibus, Odore, Frigore, Calore, Sono, Humiditate, Sapore, Mollitie, Lentitudine, &c. Raritate v. 23. ſua Semina carere demonſtrat. Tribus utitur argumentis, 1° Si odorem Seminibus concedas, turbabis omnia, Gratiſſimi Odores Seminum grave-olentium interventu ſordeſcerent, ut in componendis unguentis niſi Artifex inolens Oleum miſceat, ſuaviſſimi odores ab Oleo corrumperentur. Idem etiam de Sapore, Sono, Calore, & Frigore dicendum. 2° Semina dividi non poſſunt, ideoque nec *Odorem*, neque *Sonum*, neque *Saporem*, neque *Calorem*, neque *Frigus*, quæ conſtant è particulis è Corpore emiſſis, emittere valent. 3° Si Mollitiem, Lentitudinem, Raritatem, Fragilitatem, &c. Seminibus apponas, mutabilia inſuper efficies, & interitui obnoxia, ideoque Res in nihilum reciderent. Creech.

843. *Calidique vaporis*] Satis erat dixiſſe *vaporis.* tale igitur illud eſt, λευκοῖο γάλακτος. Lamb.

844. *Et ſonitu ſterilia*, ſi quis lectionem vulgatam probabit, (vulgò enim *ſterilia* legitur) *i* & *a* conveniunt in unam ſyllabam, atque *a* poſtrema vocalis eliditur. ego *ſterilia* excudendum curavi, quo modo ſcriptum reperi in tribus codicibus manuſcr. & item in antiq. Venetis & Vicetinis. Lamb. In quibuſdam codd. *ſterilia. Sterila* malim ex veteribus libris, & quibuſdam Vulgatis. Gif. Ut *ſublima*, &c. Item ut *deformus* apud Tertul. lib. primo ad Nationes. *deforma ſimulacra.* Fab. Vulg. *Sterilia*: ſed rectè *Sterila*, ut *Deforma* apud Tertullianum: & lib. 1. v. 341. *Sublima.* Creech.

844. *Feruntur*] Sunt. jam antea. Fab.

846. *Sicut amaracini, &c.*] *Unguentum amaracinum, unguentis omnibus in Co inſula præpoſitum eſt*, ut ſcribit Plin. lib. 13. cap. 1. Jam hic verſus cum ſex deinceps ſequentibus cohærent cum ſuperiore, & ex eo pendent, ut ſit hic Lucretii ſenſus: prima corpora omnis qualitatis expertia ſunt, ut caloris, frigoris, ſaporis, odoris, quemadmodum ſi quis unguentum amaracinum, aut myrrrhinum facere in animo habeat, quærere eum par ſit oleum, quoad ejus fieri poſſit, omnis odoris expers. Lamb. Ejus σκευασίαν, ſeu compoſitionem diligenter perſecutus eſt Dioſcorid. lib. I. c. ξή. Fab. Qui plura de unguentis velit, Plinium, Dioſcoridem, Theophraſtum, Athenæum legat. Qualia qualia ſunt unguenta, eadem eſt argumenti Lucretiani vis & virtus. Creech.

846. *Stactæque*] Stacta, liquor myrrhæ. Theophraſt. περὶ ὀσμῶν, ἐκ κινναμώμου, καὶ ἐκ σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ. ςακτὴ δὲ καλεῖται διὰ τὸ κατὰ μικρὸν ςάζειν. i. *Ex cinamomo, & ex ſmyrna contuſa oleum manat: ſtacte autem appellatur, quia paulatim & guttatim fluit.* Lamb.

Et Sonitu ſterila, & Succo jejuna feruntur:
Nec jaciunt ullum proprium de corpore Odorem.
Sicut Amaracini blandum, Stactaeque liquorem
Et Nardi florem, nectar qui naribus halant,
Quom facere inſtituas: cumprimis quaerere par eſt,

Quoad

INTERPRETATIO.

nullum inſuper Sonum edere, Humiditate omnino carere, nec ullum prorſus odorem è ſuo corpore emittere. Ut cùm facere decreveris ſuave unguentum Amaracini, & Stactæ, & florum Nardi qui ſuaviſſimos odores in nares emittunt, quærendum eſt Oleum,

VARIÆ LECTIONES.

844. *ſterila.* ſterilia C. N. P. *jejuna.* ac jejuna P. delendum tamen cenſet *ac* in not.
845. *proprium.* Ita O. X. Y. Z. *Reliqui* proprio.
847. *florem.* Ita I. Y. Z. florum A. M. C. D. E. O. Cr. *halant.* halat A. B. P. Q. I. X.

NOTÆ.

Lamb. *Στακτὴ δὲ καλεῖται τὸ προσφάτου σμύρνης τὸ λιπαρὸν, κεκομμένης μεθ' ὕδατος ὀλίγου ἀποτεθλιμμένον τε διὰ ὀργάνου* [Stacte vero vocatur pinguitudo recentis myrrhæ cum pauca aqua contuſæ & organo expreſſæ] Dioſcorid. l. c. *ογ'*. ibi optime legit Saracenus *ἀποτεθλιμμένον*. Sed & illud *τέ* tollendum arbitror. De Nardino vide caput *οέ*. ſcriptoris eſuſdem. Fab.

847. *Et nardi florem*] Alii libri habent, *Et nardi florum:* quæ lectio ferri poteſt, ut ſubintelligamus *liquorem*. alii, *Et nardi florem:* ut nihil ſubintelligamus, ſed per nardi florem, unguentum ex nardi flore confectum intelligamus: quos nunc quoque ſequor. Sic autem Plato in Timæo, quod ad ſententiam attinet: *Διὸ καὶ πάντων ἐκτὸς εἰδῶν εἶναι χρεὼν τὸ τὰ πάντα ἐνδεξόμενον ἐν αὑτῷ γένη, καθάπερ περὶ τὰ ἀλείμματα, ὁπόσα εὐώδη, τὰ δεξόμενα ὑγρὰ τὰς ὀσμάς*, &c. id eſt, *Quapropter & omnium formarum expers ſit oportet id quod omnia in ſe genera recepturum eſt, quemadmodum qui verſantur in confectione unguentorum, aut liquorum odoratorum, ii liquores, qui ſuaveis odores recepturi ſunt, dant operam ut ſint omnis odoris expertes.* De unguentis legendus Plin. lib. illo 13. 1. ubi unguentum ex narciſſi flore compoſitum, *narciſſinum* nominat, his verbis: *Narciſſinum quoque ex flore narciſſi deſiit componi.* quæ verba hanc ſcripturam comprobant. Præterea Feſtus hunc verſum profert in voce *nectar:* ſed mendosè. Lamb. *Et Nardi florem.* Ita ex veteri codice, & Feſto reſtitui. Vulgati, ex Marullo: *florum, halant;* peſſime. In Feſto, *qui floribus halet;* male. Vide Indicem: *Flos.* Gif. Lambinus *florem:* Unguentum viz. ex Nardi flore confectum. Solenne optimis authoribus id quod eximium cujuſque rei Florem appellare: Sic *Flos vini* apud Plautum, *Flos flammæ* apud Lucretium: *Flos populi* apud Ennium:

Flos illibatus populi, ſuadæque medulla.

Feſtus in voce *Nectar* legit,

Et Nardi florem Nectar qui floribus halet. Cr.

847. *Nectar*] odorem ſuaviſſimum. tralatio eſt à guſtandi ſenſu ad odoratum. Lamb.

847. *Halant*] Apud Feſtum legitur *habet*, planè corruptè. pro *halet*, ſivè *halat.* in vulgatis aliquot, *halant:* quo modo excudendum curavi. Nam in quattuor libris manuſcr. ſcriptum reperi *halat* numero ſingul. & ita habent ceteri vulgati: quæ fortaſſe vera ſcriptura eſt, ut ſic dicamus: *qui* flos nardi *nectar n. h.* ſeu potiùs, *qui* liquor amaracini, ſtactæ, nardi florum, *nectar naribus halat*, ſeu *halet.* Lamb.

849. *Quoad licet, ac potis es*] Ita ex veteribus libris ſcripſimus. Vulgati: *poſſis.* Gif. Sic repoſui, partim conjectura ductus, partim codicum veterum teſtimonio commotus. *potis es* au-

Fff tem

Quoad licet; ac potis es reperire, inolentis Olivi
Naturam, nullam quae mittat Naribus auram:
Quàm minimè ut poſſit miſtos in corpore Odores,
Concoctoſque, ſuo contactos perdere viro.
Propterea demum debent Primordia rerum

Non

INTERPRETATIO.

quantum inveniri poteſt, planè inodorum, & quod nullum omninò Odorem ad nares emittat, ut gravi ſuo & tetro odore Stacten, Amaracinum, & Nardi flores, quæ cum ſuis particulis miſcentur & concoquuntur, quàm minime inficere valeat, & corrumpere. Denique Semina rerum ſuum Odorem *rebus procreandis adhibere non debent.*

VARIÆ LECTIONES.

849. *Quoad.* Quod C. E. N. P. Q. X. *potis es.* poſſis C. E. P. Q. X. Z. *ſed vide Lud. Carrion. Emend.* 2: 17. *p.* 177. *Facis Crit. Tom.* 3.

850. *quæ.* quod D.

852. *Concoctoſque.* contrectanſque P. *contactos perdere.* ſervare & perdere *Non.* contractus O. P. Q. contactus P. *in not.* contractos Q. 1. & 2.

853. *demum.* tandem N. Q. 1. eundem Q. X. eandem Y. Z.

NOTÆ.

tem valet *potes*: ut *potiſſum*, *poſſum.* Vulgati autem habent, *Quoad licet, ac poſſis,* mendosè. Thraſo tamen triennio pòſt, ita ſe reſtituiſſe prædicat. Quid impudentius? Lamb. Carrio è MSS. *Potis eſt reperiri.* Creech.

849. *Inolentis*] Id eſt, non olentis, odore carentis, ἀόσμον. Lamb. Giſanius criticæ familiæ columen rem novam in Indice te docebit, lector; *inolere*, non olere, *ut* impenſus *apud Feſtum*, non penſus. Niſi legiſſem ipſe, nunquam tale quid potuiſſe ab ullo homine ſcribi credidiſſem: Et tamen hæc ab eo ſunt de cujus hodieque virtutibus multi tam libenter prædicant. Sed & ille & qui cum illo eadem ſentiunt, pueriliter falluntur, quamvis enim *inolens* ſumatur pro eo qui non olet, haud tamen continuo dicas *inolere* pro *non olere. Indoctus* dicitur, ſed non *indoceo*, *Injuſſus*, ſed non *injubeo. Inſciens*, ſed non *inſcio. Me indicente hæc non fiunt.* Ter. Adelph. 3: 4: 62. id eſt, Ita factum iri dixeram; & tamen nuſquam reperias, *indico* pro *non dico.* Apud Varronem R. R. lib. 3. c. 6. de apibus, *Neque ipſæ ſunt* inficientes, *nec non oderunt inertes.* Vides ibi *inficientes* pro ignavis & inertibus ſumi, neque tamen ullibi reperias *inficio* pro *nihil facio.* In Apologet. Tertulliani legere eſt, [*Totum enim hoc mundi corpus ſive* innatum *& infectum ſecundum Pythagoram, ſive natum & factum ſecundum Platonem*, &c.] ubi *innatus* pro) *non natus* ſumitur; neque tamen fando unquam auditum eſt *innaſci* pro *non naſci*, neque *intingo* pro *non tango*, quamvis *intactus* in ea notione ſumatur. Apud Feſtum denique, nam illius exemplum quaſi rarum citat Giſanius, cum tamen alibi infinita numero ſint, *impenſus* pro *non penſus*, ſed non ideo tamen dicas *impendere* pro *non pendere.* Videlicet, ejuſmodi formationes intra participia conſiſtunt; doctus, indoctus, ſciens, inſciens, *&c.* Pudendus error, & viro indignus. Sed quando ſemel cœptum eſt, naviter nugari oportet. Marcus Zuerius Boxornius qui nobis inquinatiſſimum Plautum nuper dedit, nihilo plus ſapiebat quam Giſanius; cum enim legiſſet in Amphitruone Act. IV. Scen. 1: 9.

> *Nam me, quam illam quæſtionem* inquiſitam *amittere,*
> *Mortuum ſatius eſt:*

(quem locum vel pueri intelligant) quid ibi cymbaliſtes noſter: audi; facinus enim faciet dignum toga, dignum epomide & corynephoris. Inquire-

Non adhibere ſuum gignundis rebus Odorem,
Nec Sonitum, quoniam nihil ab ſe mittere poſſunt:
Nec ſimili ratione Saporem denique quemquam
Nec Frigus, neque item calidum, tepidumque Vaporem, &
Caetera, quae quom ita ſunt tandem, ut mortalia conſtent,
Mol-

INTERPRETATIO.

(*prorſus inodora ſunt*) *neque Sonum* (*nullum habent ſonum*) *quia nullas è ſuis corporibus particulas emittere valeant, ut neque propter eandem rationem Saporem,* (*ſunt Inſipida*) *Frigus* (*non ſunt frigida.*) *neque calidum Teporem,* (*non ſunt Calida*) *quia nullas ex ſuis Corporibus particulas valeant emittere. Cæteras inſuper qualitates,*

VARIÆ LECTIONES.

855. *mittere.* emittere Q. 1.
857. *&.* Deeſt a B. C. E. N. P. X. Z. *vaporem.* calorem D.
858. *quæ cum ita ſunt.* quæque ita ſunt P. quæ cum ita ſint *priſci Codd.* P. *tandem.* tamen C. E. P. X. Z.

NOTÆ.

rere, inquit, *non modo diligenter & anxie quærere, ſed etiam,* non quærere *ſignificat, ſicut hoc loco.* Vides Clariſſimum Doctorem ab eodem principio atque Gifanium erraſſe. Itaque ubinam cor, ubi cerebrum? ἐν πτέρνῃ. Fab.

852. *Concoctos*] Unà coctos. Nam quæ inter ſe commiſcentur ad unguenti alicujus compoſitionem, concoqui debent. Plin. eodem lib. loquens de unguento megalio: *Hujus proprietas ut ventiletur in coquendo, donec deſinat olere: rurſus, refrigeratum, odorem ſuum capit.* Lamb.

852. *Viro*] Sua naturali virtute. ſic enim Nonius Marcellus hunc verſum proferens interpretatur. Lamb. Humore, jam antea ſæpius. Adde locum Tertulliani de Anima: *De limo caro in Adam; quid aliud limus quam liquor opimus: inde erit genitale virus.* Et paulo ſuperius: *Denique, ut adhuc verecundia magis pericliter quam probatione, in illo ipſo ultimo voluptatis æſtu, quo genitale virus expellitur? nonne aliquid de anima quoque ſentimus exire!* Obiter animadvertendum idem de anima ſentire cum Lucretio, quod ad τὸ *corporeitatem* pertinet; quod ei cum aliquot doctoribus commune eſt: ſed in ceteris ab illo diverſus abibit. Fab.

853. *Propterea demum*] Poſtremò (inquit) primordia rerum debent non adhibere gignendis rebus ſuum odorem, propterea quoniam, &c. hic enim eſt ordo verborum. *Propterea quoniam* autem; id eſt, proterea quòd, vel propterea quia, ut ſæpe idem loquitur. Lamb.

858. *Et cetera: quæ cùm ita ſunt tandem, ut mort. conſt.*] Sic habent quattuor libri manuſcripti, eandemque ſcripturam vidi annotatam ad oram codicis typis impreſſi, quem mihi commodarat Vincentius Laureus Calaber, vir doctus & integer, cujus ſcripturæ ſententia non obſcura eſt. Et ſimili ratione (inquit) primordia rerum non adhibent in rebus gignendis ſaporem, nec frigus, nec teporem, nec calorem, &c. quæ cùm ſint hujuſmodi tandem, ut ſint mortalia, utpote

Molli lenta, fragoſa putri, cava corpore raro;

neceſſe eſt à principiis ſint ſejuncta. Lamb. *Tepidumque vaporem, Cetera:* Ita vetus liber; recte. Vide in Indice: *Cetera.* Gif.

859. *Mollia, lenta, fragoſa, putri cava, corpore rara*] Ita ex conjectura reſtitui. Vulgati: *putricava;* quod & barbarum eſt. *Putri* pro putredine, & carie exeſa. Aliis: *raro.* Forte: *putria.* Gif. *Molli lenta, fragoſa putri, &c.*] Sic hunc verſum reſtituit (Adverſ. p. 157. & 203.) Adrian. Turnebus. Nam omnino vox *putricava* non erat Latina: ſed cùm eam interpretabar *carie & putrore exeſa,* ſequebar vulgus. Sic igitur hic verſus explicandus: cùm ſapor, frigus, calor, ſeu tepor, ſint molli corpore lenta, putri corpore

 fra-

Molli Lenta, Fragoſa Putri, Cava corpore raro,
Omnia ſint à Principiis ſejuncta neceſſe eſt,
Immortalia ſi volumus ſubjungere rebus
Fundamenta, quibus nitatur ſumma ſalutis:
Ne tibi res redeant ad Nilum funditus omnes.
Nunc ea, quae Sentire videmus cunque neceſſe eſt

INTERPRETATIO.

Mollitiem, Fragilitatem, Lentitudinem, Raritatem, &c. quæ ſunt mutabiles, ortui & interitui obnoxiæ, Rerum Seminibus ſejungamus neceſſe eſt, ſi velimus eſſe quædam certa & æterna Semina, quibus Rerum ſalus conſervetur, & quæ efficere poſſint ut res omnes in Nihilum non reciderent. Deinde fatendum eſt omnes res quæ ſenſum habent

VARIÆ LECTIONES.

859. *Molli.* Mollia, A. B. C. D. E. N. P. Q. X. Y. Z. *putri, cava.* putricava A. B. C. D. E. N. P. X. *raro.* rara A. B. C. D. P.
860. *à.* abeſt Z.

NOTÆ.

fragoſa, id eſt fragilia, raro corpore cava: debent ea à principiis eſſe ſejuncta, & principia debent his carere. Lamb. Optima hæc lectio à Lambino eſt: ceteræ peſſimæ ſunt. Senſus eſt: Ubi calor, tepor, frigus reperiuntur, neceſſe eſt corpora eſſe lenta, id eſt cedentia, flexibilia propter mollitiem, fragilia propter putredinem & coctionem, cava propter raritatem (ἀραιότητα) quæ in principiis ſi ſtatuas, tum omnia ruant neceſſe eſt. Fab. Ita legit *Turnebus.* Senſus eſt, ubi Calor, Frigus, Tepor reperiuntur; neceſſe eſt Corpora eſſe Lenta, id eſt, cedentia, flexibilia propter mollitiem, fragilia propter putredinem & coctionem, cava propter raritatem, quæ in Principiis ſi ſtatuas, tum omnia ruant neceſſe eſt. Hæc *Faber.* Probatur Lectio, ſed Interpretatio diſplicet; nam Mollities, Raritas, & ſimiles qualitates æquè ac Sapor, Odor, Sonus, Frigus & Calor videntur his verſibus à Seminibus ſeparari. Creech.

864. *Nunc ea quæ ſentire videmus*] Nunc docere incipit, animalia conſtare ex principiis inſenſibilibus: hoc eſt, principia, ex quibus conſtant animalia, eſſe inſenſilia, inſenſilia autem, id eſt, ſentiendi vim non habentia. nam ſenſilia ſunt, quæ ſentiendi vim habent, αἰσθητικὰ appellant Græci. *quæ ſentire videmus cumque*, id eſt, quæcumque ſentire videmus: tmeſis. Lamb. Fieri animalia ex principiis inſenſilibus. Vera ratio eſt, etiam ſi plures afferet, Ad ſenſum multa requiri; At primordia ſunt ſimplicia, ergo. Fab. Hactenùs Semina rerum Calore, Frigore, Odore, Sapore, Colore, cæteriſque qualitatibus deſtituta eſſe demonſtravit *Lucretius*, ex iis tamen Res calidas, frigidas, ſapidas & olentes conſtituit: jam majus opus movet, & docet Res Senſiles è Principiis nullo prorſus ſenſu præditis componi poſſe: 1° ſidem Experientiæ implorat v. 9. E ſtercore putrido Vermes naſcuntur, at in ſtercore iſto fruſtra vitam, aut ſenſum aliquem requiras. Creech.

866. *Neque id manifeſta refutant, &c.*] Sic ſolebat interdum ſuas ſententias, ſuaque decreta confirmare Epicurus, ea quæ non facilè ſenſu probari poſſent: ταῦτα ȣ̓ μάχεται τοῖς φαινομένοις, id eſt, *hæc non pugnant cum iis quæ ſunt in promtu.* & ȣ̓δὲν τῶν φαινομένων τȣ́τοις ἀντιμαρτυρεῖ, id eſt *nihil eorum quæ ſunt in promtu, contra hæc dicit teſtimonium.* Itaque & apud Plutarch. & apud Diog. Laërtium crebra ſunt hæc: ȣ̓δὲν τȣ́των ἀπογινώσκει Ἐπίκȣρος, ἐχόμενος τȣ̃ ἐνδεχομένȣ. id eſt, *nihil horum improbat, aut rejicit Epicurus, hærens in eo quod ejuſmodi eſt, ut fieri & contingere queat.* Lamb. Solemnis Epicuri ratio, ȣ̓ μάχεται τοῖς φαινομένοις, quæ eo validior videri debet, quod omnibus magis obvia eſt. Fab.

868. *Manu ducunt*] χειραγωγȣ̃σι. *Quippe videre licet, vivos, &c.*] Docet Ariſtoteles lib. 5. de

Ex Inſenſilibus tamen omnia confiteare
Principiis conſtare: neque id manifeſta refutant,
Nec contra pugnant, in promptu cognita quae ſunt:
Sed magis ipſa manu ducunt, & credere cogunt,
Ex Inſenſilibus, quod dico, Animalia gigni.
Quippe videre licet, vivos exſiſtere Vermeis

Ster-

INTERPRETATIO.

componi ex Seminibus quæ ſenſu prorſus carent: Neque res ullæ, quæ cognitioni ſubjacent, hanc opinionem convellunt aut refutant, imo manu quaſi ducunt nos ad hanc opinionem, coguntque credere Animalia (Res ſenſu prædita) componi e Principiis ſenſu deſtitutis. Videre enim licet Vermes viventes

VARIÆ LECTIONES.

866. *refutant.* repugnant Q. 1.
869. *dico.* duco O. P.

NOTÆ.

de hiſtoria animal. cap. 19. quo loco enumerat inſectorum origines, etiam è cœno, fimo, & ſterquilinio naſci: quæ ſcilicet è vermibus antè genitis fiunt. Sic apes exſiſtunt ex vitulo ſuffocato & putrefacto, quemadmodum docet Virg. lib. 4. Georg. & mures magni certis temporibus in agro Thebano ex terræ glebis naſcuntur, ut refert Diodorus Siculus lib. 1. non longè à principio. LAMB.

871. *Putrorem cùm ſibi, &c.*] Sic legendum, non *putorem*. Simile erratum invaſit in Arnobii libr. 2. non longè à principio, ibi, *Utrùm illum tellus uliginis alicujus converſa putore, tamquam vermeis animaverit, tamquam mureis?* nam legendum *putrore*. LAMB. Ita (*putrorem*) legendum, ut mox: *quaſi putrefacta per imbres.* De hoc & infra, lib. VI. fere extremo. Vulgati: *putorem.* Vide & inf. verſ. 928. GIF.

873. *Præterea cunctas &c.*] Neque Exemplum tantum proponit in Vermiculis & Animalibus dum gignuntur, ſed in Animalibus etiam genitis; v. 12. cum Cibus aſſumptus ex inanimi Animatus evadit: Alimentis inſenſilibus, Gramine, Frondibus &c. Pecudes, & Aves, res totæ ſenſiles, nutriuntur, iſtis veſcitur Humanum genus, ideoque è particulis inſenſibilibus Graminis & Frondium tandem conſtituitur. Hæc omnia appoſita ſimilitudine illuſtrat: Lignum aridum in Ignem & Flammam reſolvitur, at non magis diſtat Inſenſile Alimentum à carne viva & ſentiente, quàm Lignum à Flamma lucente & clara: Et quemadmodum oportet ex Ligno extricari particulas, quæ ſeſe cientes, explicantes, novaque ratione diſponentes, nova illa lucendi, calefaciendique vi polleant, ita ex cibo ſecerni oporteat ſpirituoſas particulas, quæ certa ratione diductæ, novoque modo diſpoſitæ energiam hanc ſentiendi obtineant. Senſus enim Senſilſve rei procreatio ex Inſenſilibus principiis debetur certæ & ſpeciali eorum Magnitudini, Figuræ, Poſitioni, Ordini, & Motui. CREECH.

874. *Vertunt ſe fluvii, & frundes, & pab. l.*] Sic legendum, non, ut eſt in vulgatis,

Vertunt ſe fluvii in frondeis,

&c. hoc enim ſignificat, fluvios, & frondeis, & pabula, verti in naturam pecudum, cùm ſcilicet pecudes fluviis ſitim ſedant, frondibus famem explent. LAMB. Vulgati: *in frondes.* GIF. Ego: *Vertunt ſe fluvii in frondeis.* SALM. Ep. XLVIII.

875. *Vertunt pecudes in corp.*] cùm veſcimur earum carnibus. LAMB.

876. *Et noſtro de corp. ſ. ſ.*] cùm devoramur à feris: ut lib. 5. 998.

Stercore de tetro, putrorem quom ſibi nacta eſt
Intempeſtivis ex imbribus humida tellus:
Praeterea cunctas itidem res vertere ſeſe.
Vertunt ſe Fluvii, Frundes, & Pabula laeta
In Pecudes: vertunt Pecudes in Corpora noſtra
Naturam, & noſtro de Corpore ſaepe Ferarum
Augeſcunt vires, & corpora Pennipotentum.
Ergo omneis natura cibos in corpora viva
Vertit, & hinc Senſus animantum procreat omneis:
Non alia longe ratione, atque arida ligna

Expli-

INTERPRETATIO.

oriri e fœtenti ſtercore, cum Tellus intempeſtivis Imbribus madefacta putruerit: Præterea, videre licet omnes pene cujuſcunque generis res in ſe invicem mutari, Fluvii, Frondes, Gramina ſeſe vertunt in Pecudes, Pecudes verò ſeſe vertunt in Humana corpora, & Feræ & Aves ſæpe Humano Corpore veſcuntur: Ergo omnia cujuſcunque generis Alimenta in viva, ſeu ſenſu prædita Corpora Natura vertit, & inde (ex Alimentis ſenſu carentibus) ſenſilia Animalia efformat: non alia ratione atque ſicca ligna in ignes reſolvit,

VARIÆ LECTIONES.

871. *putrorem.* putorem Z.
874. *fluvii, frundes.* fluvii & frondes B. I. fluvii in frondes C. E. N. P. X. Y. Z.
877. *& corpore.* in corpore P. Q. 1.

NOTÆ.

Unus enim tum quiſque magis deprenſus eorum,
Pabula viva feris præbebat dentibus hauſtus:
Et nemora ac monteis gemitu, ſilvaſque replebat,
Viva videns vivo ſepeliri viſcera buſto.

& Homer. Ἰλιάδ. α. in princip.

--- αὐτοὺς δ᾽ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσι,
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι,

& ſæpe alibi. Lamb.

877. *Pennipotentum*] avium. Lamb.

880. *Non alia longe*] id eſt, ſimili ferè ratione. Lamb.

881. *Explicat*] reſolvit, videlicet natura. Lamb. Diſſolvit, reſolvit, ἀναλύει. Fab.

882. *Jamne vides igitur*] Innuit, diſſimilitudinem rerum creatarum adſcribendam eſſe variis ordinibus, poſituris, motionibus, conciliis principiorum potiùs, quàm figurarum diſſimilitudini. Lamb. Supra verſ. 759. *Propterea magni, &c.* Gif.

885. *Tum porrò quid id eſt*] Hoc ſentit Lucret. Porrò quidnam illud eſt, quod animum commovet, & ſecum hac de re dubitare cogit, ita ut credere non poſſis, ſenſile ex inſenſilibus principiis gigni? nimirum quòd lapides, & ligna, & terra, & ſimilia, commiſta & confuſa, nequeunt vivere, neque ſentire. quemadmodum igitur ea quæ dixi, unà miſta, vitalem ſenſum reddere nequeunt: ita videtur incredibile ex principiis inſenſilibus gigni animanteis. Lamb. Ne argumentis ab Experientia ductis repugnare videatur ipſa Experientia, cavet v. 16. Negare non potuit Ligna Lapides Terramque commiſta aliquando Inſenſilia manere, aliter viventes Domos, & Turres ſenſiles efficeret. Fatetur igitur Res Inſenſiles niſi certa figura

Explicat in flammas, & in igneis omnia verſat.
Jamne vides igitur, magni Primordia rerum
Referre in quali ſint ordine quaeque locata,
Et commiſta quibus dent motus, accipiantque?
Tum porrò quid id eſt, animum quod percutit ipſum?
Quod movet? & varios ſenſus expromere cogit,
Ex Inſenſilibus ne credas Senſile gigni?
Nimirum, Lapides, & Ligna, & Terra quòd una
Miſta, tamen nequeunt vitalem reddere Senſum.
Illud in his igitur rebus meminiſſe decebit,

Non

INTERPRETATIO.

& omnia in flammas vertit: Nonne igitur jam vides magni referre cum quibus, & quo ordine ſingula Semina conjunguntur, & quos motus impertiant, & accipiant viciſſim. Tum porrò quid demum eſt quod mentem tuam impellit? quid movet? quid dubitare, aut diverſam ſententiam amplecti cogit, efficitque ut credas Senſile (Rem ſenſu præditam) ex inſenſilibus componi non poſſe? Scilicet, quia Lapides, Ligna, & Terra ſimul commiſta vitalem ſenſum reddere non poſſunt, (non efficiunt rem Senſilem, & Viventem) Obſervandum igitur omnino eſt,

VARIÆ LECTIONES.

881. *in.* Abeſt Y. Z.
885. *Quid.* quod O. *ut & verſu ſeq.*
887. *Ex inſenſilibus.* Ex inſenſibili *Priſcian. ne.* ni a. B. 1. *ſuperſcrib.* ni *in* Z. niſi E. N. *gigni.* naſci P. *Priſcian.*
889. *vitalem reddere ſenſum.* virtutem reddere ſenſûs *Gaſſ.*
890. *rebus.* Ita C. E. F. N. P. Cr. *in Not.* ſedus Z. *ſed ſuperſcrib.* ſedulus. fœdus L. Y.

NOTÆ.

ra, & magnitudine donentur, debito motu agitentur, certoque ordine diſponantur, nunquam efficere res Senſiles; at debita omnia & requiſita adhibeantur, Animal naſcitur è re maximè Inſenſili. Putreſcat enim Lignum, aut Glebæ Imbribus reſolvantur, & Animalium huc & illuc reptantium agmina ſubitò admirabere. Creech.

885. *Percutit ipſum*] Terent. Andr. 1: 1. 98. *percuſſit illico animum.* Quid te movet, quâ causâ impulſus dubitas: nam *varios ſenſus expromere*, dubitare eſt. Fab.

886. *Et varios ſenſus exprom.*] id eſt, & in varias ſententias animum diſtrahit? Lamb.

887. *Ex inſenſilibus ne credas*] In voce *inſenſilibus* nullum ineſt mendum, mea quidem ſententia, cùm hæc ſcriptura confirmetur auctoritate omnium codicum & manuſcr. quibus uſus ſum, & impreſſorum, tametſi Priſcianus libr. 4. legat, *Ex inſenſibili*, niſi ſit eo loco corruptus Priſcianus. in verbo *credas* fortaſſe videatur alicui aliquid ineſſe mendoſi, & legendum *credat.* Tum in particula *ne*, ſuſpicantur docti quidam ſubeſſe aliquod ulcus, propterea quia libri manuſcripti habent, *ni credas.* ego tamen nihil mutavi, quamvis ſciam, *ni* uſurpatum eſſe à veteribus pro *ne:* ſuprà, 773. ubi vulgati libri habent,

Neve, alium quemvis quæ ſunt induta, &c.

in manuſcriptis legitur, *Nive alium*, &c. Satis eſt mihi lectorem admonuiſſe de antiqua ſcriptura, ejuſque rationem breviter attuliſſe. Lamb. Priſcianus, lib. iv. *inſenſibili.* Gif. *Senſile gigni*, Codex Bertin. & Vatic. & aliquot vulgati, habent *ſenſile naſci.* Lamb.

889. *Vitalem*] vitæ convenientem, vel vita præditum, vel ad vitam accommodatum. Lamb.

890.

Non ex omnibus omnino, quaecunque creant res,
Senſilia extemplo, & Senſus me dicere gigni:
Sed magni referre, ea primum quantula conſtent,
Senſile quae faciunt, & qua ſint praedita Forma,
Motibus, Ordinibus, Poſituris denique quae ſint:
Quarum nil rerum in Lignis, Glebiſque videmus.

Et

INTERPRETATIO.

me non affirmâſſe Res Senſiles ex omnibus prorſus Principiis, quæcunque res aliquas gignunt, comperi poſſe; ſed magni referri primum, cujus ſint molis ea Semina quæ rem Senſilem conſtituant, qua figura donentur, quos inſuper motus habeant, quali denique ordine diſponantur: Quorum omnium nihil in Lapidibus vel Terra apparet.

VARIÆ LECTIONES.

892. *Senſilia extemplo, & ſenſus me dicere gigni.* Senſile progigni extemplo, & producere ſenſus. *Codd. Florent.* Senſile & extemplo me gigni dicere ſenſus C. E. N. P. Q. Y. Z. ſenſilia O.

895. *quæ.* queis F. Cr. cum ſunt P.

896. *videmus.* videtis Q 1.

NOTÆ.

890. *Illud in his igitur fœdus.* Non video quamobrem ſcripturam veterem immutare debuerim: quæ reperitur in quattuor lib. manuſcriptis, niſi quòd Bertinianus & Memm. habent *ſedus* parva immutatione: quibuſcum conſentiunt Vicetini & Florentini. hujus autem loci hæc ſententia eſt: Dixi equidem, ex principiis ſenſu carentibus animalia gigni: videtur hoc eſſe abſurdum, ut ſi quis dicat, ex lapidibus & lignis animantem oriri & conflari poſſe. illud igitur fœdus, id eſt illam conventionem & pactionem, per quam à me diſſentire deſinas, mihique aſſentiare, meminiſſe decebit: non dicere me, ex omnibus principiis omnino & ſimpliciter extemplo res ſenſu præditas & ſenſus gigni: ſed ex principiis hac vel illa figura, & quæ ſic vel ſic moveantur, & quæ hoc vel illo ordine collocentur, &c. LAMB. Vulgati: *rebus.* In quibuſdam Veteribus: *ſedus. Fœdus*; recte, id eſt, ſit hoc inter nos conſtitutum, & pactum. GIF.

Illud in his igitur fœdus meminiſſe decebit,

Lectio vulgata fuerat,

Illud in his igitur rebus meminiſſe decebit:

Sed illam uterque Interpres mutavit; legendo non *rebus* ſed *fœdus.* At nihil neceſſe fuit; ſic enim loqui amat Lucretius: id quod uberrima exemplorum ſeges probabit.

Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi.
Illud in his quoque te rebus cognoſcere avemus.
Illud in his rebus non eſt mirabile......
Illud in his obſignatum quoque rebus habere.
Illud in his rebus videor (ſic legendum) *firmare poteſſe.*
Illud in his rebus nequaquam ſumere poſſis.
Illud in his rebus non addunt, Nec tibi earum.
Illud in his rebus minime eſt mirabile habendum.
Illud in his rebus vitium vehementer......
Illud in his rebus ne me arripuiſſe rearis. FAB. *in Emend.*

Magis probem quod in al. legitur, *Illud in his igitur rebus.* FAB. *in Not.*

890. *Fœdus*] Ita Lambinus è quatuor MSS. Et *Fœdus* interpretatur illam conventionem & pactionem, per quam à me diſſentire deſinas, mihique aſſentiare: ſed non tanta eſt librorum autoritas, *Illud fœdus* nunquam in Lucretio invenies, ſed paſſim *Illud in his rebus*, quod Alii re-

ctiùs

Et tamen haec quom ſunt quaſi putrefacta per imbreis,
Vermiculos pariunt, quia Corpora materiaï
Antiquis ex Ordinibus permota nova re,
Conciliantur ita, ut debent Animalia gigni.
Deinde ex Senſilibus quom Senſile poſſe creari
Conſtituunt, porro, ex aliis ſentire ſueti,

Mol-

INTERPRETATIO.

Et tamen hæc (Lapides & Terra) cum imbribus madefacta & reſoluta putreſcant, Vermes producunt; quia Semina imbre iſto adveniente è priſtinis ſuis ſedibus & poſitura emota conveniunt in eum ordinem, qui Animalibus producendis conveniens & aptus ſit: Deinde cum affirment Rem Senſilem ex Senſilibus Principiis creari, iſta Principia Mollia eſſe ſtatuant neceſſe eſt;

VARIÆ LECTIONES.

897. *ſunt.* ſint Q.
901. *Deinde ex ſenſilibus cum ſenſile.* Denique principiis qui ſenſile *Creech. cum,* qui A B. C. D. E. I. Q. 1.
902. *ſueti.* Ita C. E. L. N. P. Q. X. Y. Z. ſuetis L. & *Alii.*

NOTÆ.

ctius amplectuntur. CREECH.

892. *Senſilia extemplo*] Sic ſcriptum reperi in quinque libris manuſcript. quibuſcum impreſſi Aldini antiquiores congruunt. alii habent,

Senſile & extemplo.

præter Florentinos, qui habent,

Senſile progigni extemplo, & producere ſenſus.

planè vitioſè. LAMB.

893. *Sed magni referre ea primum quantula conſtent*
Senſile quæ faciunt, & quâ ſint prædita formâ,
Motibus, ordinibus, poſituris denique quæ ſint.

Liquido jurare poſſim, legendum; *queis ſint*; id eſt *quibus poſituris*, &c. ut verſu ſuperiori *quâ prædita formâ*, quod & arbitror lectum in aliquo exemplari fuiſſe. Sic in verſ. 194.

---- *in tales venere meatus*
Qualibus hæc rerum genitur nunc ſumma novando.

Cui loco concinit quòd in II. eſt verſu 1007.

Propterea magni quod refert, ſemina quæque
Cum quibus & quali poſitura contineantur.

FAB. *in Emend.* Neceſſario legendum *queis ſint*, ut alibi monitum. FAB. *in Not.* Non opus mutatione. *quæ* enim, ut paſſim valet *qualia*, ut in præcedenti *qua* valet *quali*. VOSS.

900. *Concil. ita, ut deb.*] Id eſt, hoc modo congregantur, & conveniunt, quomodo animalia gigni neceſſe eſt, vel gigni oportet. Venit mihi aliquando in mentem, legendum eſſe *debeant*: quod & quidam conjecerunt, ut ſit hæc ſententia: ita conciliantur, id eſt, tali modo & tali ordine conjiciuntur & coëunt, ut ex iis ita conjectis & congreſſis animalia gigni debeant. Sic libr. 3: 963. *reſpondeamus* poſitum eſt, quattuor ſyllabarum, ibi:

Quid reſpondeamus, niſi juſtam intendere litem, &c.

ad quem locum plura. LAMB. Forte: *debeant.* Vide lib. I. verſ. 233. & III. verſ. 963. Et in Indice: *Reſpondeamus.* GIF.

901. *Deinde ex ſenſilibus cum ſenſile*] Hujus ſcripturæ, quæ nihil ferè ab antiqua diſcrepat, niſi quod *ſuetis*, pro *ſueti*, quod eſt in libris omnibus, ſubſtitui, ſententia plana eſt. Deinde (inquit) cum conſtituunt, id eſt ſtatuunt ſenſile ex ſenſilibus principiis poſſe creari: quæ quidem ſenſilia ex aliis ſentire conſueverunt: nempe ex venis, nervis, viſceribus, & ſimilibus: tum faciunt principia illa ſenſilia, mollia; & ita mortalia, quod eſſe non poteſt. Sed tamen demus iſta poſſe æterna permanere, &c. LAMB. Aliud *Lucretii*

Ggg

Mollia tum faciunt: nam Senſus jungitur omnis
Viſceribus, Nervis, Venis, quaecunque videmus
Mollia mortali conſiſtere corpore creta.
Sed tamen eſto jam poſſe haec Aeterna manere:

Nem-

INTERPRETATIO.

Senſus enim omnis jungitur Viſceribus, Nervis, Venis, &c. quæ omnia Mollia ſentimus reſolutioni etiam, mutationi, & interitui obnoxia. Concedamus verò hæc Senſilia Principia immutabilia & æterna eſſe poſſe,.

VARIÆ LECTIONES.

903. *tum.* quum A. B. O. P. Q. 1. cum Y. Z. quæ C. E. M. N. *jungitur.* gignitur *Gaſſ.*

NOTÆ.

tii argumentum v. 5. continetur, quia ſi Principia, ex quibus eſt ſenſus, ſenſilia ſint, erunt igitur ipſa Mollia, cùm nulla res dura, ſolidave, ſit capax Senſus: quare & erunt corruptibilia, quippe cùm, niſi ſolida ſint, diſtrahi poſſint, atque idcircò ſuam Naturam amittere: atqui debent Rerum principia, ut declaratum ſuperiùs eſt, incorrupta perſeverare. Ita optimè Philoſophus *Gaſſendus*: Grammaticum verò *Lambinum* audiamus: Deinde cùm ſtatuant Senſile ex Senſilibus creari poſſe, quæ quidem Senſilia ex aliis ſentire conſueverunt, nempe ex Venis, Viſceribus, Nervis, & ſimilibus; tum faciunt illa Senſilia Mollia, & ita Mortalia: Hæc Grammaticus, dum verba potiùs quàm ſenſum ſpectat; quippe vitioſos Codices ſequutus deſipit: Quid enim ſibi velint iſtæ voces, *Ex Senſilibus, porrò ex aliis ſentire ſuètis*, cùm Illi, *Plato* & *Anaxagoras*, contra quos diſputat *Lucretius*, ipſa Rerum *Principia* ſtatuerunt Senſilia? Nullis igitur libris adjutus, ſed re ipſa admonitus audacter lego

Denique Principiis qui ſenſile poſſe creari &c.
Creech.

902. *Sentire ſuètis*] Sic videtur legendum, ut ſit hic Lucretii ſenſus: ex ſenſilibus ſuetis, id eſt quæ ſolita ſunt, porrò, id eſt porrotenus, ſentire ex aliis, videlicet ex viſceribus, nervis, venis, ut diximus: quæ quidem ſunt mollia & mortalia. Lamb. *Suètis.* Ita Lambinus; rectè, ut opinor. In libris omnibus tamen: *ſueti.* Gif. Quod tamen rectum puto, & *ſentire* &c. Poëtae ſignificare, ſapere ex aliis, alios ſequi. Præterea poſt *porro*, diſtinctione poſita, planiorem (ut puto) locum reddidi. Hav.

903. *Mollia tum faciunt*] Quinque libr. manuſcript. habent, *Mollia cum faciunt*; vulgati planè mendosè, *Mollia quæ faciunt.* Lamb. *Mollia cum faciunt.* Ita omnes libri veteres, vel: *qum.* Marullus: *quæ.* Lambinus: *tum.* Forte etiam, *confaciunt.* Gif. Male in utraque editione Giſanii, *cum.* eſt enim contra ſententiam. Fab. E Codicibus neſcio quibus *cùm* exhibet *Giſanius*, & conjicit legendum, *confaciunt.* Creech. *Mollia confaciunt* ex Voſſii mente ſcripſit hoc loco Lucretius. At *conficere* apud noſtrum valet interimere. 1002. 1143. 1161. quod huc non quadrat. Preig.

906. *Sed tamen eſto*] Id eſt, ſed tamen demus. Lamb. Aliud v. 12. proponit argumentum: Supponamus Senſilia hæc rerum Principia, quæ *Plato* & *Anaxagoras* ſtatuerunt, ac proinde mollia, æterna eſſe poſſe nec interitui obnoxia, haberi tamen Senſilia non poſſunt, neque ut Partes, quia partes ſeparatæ nòn ſentiunt, neque ut Tota, quia hoc modo eſſent quædam Animalia, ac ideo mortalia, ſeu corruptibilia; quod adverſatur ſuppoſitioni. Creech. Sic lib. iv. verſ. 1165.

Sed tamen eſto jam quantovis oris honore,
Cui Veneris membris vis omnibus exoriatur,
Nempe aliæ quoque ſunt. Preig.

907. *Nempe tamen &c.*] Dilemma eſt hujuſmodi: demus, hæc principia ſenſilia, poſſe eſſe immortalia. ea aut habebunt ſenſum partis, id eſt talem ſenſum habebunt, qualem habent partes: aut erunt putanda ſimilia totis animantibus, id eſt talem ſenſum habebunt, qualem totæ animantes. ſi dicas, partis ſenſum habere: pars à toto ſeparata neque ſentit, neque eſt. verbi gratia, manus ſeparata ab humano corpore non ſentit, eſtque manus καθ' ὁμωνυμίαν, id eſt ex ſimilitudine nominis, ut manus picta.

ſin

Nempe tamen debent aut Senſum partis habere,
Aut ſimilia totis Animalibus eſſe putari.
At nequeant, per ſe Partes ſentire, nec eſſe.
Namque aliûm Senſus membrorum res petit omnis:

Nec

INTERPRETATIO.

nempe debent habere aut ſenſus alicujus unius partis, aut putari ſimilia totis Animalibus: (debent eſſe ipſa Animalia perfecta) At partes Animalis per ſe (ſeparatim) neque exiſtere, neque ſentire poſſunt: Omnis enim pars cæteris membris uniri debet, ut ipſa ſentiat;

VARIÆ LECTIONES.

908. *ſimilia.* ſimiles. C. P. Q1. V, Y. Z. ſimilis Q. *putari.* putarim C. P.
909. *nec eſſe.* nec eſſet C. neceſſeſt E. P. N. Q1. X. Z.
910. *aliûm.* alios A. B. C. D. E. I. N. P. Q1. V. *Gaſſ.* Y. alius Z. *res petit.* Ita A. B. D. I. *Cr. Gaſſ.* reſpuit *Alii. omnis.* Ita *Cr.* Y. Z. omnes *Alii.*

NOTÆ.

ſin erunt ſimilia totis animantibus: ergo erunt mortalia. ſi mortalia: ergo non principia. Lamb.

908. *Aut ſimilia*] Sic legendum, reclamantibus omnibus codicibus, præter Florent. & Venetos recentiores, & Baſilienſeis: quos ſecutus ſum, ut hoc loco emendatiores. eſt autem hîc anapæſtus pro ſpondeo, *lia to*: vel dic, duas breveis pro una longa haberi. Lamb. Sic (*ſimilia*) recte, ut puto, Marullus. Omnes veteres libri: *ſimilis.* Vide & ſupra, hoc libro, 718. Gif.

908. *Putari*] Sic habent codices Veneti antiq. & ita legendum. Lamb. Ita in veteribus noſtris. Gif.

909. *At nequeant per ſe partes, &c,*] Hunc verſum ſic reſtitui, partim ſecutus codices Florent. & Aldin. recentiores, partim conjecturâ ductus; cùm legeretur antea in omnibus libris *ſentire, neceſſe eſt*, planè mendosè. admonitus ſum autem à ſimili loco, qui eſt libr. 3: 632.

---- nec aures
Abſque anima per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe.

Lamb. Vulgo male *neceſſe.* Ita olim. apud Feſtum, in *Nec*, ex *nec eſcit*, depravatum erat *neceſcit.* Gif.

910, *Namque alios ſenſus membrorum res petit omnes:*
Nec manus a nobis potis eſt ſecreta, neque ulla
Corporis omnino ſenſum pars tota tenere.

Ita in Veteribus quibuſdam, eamque ſcripturam & ordinem non vulgati tantum libri, ſed ſententia omnino poſtulat. Eſt enim in hoc verſu ratio præcedentis, nimirum; ex pluribus rem conſiſtentem partibus; earum omnes ſenſus requirere. Atque ita omnes partes inter ſe colligatas eſſe. Gif. *Namque aliûm.* Id eſt, nam pars à toto ſuo ſeparata, aliorum omnium membrorum ſenſus reſpuit. argumentum eſt à partibus, hoc modo: pars à toto ſeparata, aliarum omnium partium ſuarum ſenſus rejicit ac reſpuit. ergo pars ſola, id eſt à toto ſejuncta, totius corporis ſenſum tenere poteſt. Qui hos verſus ordine converſo legunt, nihil vident, qui aliam ſententiam eſſe dicunt, μαίνονται. Lamb. Interpretes diſputant quo modo legendus ſit hic verſus, & quo ordine collocari debeat: *Lambinus*, *Gaſſendus*, *Faber*,

Namque aliûm Senſus membrorum reſpuit omnes,

& v. 912. ſubjungunt: quaſi dixiſſet *Lucretius*: Pars à Toto ſuo ſeparata aliorum membrorum ſenſus reſpuit, ergo pars ſola i. e. Toto ſejuncta Totius Corporis ſenſum tenere non poteſt: Diſplicet hæc interpretatio; ſufficit enim, (Reſpondeant illi qui ſtatuunt Semina ſenſilia) ſi pars ſejuncta ſenſum ſibi peculiarem, licet non totius corporis ſenſum retineat. Legendum autem exiſtimo

Namque aliûm Senſus membrorum res petit omnis:

& v. 909. ſubjungendum: viz. quælibet pars poſtulat

Nec Manus à nobis potis eſt ſecreta, neque ulla
Corporis omnino ſenſum pars ſola tenere.
Linquitur, ut totis Animalibus adſimilentur;
Vitali ut poſſint conſentire undique Senſu.
Qui poterunt igitur rerum primordia dici,
Et lethi vitare vias, Animalia quom ſint,

INTERPRETATIO.

Neque Manus, neque ulla alia pars à Corpore ſeparata poteſt ſenſum retinere: Reſtat igitur, ut hæc Principia Senſilia totis Animalibus adſimilentur (ſint perfecta Animalia) ut ex omni parte vitali ſenſu conſentire poſſint: Quomodo igitur poſſunt dici Rerum Semina, immortalia, &. æterna; cum ſint Animalia,

VARIÆ LECTIONES.

912. *ſola.* ulla Q 1.
913. *animalibus.* animantibus Q 1.

NOTÆ.

ſtulat unionem cum aliis membris, ut ſenſus capax ſit, nam ſine vitali partium conſenſu, ut ſæpe *Lucretius*, nullus eſt omnino ſenſus. Creech.

910. *Omnium*] Sic legendum, non, ut vulgò *omneis*. Lamb.

912. *Corporis*] Quidam veteres: *Corporum*, male. Gif.

915. *Qui poterunt igitur*] Si primordia rerum erunt animalibus ſimilia, atque adeò eadem, & erunt ſenſu prædita, quomodo poterunt dici primordia rerum, & eſſe immortalia, cum ſint animalia. Lamb.

916. *Et leti vitare vias*]. Id eſt, & mortem vitare. eadem tralatione dictum *leti vitare vias*, qua *leti januam animo patere, & non patere, ſeu præcluſam eſſe*, lib. 3: 829. Lamb.

917. *Mortalibus una, eademque*] Ταῦτα τοῖς ζώοις. ſic loquitur lib. 3: 1050.

--- quorum unus Homerus
Sceptra potitus, eadem aliis ſopitus quiete eſt:

& Horat. ad Piſon. 467.

Invitum qui ſervat, idem facit occidenti.

Lamb. Una atque eadem cum animalibus. *Idem facit occidenti.* Horat. ad quem locum exempla congeſſerunt Interpretes. Græce nil frequentius: alibi quoque Lucret. Fab. *Eadem animalibus mortalibus* dixit ut inf. IV. 1168. *eadem turpi.* Preig.

918. *Quod tamen ut poſſint*] Quamvis poſſint vias leti vitare, & immortalia eſſe, non fungentur munere principiorum tamen: neque ex iis quicquam gigni poterit, præter animanteis. Lamb. Sed ponamus ſenſibilia eſſe principia neque tamen corruptibilia, quando ita vis; quid tandem ex illis fieri poterit? nil certe præter animalia; non arbos, non metallum, &c. Fab. Ulterius progreditur v. 5. Quia licet admittantur & quaſi Animalia, & immortalia ſimul, tum nullum Animalium, qualia jam viſuntur gigni poterit, ſui ſcilicet generis, coalitumve in unam ſpeciem: ſed Acervus ſolummodo & congeries variorum Animalculorum. Hæc *Gaſſendus*: Alia *Faber*, ſed pejora: Ponamus Senſibilia eſſe Principia neque tamen corruptibilia, quando ita vis, quid tandem ex illis fieri poterit? Nihil certè præter Animalia, non Arbor, non Metallum, &c. Creech.

920. *Scilicet ut nequeant*] Argumentum à ſimili. Lamb. *Scilicet ut nequeunt homines, &c.* Ita conjectura ductus, ut inf. verſ. 936. Vulgati: *nequeant.* Gif.

921: *Inter ſeſe &c.*] In libris ſequentem verſum hunc:

Sic itidem quæ ſentimus, ſentire neceſſe eſt.

ut abſurdum ſuſtuli. Alium ſuppoſuit Lambinus, hunc

Sic

Atque Animalibus ſint mortalibus una, eademque?
Quod tamen ut poſſint: ab coetu concilioque,
Nil facient, praeter volgum, turbamque Animantum:
Scilicet ut nequeant Homines, Armenta, Feraeque,
Inter ſeſe ullam rem gignere conveniundo
Per Veneris res, extra Homines, Armenta, Ferasque.

Quod

INTERPRETATIO.

imo una eademque cum Animalibus interitui obnoxiis: Concedamus verò hæc Senſilia Semina Animalia poſſe eſſe, & immutabilia; quid cùm conveniant efficerent præter congeriem & acervum Animalium? ut cum Homines, beſtiæ, & feræ coëant, nihil gignere valent præter Homines, Beſtias, & Feras.

VARIÆ LECTIONES.

917. *ſint.* in Y. Abeſt Z.

918. *cœtu.* coitu O. Q. ortu Q1. concretu Q1. eortu Q3. eoretu X. Y. Z.

922. Deeſt A. B. C. E. I. N. P. E. Q. X. Y. Z. Hujus tamen loco ſubſtituitur. *Sic itidem quæ ſunt minimis ſentire neceſſe eſt* C. E. Antiq. Codd. *Pii.* & O. *ſic itidem quæ ſentimus ſentire neceſſe eſt* C. Q. *ſicuti denique ſentimus ſentire neceſſe eſt.* X. Y. Z.

NOTÆ.

Per Veneris res, extra homines; armenta feraſque

Bonum quidem. Sed ego veteres omnes libros ſequor, & ea ſubintelligo ex præcedentibus. Gif.

922. *Conveniendo per Veneris res*] Conveniendo per complexum Venereum, ſententia hujus loci hæc eſt: prima corpora ponantur ſenſilia, & animalia: nihil creabunt per concilium ſuum præter animalia, quemadmodum homines per conjunctionem maris & fœminæ nihil gignunt præter homines, tauri nihil præter tauros, feræ nihil extra feras. hunc verſum, qui deerat, repoſui, in codice typis illo quidem impreſſo, ſed cum manuſcriptis comparato repertum, cùm eſſet adſcriptus ad oram libri: quem Lucretii eſſe planè arbitror. Atque ut hunc reſtitui qui deſiderabatur, ita illum ſuſtuli qui fuerat ineptè ſuppoſitus, ut minimè Lucretianum & ſupervacaneum. nam ſimile quo utitur, refertur ad ea quæ antecedunt. Verſus autem hic eſt:

Sic itidem, quæ ſentimus; ſentire neceſſe eſt.

vel, ut alibi legitur;

Sic itidem quæ ſunt, minimis, ſentire neceſſe eſt.

Cum hæc ſcripſiſſem treis ab hinc annos, ſimiam illam turpiſſimam non puduit ſcribere, ſe hunc verſum ſuſtuliſſe. Lamb. Pro hoc verſu Alii libri exhibent,

Sic itidem quæ ſunt minimis ſentire neceſſe eſt.

in aliis invenies

Sic itidem quæ ſentimus ſentire neceſſe eſt.

è Libro quodam cum MSS. comparato ſubſtituit *Lambinus*

Per Veneris res &c.

rejicit *Giſanius*: nec valdè neceſſarius videtur; quippe auferas illum, valet tamen *Lucretii* argumentum. Creech.

923. *Quod ſi forte ſuum*] Deinde v. 7. ridet illos qui aſſerunt Semina ſenſu quidem prædita eſſe, at non eo qui poſtea in Animalibus apparet, & aliud ſubjicit argumentum illi, quod v. 870. continetur, affine: Ex Ovis naſcuntur Aves, Vermes è putri Terra exiliunt, at Senſilia Ova, aut Glebas viventes quis dixerit? Creech.

924. *Attribui, quod*] In quibuſdam veteribus *id quod.* Gif.

925. *Tum præterea, q. f. antè q. &c.*] Præterea (inquit) quatinus, id eſt quoniam, ex ovis fiunt

pulli

Quòd ſi forte ſuum dimittunt corpore ſenſum,
Atque alium capiunt: quid opus fuit attribui, quod
Detrahitur? Tum praeterea, (quod fugimus ante,)
Quatenus in Pullos animaleis vertier Ova
Cer-

INTERPRETATIO.

Si verò aliquis dicat illa Principia Senſilia proprium ſuum ſenſum deponere, & alium aſſumere, quid illis Seminibus iſtos ſenſus attribuamus, qui nulli uſui inſerviunt, & ſunt iterum deponendi? Præterea (quod ſupra negavimus) cum Ova Avium in Viventes pullos mutari

VARIÆ LECTIONES.

924. *quod.* id quod Y. Z.
925. *Tum.* Dum P. Q. *præterea.* præterea eſt C. P. *fugimus.* figimus *Creech.*

NOTÆ.

pulli, ex glebis exſiſtunt vermes, quod antea fugimus, vs. 896.

Quarum nil rerum in lignis, glebiſque videmus:
& ſuprà, 888.
Nimirum lapides, & ligna, &c.

Fugimus autem, id eſt negavimus, non conceſſimus. Quoniam igitur id fieri videmus: Scire licet gigni poſſe, &c. Verbum *eſt*, quod fuerat inculcatum poſt vocem *præterea*, ſuſtulimus, ſecuti cod. Venetos antiq. & Vicet. & nonnullos manuſcr. Lamb. *Præterea, quod.* Alii *Præterea eſt, quod.* Gif.

25. *Quod fugimus ante*] Negavimus. Vox eſt ex uſu forenſi, uti *defendere* pro affirmare, aſſerere: reſpicit autem locum illum, vs. 896. *Quarum nil rerum in lignis glebiſque videmus.* Fab. *Fugimus* negavimus, non conceſſimus, *Lambinus*: & idem reliqui Interpretes; addit *Faber*: Vox eſt ex uſu forenſi, ubi *Defendere* pro affirmare, aſſumere; Reſpicit autem locum illum,

Quarum nil rerum in ligneis glebiſque videmus:
v. 896. Sed qui locum inſpicit, ſat ſcio, huic obſervationi nequaquam conſentiet. Legendum igitur arbitror *Figimus*, id eſt, Ponimus ſeu probamus: & vox iſta non incommodè reſpiciet v. 870. ubi pars hujus argumenti proponitur. Creech. Nuſquam ita *Figimus* apud Lucret. Lego itaque *vincimus* vel *vicimus*. Vide Ind. in *Vincere* & *pervincere*. Hav.

926. *Quatinus*] Id eſt quoniam: & ita ſæpe alias apud hunc poëtam: itemque apud Horat. Denique docet Feſtus, *quatinus* idem valere quod *quoniam*. Lamb.

927. *Alituum*] Alitum. ſic Virg. lib. 8: 27.
Alituum, pecudumque genus ſopor altus habebat. Lamb.

927. *Vermeiſque effervere, terram*] Ordo verborum hic eſt: & quatinus id eſt quoniam, cernimus vermeis effervere, id eſt exſiſtere, ſubintell. è terra, cùm putror terram cepit ob imbreis intempeſtivos: Scire licet &c. ſed non diſſimulabo, me in libris manuſcriptis reperiſſe ſcriptum,

terram
Intempeſtivus quam putror, &c.

de qua ſcriptura lector quidem judicabit: hoc tamen eum etiam memorem admonebo, *u* pro *o*, & *o* pro *u*, in libris manuſcriptis librariorum culpa ſæpe poſitum reperiri: ut *aduleſcens* pro *adoleſcens*, *epiſtula* pro *epiſtola*: ſic enim ſine dubio ſcribi debet, *adoleſcens* (inquam) & *epiſtola*: & errant qui aliter ſcribunt: *rubuſtis* pro *robuſtis*, *rutondus*, pro *rotundus*, *cibus* pro *cibos*, *cumes* pro *comes*, *&c.* & contrà *aviom* pro *avium*, *ciendom* pro *ciendum*, *ſoboles* pro *ſuboles*: *ſuboles* enim dicendum, non *ſoboles*. Sed ut ad ſcripturam illam antiquam redeam, videtur mihi ſic leviter adjuvanda,

---*Vermeiſque effervere terram*, (ſive *terra*)
Intempeſtivos quam putror cepit ob imbreis.

Lamb. Sic reſtitui ex veteribus libris. Vide Indicem: *Effervere*. Vulgati: *effervere, terram Intempeſtivos cum*, ſeu, ut Lambinus, *quem;* male omnia. Gif.

929. *Ex non ſenſibus ſenſus*] Libri manuſcr. tres habent, *ex non ſenſibus ſenſus.* quam ſcripturam probo. Sed vulgata, *ex non ſenſile*, facilior
&

Cernimus Alituum, Vermeiſque effervere, terram
Intempeſtivos quom putror cepit ob imbreis:
Scire licet gigni poſſe ex non Senſibus Senſus.
Quod ſi forte aliquis dicet, duntaxat oriri

Poſſe

INTERPRETATIO.

cernimus, cum Vermes è Terra erumpere videmus poſtquam intempeſtivo imbre putruerit, inde poſſumus colligere Res Senſiles è Principiis Inſenſilibus componi poſſe. Si tamen aliquis ſubjiciat poſſe quidem Res

VARIÆ LECTIONES.

927. *effervere.* offervere Y. Z.
928. *intempeſtivos.* intempeſtivus Y. Z. *quum.* quem Q. Y. Z.
929. *non Senſibus.* non ſenſile C. E. M. N. P. Q 1.

NOTÆ.

& planior eſt. Lamb. *Ex non ſenſibus ſenſus.* Ita ex veteribus quibuſdam, ut mox : *non ſenſu.* Marullus, & Vulgati : *non ſenſile.* Gif. Υ'φεν ut alibi, id eſt ex inſenſili gigni ſenſile.

Quod ſi forte aliquis dicet, duntaxat oriri
Poſſe ex non ſenſu ſenſus, ſed mobilitate.

Fab.

930. *Quod ſi forte aliquis*] Occupat aliud, quod quis objicere poſſit. Sed priùs quàm hunc locum ſanè quàm difficilem, atque obſcurum, explicare ac declarare coner, non celabo hujus tertiæ editionis lectorem, me in prima editione ſecutum eſſe libros vulgatos, qui ſic habent,

Quòd ſi forte aliquis dicet duntaxat oriri
Poſſe ex non ſenſu ſenſum: ſed mobilitate
Antè aliqua tangi partum, quam proditur extra:

quam ſic explicabam: Si quis forte dicet, (inquit) poſſe ſenſum oriri ex non ſenſu, id eſt ex eo quod ſit ſenſus expers: ſed partum antè quàm prodeat in lucem, mobilitate aliqua, videlicet, quæ inſit in principiis, tangi atque affici, &c. admonuiſſe tamen lectorem, hunc verſum, & alterum, qui deinceps ſequitur, longè aliter ſcriptos eſſe in libris manuſcriptis, nempe hoc modo:

Poſſe ea non ſenſu, ſenſus mutabilitate,
Aut aliquo tanquam partu, quod proditur extra.

Hanc igitur ſcripturam nunc ſequor, rejecta vulgata, ejuſque explicatione, & ſententia. Atque hanc ipſam antiquam ſic explico: Quòd ſi fortè aliquis dicet, ea: puta pullos, vermeis, *ex non ſenſu* (hoc eſt ex inſenſilitate) oriri, per ſenſus mutabilitatem, aut, veluti per aliquem partum, qui proditur extrà; huic reſpondeo, cùm dicimus res oriri ex principiis, non eſſe partum, nec fieri partum, niſi principiis antè congreſſis: nec principia nec omnino quicquam mutari ſine principiorum cœtu & congreſſu. Sed (ut dicam quod ſentio) videtur mihi hæc antiqua ſcriptura non ſatis integra, & hoc modo reconcinnanda:

Quòd ſi fortè aliquis dicet duntaxat oriri
Poſſe ex non ſenſu ſenſum, mutabilitate
Ante aliqua, tanquam partum, quod proditur extra:

vel

Tanquam, partum quom proditur extra,

vel

--- *Quam proditur extra.*

ut ſit hic Lucretii ſenſus: Quod ſi fortè aliquis dicet, duntaxat ſenſum ex eo quod non eſt ſenſus: ſeu quod ſenſu caret, oriri poſſe, per mutabilitatem (principiorum) antegreſſam, quemadmodum partus per quandam mutabilitatem oritur ex inſenſili: huic reſpondeo, non fieri partum, niſi principiis antè conciliatis & coactis, nec quicquam commutari, niſi per congreſſionem primorum corporum, & ipſa prima corpora per ſe eſſe immutabilia. Lamb.

931. *Poſſe ea non ſenſu, ſenſus mutabilitate*] Ita in veteribus libris noſtris. In quibuſdam: *poſſe ex,*

Poſſe ex non-Senſu Senſus, mutabilitate
Ante, aliquo tanquam partu, quàm proditur extra
Huic ſatis illud erit planum facere, atque probare,

Non

INTERPRETATIO.

Senſiles ex Principiis Inſenſibilibus oriri, mutatione aliqua interveniente antequam tota & perfecta res parta producatur; Huic abundè ſatisfaciam, ſi probavero & manifeſtum fecero,

VARIÆ LECTIONES.

931. *ex.* ea A. B. C. E. P. Q 1. *Turneb. Adv.* 5: 26. Y. Z. *ſed in* Z. *corrigitur in* à. *ſenſus mutabilitate.* Ita A. D. P. X. Y. Z. *Gaſſ. Creech.* ſenſus, ſed mobilitate *Alii. Deeſt* ſed B. ſed ſenſus mobilitate C. E. N. *Cod. Pii.* Q 1.

932. *Ante, aliquo tanquam partu.* Aut aliquo tanquam partu A. B. *Gaſſ. Turneb. Adv.* 5: 26. Y. Z. Ante aliqua tangi partum P. *in Not.* Aut aliquam tangi partum *Alii. tanquam.* tangi C. E. N. totum *Creech. proditur.* proditum Y. Z.

NOTÆ.

ex, & *proditum*, ſuadente etiam ſententia, & verſibus ſubſequentibus quibus reſpondetur huic objectioni. Gif.

Ante aliqua tanquam partum, quam proditur extra.

Hæc lectio Lambini eſt. In editione Gifaniana ſecundus & tertius verſus ita leguntur,

Poſſe ea non ſenſu, ſenſus mutabilitate,
Aut aliquo tanquam partu, quod proditur extra.

Eam lectionem non poſſum probare, ita obſcura, intricata & impedita eſt. Suam autem ita interpretatus eſt Lambinus, poſtquam locum hunc ſane quam difficilem & obſcurum ſibi videre profeſſus eſt: *Quod ſi forte aliquis dicet duntaxat oriri poſſe ex non ſenſu ſenſum mutabilitate Ante aliqua, tanquam partum, quod proditur extra: vel, tanquam partum, quom proditur extra, vel, quam proditur extra; ut ſit hic Lucretii ſenſus: Quod ſi forte aliquis dicet, duntaxat ſenſum, ex eo, quod non eſt ſenſus, ſeu quod ſenſu caret, oriri poſſe, per mutabilitatem (principiorum) antegreſſam, quemadmodum partus per quandam mutabilitatem oritur ex inſenſili: huic reſpondeo, non fieri partum, niſi principiis ante conciliatis & coactis, nec quicquam commutari, niſi per congreſſionem primorum corporum: at ipſa prima corpora per ſe immutabilia.* Fab. Duos ſequentes verſus ita legit Gifanius:

Poſſe ea non ſenſu, ſenſus mutabilitate
Aut aliquo tanquam partu, quod proditur extra.

Nardius,

Poſſe ex non ſenſu: ſed ſenſus mobilitate
Ante aliqua tangi partum, quam proditur extra.

Hunc locum difficilem & obſcurum eſſe *Gaſſendus*, *Lambinus*, Omnes fatentur: *Gaſſendo* indice ſenſus videtur eſſe: non benè dici rem ſenſilem ex principio inſenſili gigni, ſi intelligamus illud immutari, & variis immutationibus in ſenſum tandem perfici: ſimileque eſſe, ut dum fœtus initio minimus paulatim grandeſcit, ac paritur magnus. Siquidem, inquit, non unum principium, non ſingula ſeorſim ſumpta mutationis capacia ſunt, ſed natura ſolum concreta ex principiis pluribus, unde & iſta variè diſperſa poſſunt ſenſu deſtitui, & idonea tamen ratione coëuntia contexi in rem ſenſilem: Nec valet fœtus ſimilitudo, quando is quoque ab initio ex multis conſtat partibus, pro quarum ratione eſt magnus, cum ſingulare principium mutationi nulli ſubjaceat. Hæc *Gaſſendus*: Tres diverſas lectiones & interpretationes in Lambino quæras, omnes enim diſplicent: Legendum autem

Quod ſi forte aliquis dicet, duntaxat oriri
Poſſe ex non ſenſu ſenſus mutabilitate
Ante aliqua, totum partum quam proditur extra.

Et

Non fieri partum, niſi concilio ante coacto:
Nec commutari quidquam ſine conciliatu
Primorum, ut nequeunt ullius corporis eſſe

Sen-

INTERPRETATIO.

Huic abunde ſatisfaciam, ſi probavero & manifeſtum fecero, nullam rem generari niſi prius coëant principia. nec aliquid mutari poſſe niſi Semina congregentur, ita ut non poteſt creari

VARIÆ LECTIONES.

935. *commutari.* coagmentari, *vel* commentari *Muretus.* quidquam commutari Q 1.
936. *Primorum.* Principiûm A. B. D. I. L. *Gaſſ. Cr.* Principio C. E. N. P. Q. V. X. Y. Z. *ut.* Deeſt C. E. P. V. Y. Z.

NOTÆ.

Et pro obſcura & difficili plana ſubitò erit & facilis ſententia. Aliquis enim forſan dicat, Principia rerum quidem eſſe Inſenſilia, at vi & virtute rei generantis illa Principia mutari in ſenſilia, & ſenſu gaudere antequam in Animal coaleſcunt: Huic v. 13. *Lucretius* reſpondet, Principia ſeorſim ſumpta mutationis eſſe prorſus incapacia, nec ſenſum alicujus Animalis produci poſſe antequam ipſum Animal perficiatur; quia ſenſus poſtulat eum vitalium motuum conſenſum, quem in rerum principiis, quæ per Aërem, Aquam, Terram, Ignemque (iſtos Philoſophos tangit qui omnia è quatuor Elementis componi docuerunt) diſperſa volitant, fruſtra requiras. CREECH. Omnis tollitur difficultas ſi locus eo modo legatur atque diſtinguatur, prout a nobis editur; nec aliter legi poteſt. Opponit enim mox *mutabilitati* verſ. 935. *nec commutari*, & *τῷ tanquam partu*, illud *non fieri partum* &c. Conſtructio eſt: *ſed mutabilitate, tanquam aliquo partu, ante quam proditur extra.* Ita omnia plana ſunt, nulla fere facta immutatione. HAV.

932. *Proditur*] Foras editur. ſic fere uſurpat lib. 3: 602.

Quid dubitas tandem, quin extra prodita corpus,
Imbecilla foris, in aperto, tegmine demto,
Non modo non omne incolumis durare per ævum, &c. LAMB.

934. *Partum*] Id quod pariter idem lib. 4: 1222.

Semper enim partus duplici de ſemine conſtat.
LAMB.

935. *Commutari*] Commutari in aliam formam aut naturam, ut ovum in pullum, cibum in ſanguinem, aut carnem, inſenſile denique in ſenſile. ſed putant quidam legendum *coagmentari*: ſeu, ut Muretus hoc verbum ſcribendum exiſtimat, *coamentari*, id eſt concreſcere; componi, conflari, conſtitui. quod ſi placebit: fiet *συνίζησις* duarum vocalium, *o* & *a*. ego lectionem receptam retineo. LAMB. *Coagmentari* vel *coamentari*, Muretus: ſed *Commutari* placet, ut & *Principiûm* pro *Primorum* in ſequenti verſu, quanquam *Prima* aliquot locis apud Lucretium pro *Principiis* ſumantur. CREECH.

935. *Sine conciliatu principiûm*] Repoſueram in prima & ſecunda editione, *ſine conciliatu Primorum*, quia recepta & vulgata ſcriptura *ſine conciliatu Principio*, ferri non poterat: *ſine conciliatu* autem *primorum* interpretabar, *ſine congreſſu & cœtu principiorum & corporum primorum.* Nam etiam alibi *prima* poſuit pro *primis corporibus*, ut lib. 2: 713.

Omnis enim longe noſtris a ſenſibus ipſa
Primorum natura jacet.

& lib. 4: 187.

Propterea qui ſunt e primis facta minutis.

Nunc verò, ne longiùs diſcedamus ab auctoritate librorum, aſſentior iis qui legunt *ſine conciliatu Principiûm*, ut *Principiûm* ſit generandi caſus, pro *principiorum.* neque tamen mea conjectura erat tam ſuperbè & contumaciter damnanda. Quis ſcit enim, an ſcriptum ſit à Lucretio *Primorum* potius, quàm *Principiûm?* Sed quid mirum ex immanibus, feris, & barbaris moribus facta & dicta immania ac ſuperba erumpere? LAMB.

936. *Principiûm: ut*] Sic veteres libri, fere. Quidam: *Principio*; male. Lambinus: *Primorum.* Unde iſtud? Vide & ſupra, verſ. 769. GIF.

Senſus ante ipſam genitam naturam Animantis.
Nimirum quia Materies disjecta tenetur
Aëre, Fluminibus, Terris, Flammaque creatis:
Nec congreſſa modo vitaleis convenienti
Contulit inter ſe motus, quibus omnituentes
Accenſi Senſus animantem quamque tuentur.
Praeterea quamvis Animantem grandior ictus,

Quàm

INTERPRETATIO.

Senſus alicujus rei, priuſquam ipſa res ſentiens producatur. Scilicet quoniam Semina Animalium jacent diſperſa in Aëre, Aquis, Terra & Igne, nec modo convenienti unita conſentiunt in illis motus vitales, è quibus oriri ſenſus cujuslibet Animalis ſalutis inſerviunt. Præterea ictus gravior, quàm Animal commodè pati poteſt,

VARIÆ LECTIONES.

937. *Senſus ante ipſam &c.* Senſum ante læſam genitum naturam animantum Q. Senſu ante læſam X. Y.
939. *Flammaque creatis.* terraque creatis Y. terraque creata X. Z.
940. *convenienti.* convenientes C. E. N. P. Q. Y. Z.
941. *omnituentes.* omne tuentes E. P. X. convenienter D. convenientes X.
942. *Accenſi.* Accenſu P. *animantem quamque.* animantem quemque P. X.

NOTÆ.

936. *Primorum*] Malim quod in al. editionibus & lib. MS. *Principiûm*: quanquam *prima* aliquot locis apud Lucretium pro principiis ſumantur. Fab. Imo ſupra quinque priores literas *primorum*, vel in Marg. videtur fuiſſe ſcriptum *principio*. unde Var. Lect. Hav.

939. *Terraque creatis*] Quidam libri habent, *flammaque creatis.* Lamb. *Terraque creata.* Ita veteres libri. In quibuſdam: *creatis.* Marullus & Vulgati: *flamma*; male. Gif. *Terris, flammaque creatis.* Ita in quibuſdam libris legitur, male, inquit Giſanius: Sed ipſe ubi animum occupatum habebat, cum in utraque editione ſcribi voluit, *terris terraque creata*? Nonne ſuccinere licebit, Peſſime? Fab. *Flammaque creatis.* Giſanius, *Terraque creatis*: quaſi Terra creata diverſum aliquod ab ipſa Terra Elementum conſtitueret. Creech.

940. *Convenienti*] Sic legendum, non, ut habent omnes libri vulgati, & veteres, *convenientes.* nam cohæret cum voce *modo*, ut ſit *convenienti modo.* Lamb.

941. *Quibus omnituentes acc. ſ.*] Putaveram olim legendum,

Quibus convenienter, &c.

offenſus ſcriptura vulgata

Quibus convenientes,

& antiqua

Omne tuentes?

ſententia non inepta. nam *convenienter* interpretabar, *accomodate ad vitam.* Nunc Turnebo aſſentior, qui *omnituentes* legit, propiùs accedens ad antiquam ſcripturam. Eſt autem *omnituentes*, nomen junctum ex *omni* & *tuentes*, eadem ratione, qua *omnipotentes*, *frugiferentes*, *omniparentes*, *adituentes*, *bellipotentes*. *armipotentes*, *ſagittipotentes*, *ſapientipotentes*, *pennipotentes*, ac ſimilia. Neque tamen illud *convenienter* adhuc damno. Lamb. *Omnituentes.* Sic veteres libri fere. Lambinus: *convenienter.* In quibusdam libris: *omne tuentes.* Gif. *Omnituentes.* Quippe animantia conſervant. Tertullianus ex hoc loco dixit in lib. de Jejuniis: *Salutem æmulo modo redaccenderet inedia.* Fab.

943. *Accenſi ſenſus*] Sic loquitur infrà eod. lib. 957.

--- leti dominantem in corpore motum
Diſcutere, ac pæne amiſſos accendere ſenſus.

l. 3.

Quàm patitur natura, repente adfligit, & omneis
Corporis, atque animi pergit confundere Senſus.
Diſſolvuntur enim poſiturae Principiorum,
Et penitus motus vitales impediuntur,
Donec Materies omneis concuſſa per artus
Vitaleis Animae nodos è corpore ſolvit,
Diſperſamque foras per caulas ejicit omneis.

Nam

INTERPRETATIO.

iſtud Animal protinus adfligit, & omnes Animi Corporiſque ſenſus (totum ſenſum Animalis) pergit confundere Unio enim Principiorum diſſolvitur, turbatur eorum ordo, motuſque vitales penitùs interrumpuntur, donec per ſingula membra materies concuſſa reſolvit omnia ea vincula quibus Anima unita Corpori continebatur, diſperſamque Animam per omnes meatus è Corpore ejicit:

VARIÆ LECTIONES.

947. *impediuntur.* ingrediuntur D
949. *è.* à N. Q 1. Z.
950. *Diſperſamque.* Adſperſamque Q *caulas.* caveas. Q 1. Y.

NOTÆ.

l. 3: 337.

--- accenſus nobis per viſcera ſenſus.

Lamb. Excitati. Ita Cicero in l. de Oratore, non longe à medio. Sed locus non ſuccurrit. Fab.

943. *Animantem quamque*] Quidam Veteres: *animantum.* Gif.

943. *Præterea quamvis Animantem &c.*] Opus proſequitur, & rurſus v. 10. fidem Experientiæ implorat: quippe vehemens ictus, qui nil aliud agit, quàm ut ſolvat texturam & compages corpuſculorum, e quibus conſtat Animal, omnem ſenſum penitùs deſtruit, torpet Animal, diſſipatur Anima, &, particulis illius per poros & meatus è Corpore ejectis, conſequitur interitus. Creech.

944. *Adfligit*] Ad terram dejicit, ſeu abjicit, προσουδίζει. Horat. ſat. 2. l. 2: 79.

Atque adfligit humo divinæ particulam auræ.

Lamb.

949. *E corpore ſolvit*] Sic habent tres libri manuſcript. alii, *a corpore ſolvit.* quidam docti legendum cenſent, *in corpore.* Lamb.

950. *Per caulas*] *Caulæ à cavo dictæ ſunt* (inquit Feſtus.) *Antiquitus enim ante uſum tectorum oves in antris claudebantur.* per *caulas* igitur *corporis* ſignificat Lucr. parteis cavas & inaneis corporis: quas vulgo *meatus*, ſeu *poros* appellamus. utitur eadem voce lib. 3: 256.

Diſpertitur enim per caulas corporis omneis.

& lib. 4: 624.

--- per caulas omne palati
Diditur.

& lib. 6: 491.

Diſpergunt animas per caulas corporis omneis.

Cum autem hæc fiunt, interit animal. Lamb. Vox Lucretiana, poros & meatus corporis ſignificans. *Cavela* ſeu *cavila*, *fugela*, *fuga.* Fab.

953. *Fit quoque, uti ſol. minus obl.*] Id cùm fit, convaleſcit animal. Lamb. Declarat etiam conſequenter v. 9. ſi ictus fuerit paullò remiſſior poſſe poſt aliquantulam Corpuſculorum exturbationem ſtatus reſtitutionem fieri, quaſi diſpoſitione ad motus vitales dominante adhuc, neque omninò reſoluta: ſic ſopiti excitantur ſenſus, ab ipſo mortis limine redit, & convaleſcit Animal. Hæc omnia, fateor, voluit *Lucretius*, ſed an hi verſus hæc omnia ſatis exprimant, meritò dubium: Tota autem integrior foret ſententia, ſi reducatur verſus 1009. (*Neve putes æterna* lego *interna*) una cum duobus ſequentibus (quos in iſto, in quo nunc leguntur, loco nihil agere demonſtrabo) & verſui 958. ſubjungatur: Hic enim poſitus *Lucretii* mentem explicabit, & vim objectionis

Nam quid praeterea facere ictum poſſe reamur
Oblatum, niſi diſcutere, ac diſſolvere quaeque?
Fit quoque, uti ſoleant minus oblato acriter ictu
Relliquiae motus vitalis vincere ſaepe,
Vincere & ingenteis plagae ſedare tumultus,
Inque ſuos quidquid rurſus revocare meatus,
Et quaſi jam lethi dominantem in corpore motum

Diſ-

INTERPRETATIO.

Quid enim aliud agere Ictum credamus. quàm disjungere & diſcutere? Quin ſæpe accidit, quod impacto minus gravi ictu (qui omnes vitales motus non penitus interrumpit) motus vitales qui ſuperſunt ſuperare poſſent, & ſedare graves iſtas materiæ concuſſiones ab ictu excitatas, ſingulas Materiæ concuſſæ & diſſipatæ partes in ſuas ſedes proprioſque meatus revocare, mortem jam toto Corpore dominantem

VARIÆ LECTIONES.

953. *oblato.* oblata Q I.
954. *Relliquiæ.* Relliqui a. B. I. V. X. Y. *ſæpe.* poſſe D.
956. *quidquid.* quidquam Q.
955. *ingenteis.* ingenitos Z.

NOTÆ.

nis franget, contra quam non ſatis proviſum videtur: Quippe aliquis dicat, ſi ab ictu vehementi Animæ particulæ disjungerentur, nunquam iterum recolligi poſſint, ſed diſperſæ avolarent, & Animal interiret: Ideoque ictus iſte, qui ſenſum interrumpit, aliquid aliud omninò agit, quàm ut particulas Animæ diſcutiat, & disjungat. Reſp. *Lucretius*, licet ea Semina, quæ in rerum ſuperficie ſita ſunt, quolibet ictu disjuncta avolent; illa tamen, quæ in intimis Corporis venis continentur, non tam facilè diſſipari. CREECH.

954. *Relliqui*] Ita reſtitui. In omnibus libris fere: *Relliquæ motus vitales.* Vulgati: *Relliquiæ motus vitalis,* Vide Indicem: *Relliqui.* GIF.

954. *Vincere ſæpe, vincere*] Παλιλλογία. Sic Cic. Arato:

Et matutinis acredula vocibus inſtat,
Vocibus inſtat, & aſſiduas jacit ore querelas.

Idem Lucretius lib. 3. princip.

Omnia ſic itidem depaſcimur aurea dicta:
Aurea, &c.

Idem libr. 5: 299.

Suppeditare novum lumen, tremere ignibus inſtant,
Inſtant, &c.

& Virgil. lib. 9: 412.

--- & amicum Cretea Muſis,
Cretea Muſarum comitem, &c.

Horatius. Od. 11. Epod. 2.

--- amore perculſum gravi,
Amore, qui me præter omneis, &c.

& od. 1: 6: 64.

Ut inquinavit ære tempus aureum,
Ære, dehinc ferro duravit ſæcula.

LAMB.

956. *Quicquid*] Id eſt quicque. ſic lib. 4: 620.

--- ubi quicquid poſſit durare creatum.

eodem lib. 788.

Certum ac diſpoſitum eſt, ubi quicquid creſcat & inſit.

qui verſus libr. 5: 132. Idem lib. 4: 146.

Semper enim ſummum quicquid de rebus abundat.

& lib. 5: 305.

--- & primum quicquid flammaï perdere

ibidem: 1387.

Sic unum quicquid paullatim protrahit ætas
In medium.

& ſupra hoc lib. 482.

Namque in eadem una quojuſquojus brevitate:

nam

Diſcutere, ac poene amiſſos accendere Senſus.
Nam, quare potius lethi jam limine ab ipſo
Ad vitam poſſint conlecta mente reverti,
Quàm quo decurſum prope jam ſiet, ire, & abire?
Praeterea, quoniam dolor eſt ubi Materiaï
Corpora vi quadam per viſcera viva, per artus
Sollicitata ſuis trepidant in ſedibus intus:

In-

INTERPRETATIO.

diſcutere, & ſopitos pene ſenſus excitare. Nam quam ob cauſam (niſi ob eam modò datam) res ad ipſum limen mortis ab ictu impacto deductæ potius ad vitam redirent, quàm ad mortem, adquam pene jam deventum eſt; progrederentur & perirent. Præterea, quoniam Dolor tum oritur, cum Materiæ corpora vi quadam turbata, per viva viſcera & per artus inordinato motu moveantur;

VARIÆ LECTIONES.

959. *ab ipſo.* in ipſo D.
960. *conlecta.* conjecta A. D. C. E. I. N. P. Q. I. V. Y. Z.
961. *ſiet.* ſit, & D.

NOTÆ.

nam *quojuſquojus* poſitum pro *quojuſque*, ſeu *cujuſque.* Plautus Trinummo 4: 2: 39.

Sin unum quicquid ſingillatum & placidè percunctabere, &c.

Idem Amphitr. 2: 1: 51.

Ordine omne, ut quicquid actum eſt, dum apud hoſteis ſedimus,
Ediſſertavit?

M. Tull. lib. 5. Tuſcul. *Ut quicquid objectum eſt, quod modo à natura non ſit alienum, eo contenti non quærunt amplius.* Idem Verr. de ſignis: *Ita odorabantur omnia, ut, ubi quicquid eſſet, aliqua ratione invenirent.* LAMB.

957. *Leti dominantem in corp. m.*] Leti motus, & vitalis motus, pugnant inter ſe. LAMB.

959. *Nam quare potius, &c.*] Nam quæ alia ratio eſſe poteſt, quare reliquiæ motus vitalis ſint victrices, id eſt animal convaleſcat potiùs, quam moriatur, niſi quòd minus acriter ictus oblatus ſit? LAMB. Quæ enim alia cauſa ſit, niſi quam dico? FAB.

959. *Leti jam limine ab ipſo*] Non diſſimile eſt illud Græcorum, ἐπὶ γήραος οὐδῷ, id eſt *in ſenectæ limine* & Herodotus uſurpavit in Thalia, ἐς πτωχίην ἀφίκηται ἐπὶ γήραος οὐδῷ, id eſt, *ad egeſtatem ſeu mendicitatem pervenit, in ſenectutis limine.* Iterum Lucretius libro ſexto: 1155.

Languebat corpus, leti jam limine in ipſo.

eodem libro: 1206.

Et graviter partim metuentes limina leti.

Sic & Catullus ad Manlium:

--- & à mortis limine reſtituam.

Contrà alius quidam poëta,

--- primoque in limine vitæ.

LAMB. Ut *portæ leti*, ἅδου πύλαι. FAB.

960. *Conlecta mente*] Sic legendum, non, ut in vulgatis, *conjectæ*, aut *contecta.* quid ſit autem colligere animum, ſeu mentem, docet M. Tullius libro quarto Tuſcul. quæſt. *Quid eſt ſeipſum colligere, niſi diſſipatas animi partes in ſuum locum cogere?* LAMB. *Conjecta mente.* Ita omnes libri; quod reſpondet *menti disjectæ.* Lambinus tamen: *confectæ.* GIF. *Conjecta* Gifanius & Alii, imperitè. CREECH.

961. *Abire*] Οἴχεσθαι, obire, mori. *abitionem* (inquit Feſtus) *antiqui mortem dicebant.* LAMB. Prorſus perire, interire. unde abire, decedere, οἴχεσθαι, mori, FAB.

962. *Præterea quoniam dolor*]. Probat nunc à voluptate & dolore, prima corpora ſenſus eſſe ex-

 pertia;

Inque locum quando remigrant, fit blanda Voluptas:
Scire licet, nullo Primordia poſſe dolore
Tentari: nullamque voluptatem capere ex ſe:
Quandoquidem non ſunt ex ullis Principiorum
Corporibus, quorum Motus novitate laborent:
Aut aliquem fructum capiant Dulcedinis almae.

Haud

INTERPRETATIO.

& tum voluptas oritur, cùm in proprias ſuas ſedes redeant: exinde apparet Semina ipſa nullo dolore affici poſſe, neque per ſe (ſeparatim) voluptatem percipere: quoniam non conſtant ex aliquibus principiis, quæ novis (inordinatis & inuſitatis) motibus agitari poſſint, aut aliquem fructum gratæ voluptatis perciperent.

VARIÆ LECTIONES.

968. *ex ullis.* ex illis A. B. P.

NOTÆ.

pertia, hoc modo: Si principia ſentirent, & voluptate afficerentur, & dolore. nam quicquid ſentitur, aut jucundum eſt, aut moleſtum. at principia neque voluptate, neque dolore afficiuntur, ergo non ſentiunt. Voluptatem autem ſic quidam definiunt, motum naturæ conſentaneum: dolorem, motum præter naturam. LAMB. Ratio aliter proponi poteſt: Quidquid ſimplex eſt, id gaudii & doloris expers eſt: ergo & inſenſile erit, quod tale erit; ſunt autem primordia ultimæ ſimplicitatis; ergo, &c. FAB. Deinde v. 10. probat Semina Voluptatis & Doloris, atque ideo omnis ſenſus expertia; quippe Dolor oritur ex Principiorum exturbatione ab eo, quo ſunt, ſtatu, ita & Voluptas à reſtitutione in eundem ſtatum; At Rerum principia ſunt ſimplicia, nec eorum partes ab eo, in quo ſunt, ſtatu exturbari poſſunt, nec in eundem iterum reſtitui. CREECH.

964. *Sollicitata*] Feſtus: *Sollicitare eſt loco movere, ſolum autem quin ſignificet locum, quis dubitet, cum exſules dicantur loco patriæ ſuæ pulſi?* auctor vocabularii Latinogræci manuſcr. *Sollicitat*, inquit, ἀνασείει. LAMB. Concuſſa. *Trepidant* autem *moventur.* Virgilius crebro, idque ubi nullus formidini locus eſt. Itaque ſæpenumero & *feſtinare* ſignificat. FAB.

968. *Ex ullis*] Giſanius *ex illis.* Et docet *Motus* in ſequenti verſus non voci Κίνησις, ut *Lambinus* voluit, ſed voci Κινήσεως reſpondere. CREECH.

969. *Quorum motus novitate*] *Motus* patrii caſus eſt, ut ſit hæc hujus loci ſententia: principia neque dolore tentantur, neque voluptate afficiuntur, qui non conſtant ex aliis principiis, propter quorum motionis novitatem, ſeu quorum motu novato laborent, &c. LAMB. *Motus.* Κινήσεως. GIF.

672. *Denique uti poſſint, &c.*] Hoc ſentit Lucretius: denique ſi ad id, ut animalia quæque ſentire poſſint, neceſſe eſt principia quoque ea ex quibus illa conſtant, ſenſu eſſe prædita, ſequentur hæc abſurda: dicendum erit ſcilicet, ea principia, ex quibus genus humanum propriè conflatum eſt, ridere, flere, de natura rerum diſputare, & ex quibus ipſa principiis conſtent, quærere, uſque ad infinitum. quæ cùm ſint abſurda & delira, illud ex quo hæc ſequuntur, falſum eſt. LAMB. Tandem ad abſurda adigit Adverſarios, v. 18. quippe ſi debeant res, ſenſiles cùm ſint, gigni ex ſenſilibus, hoc eſt ſimiles ex ſimilibus, neceſſe eſt ergo Hominem v. g. conſtare ex Principiis quæ ipſa rideant, plorent, ratiocinentur, de miſtura rerum, deque ſe ipſis differant, requirantque e quibus principiis conſtent: nam ridet, plorat, & ratiocinatur Homo: ſi vero Res ridens, plorans, & ſapiens è Principiis neque ridentibus neque plorantibus, neque ſapientibus componi poſſit, cur non res ſenſilis è Principiis prorſus inſenſilibus? Aliud inſuper premit abſurdum, nam ſi Res ridentes plorantes &c. è Seminibus ridentibus, plorantibus &c. conſtituas, iſta etiam Semina ex aliis

Haud igitur debent eſſe ullo praedita ſenſu.
Denique, uti poſſint ſentire Animalia quaeque,
Principiis ſi etiam eſt Senſus tribuendus eorum:
Quid? genus humanum propritim è quibus aptum eſt?
Scilicet & riſu tremulo concuſſa cachinnant,
Et lacrymis ſpargunt rorantibus ora, genaſque,

Mul-

INTERPRETATIO.

Ideoque concludimus Semina omnis Senſus eſſe penitus expertia. Denique ſi, ut Animalia fiant ſenſilia, Seminibus eorum Animalium ſenſus attribuendus eſt, de quibus, ſcire velim, principiis eſt genus Humanum compoſitum? Scilicet concuſſa riſu tremulo cachinnant, lachrymiſque rorantibus ora & genas ſpargunt, (ridentia ſunt, & flentia Semina)

VARIÆ LECTIONES.

973. *etiam.* jam C. E. N. P. V. Y. Z.

974. *è.* de *Alii. aptum eſt.* auctum eſt A. B. C. D. I. E. N. P. Q. 1. X. Y. Z. actum *Nonius.* factum L.

NOTÆ.

liis ſimilibus componi debent, inde proceſſus in Infinitum, nec ullus foret terminus ubi conſiſtere valeas. Creech.

973. *Si etiam*] Alii *Si jam.* Pro *Factum* v. 974. & *Factus* v. 985. Gitanius legit *Auctum* & *Auctus:* pro *Miſtura* v. 977. Gaſſendus *Natura.* Creech.

974. *Propriatim*] Propriè. Sic autem legendum eſſe ex Arnobio conjeci, ſeu potiùs didici. Nam libri & manuſcript. & vulgati habent, *propritim*, & ita profert Nonius, ſi hoc loco eſt emendatus. Sic autem Arnobius libro 3. adverſ. gent. *Uſque adeo res exigit propriatim Deos ſcire, nec ambigere de uniuscujuſque vi & nomine, ut, ſi alienis ritibus & appellationibus fuerint invocati, & aureis habeant ſtructas, & piaculis nos teneant inexpiabilibus obligatos.* malim tamen ut ingenuè fatear, legi *proprietim.* Lamb.

974. *De quibus factum eſt*] Omnes quidem libri habent, *de quibus auctum eſt:* ſed ego legendum puto, *de quibus factum eſt:* præſertim cùm apud Nonium legatur, *de quibus actum eſt.* ordo autem eſt: quid ea primordia, de quibus genus humanum propriè factum eſt? ſcilicet & cachinnant, & flent. ſic infrà legendum, *non ex ridentibus factus*, quemadmodum excudendum curavi. Primùm enim Latinè dici non poteſt *auctus de re*, aut *ex re aliqua*, ſed *auctus re aliqua.* nam *auctus* caſum ſeptimum ſine præpoſitione poſtulat. deinde aliud eſt *auctus re aliqua*, aliud *factus de re*, aut *ex re aliqua.* Hoc qui neſcit, fateatur ſe hoſpitem eſſe in lingua Latina. Lamb. *Propritim de quibus auctum eſt.* Ita omnes libri. In Nonio eſt *actum*; male. Sic ſæpe in *actum*, & *auctum*, *actor* & *auctor* variatum, & peccatum ſcimus. Lambinus: *factum eſt.* In Veteribus quibuſdam: *proprietim.* Gif. Conf. Indicem, & 3: 851. & fateberis veram & hic & vſ. 985. meam eſſe emendationem. Hav.

977. *De rerum miſtura*] Quidam docti legendum cenſcent *natura.* Lamb. De concretis, περὶ τῆς συγκρίσεως materiæ Phyſicæ. Fab.

978. *Proporro*] Longiùs, ulterius. Lamb. Facere: Ipſa ſcilicet primordia ſecum aliquando diſputant, quænam ſui primordia ſint. Fab.

979. *Totis mortalibus*] *Totus Animalibus:* Gaſſendus. Creech.

979. *Adſimulata*] Aliàs *adſimilata:* quod idem valet. Lamb.

980. *Debent*] Ex poſitionibus aliorum Philoſophorum, non autem ex Epicuri aſſertionibus. Fab.

981. *Conſiſtere ut auſis*] Duo libri manuſcripti habent, *audeas*: quod iccirco notavi, ut admoneam lectorem, hoc *audeas* fuiſſe primùm interpretationem ſeu declarationem vocis *auſis*: deinde ab imperito librario, rejecta vera ſcriptura, in contextum tranſlatum, cùm putaret *auſis* eſſe corrup-

Multaque de rerum miſtura dicere callent,
Et ſibi proporro quæ ſint primordia quaerunt.
  Quandoquidem totis mortalibus adſimulata
Ipſa quoque ex aliis debent conſtare elementis;
Inde alia ex aliis, nuſquam conſiſtere ut auſis.
Quippe ſequar, quodcunque Loqui, Ridereque dices,
Et Sapere, ex aliis eadem haec facientibus, ut ſit.
Quòd ſi delira haec, furioſaque cernimus eſſe:
Et ridere poteſt ex non ridentibus aptus,
Et ſapere, & doctis rationem reddere dictis,

Non

INTERPRETATIO.

& peritè etiam diſputare poſſunt de rerum compoſitione & miſtura, & aliquando ſollicitè quærere è quibus ipſa conſtant principiis: quandoquidem ipſa Semina totis Hominibus ſimilia debent ex aliis Seminibus componi, & illa Alia ex aliis, ita ut nunquam poſſis conſiſtere, ſed in infinitum progrediaris. Inſequar enim, & quodcunque dices loqui, ridere & ſapere, poſtulabo ut componatur ex aliis (ridentibus, loquentibus, ſapientibus,) hæc eadem facientibus. Si verò hæc omnia ridicula & abſurda videantur eſſe, & res facta ex Seminibus non ridentibus ridere poteſt, & ſapere, & de rerum cauſis doctè & peritè diſputare,

VARIÆ LECTIONES.

977. *miſtura.* natura *Gaſſ.*
978. *ſint.* ſunt Z.
979. *mortalibus.* animalibus *Gaſſ. adſimulata.* aſſimilata Q 1.
981. *alia.* ali Z. alii Q 1 alid Q 2
982. *dices.* duces A. marg. C. O. P.
983. *ſit.* ſint Q 1.
984. *delira.* det ira Y. Z.
985. *ex non.* non ex Z. *aptus.* auctus A. B. C. D. E. N. P. Y. Z. factus L. vid. ad vſ. 974. auctum *reponi velit* P. *in not.*

NOTÆ.

ruptum & mendoſum: *audeas* eſſe verum & germanum. Lamb. Quidam libri: *audeas.* Non male. Vide lib. 1. verſ. 233. Gif.

982. *Quippe ſequar*] Quippe te perſequar, atque urgebo, ut, quodcunque dices ridere, & loqui, & ſapere, fatearis, velis nolis, ex aliis hæc eadem facientibus, id eſt ridentibus, & loquentibus, & ſapientibus conſtare. Lamb.

985. *Non ex ridentibus auctus*] Ita Veteres. Lambinus: *factus*; male. Gif.

986. *Et doctis rat. r. dictis*] Doctis dictis. ſic libr. 5: 114.

Multa tibi expediam doctis ſolatia dictis.

Sic Plautus Trinummo 2: 2: 99.

Multa ego poſſum docta dicta, & quamvis facundè loqui
Hiſtoriam veterem. &c.

Lamb. Horat. Epiſt. 1: 4: 8.

Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Quam ſapere, & fari poſſit quæ ſentiat.

Hav.

987. *Non ex ſeminibus*] Repente ἀπὸ κοινοῦ *factus*, ut ſit *non factus ex ſeminibus ſapientibus. auctus* autem, quod eſt in libris ferè omnibus, ferri non poteſt: & qui hoc probat, illud improbat; barbarus eſt. Lamb.

990.

Non ex Seminibus ſapientibus, atque diſertis:
Quî minus eſſe queant ea, quae Sentire videmus
Seminibus permiſta carentibus undique Senſu?
Denique coeleſti ſumus omnes ſemine oriundi:
Omnibus ille idem Pater eſt, unde alma liquenteis
Humorum guttas Mater quom Terra recepit,
Foeta parit nitidas fruges, arbuſtaque laeta,
Et genus humanum, parit omnia ſaecla ferarum,
Pabula quom praebet, quibus omnes corpora paſcunt,
Et dulcem ducunt vitam, prolemque propagant.

Qua-

INTERPRETATIO.

licet è Principiis ſapientibus & diſertis non ſit compoſita, quam ob cauſam non poſſunt illa quæ ſenſilia videmus è Seminibus prorſus inſenſilibus componi? Denique omnes orti ſumus ſemine Cœleſti, unus idemque Pater eſt omnibus, è quo cum fertilis Terra Mater defluentes Humoris guttas recepit, quaſi gravida facta parit nitidas fruges, arbuſta læta, genus Humanum, & omnia genera ferarum, cùm ſubminiſtret alimenta quibus omnes Corpora ſua paſcunt, ſuavem vitam ſuſtentant, & propagant prolem,

VARIÆ LECTIONES.

990. *ſemine.* ſtirpe *quidam.*
992. *Humorum.* Humoris Y. Z.
994. *&* (ante *parit*) *Alii* ponunt, ſed deeſt A. B. C. N. P. Q. Y. Z.

NOTÆ.

990. *Denique cæleſti*] Profert hos verſus Lactantius, ſeu (ut alii malunt) Lutatius Firmian. lib. 6. de vero cultu: *Itaque non errat Lucretius cùm dicit. Denique &c.* ſic Virgil. libr. 4. Georg. 221.

---- Deum namque ire per omneis
Terraſque, tractuſque maris, cælumque profundum:
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum.

idem lib. 6. Æneid. 730.

Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo.

& Homerus paſſim de Iove:

--- --- Πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Lamb. Longam de ortu Rei ſenſilis diſputationem v. 32. egregiè concludit; colligit enim argumenta antehac deducta, fortiùs urget collecta, & deinde totam ſententiam de ortu Senſus explicat: Cùm Terra imbres ex Æthere deſcendentes receperit, fertilis fit, parit ſegetes, gramina, & fructus quibus Homines & Beſtiæ, Res Senſiles, nutriuntur. At Pater ille Æther Inſenſilis, Imbres etiam deſcendentes, Telluſque Mater non magis Senſilis: Diſſoluta denique Animalia partim in Æthera avolant, partim in Terram, Res prorſus Inſenſiles, relabuntur: Sic Particulæ modo nullo Senſu præditæ, alio modo, alioque ordine diſpoſitæ, Senſiles evadunt. Res etiam Senſiles mutato ordine & diſpoſitione Seminum torpeſcunt, & omnem ſentiendi vim amittunt. Creech.

990. *Semine oriundi*] In voce *oriundi*, *i* & *u* unam ſyllabam efficiunt, ſeu potius *i* liqueſcit quanquam nonnulli libri habent *ſtirpe oriundi.* quæ ſcriptura ſi cui placebit, equidem non repugnabo; verumtamen ſuſpicor eſſe ſuppoſitam. Lamb. *Semine. Stirpe,* quidam libri; quod παρεμβέβληται. Gif.

991. *Unde alma liquenteis*] Unde, à quo Iove.

Quapropter merito Maternum nomen adepta eſt.
Cedit item retro de Terra quod fuit ante,
In Terras: & quod miſſum eſt ex Ætheris oris,
Id rurſum Coeli rellatum templa receptant:
Nec ſic interimit mors res, ut Materiai
Corpora conficiat, ſed coetum diſſupat ollis:
Inde aliis aliud conjungit, & efficit, omnes

Res

INTERPRETATIO.

quas ob cauſas jure Matris nomen conſecuta eſt. Item quod olim ſumptum erat de Terra, id in terras recidit, quod de Cœlo demiſſum eſt, illud remiſſum Cœli recipiunt; Neque Mors ita deſtruit res creatas, ut perimat ipſa rerum Semina; ſed tantum illorum unionem diſſipet & diſſolvat: Inde aliis aliud conjungit, & facit ut res

VARIÆ LECTIONES.

1003. *conjungit.* contingit c. P.

NOTÆ.

Virg. Georg. 2: 325.

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omneis
Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus.

Lamb.

997. *Quapropter meritò maternum*] Sic ſup. 598.

Quare magna Deûm mater, materque ferarum,
Et noſtri genitrix hæc dicta eſt corporis una. Lamb.

999. *Et quod miſſ. eſt ex æth. or.*] M. Tullius in Catone majore: *Atque etiam cùm hominis natura morte diſſolvitur, ceterarum rerum perſpicuum eſt quò quæque diſcedat, abeunt enim illuc omnia, unde orta ſunt, animus autem ſolus, nec cùm diſcedit, apparet.* Lamb.

1000. *Id rurſum cœli rellatum templa receptant.*] Hi verſus ex Epicharmo expreſſi ſunt. Ille de morte neſcio cujus loquens ſic ſcripſit: Συνεκρίθη καὶ διεκρίθη, καὶ ἀπῆλθεν (lege ἀπῆνθεν, nam Dorico ſermone utebatur) ὅθεν ἦλθε, πάλιν· γᾶ μὲν ἐς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω. τί τῶνδε χαλεπὸν; οὐδὲ ἕν. Id eſt, *Concreverat & diſſolutus eſt; eòque unde prius venerat, remeavit; terra quidem in terram, ſpiritus autem ſurſum. quid in ea re tantopere moleſtum eſt? Nihil.* Ex eodem fonte Euripides hauſerat quæ lecturus es:

Ὅθεν δ' ἕκαςος ἐς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,
Ἐνταῦθ' ἀπῆλθε· πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' ἐς γῆν.

Id eſt,

Unde quiſque in corpus venit,
Eo etiam abit. animus quidem in templa cœli,
Corpus in terram cedit.

Verſus Lucretianos Virgilius more ſuo, &c. Ceterum qui hunc locum contra poſitionem Lucretii de immortalitate animorum interpretantur, quam prudenter faciant, ipſi viderint. Sint enim animi noſtri ex materia ætheris, ſint ex igni; naturæ certe corporeæ erunt; unde eadem cum Lucretio ſentirent. Sed æther, ſed cœli templa, ſplendida res ſcilicet; idque illi generi ſatis. Fab.

1006. *Noſcas referre, &c.*] Sic ſup. 882.

Jamne vides igitur, magni primordia rerum
Referre in quali ſint ordine quæque locata?

hæc cum ſuperioribus conjungas licet: licet & ſeparatim legas, quod tamen malo. Lamb. Veteres quidam codices, non male: *earum.* Gif.

1009. *Neve putes*] Sic habent libri vulgati,

Neve putes æterna parum reſ. pot.

quam lectionem initio eram ſecutus: eamque ſic explicabam, docens, hæc eſſe conjungenda cum iis.

Res ut convertant formas, mutentque colores,
Et capiant Senſus, & puncto tempore reddant:
Ut noſcas referre, eadem Primordia rerum
Cum quibus, & quali poſitura contineantur,
Et quos inter ſe dent motus, accipiantque:
(Neve putes aeterna penes reſidere poteſſe
Corpora prima, quòd in ſummis fluitare videmus

Re-

INTERPRETATIO.

cunctæ formas ſuas mutent, & conditionem varient, ut accipiant ſenſus, (fiant ſenſiles). & momento temporis iterum ſenſu expertes fiant: ut inde dignoſcas intereſſe, cum quibus, & quali ordine eadem rerum Semina conjungantur, & quos inter ſe communicent motus, & viciſſim accipiant. (Nec credas rerum Semina ideo minus æterna eſſe, quia illa videmus in ſummis rebus fluitare,

VARIÆ LECTIONES.

1004. *ut.* Ita Q1. Y. Z.
1005. *tempore.* temporis E. D. N. P. *in not.*
1009. 1010. 1011. Rejiciendos cenſet L. ſubjungendos 958. pronunciat Cr.
1009. *æterna penes.* interna minus *vel* parum Cr. *penes.* parum M. C. D. E. *Priſci codd. Pii.*

NOTÆ.

iis quæ antecedunt, *Ut noſcas referre*, &c. *Neve putes*, &c. id eſt, vel, ut ne putes, quia corpora prima perpetuò jactari & fluitare videmus in extremitate rerum naturalium, & interdum videntur naſci, ſubitòque interire: (Nam re vera neque oriuntur, neque intereunt) ut ne igitur iccirco putes æterna eſſe non poſſe, &c. Nunc autem profiteor, ac teſtor, (quod in prima quidem editione fugit me lectori indicare, in ſecunda verò non neglexi, cùm præſertim etiam Turnebus noſter me admonuiſſet) me in omnibus libris manuſcr. reperiſſe ſcriptum,

Neve putes æterna penes reſidere, &c.

Atque hanc ſcripturam nunc ſecutus ſum: quam quidam ſic interpretantur, Neve putes corpora prima poſſe reſidere penes profundum immenſum: nulla, aut certè abſurda (ut mihi quidem videtur) ſententia. Omnino hoc *penes* ſic poſitum, quid ſibi velit, aut quò pertineat, non eſt facile mihi quidem exponere. Turnebus Adverſ. lib. 5. c. 26. *penes æterna reſidere*, ſic explicat, *in æternis textis remanere*. Ego mallem ſic: neve putes corpora prima reſidere poſſe penes æternitatem omni motu privata. Putavi aliquando legendum *minus* pro *penes*: deinde ſtatim venit in mentem, *reſidere æterna*, pro *remanere*, ſeu *manere æterna*, genus eſſe loquendi non ſatis Latinis uſitatum. Quare tutius eſſe ſcripturam antiquam, integram atque intactam retinere, etiamſi ejus ſententia obſcura ſit. Dicam tamen, quod ſentio, liberè, his tribus verſib. ſublatis, *Neve putes*, &c. *Corporis prima* &c. *Rebus*: & *interdum*, &c. nihil de hujus loci ſententia deperiturum: quin etiam eorum interpoſitu ſententiam totam obſcurari & corrumpi. Lamb. *Neve putes æterna penes*, &c. Ita omnes veteres libri. Marullus: *parum*, & ita Vulgati, ac Lambinus: male. *Reſidere penes æterna* (quod *profundum* alibi vocat) &, *in rerum aſpectu ac facie exſtare*, oppoſuiſſe videtur Poëta. Gif. Locus omnino difficilis. Turnebus *penes æterna* ſumit pro æternis textis, quod mihi nimis Stoicum, nimis μετέωρον & metaphyſicum videtur, quam

ut

Rebus, & interdùm naſci, ſubitoque perire:)
Quin etiam refert noſtris in Verſibus ipſis,
Cum quibus, & quali ſint ordine quaeque locata.
Namque eadem Coelum, Mare, Terras, Flumina, Solem
Signi-

INTERPRETATIO.

modò naſci & modò interire.) Quin in ipſis noſtris verſibus intereſt cum quibus, & quali ordine ſingulæ literæ conjectæ ſunt, eædem enim literæ componunt voces, quæ ſignificant Cœlum, Mare, Terras, Flumina, Solem,

VARIÆ LECTIONES.

1012. *Quin.* Quando Q. X. *ut & inf.* 1025. *refert noſtris.* Tranſponit Z.

NOTÆ.

ut ità ſentire Lucretium exiſtimem. Lambinus olim exiſtimavit pro *penes* legendum *minus*, quod mihi in mentem etiam venerat, priuſquam ipſius commentarios legiſſem. (Ita certe ratio poſtulat,) ſed quia duriuſculum ei videtur *corpora prima reſident æterna*, ideo alio confugit, ut dicat hos tres verſus, qui tamen mihi magnopere Lucretiani videntur, tolli poſſe; Vel ita explicandum τὸ *reſidere*, ut privationem ab omni motu ſignificet; & *penes æterna* poſitum fuerit pro *penes æternitatem.* Sed eam quoque ſententiam ipſemet Lambinus ſibi non ſatis probari ibidem oſtendit; & merito quidem. Giſanius ita ſcribit: *Ita o. v. l. Marull.* parum, *& ita vulg. ac Lamb. male. reſidere penes æterna (quod profundum alibi vocat) &, in rerum adſpectu ac facie exſtare, oppoſuiſſe videtur poëta.* Ex quibus liquido cuivis conſtare poſſit, vim ſententiæ nulla omnino ratione aſſecutum eum eſſe. Sed ubi illud tandem apud Lucretium, ut *profundum* pro *æternis* ſumatur? quærat modo. Nam nos τὸ *profundum* in hoc ipſo libro pro *infinito* ſumi ſcimus. Dein, quis dubitet omnia corpora, non modo ſimplicia, ſed & concreta, eſſe in infinito? ubi enim eſſe queant, niſi in infinito, haud ſane video. De Latinitate nil dicam, quippe qui legi ſciam apud Tertullianum *penes* pro *in. Infantes*, inquit, *penes Africam Saturno immolabantur palam uſque ad*, &c. In Apologetico c.90. Sed miſſa hæc facio; neque enim id agitur utrum res ſint *in profundo*, ſeu *penes æterna*, quod nihil eſt; ſed hoc Lucretius ait, corpora quæ in concretis perire videntur, non perire tamen, neque ideo *minus æterna eſſe.* quod videre debuerat Giſanius. Itaque ut ingenue dicam quod ſentio, pro *penes* legendum neceſſario arbitror *minus* aut *parum*, ut in vulgatis. Denique etſi nullum exemplum proferri poſſit, in quo *reſidere* poſitum fuerit pro *eſſe*, non continuo ſequitur errare illum qui ita exiſtimet. Certe Lucretius *manere* plurimis locis uſurpavit pro *eſſe* ſimpliciter. At ni frequentia exemplorum probaſſet, ea de re dubitaremus. Sed ut res tota qua de agitur perſpicue magis appareat, paucula quædam addi neceſſe eſt: Vult probare Lucretius mortem ipſam nil prorſum in corporibus primordialibus ad nihilum redigere; ſed ab ea ſitum modò, figuram &. alia id genus mutari. *Nec ſic interimit mors res, ut materiai corpora conficiat*, inquit, id eſt, deſtruat, conſumat: *ſed* tantum *cœtum diſſipat: Inde* (id eſt, ex iis corporibus) *aliud aliis conjungit, & efficit, omnes res ut convertant formas* ſuas, *& capiant ſenſus* (animentur) *& puncto tempore reddant* (id eſt moriantur, nam hæc ad animalia præſertim pertinent) *ut noſcas plurimi referre*, &c. *Et ne putes prima corpora ideo minus æterna eſſe, quod illa in concretis fluctuare videntur, modo naſci, modo interire*; qui enim naſci illa & interire putant, falluntur. Nam ex oculis noſtris ſubducuntur per interitum συγκριμάτων, ſed non pereunt; quippe ad cetera primordia reducuntur, ſeu *ad ſua ſæcla*, ut mox loquitur, *recedunt*, donec motu ſibi ingenito in cœtus novos redeant, *&c. Quod dixi autem de poſitura & collocatione, poteſt id, à ſimili, ex literarum elementis probari*, &c. An itaque nunc, Lector, tres illos verſus tollendos eſſe putabis? Fab. Lambinus in omnibus libris invenit
ſcri-

Significant: eadem Fruges, Arbuſta, Animanteis:
Si non omnia ſint, at multo maxima pars eſt
Conſimilis: verùm Poſitura diſcrepitant haec.
Sic ipſis in rebus item jam Materiaï

Inter-

INTERPRETATIO.

Fruges, Arbuſta, Animalia: Si omnes non ſunt eædem Literæ, at multò maxima pars eadem eſt, verum diverſo ordine junguntur, & inde oritur vocum diverſitas. Similiter in ipſis rebus fit, cùm Seminum

VARIÆ LECTIONES.

1017. *hæc.* res A, B. C. D. E. I. N. P. V. X. Y. Z.
1018. *item.* ita Q.

NOTÆ.

ſcriptum, *Neve putes æterna penes &c.* Atque hanc ſcripturam Quidam interpretatur: *Neve putes Corpora prima poſſe reſidere penes profundum immenſum*: nulla, aut certè abſurda ſententia. Turnebus *penes æterna reſidere* ſic explicat, *in æternis textis remanere.* Lambinus *Neve putes Corpora prima reſidere poſſe penes æternitatem omni motu privata.* Idem aliquando putavit legendum *minus* pro *penes*: & tandem conjectando feſſus verſum hunc cum duobus ſequentibus rejicit: *Æterna penes*, in ipſis Penetralibus *Palmerius*; Neſcio quis dicit hic nihil ſollicitandum, *Penes* id eſt *penes nos*, & *minùs* ſubintelligitur. In his verſibus explicandis multus eſt Faber, aliorum ſententias rejicit, ſuamque his verbis exhibet. Locus omnino difficilis &c. Hæc *Faber* verſibus immeritis nimis fāvens. Lego autem,

Neve putes interna minus &c.

& v. 958. ſubjungo: placet iſta conjectura, & ſcio alios Interpretes nihil melius protuliſſe. CREECH. Neque mihi diſplicet, multa enim in MSS. Lucretii loco ſuo ſæpius mota ſunt. HAV.

1010. *Fluitare*] Jactari, vel exſtare, ἐπιπολάζειν. LAMB.

1012. *Quinetiam*] Probat à ſimili, non ideo minùs æterna eſſe principia rerum, quod modò conjungantur & conſocientur, modò diſſipentur & jactentur; & ex iiſdem principiis nunc hoc, nunc illud gignatur: cùm eorum ordo mutetur duntaxat, & poſitura, & motus & ſimilia. LAMB.

1012. *Quæque*] Elementa litterarum. LAMB.

1014. *Namque eadem*] Viginti tria elementa litterarum. LAMB.

1016. *Si non omnia ſint*] Si non omnia litterarum elementa ſint conſimilia. LAMB.

1017. *Diſcrepitant hæc*] Lego *diſcrepitant hæc*, non *diſcrepitant res*, ut eſt in libris vulgatis. non enim loquitur de rebus, ſed de elementis & nominibus, quæ ex litteris conſtant. LAMB. Literarum elementa. al. *res.* male. Hanc emendationem Lambini judicio debemus. FAB. & CREECH. Forſan *diſcrepitantes*, ut mutetur genus; licet modo *omnia* dixerit. HAV.

1022. *Nunc animum*] Nunc aggrediens ad probandum, non unum eſſe mundum, ſed innumerabileis, quia hæc ſententia abhorret ab opinionibus & ſenſibus hominum, utitur προνοησεργασίᾳ ſeu προθεραπεύσει, id eſt præmunitione, & animorum præparatione hujuſmodi: nihil eſſe tam facile & credibile, quin id initiò difficile ad credendum videatur: nihil contrà tam admirabile & incredibile primùm, quod non paullatim deſinant homines mirari. Reddit auditorem, ſeu potius lectorem attentum, cùm ſe de rebus novis & magnis pollicetur eſſe dicturum. Hac de re ſic Diog. Laërtius: Ἀλλὰ μὴν καὶ κόσμοι ἄπειροί εἰσιν, εἴθ᾽ ὅμοιοι τούτῳ, εἴτ᾽ ἀνόμοιοι. αἵτε γὰρ ἄτομοι ἄπειροι οὖσαι, ὡς ἄρτι ἀπεδείχθη, φέρονται καὶ πορρωτάτω. οὐ γὰρ κατηνάλωνται αἱ τοιαῦται ἄτομοι, ἐξ ὧν ἂν γένοιτο κόσμος, ἢ ὑφ᾽ ὧν ἂν ποιηθείη, οὔτ᾽ εἰς ἕνα, οὔτ᾽ εἰς πεπερασμένους, οὔτε ὅσοι τοιοῦτοι, οὔτε ὅσοι διάφοροι τούτοις. ὥστε οὐδὲν ἐμποδίζον ἐστὶ πρὸς τὴν ἀπειρίαν τῶν τοιούτων κόσμων. id eſt, *Porrò autem etiam mundi ſunt innumerabiles, ſive huic ſimiles,*

ſive

Intervalla, Viae, Connexus, pondera, Plagae,
Concurſus, Motus, Ordo, Poſitura, Figurae
Quom permutantur, mutari Res quoque debent.
Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem.
Nam tibi vehementer nova res molitur ad aureis
Accidere, & nova ſe ſpecies oſtendere rerum.
Sed neque tam facilis res ulla eſt, quin ea primum
Difficilis magis ad credendum conſtet: itemque

Nil

INTERPRETATIO.

Intervalla, Viæ, Connexus, Pondera, Plagæ, Concurſus, Motus, Ordo, Poſitura, Figuræ permutantur. Res quoque ipſæ mutari debent. Jam verò mentem tuam veriſſimæ Philoſophiæ documentis attentam præbe, Res enim novitate ſua admirabilis ad aures tuas pervenire geſtit, & nova rerum Species ſeſe Tibi oſtendere conatur. Quinimo vix ulla eſt res tam facilis & aperta, quæ, cum primùm proponetur, non ſit creditu difficilis:

VARIÆ LECTIONES.

1019. *viæ plagæ.* vias plagas Q1. X. Y. Z.
1024. *Accidere.* Accedere X. Y. Z.

NOTÆ.

ſive diſſimiles. Nam & atomi, cum ſint infinitæ, ut paullo antè demonſtratum eſt, feruntur vel longiſſime. Non enim conſumtæ tales atomi, ex eo tempore, ex quo natus ſit mundus, aut ex quibus concretus ſit, neque in unum, neque infinitos, neque qui ſunt tales, neque qui ſunt his diſſimiles. Quare nihil obſtat, quo minus talium mundorum ſit infinitas. Innumerabileis autem mundos eſſe putavit & Democritus: quod teſtatur Marcus Tullius libro primo de Finibus: *Infinitio ipſa, quam ἀπειρίαν vocant, tota eſt à Democrito: tum innumerabiles mundi, qui & oriantur, & intereant.* Idem Lucullo: *Et ais Democritum dicere innumerabileis eſſe mundos.* Idem ultima epiſtola libri noni: *Ille varo te putabat quæſiturum, num unum cælum eſſet, an innumerabilia. varo* autem, non *baro*. ut vulgò legitur, id eſt ſtolidus, à *varis.* Lamb. Plures eſſe mundos, eoſque & naſci docet & interire. Fab. Seminibus jam ritè præparatis, & motu inſtructis demandat opus, quo nihil certè majus, nihil prudentius, aut auguſtius? Alios Terrarum orbes, Alia Aſtra, alios Soles, innumeros denique mundos in ſpatio infinito ædificat: Novum hoc quidem & incredibile, at non ideò rejiciendum: modò *Memmius* attendat argumenta, & rem ipſam aliquamdiu contempletur; minùs inſolens & admirabilis quotidiè apparebit; multa enim ſunt prorſus ſtupenda, quibus aſſueti Homines non amplius ſuſpiciunt v. 25. ἀλλὰ μὴν καὶ Κόσμοι ἄπειροί εἰσιν, εἴθ' ὅμοιοι τούτῳ εἴθ' ἀνόμοιοι. Epicurus ad Herodotum. Creech.

1023. *Vehementer*] Anapæſtus pro ſpondeo: ut apud Horat. libro ſecundo epiſt. 2: 120.

Vehemens & liquidus.

vel lege, *vementer.* Lamb.

1027. *Nec tam mirabile*] Mirè hic locus fuerat depravatus ab iis hominibus, qui, dum plus videre, quàm alii, videri volunt, faciunt ut nihil videre judicentur. Nam cùm libri veteres ita haberent, ut ego excudendum curavi, vocem *Principiò* tranſtulerant in verſum ſequentem: adverbium autem *Paullatim*, à quo initium capere debet verſus tertius ab illo, *Nil adeò magnum*, &c. poſuerant in ſecundo pede ejus verſus, qui ab illo eodem ſecundus eſt: quo facto tota hujus loci

Nil adeo magnum, nec tam mirabile quidquam
Principio, quod non minuant mirarier omnes
Paullatim; ut Coeli clarum purumque colorem,
Quemque in ſe cohibent palantia ſidera paſſim,
Lunaeque, & ſolis praeclara luce nitorem:
Omnia quae ſi nunc primùm mortalibus adſint,
Ex improviſo ceu ſint objecta repente:
Quid magis his rebus poterat mirabile dici,

Aut

INTERPRETATIO.

Nihil interim tam magnum & admirabile principio eſt, quod omnes non paulatim minus & minus admirantur; ut ſplendidum & nitidum colorem Cœli, eumque fulgorem, quem ſidera paſſim errantia in ſe continent, & ſplendentem Solis & Lunæ nitorem: Quæ tamen omnia ſi nunc primum apparere Hominibus inciperent, vel ſi ex improviſo eorum oculis fuiſſent objecta, quid illis dici poterit magis admirabile?

VARIÆ LECTIONES.

1027. *nec.* neque Y. Z. *quidquam.* quoiquam L.

1028. *Principio, quod non.* Quod non paullatim C. E. N. P. Q. Quod non paullatim m. m. o. Principio Cœli &c. X. Z. *minuant mirarier omnes.* minus fiat mirabile cunctis A. B. I. deſinant m. o. Q 1.

1029. *Paulatim, ut cœli.* Principio cœli C. E. N. P. Q. V.

1030. *Quemque.* quæque Y.

1031. *Lunæque.* Lunamque O. Q. X.

1032. *ſi nunc:* nunc ſi Y. Z. *adſint.* eſſent c. O. P. Q. Y. Z.

1034. *poterat:* poterit E.

NOTÆ.

ci ſententia obſcurabatur, & corrumpebatur. Sic enim in omnibus libris legitur,

Mirabile quicquam
Quod non paullatim minuant mirarier omnes.
Principio cœli clarum, &c.

(niſi quod in quibuſdam ſic legitur,

Quod non paullatim minus fiat mirabile cunctis)

planè mendosè. Nunc verborum ordine reſtituto, ſententia planiſſima eſt. hoc enim ſentit Lucret. ab hoc loco, itemque *Nil adeo*, &c. Et ſimiliter nil adeò magnum eſt, nec quicquam tam mirabile principiò, id eſt primò; quod non deſinant omnes paullatim mirari: verbi gratia, hunc cœli clarum purumque colorem, &c. deſierunt mirari. Quòd autem homo barbarus legit, hac optima & antiqua ſcriptura rejecta, *quod non minus fiat, mirabile cunctis*, &c. vel ex hoc ſolo, cujus ingenii aut judicii ſit, cuivis judicare licet. Non pigebit autem hoc addere, pro *mirabile quidquam*, fortaſſe legendum *mirabile quoiquam*. Lamb.

1028. *Quod non minus fiat*] Ita ex veteribus libris ſcripſi. In aliis & Vulgatis: *minuant mirarier omnes.* Gif. *Quod non minuant mirarier omnes.* Alii Codd. exhibent, *Quod non minus fiat mirabile cunctis*, & pro *mirabile quicquam* in priori verſu Lambinus legit *mirabile quoiquam. Minuant mirarier?* Terentius Andr. Act. 2. Sc. 3: 18. *Nec tu ea cauſa minueris hæc quæ facis.* Creech.

1035. *Aut minus antè quod auderent, &c.*] Sic habent omnes ferè, quos quidem viderim, libri

&c.

Aut minus ante quod auderent fore credere gentes?
Nil ut opinor, ita haec ſpecies miranda fuiſſet;
Quom tibi jam nemo feſſus ſatiate videndi
Suſpicere in coeli dignatur lucida templa.
Deſine quapropter novitate exterritus ipſa

INTERPRETATIO.

vel quid Homines antea minus auſi eſſent futurum ſperare? Nihil, ut puto; tam admirabilis hæc rerum facies fuiſſet. Jam verò nemo dignatur in ſplendida Cœli templa ſuſpicere: Ne igitur ipſa novitate rerum quas propono territus

VARIÆ LECTIONES.

1035. *quod.* quid L. *auderent.* audirent. A marg.
1036. *Nil.* Nulli C. P.
1037. *Quom.* Quam A. B. C. D. E. L. N. P. Q.
1038. *in.* hinc V.

NOTÆ.

& manuſcripti, & impreſſi; præter unum veterem, in quo ſcriptum eſt *audirent*, planè mendoſè. nam hujus verſus hæc ſententia eſt: aut quid homines minùs ſperarent, ſeu crederent fore? vel aut quid magis eſſet incredibile, atque inexſpectatum? hoc etiam varietatis eſt in libris veteribus, quòd nonnulli habent *quod auderent.* quod ferri poteſt, ut ſit hic ordo: magis mirabile, aut quod fore gentes minùs credere auderent, &c. LAMB. Quidam Veteres: *audirent.* GIF. *Ante quid* Lambinus. Et ſequentem verſum ita legit,

Nulli ut opinor ita hæc ſpecies miranda fuiſſet
Quam tibi:

Sed aliam lectionem ſequor, utpote longe potiorem.

Nil ut opinor, ita hæc ſpecies miranda fuiſſet:

Sequentem autem verſum ita emèndat Faber,

Quom (id eſt *cùm*) *tibi jam nemo feſſus &c*

quaſi diceret, *Et tamen* (*ita aſſueti ſunt oculi huic ſpectaculo*) *nemo hodiè dignatur ſuſpicere in Cœlum.* Illud autem *Tibi* (Servii voce utor) *vacat*: ut *mihi* apud Virgilium Georg. 1: 45. *Jam tum* mihi *Taurus Aratro.* CREECH.

1036. *Nihil, ut opinor*] Ita ex veteri codice malui. In aliis: *Nulli*, &c. GIF. *Nulli, ut opinor &c.* Aliarum editionum lectionem ſequor. utpote longe potiorem, *Nil, ut opinor; ita hæc ſpecies miranda fuiſſet.* FAB.

1037. *Quàm tibi*] Utpote philoſopho. μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο πάθος, τὸ θαυμάζειν. ut ait Plato, id eſt, *valde enim philoſophi proprius eſt hic affectus, videlicet mirari.* quamvis aliter ſentiat Horatius epiſt. ad Numicium 1: 6: 1.

Nil admirari propè res eſt una, Numici,
Solaque, quæ poſſit facere & ſervare beatum.

notet lector hoc loquendi genus, *nulli ita miranda, quàm tibi*, pro *tam miranda, quàm* vel *ita, ut*: quod & alibi ab eodem uſurpatur, ſed non diſſimulabo, me totum hunc locum ſic impreſſum, ſcriptum, ac diſtinctum reperiſſe in codice Bertin. manuſcripto, & in uno vulgato Baſileæ impreſſo apud Henricum Petrum anno CIO. IO. XXXI.

Nil ut opinor. ita hæc ſpecies miranda fuiſſet,
Quam tibi jam nemo feſſus ſatietate videndi,
Suſpicere, &c.

Cujus lectionis ſententia plana eſt neque inepta, niſi quòd duriuſcula videtur, propter tautologiam. Ita enim procederet verborum ſeries, & eorum ſententia hæc eſſet: quid poterat his rebus magis mirabile dici, aut minùs credibile gentibus? nil, ut opinor, ſubintell. magis mirabile, aut minùs credibile poterat eſſe. ita hæc ſpecies miranda fuiſſet. ſequitur nunc alterum æquè durum:

Quam

Exſpuére ex animo rationem: ſed magis acri
Judicio perpende, &, ſi tibi vera videtur,
Dede manus: aut, ſi falſa eſt, accingere contra.
Quaerit enim ratione Animus, quom ſumma loci ſit
In-

INTERPRETATIO.

ex Animo rationem ejice, ſed acri judicio magis perpende, & ſi vera hæc Ratio tibi videatur, da manus, ſi falſa, è contra pugna: Inquiro enim, cum extra hujus

VARIÆ LECTIONES.

1040. *Exſpuere.* Reſpuere L.
1041. *videtur.* videntur Y. Z.
1042. *falſa eſt.* falſum eſt Y. Z.
1043. *ratione.* rationem P. Y. Z. *Animus.* animi D.

NOTÆ.

Quam tibi videndi ſatietate feſſus nemo in cæli lucida templa ſuſpicere dignatur. Verum tamen hanc lectionem non ſolum non damno, atque improbo: verum etiam ei quam ſecutus ſum, tametſi aliquot librorum & veterum & recentium auctoritate confirmatam, antepono. Lamb.

1037. Quam *tibi jam nemo feſſus ſatiate videndi Suſpicere in cœli dignatur lucida templa.*] Locus depravatus: neque enim ullius hominis eſſe poteſt; qui Latine ſciat, ad hunc modum loqui: *nemo ſuſcipit hanc ſpeciem in cælum.* Legendum itaque

Quom [id eſt cum] *tibi jam nemo feſſus ſatiate videndi*
Suſpicere in cœli dignatur lucida templa.

Quaſi diceret, *Et tamen, (ita aſſueti oculi ſunt huic ſpectaculo,) nemo hodie dignatur ſuſpicere in cœlum.* Illud autem *Tibi* eſt παρέλκον more Attico? quod apud meliores ſcriptores pervulgatum eſt & tritum. Faber.

1037. *Satiate*] Id eſt ſatietate. idem libro quinto: 1390.

Hæc animos ollis mulcebant atque juvabant
Cum ſatiate cibi.

Attius: *Quorum crudelitatem nulla umquam explet ſatias ſanguinis*, ex Nonio. & Q. Septimius: *Dein ubi ſatias omneis tenuit, &c.* Idem, *neque prius finis factus, quam Græcos ſatias, & ad poſtremum fatigatio inceſſit.* Terent. Eunuch. 5: 6: 3.

——— *ubi ſatias cœpit fieri, commuto locum.*

& quidam vetus poëta apud M. Tull. lib. 3: de nat. Deor.

——— *aut quænam umquam ob mortem Myrtili*
Pœnis luendis dabitur ſatias ſupplicii? Lamb.

Hunc ipſum verſum laudat Nonius in voce *Satias*, docetque Accium, Varronem, Lucilium, Saluſtium, & Terentium eadem voce uſos fuiſſe. In ſequenti verſu pro *in Cœli* Alii legunt *hinc Cœli.* Creech.

1040. *Exſpuere*] Sic quidem habent omnes fere codices, ego tamen malim legi, *Reſpuere.* Lamb. Sic omnes fere Codices, Lambinus tamen amat *Reſpuere.* Creech.

1042. *Dede manus*] Da manus: fatere te victum veris. Cæſar. lib. 5. *Tandem dat Cotta manus.* Ovid. de arte:

Scribe; dabit victas ferreus ille manus.

tranſlatum à re militari. ſic infra eodem libr. 1127.

Nam certe fluere ac decedere corpora rebus
Multa, manus dandum eſt.

& Marcus Tullius libro ſecundo, epiſt. ad Attic. *Ajebat illum primo ſane diu multa contra: ad extremum manus dediſſe.* Idem in Læl. *Atque ad extremum dat manus, vincique ſe patitur.* Symmachus in epiſt. *Cum ipſum Annibalem fides certa ſit bello invictum manus Campaniæ dediſſe.* Lamb.

1042. *Accingere contra*] Id eſt, eam oppugna. Plaut. Amphitr. 1: 1: 152.

——— *cingitur. certe expedit ſe.*

ductum item à re militari. Lamb. Horat. Ep. 7: 1.

Tandem efficaci do manus ſcientiæ. Faber.

1043. *Quærit enim ratione animus, cum ſumma loci ſit*
Infinita foris, hæc extra mœnia mundi;
Quid ſit ibi porro quo proſpicere uſque velit mens;

Infinita foris, haec extra moenia mundi;
Quid ſit ibi porro, quo proſpicere uſque velit mens,
Atque animi jactus liber quo pervolet ipſe.
Principio, nobis in cunctas undique parteis,

Et

INTERPRETATIO.

mundi mœnia (Cœlos hos aſpectabiles) ſpatium pateat infinitum, quid ſitum ſit in iſto ſpatio, quo ipſa mens proſpicere geſtiat. Animuſque alacri & libero impetu erumpens pervolare poſſit. Principio, cum nullus eſt finis aut terminus Univerſi

VARIÆ LECTIONES.

1044. *foris.* foras *Jonſt.* male. vid. vs. 1056. *extra.* extera P.
1045. *ibi.* ubi P.
1046. *jactus.* tractus C. F. L. P. tactus A. B. I. V. X. Y. Z. injectus E. N. P. *in not.* *quo pervolet ipſe.* ſit quo velit ipſe P. Q. ſit quo volet ipſe Q1. Y. quoquo volet ipſe E. N. quoquo velit ire C. P. quo pervolit ire B. I. quo pervolitare K. *Gronovius.*

NOTÆ.

Atque animi tactus liber quo pervelit ire.] Quidam perperam, contra veteres libros, hos verſus quatuor delent. Ego eos ex veteribus libris emendare conatus ſum. *Loci*, id eſt, inanis. Mox *ratione* malui ex quibuſdam libris. In aliis: *rationem.* De *ratione* animi, vide Indicem. Forte: *ratio animi.* GIFAN.

1043. *Quærit enim rationem*] Hunc verſum cum tribus deinceps ſequentibus delendos cenſeo, ut adulterinos. quos ſi lector eruditus attentius conſiderabit, eum facile mihi aſſenſurum arbitror. ſunt enim inepti, atque inanes, & verbis & ſententia. Atque ut cetera omittam, nonne abſurdum eſt, ita loqui, animus rationem quærit, quid ſit extra hæc mœnia mundi, quo animi tractus ire pervelit; tum verſus ille, qui ſequitur,

Atque animi tractus liber quo pervelit ire,

non uno modo legitur. alibi enim, ut in Florentinis & Aldinis recentioribus;

Atque animi injectus liber quoquo volet ipſe:

in aliis,

Atque animi tractus liber quoquo velit ire:

in aliis,

Atque animi tactus liber quo pervolet ipſe:

in aliis,

Liber quo pervolet ire.

Præterea in quibuſdam libris verſus primus ita legitur,

Quærit enim ratione animus &c.

ut facile appareat, ab aliquo arrogante atque indocto eſſe inculcatos, quaſi aliquid deeſſet. Cum hæc ſcripſiſſem, homo barbarus hos verſus aſſerere manu inſtituit. ſibi habeat, licet. non equidem invideo: ne miror quidem. LAMB. Hunc verſum & duos deinceps ſequentes ineptiſſimos judico; quod & Lambino viſum eſt; neque alii cuilibet, qui ſapiet modo, aliter viſum iri confido FABER. Hoc totum Lambinus pro adulterino & ſpurio delet. Giſanius retinet ex MSS. ſic correcta: & *animi tactum* (nam alii libri *tractus*) ut alibi *corporis tactum*, pro ipſo animo & ipſo corpore dici obſervat. Sed verba Lucretii, ex quibus *tactum corporis* educit, lubrica ſunt, & aliter in melioribus codicibus habentur: Ciceronis autem de tactu interiore doloris ac voluptatis nihil huc pertinent. Nonnulli ediderunt:

Animi injectus liber quoquo velit ipſe.

Verum videtur:

Quid ſit ibi porro, quo proſpicere uſque velit mens,
Atque animi jactus liber quo pervolitare.

Sive malis, *animi injectus:* ut ſupra hoc ipſo libro:

In quæ corpora ſi nullus tibi forte videtur
Poſſe animi injectus fieri.

Tale autem vocabulum, ſive *jactus.*, ſive *injectus*, hic requiri demonſtrat Cicero lib. 1. de nat. deorum: *ſi immenſam & interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videretis: in quam ſe injiciens animus & intendens ita late longeque peregrinatur, ut nullam omnino oram ultimam videat, in qua poſſit inſiſtere.* Satis apparet Ciceronem & Lucretium, quum tam congruentia ſcriberent, hunc locum ex eodem fonte hauſiſſe.

Et latere ex utroque, infra, ſuperaque, per Omne
Nulla eſt finis, (uti docui) res ipſaque per ſe
Vociferatur, & elucet natura Profundi.
Nullo jam pacto veriſimile eſſe putandum eſt,
Undique quom vorſum ſpatium vacet infinitum,

Se-

INTERPRETATIO.

ex aliqua omnino parte, vel infra, vel ſupra, vel ex utroque latere, ut olim demonſtravi, & ipſa natura Infiniti *docet & evincit, minime credendum eſt veriſimile eſſe, (cum ſpatium undique pateat infinitum,*

VARIÆ LECTIONES.

1052. *Undique cum.* Cum quo quo D. *vorſum.* Ita A. B. C. E. K. N. P. Y. Z & *Gron.* vorſus *Alii.* *vacet.* jacet Q1.

NOTÆ.

ſe. Ἐπιβολὰς vocat Epicurus in epiſtola ad Herodotum apud Diogenem Laërtium: Κατὰ δὲ ταύτην τὴν συνημμένην (κίνησιν ἐν ἡμῖν) τῇ φανταστικῇ ἐπιβολῇ, διάληψιν δὲ ἔχουσαν. Rurſus: ἐπεὶ τόγε θεωρούμενον πᾶν, ἢ κατ' ἐπιβολὴν λαμβανόμενον τῇ διανοίᾳ. Iterum: καὶ ἐπιβολὰς μὴ ἔχοντα ἰδίας πάντα ταῦτά ἐστι καὶ διαλήψεις. Item: κατ' ἐπιβολὰς δ' ἄν τινας, παρακολουθοῦντος τοῦ ἀθρόου, ἕκαστα προσαγορευθείη. Denique, εἰς τὰς τοιαύτας ἀναδύοντες ἐπιβολάς. Noſter qui nudum *injectus* vocabulum ita ponere non auderet; ut mollius acciperetur, addidit *animi*. *Pervolitare* autem Lucretii & Virgilio ad imitationem placuiſſe olim notatum eſt. GRON. *Obſ.* I. *cap.* VII. De quatuor hiſce verſibus litigant Interpretes, dum Alii faſtidiunt, quos Alii amplectuntur: Ego quidem nec abſurdos eſſe video, nec inutiles; explicant enim futuræ diſputationis argumentum; idque non inepte, ſi modo ita ut edidi legantur. *Fayus* legit *Quærit enim Ratio ne animi*, id eſt *an Animus inquirit, aut dubitat?* & quarto verſui notam interrogationis ſubjungit. Non opus eſt iſto acumine. CREECH.

1044. *Extra*] Quidam libri: *extera.* Vide ſupra. Forte legendum: *foris hæc extera.* GIFAN.

1046. *Tactus*] Sic ex veteribus libris reſtitui. Vulgati: *tractus*; male. In quibuſdam libris, pro *ire*, *ipſe*. In quibuſdam libris: *pervelit*; non male. Vide Indicem: *Tactus.* GIFAN.

1046. *Pervolet ipſe*] Scripſit forſan Poëta *Pervolet uſque.* HAV.

1047. *Principio nobis*] Ex eo quod ſpatium vacuum atque inane omni ex parte eſt infinitum, & corpora infinita, probare conatur, innumerabileis eſſe mundos. & attende lector, eum hinc capere initium hujus rei probandæ. Fruſtra igitur dicuntur illa ſupra,

——— ——— *Cum ſumma loci ſit*
Infinita foris hæc extra mœnia mundi, &c.

LAMB. Infinitum eſſe Spatium, & in illo ſpatio infinita Semina volitare, ſi Epicurum audias, certum eſt: at in hunc, quem nos incolimus, mundum omnia iſta Infinita Semina non coaluerunt; quid ni igitur credamus Semina in alia ſpatii infiniti parte compages huic noſtro mundo vel prorſus ſimiles vel diſſimiles componere, præſertim cum eadem *Natura* ubique regnat, & in omnibus Spatii infiniti partibus eodem jure utitur. Hoc argumentum v. 19. continetur: αἵ τε γὰρ Ἄτομοι ἄπειροι οὖσαι φέρονται καὶ πόῤῥω τούτου, καὶ ἄπυδες ἄλλαι εἰς ἀπεργασίαν Κόσμων ἀπείρων συνέρχονται· οὐ γὰρ κατηνάλωνται αἱ τοιαῦται Ἄτομοι (ἐξ ὧν ἂν γένοιτο ὁ Κόσμος οὗτος, ἢ ἐξ ὧν ἂν ποιηθείη ἄλλος) οὔτ' εἰς ἕνα, (ita legit Meibomius) οὔτ' εἰς πεπερασμένους, οὔθ' ὅσοι τοιοῦτοι οὔθ' ὅσοι διάφοροι τούτων, ὥστε οὐδὲν τὸ ἐμποδίζον ἐστὶ πρὸς τὴν ἀπειρίαν τῶν Κόσμων. Epicurus ad Herodot. CREECH.

1049. *Uti docui*] Lib. 1: 957.

Omne, quod eſt igitur, nulla regione viarum
Finitum eſt. LAMB.

1050. *Vociferatur*] Clamat, βοᾷ. ſic lib. 3: 14.

Nam ſimul ac ratio tua cœpit vociferari, &c.

LAMB.

1050. *Profundi*] Ita vocat Infinitum, vide verſ. 1094. FABER. & CREECH.

1052. *Undique cum vorſus*] Sic habent quidem omnes libri & veteres, & recentiores. ſed videtur legendum, *Cum quoquo vorſum*, ſeu *vorſus*: vel

Seminaque innumero numero, ſummaque profunda
Multimodis volitent aeterno percita motu:
Hunc unum Terrarum orbem, Coelumque creatum:
Nil agere illa foris tot corpora Materiaï,

Quom

INTERPRETATIO.

& Semina numero & multitudine infinita æterno motu agitata multis modis per iſtud ſpatium volitarent) unum hunc tantum Terrarum orbem & Cœlum eſſe factum; Tot vero Semina extra hujus mundi mœnia in Infinito ſpatio agitata nil agere:

VARIÆ LECTIONES.

1053. *profunda.* profundi Q1. profudit Z.

NOTÆ.

vel ſic, *Quoquo cum vorſum*, ſeu *vorſus*. Nam *vorſum*, ſeu *vorſus*, ſeu *verſum*, uſitatius cum adverbiis motum ſignificantibus jungitur. *quoquo verſus* autem valet *quamque partem verſus*. Sed ſic argumentatur Lucretius: Summa rerum eſt infinita, id eſt, & inane infinitum, & corpora prima infinita. non igitur verſimile eſt, hunc unum mundum eſſe creatum. nam ſi ita eſſet, corpora prima infinita, quæ moventur in inani infinito, extra hunc mundum ſcilicet, qui ex corporibus primis fortuito genitus eſt, eſſent otioſa, nihilque crearent. hoc falſum. ergo & illud. LAMB.

1052. *Undique cum vorſum*] Ita omnes libri. Miror, cur Lambinus: *Cum quoquo vorſus.* GIF. Sic quidem omnes libri: malit tamen Lambinus: *Cum quoque vorſum*, vel *vorſus*, aut, *Quoquo cum vorſus:* quia illud *vorſum* vel *vorſus* vel *verſum* uſitatius cum adverbiis motum ſignificantibus jungatur: Gifanio nihil niſi mirante. Vereor ut Lambinus ſatis expreſſerit mentem ſuam: voluit enim, cum particulis motum à nobis, non ad nos, ſignificantibus. Nec tamen hæc ſufficit ratio ad aliquid mutandum. In contrarium ecce Varro lib. IV. de LL. *Curtium, virum fortem, armatum eſcendiſſe in equum, & à Concordiæ verſum cum equo in eum præcipitatum.* Hoc eſt, ita ut Concordiæ ædem à tergo haberet. Scaliger conjicit, *ad Concordiæ converſum*: quia Livius facit templa deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuentem. Sed quota in hoc numero Concordia, ſola ut appellari meruerit? Scioppius quoque tamen edidit: *ad Concordiæ verſum.* Offendit ambos idem, quod Lambinum in Lucretio. Juſtinus ex Trogo lib. XLIV. *marinæ auræ undiqueverſus adſidui flatus.* Ubi etiam vexarunt: ſed recte defendit Berneggerus ex Appulejo Lib. IV. Met. *ne cauda quidem & auribus cruribuſque undiqueverſum elevatis.* In Apologia: *cum undiqueverſum tabulis flagitaretur.* GRON. *Obſ.* I. *cap.* VII. Ita omnes libri: Lambinns tamen legit *Cum quoque vorſus.* Iſtamque Lectionem, ut & omnia inepta *Fayus* approbat. CREECH.

1054. *Æterno motu*] Eſt enim ingenitus atomo motus. FABER.

1058. *Offenſando*] Id eſt occurſando. ſupra eod lib. 223.

Nec foret offenſus natus. LAMB.

1059. *Fruſtraque coacta*] Id eſt ita coacta, ut nihil omnino gignere poſſent, reperitur autem hæc ſcriptura in quatuor libris manuſcriptis. LAMB. Ita veteres libri. In quibuſdam tamen: *fruſtraque jacta.* Marullus, & Vulgati: *jactataque fruſtra. fruſtra quoque jacta.* GIFAN.

1060. *Tandem cooluerint ea*] Cum reperiſſem in libris ſcriptis partim *colarint*, partim *coierint*, partim *coierunt*, *cooluerint* repoſui: quæ ſcriptura perſpicue vera eſt. *cooleſcere* autem valet concreſcere, & coagmentari, ſeu (ut quidam volunt) coamentari, & coire. *oleſcere* enim (ut docet Feſtus) *valet creſcere.* quo verbo utitur idem Lucret. infra eod. lib. 1128.

Donicum oleſcendi ſummum tetigere cacumen.

ubi tamen quidam legunt *aleſcendi*, non recte. quemadmodum apud Arnobium mendoſe non ſemel legitur *coalita:* cum ſine dubio legendum ſit *coolita*, ſic enim ductum *coolitum* à *cooleſco*, ut *concretum* à *concreſco*, in *cooluerint* autem duæ

vo-

Quom praeſertim hic ſit naturâ factus, & ipſa
Sponte ſua forte offenſando ſemina rerum
Multimodis, temere, incaſſum, fruſtraque, coacta
Tandem cooluerint ea, quæ conjecta repente
Ma-

INTERPRETATIO.

præſertim cum hic mundus ſit à natura (non aliquo conſilio) creatus; Ipſaque Semina ſponte ſua (nulla vi dirigente) ſe invicem agitantia & percellentia variis modis, temere, incaſſum, fruſtra, tandem in eas congeries & moleculas convenerint,

VARIÆ LECTIONES.

1059. *fruſtraque coacta.* fruſtra quoque jacta P. Q1. jactataque fruſtra C. E. M. N. P *in not.*

1060. *cooluerint.* coierint A. B. D. I. N. P. *in not.* V. coierunt C. I. M. Q1. V. concrerint K. coarctarint c. P. colarunt *quidam codd. Pii.* coarctarint O. *conjecta.* conlecta *Jonſt.* ſed confer inf. vſ. 1073.

NOTÆ.

vocales *oo*, cooleſcunt in unam ſyllabam longam, ut libr. 5: 343.

——— *atque oppida cooperuiſſe.*

Si quis tamen pertinacior, *coierint* retinere volet, non pugnabo: quamquam prima hujus verbi ſyllaba brevis eſt. Lamb. Lambini conjectura perſpicue vera; in lib. *colarint*, *coierint*, &c. *cooluerint* autem, concreverint. Faber.

1060. *Tandem coierint*] Ita Veteres quidam. In aliis Veteribus: *colarint*, *coartant*, *coartarint*. Marullus, & Vulgati: *coierunt*. Lambinus: *cooluerint*. Ego veteres libros expreſſi; ut ſit Anapæſtus ſecundo loco. *Coetus* vox in hac re Lucretio eſt familiaris. *Coaluerint* etiam reciperem, quia ad veteres libros accedit; & ob verbum præcedens *coacta*, ne videatur Poëta βαττολογεῖν. Gifan. Cicero in eadem vicinia & ex eodem ore: *Docuit enim nos idem qui cætera, natura eſſe effectum mundum.* Illud *coierint* ex MSS. expreſſiſſe ait Gifanius, ut ſit anapæſtus. At ſic *coierunt* Marulli retinendum fuiſſet, quod refutat reliqua oratio. Rectius in Indice tribrachyn vocat. Sed hunc pro dactylo poſuiſſe Lucretium non perſuadet. Loca, quorum exemplo nititur, in vitio ſunt: neque enim aut *fera voluntas* aut *cum ventis gerere bellum*, ſic terminato verſu, ſcripſit auctor. Lambinus ex conjectura, *cooluerint*, tolerabilius ad legem metri. Sed cenſeo ſcribendum: *concrerint*. Cum reddidiſſet librarius, *coerit*, tribus literis, ut paſſim in membranis videre eſt, per virgula ſuperpoſitas ſignificatis, qui eum ſequebatur' *coierint*, accepit. Frequens autem hoc ea in re auctori. Lib. 1: 840. *de terris terram concreſcere parvis.* lib. v: 796. animalia

Imbribus & calido ſolis concreta vapore.

Et paſſim apud Diogenem σύγκρισιν habes. Nota porro, *decrero*, *decrerim*, *decreſſe* etiam apud Ciceronem & Livium. Fortaſſis & ſequenti verſu permiſit ſibi, ut ſcriberet: *fuerunt exordia ſemper.* Vel, *ut quæ conjecta* &c. *fuerint.* Gron. *Obſ.* I. *cap.* VII.

1060. *Conjecta*] Sic infra: *Conjicere*, &c. Gif. In unum locum ſcilicet: id eſt congreſſa, collecta, coacta, compulſa in concilium. quidam legunt *conlecta*, ſeu *collecta*, ego tamen nihil mutavi. nam & infra mox ita loquitur, & alibi utitur verbo huic contrario, *disjicere* pro *diſſipare*; & *disjectus materiaï* ſimiliter apud eundem legitur, cui opponitur *congreſſus & concilium materiaï.* Lamb.

1060. ——— ——— ——— *Conjecta repente*

Magnarum rerum fierent exordia ſemper,
Terrai, maris, & cœli, generiſque animantum.

Peſſime: neque enim SEMPER cum REPENTE convenire poteſt. Errorem autem ut viderent Interpretes, certe ſcripturæ varietas ſatis efficere debuerat: Hic enim verſus in V. 430. repetitus fuit, ſed novo etiam mendo deformatus. Sic enim ibi legitur:

 Tan-

Magnarum rerum fierent exordia ſemper,
Terraï, Maris, & Coeli, generiſque Animantum.
Quare etiam atque etiam taleis fateare neceſſe eſt
Eſſe alios alibi congreſſus materiaï,
Qualis hic eſt, avido complexu quem tenet aether.
Praeterea, quom Materies eſt multa parata:
Quom Locus eſt praeſto; nec res, nec cauſa moratur
Ulla: geri debent nimirum, & confieri res.
Nunc & Seminibus ſi tanta eſt copia, quantam

INTERPRETATIO.

quæ magnarum rerum, puta Terræ, Maris, Cœli, & Animalium fierent Exordia. Omnino igitur fatendum eſt alibi etiam (aliis in locis extra noſtros Cœlos) alias eſſe Seminum concretiones tales, qualis hæc eſt, quam arcto amplexu æther noſter ambit. Præterea, cum ſit idonea Seminum copia, Locus inſuper idoneus, nec res ulla, nec ulla cauſa impedit, Res creari debent & componi: Jam vero ſi tanta ſit Seminum copia, quantam

VARIÆ LECTIONES.

1061. *fierent.* fluerent Z. *exordia.* ex ordine Y. Z. *ſemper.* nempe F.
1068. *geri.* Ita A. B. C. D. E. N. P. Q. Q1. 2. 3. V. X. Y. Z. geni *Lamb.*

NOTÆ.

Tandem conveniant ea, quæ conjuncta, repente
Magnarum rerum fiant exordia ſæpe.

Sed & hic & illic ſcribendum eſt, non *ſemper*, non *ſæpe*, ſed *nempe.*

Magnarum rerum fierent exordia, nempe
Terrai, maris, & cœli, generiſque animantum.

Vitium autem ex compendiaria ſcribendi ratione natum eſt. nam pro *nempe* ſcribebant *n̄pe*, unde procuderunt illud *ſæpe*, quemadmodum ex *ſæpe* τὸ *ſemper* procreavere. Faber. At vero iſta tinnientia

——— *Conjecta repente*
——— *Exordia nempe*

quæ auris pati poteſt? Creech.

1064. *Eſſe alios aliis terrarum in partibus*] Series verborum: *Eſſe alios orbes terrarum in aliis partibus* τοῦ παντὸς ſcilicet. Faber.

1065. *Avido*] Vaſto, ingenti. ſic lib. 5: 220.
Inde avidam partem montes, ſilvæque ferarum
Poſſedere. Lamb.

1066. *Præterea cum materies, &c.*] Præterea cum materies ſatis multa eſt, eaque parata, & accommodata ad gignendum, id eſt (ut loquuntur Peripatetici) ad recipiendas formas, & cum locus eſt, res gignitur. Lamb. Iterum v. 10. hoc modo arguit. Poſitis omnibus ad rem aliquam producendam requiſitis. quidni res iſta producatur? At eſt ſufficiens materiæ copia, idoneus inſuper locus, nec deficit iſta vis naturæ, quæ hunc mundum ex Seminibus fortuito occurſantibus compoſuit; quidni igitur præparatam & ſibi obedientem materiam, in aliis etiam Spatii Infiniti partibus conjungat, & Cœlum, Terras, Mare, Homines, atque Animalia producat? Metrodorus dicit, ἄτοπον εἶναι ἐν μεγάλῳ πεδίῳ ἕνα στάχυν γεννηθῆναι, καὶ ἕνα Κόσμον ἐν τῷ ἀπείρῳ· ὅτι δὲ ἄπειροι κατὰ τὸ πλῆθος, δῆλον ἐκ τοῦ ἄπειρα τὰ αἴτια εἶναι, εἰ γὰρ ὁ μὲν Κόσμος πεπερασμένος, τὰ δὲ αἴτια πάντα ἄπειρα ἐξ ὧν ὅδε ὁ Κόσμος γέγονεν, ἀνάγκη ἀπείρους εἶναι. ὅπου γὰρ τὰ πάντα γέγονεν αἴτια, ἐκεῖ καὶ τὰ ἀποτελέσματα. Plutarchus de Placit. Phil. lib. 1. Cap. 5. Ita hoc & ſuperius argumentum complectitur *Metrodorus* familiaris Epicuri. Creech.

1068. *Geni debent nimirum*,] Id eſt gigni. ſic autem legendum eſſe vincit ratio, atque ipſa veritas, quatumvis hîc reclament licet barbari. confirmat hanc emendationem id quod infra non longe ponitur:

Huc accedit, ut in ſumma res nulla ſit una,

Uni-

Enumerare aetas animantum non queat omnis:
Viſque eadem, & natura manet, quae Semina rerum
Conjicere in loca quaeque queat, ſimili ratione,
Atque huc ſunt conjecta: neceſſe eſt confiteare
Eſſe alios aliis Terrarum in partibus Orbeis,
Et varias Hominum genteis, & ſaecla Ferarum.
Huc accedit, ut in Summa res nulla ſit una,
Unica quae gignatur, & unica, ſolaque creſcat:
Quin aliquojus ſiet ſaecli, permultaque eodem

Sint

INTERPRETATIO.

ætas omnis Hominum enumerare non valeat, Eademque Natura, quæ poſſit conjicere iſta Semina in alia quæque loca ſimili ratione atque in hunc Locum (in quo noſter mundus exiſtit) conjecta ſunt; neceſſe eſt ut concedas in Aliis etiam Spatii infiniti partibus alios eſſe Terrarum orbes, alias Hominum gentes, & alia genera Animalium: Adde quod in Univerſa Natura rerum nulla ſit una res, quæ Unica gignatur, & ſola & ſingularis creſcat; ſed in omni rerum genere plurima ſingularia & individua continentur,

VARIÆ LECTIONES.

1071. *Viſque.* Vis Z. *&.* Abeſt Z. *manet.* movet. C. O. P. Q.
1078. *Quin aliquojus ſiet.* Ita Gronov. recte. Quin alio Q1. alio & K. quovis ſit ſeclo E. N. aliquojus ſint ſæcli V. aliquoivis ſient Y. aliquoivis ſiet Z. cujuſcunque ſiet ſæcli Cr. ſine *Quin.* Quin cujuſque *Alii.*
1078. 1079. Spurios aſſerit eſſe L.

NOTÆ.

Unica quæ gignatur, &c. Lamb. *Geri* Giſanius, qui de hac voce cum Lambino perpetuo litigat; ſuam ſententiam è libris tuetur *Giſanius:* ſe defendit *Lambinus* v. 1077.

Unica quæ gignatur &c. Creech.

1068. *Geri debent*] Lambinus: *geni*; contra omnes libros. Gifan.

1068. *Confieri*] Alibi Lucretius, & Virgilius lib. 4. Æneid. 116.

——— *Nunc qua ratione quod inſtat*
Confieri poſſit, paucis adverte, docebo. Creech.

1076. *In ſumma*] In ſumma rerum, in omni, in univerſo. argumento à ſimili probat, mundos innumerabileis & naſci quotidie, & interire, & hoc modo: Quemadmodum nihil unicum gignitur, neque creſcit: ſed infiniti homines, infiniti equi, infiniti tauri, &c. & geniti ſunt, & quotidie gignuntur: ſic & mundi innumerabiles. Lamb. Tertium denique v. 13. proponit argumentum; Res omnes creatas circumſpice, in unoquoque genere plurima, quæ vocant, Individua invenies; In genere Humano Homines, in ferino feras, &c. Unicum igitur Solem, unicamque Terram dices? Inepte id quidem, cum Sol, Terra, Cœlum, &c. ſint tam interitura (ideo autem Genera Animalium plurima complectuntur, quia ſingula intereunt, ut iſti Philoſophi affirmant, contra quos diſputat Lucretius) quam cætera concreta. Creech.

1078. *Quin quojuſque ſient ſæcli, &c.*] Hos duos verſus, contra librorum conſenſum, circumducere non ſum auſus, licet videantur ἀμυσότεροι. Alii libri habent: *Quin alio in quovis ſunt ſeclo, multaque.* Gifan. Hic illud, *Quin cujuſque ſient ſecli*, Hier. Avantii eſt, Aldinarum correctoris: nam libri, *quin alio quovis ſit ſeclo*, aut, *alio in quovis.* Nec tamen iſtud commodius: neque enim *quiſque* eſt aliquis. Lambinus denuo & hunc & ſequentem verſum amputat: quod non auſus Giſanius, judicat tamen eos ἀμυ-

Sint genere: in primis animalibus, Inclute Memmi,
Invenies ſic montivagum genus eſſe Ferarum,
Sic Hominum geminam prolem, ſic denique mutas
Squamigerum pecudes, & corpora cuncta Volantum.
Quapropter Coelum ſimili ratione fatendum eſt,

Ter

INTERPRETATIO.

præcipue in generibus Animalium, ut videre licet. Invenies enim genus montivagum ferarum, genus Hominum, genus denique mutorum Piſcium, & genus Avium ſic eſſe; (plurima Singularia & Individua complecti) pariter ergo fatendum,

VARIÆ LECTIONES.

1079. *Inclute Memmi.* Ita *Gronov.* injice mentem *Cr.* K. *Lipſius.* Indice mente *Reliqui.*
1081. *geminam.* Ita K. Q. Z. genitam *Alii.*

NOTÆ.

μυστικωτέρους. Sed ſcribendum ex Voſſianis membranis: *Quin aliquoju' ſiet ſecli.* Eſſe autem Lucretio *ſecula*, numeros, genera, corpora, turbas, nemo ambigit. At in ſubſequenti, *in primis animalibus indice mente*, longe ſuſpectiores hos verſus reddidit. Lipſius lib. v. epiſt. quæſt. xii. tentat: *inprimis, animalibus injice mentem.* Paullo ante diximus de injectu animi. Scio etiam Ciceronis: *cui deorum ira mentem injecit, ut Milonem laceſſeret.* Sed neutrum eam juvare conjecturam puto. Legendum: *in primis animalibus, inclite Memmi, Invenies.* Eſt enim hic Memmius, quem appellat identidem, cui totum opus dedicavit. lib. v. 8. *deus ipſe fuit, deus inclite Memmi.* Voſſianus quoque & tres Florentini pro *genitam* habebant *geminam*: quod & ipſum forte non ſpernendum. Hoc etiam, inquit, argumentum eſt multitudinis mundorum: in tota rerum univerſitate nulla invenitur res, quæ ſola & unica ſuæ formæ ſit edita ſeque propaget: (neque enim de phœnice videtur crediſſe Lucretius) ſed quæcumque ſunt, alicujus ſunt ſecli & numeri, & complures ejuſdem generis agnoſcuntur. In animalibus maxime, ô Memmi, palam vides ſic ferarum montivagarum eſſe non priva & ſingula diverſæ formæ capita, ſed aliquod genus plurimorum capitum ejuſdem formæ: ſic & hominum utrovis ſexu intelligis genus eſſe & multitudinem: ſic piſces & volucres uniuſcujuſque formæ, non ſingulos, ſed genus & copiam. *In primis animalibus*, eſt, in animalibus primum. Sic apud Virgilium l. ii. Æneid. 612.

Heic Juno Scæas ſæviſſima portas
Prima tenet.

In Georgicis: i: 13.

——— ——— *Tuque ô cui prima frementem*
Fudit equum magno tellus percuſſa tridente.

Errant Servius & Parrhaſius, qui Atticam terram ita notant deſignari, quia Athenienſes primam terram ſuam ſeque primos homines gloriarentur. Livius lib. iv. cap. xx. *Romuli ſpolia, quæ prima Opima appellata, ſola ea tempeſtate erant.* &c. Gron. *Obſ.* i. *cap.* vii. Hic verſus cum ſequenti Lucretianus non eſt; quod & Interpres vidit. Faber. Hic verſus cum ſequenti Lucretianus non eſt, quod & *Lambinus* vidit. *Faber:* Libros ſequitur *Giſanius*, retinet licet non approbet. Corrupti forſan; at mutilus ſine illis locus, ideo omiſſis aliorum conjecturis, hoc modo corrigendos cenſeo,

Unica quæ gignatur, & unica ſolaque creſcat
Cujuſcunque ſiet *ſecli*; *Permultaque eodem*
Sunt genere: Imprimis Animalibus injice mentem,
Invenies ſic montivagum &c.

Injice mentem à Lipſio accepi; & ex his vocibus commoda & digna *Lucretio* ſententia effingi poteſt. Creech.

1080. *Invenies ſic montivagum*] Duos verſus ſine dubio ſpurios inter hunc, & verſum
Unica quæ gignatur, &c.

in-

Terramque, & Solem, Lunam, Mare, caetera, quae ſunt,
Non eſſe unica, ſed numero magis innumerali,
Quandoquidem vitae depactus terminus alte
Tam manet his, & tam nativo haec corpore conſtant,
Quam genus omne, quod his generatim rebus abundat.

Quae

INTERPRETATIO

Terram, Solem, Lunam, Mare, cæteraque non eſſe unica & ſingularia, ſed numero multa, & fere infinita; quandoquidem hæc Omnia conſtant corpore æque mortali, & his Omnibus certus vitæ terminus à Natura æque ſtatuitur, ac iſtis rerum generibus, quæ plurima Singularia & Individua complectuntur:

VARIÆ LECTIONES.

1085. *unica.* una *Nonius.* unum *Alii.*

1087. *his*; *& tam.* hæc etiam A. B. C. E. I. N. P. Y. Z. *hæc.* & A. B. E. I. deeſt C. P. Y. Z.

1088. *abundat.* abundans Y. abundant Z.

NOTÆ.

inculcatos, delendos cenſeo. Invenies (inquit) ſic feras eſſe genitas, nempe infinitas, ſic homines, ſic piſceis, & aveis. LAMB.

1081. *Mutas ſquamigerum pecudes*,] i. e. piſceis. ſic ſup. eod. lib. 342 duo epitheta poſuit ad piſceis ſignificandos, *mutæque natantes.* nam per *mutas pecudes*, nullo alio addito, ſignificantur ſimpliciter animalia rationis & ſermonis expertia. ut libr. 5: 202.

Quom pecudes mutæ, quom denique ſæcla ferarum, &c. LAMB.

1081. *Sic*] i. e. Itidem infinitum. FABER.

1081. *Genitam prolem*] Neſcio quis *geminam* i. e. utrumque ſexum. CREECH. Ita jam ex MS. Lugd. Bat.

1085. *Unica*] *Unum* MS. Nonii, qui laudat hunc verſum in voce *Innumeralis*: at MS. iſti ne credas. CREECH.

1086. *Quandoquidem vitæ*, &c.] Quoniam cœlum, ſidera, *&c.* tam interitura ſunt quam cetera concreta. FABER.

1086. *Depactus*] Defixus. LAMB. Lib. 1: 78. & alibi,

——— *Alte terminus hærens*

Suavi tranſlatione ornatum eſt, ab agricolarum terminis profectum, qui interdum alte panguntur. Terminum autem tranſilire nefas & violare: eoque magis ſi alte defixus loco moveri longiuſque proferri non poſſit. Hæc tranſlatio Maroni placita eſt, ſcribenti Æn, 4: 61.

Et ſi fata Jovis poſcunt, hic terminus hæret.

TURN. *Adv.* XXV. *cap.* 1.

1087. *Tam manet his, & tam*] Hunc locum reſtitui à codicibus manuſcriptis admonitus, atque adjutus. Nam cum in eis reperiſſem ſcriptum *& tam*, non, ut in vulgatis, *etiam*, facile mihi fuit conjicere legendum

Tam manet his, & tam nativo hæc,

non, ut vulgo,

Tam manet hæc etiam

ordo autem verborum eſt: quandoquidem terminus vitæ tam alte depactus manet his, nempe cœlo, terræ, ſoli, & lunæ, &c. & tam nativo corpore hæc conſtant, quam genus, &c. i. e. quoniam cælum, terra, &c. æque finem habent certum, ratum, & fixum, ad quem cum pervenerint, ſunt interitura: & tam nativo conſtant corpore, quam animantes, &c. LAMB.

1087. *Tam manet hæc*] Ita in Veteribus quibuſdam: & fere vulgatis; in veteribus quibuſdam *& Tam.* GIFAN.

1088. *Quod his generatim rebus abundat.*] Creſcit ex aëre, aqua, calore ſolis, *&c.* ſecundum genera & ſpecies ſuas. FABER.

Quae bene cognita ſi teneas: Natura videtur
Libera continuo Dominis privata ſuperbis,
Ipſa ſua per ſe ſponte omnia Dîs agere expers.
Nam (proh ſancta Deûm tranquilla pectora pace,

Quae

INTERPRETATIO.

Quæ omnia modo propoſita ſi bene perſpecta habeas, Natura Dominis ſuperbis repente liberata videtur omnia ſponte ſua & per ſe agere, ſine ope Deorum, & Providentia. Nam (proh Dii ſancti

VARIÆ LECTIONES.

1091. *omnia Dîs agere.* omne a Diis regere P.
1092. *tranquilla.* tranquillaque Q1.

NOTÆ.

1089. *Quæ bene cognita ſi teneas: natura videtur Libera continuo dominis privata ſuperbis, &c.*] Recte ex poſitis: Dii enim ſi ex iiſdem principiis conſtent, quibus cetera, qua ratione immenſum, ſeu τὸ πᾶν regere poſſint, ipſi finiti? Dein quo pacto omnia poterunt qui pars tantum totius ſunt? Sed hæc deliramenta ſunt, dices. fateor. at ponamus τὸ πᾶν eſſe finitum, & aliorum Philiſophorum opiniones ſequamur; non minus abſurda de Deo enaſcentur; Verum aliud eſt de Diis, aliud de Deo agere. Tum extremæ dementiæ videri debet, hæc cognitionis noſtræ modulo metiri velle, quæ quid ſit infinitum nunquam plane comprehendet. FAB. V. 15. E poſitis pro more Lucretius in Providentiam impetum facit; Pace & otio Deos olim donavit, quia nihil beatum quod negotioſum: jam vero fælix beatumque Numen aliquibus curis diſtringi poſſe ſupponamus; quæ autem vis Infinitos mundos regere, quæ Solibus, Terris &c. innumeris præſidere valeat? Infiniti enim mundi major ſunt provincia quam ut à Deo vel maxime nogotioſo commode adminiſtrari poſſit. Hæc Impius de puſillo iſto Deo quem Homini ſimilem effinxit. Scommate denique, quo Athei communiter utuntur, concludit omnia, & certe fælicius Scommate quam argumento contra Providentiam pugnatur. Καὶ μὴν ἐν τοῖς μετεώροις φορὰν, καὶ τροπὴν, καὶ ἔκλειψιν, καὶ ἀνατολὴν, καὶ δύσιν, καὶ τὰ σύστοιχα τούτοις, μήτε λειτουργοῦντος τινὸς νομίζειν χρῆναι δεῖσθαι, μήτε διατάττοντος ἢ διατάξαντος, καὶ ἅμα τὴν πᾶσαν μακαριότητα ἔχοντος μετὰ ἀφθαρσίας· οὐ γὰρ συμφωνοῦσι πραγματεῖαι, καὶ φροντίδες, καὶ ὀργαὶ καὶ χάριτες μακαριότητι, ἀλλὰ ἀσθενείᾳ, καὶ φόβῳ, καὶ προσδεήσει τῶν πλησίον. Epicurus ad Pythoclem. CREECH.

1090. *Dominis privata ſuperbis*] Diis. LAMB. Refer ad illud *privata dolore*, in I. 60. Ita ut *privari* in bonam & ſequiorem partem ſumatur. FABER.

1091. *Dîs agere expers*] *Diis expers*, id eſt Deorum expers. ſic loquitur & Catull. de coma Beren.

Quicum ego, dum virgo quondam fuit omnibus expers, &c.

quamquam hunc verſum ſic cum proximo legunt quidam,

Quicum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus expreſſa
Unguentis una millia multa bibi.

Sed ſi nos hic deficit Catullus: Plautum teſtem citemus. Sic igitur Amphitr. 2: 1: 81.

Eo more expertem te factam adveniens offendi domi.

Idem Aſinar. 1: 31.

Dono te ob iſtuc dictum, ut expers ſis metu.

Idem Perſa 4: 3: 40.

——— *ea res me domo expertem facit.* LAMB.

Uſitatius eſt, *expers alicujus rei*, quam *re*; Sed tamen ita Saluſt. & Plautus ſæpiſſime. FABER.

1092. *Nam (pro ſancta, &c.*] Iterum exclamat non ſine ſtomacho, quaſi fieri non poſſit, ut ulla vis, ullave providentia hanc mundi fabricam regat. Sed errat Epicurus, & cum Epicuro Lucretius. LAMB.

1093. *Quæ placidum, &c.*] Sic lib. 5: 83.

Nam bene qui didicere Deos ſecurum agere ævum, &c. LAMB.

1094. *Quis regere immenſi ſummam, &c.*] Sic Vellejus apud M. Tull. lib. 1. de natura Deorum: *Quibus enim oculis intueri potuit veſter Plato fa-*

Quae placidum degunt aevom, vitamque ſerenam!)
Quis regere Immenſi Summam, quis habere profundi
Indu manu validas potis eſt moderanter habenas?

INTERPRETATIO.

qui alto otio & pace tranquillum degunt ævum, vitamque agunt omni cura immunem!) Quis univerſum infinitum gubernare? Quæ poteſtas valeat fræna Totius Univerſi manu ſua moderari?

VARIÆ LECTIONES.

1093. *placidum.* placitum L. *ſerenam.* ſerenant E. multumque ſerenum *Pii codd. in not* Q1. multamque ſerenam Y. Z.

NOTÆ.

fabricam illam tanti operis, qua conſtrui à Deo atque ædificari mundum facit: quæ molitio, quæ ferramenta, qui vectes, quæ machinæ, qui miniſtri tanti muneris fuerunt? &c. ibid. *Sive enim ipſe mundus, Deus eſt, quid poteſt eſſe minus quietum, quam nullo puncto temporis intermiſſo verſari circum axem cæli admirabili celeritate? niſi quietum autem, nihil beatum eſt: ſive in ipſo mundo Deus ineſt aliquis, qui regat, qui gubernet, qui curſus aſtrorum, mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordineſque conſervet, terras & maria contemplans, hominum commoda, vitaſque tueatur: næ ille eſt implicatus moleſtis negotiis & operoſis.* Ad priorem illum Ciceronis locum pertinent illa Lactantii, ſeu Lutatii Firm. ex libro 2. de origine erroris: *At idem quoties Epicureus eſt & non vult à Deo factum eſſe mundum, quærere ſolet, quibus manibus, quibus machinis, quibus vectibus, qua molitione hoc tantum opus fecerit.* Cum hoc autem Lucretii loco congruit illud ejuſdem ex primo libro: 152.

Quippe ita formido mortaleis continet omneis, &c.
& illud ex eod. 1020.

Nam certe neque conſilio primordia rerum, &c.
& illud ex hoc lib. 167.

At quidam contra hæc ignari, &c.
Hac eadem de re ſic Laërt. Καὶ μὴν ἐν τοῖς μετεώροις φορὰν, καὶ τροπὴν, καὶ ἔκλειψιν, καὶ ἀνατολὴν, καὶ δύσιν, καὶ τὰ σύστοιχα τούτοις, μήτε λειτουργοῦντός τινος νομίζειν χρῆναι δῆαξ, μήτε διατάττοντος, ἢ διατάξαντος καὶ ἅμα τὴν πᾶσαν μακαριότητα ἔχοντος μετὰ ἀφθαρσίας. οὐ γὰρ συμφωνοῦσι πραγματεῖαι, καὶ φροντίδες, καὶ ὀργαὶ, καὶ χάριτες μακαριότητι, ἀλλὰ ἀσθενείᾳ, καὶ φόβῳ, καὶ προσδεήσει τῶν πλησίον. id eſt, *Atqui in iis quæ ſublimia & ſuperna ſive ſupera dicuntur, motum ex loco ad locum, ſolſtitia, defectus ſolis, & lunæ, ortum, occaſum, & his ſimilia, non eſſe exiſtimandum quoquam adminiſtratore egere, neque gubernatore, aut aliquo qui ea ordine digerat, aut digeſſiſſet, qui idem omnem beatitudinem cum immortalitate obtineret. Non enim congruunt moleſtiæ, & curæ, & iræ, & gratiæ, cum beatitudine; ſed cum imbecillitate potius, & metu, & indigentia opis alienæ.* LAMB.

1095. *Indu manu*] Id eſt in manu. ſic ſup. l. 1: 82.

——— viamque
Indugredi ſceleris.
& ſup. hoc libr. 101.

At non eſſe tamen perplexis indupedita.
& libr. 4: 368.

Indugredi porro pariter ſimulacra, pedemque
Ponere, &c.
ibidem: 775.

Quippe ubi prima perit, alioque eſt altera nata
Indu ſtatu.
& lib. 5: 103.

Nec jacere indu manus, via qua munita fidei
Proxima.
& libro 6: 890.

Quod genus indu mari ſpirat fons dulcis aquaï.
Licet tamen etiam *endo manu* legere, & *endogredi*, & *endopedita*, & *endo manus*, & *endo mari*: ut nonnulli volunt. neque tamen in hoc eis aſſentior, quod negant veteribus uſurpatum eſſe *indu* pro *in*. Refellit enim eos & grammaticorum veterum auctoritas, in his Probi: & librorum veterum conſenſus. LAMB.

1095. *Endo manu*] Ita in vet. cod. GIF. Plures tamen hic *indu*, quod & defendit Voſſius de Arte Gramm. lib. 2. cap. 28. Ennii quoque illud adducens Annal. lib. 17.

Indu mari magno fluctus extollere certant. HAV.

1095. *Moderanter*] Διὰ κράτους, ita ut moderetur. FAB.

Quis pariter Coelos omneis convertere? & omneis
Ignibus aetheriis terras ſuffire feraceis?
Omnibus inque locis eſſe omni tempore praeſto?
Nubibus ut tenebras faciat, coelique ſerena
Concutiat ſonitu? tum fulmina mittat, & aedeis
Saepe ſuas diſturbet, & in deſerta recedens

Sae-

INTERPRETATIO.

Quis pariter omnes Cœlos convertere? Omnes etiam Terras fertiles cœleſtibus (Solis & Aſtrorum) radiis calefacere? Et omni temporis momento omnibus in locis præſto eſſe? ut Tenebroſas nubes terris inducat, & Tonitru tranquillas ſedes Cœli concutiat; tum vibret fulmina, & ſua templa ſæpiſſime evertat, & in loca deſerta ſecedens,

VARIÆ LECTIONES.

1098. *inque.* inve X. Y. Z.
1099. *ut.* & P.
1101. *deſerta.* diverſa *Gaſſ.*

NOTÆ.

1096. *Cœlos*] Non memini me legere apud quemquam veterem ſcriptorem, *τὸ cœlos*; ea enim vox *ſemper ἑνικῶς dicitur*, ut ait Cornelius Fronto apud Agellium lib. XIX. Sed Epicureæ ſectæ ſcriptores, qui infinitos mundos ſtatuebant, neceſſe habuerunt dicere *cœlos*; idque *ἀναλόγως*, nam & *cœlus* & *cœlum* vetuſtiores Urbis ſcriptores uſurpavere. Faber. Quia Infinitos mundos ſtatuebant Epicurei. hinc factum eſſe ut Lucretius Epicureus *τὸ Cœlos* numero multitudinis, quæ vox ἑνικῶς ſemper dicitur teſte Frontone Cornelio apud Gellium lib. XIX. cap. 8. Tanaquillus Faber ad Lucretium obſervabat Ingenioſe. *τὸ Cœli* tamen πληθυντικῶς occurrit in hoc verſu vetuſtiſſimi Poëtæ.

Jupiter in Cœlis, Cæſar regit omnia Terris.

Menagius. Creech.

1097. *Suffire*] Vaporare, ſuffumigare. Item libr. 4: 1168.

Et miſeram tætris ſe ſuffit odoribus ipſa.

& Virgil. Georg. 4: 241.

Et ſuffire thymo, terraſque recidere inaneis. Lamb. Vaporare, calfacere. Faber.

1099. *Cœlique ſerena concutiat ſonitu*] Ex Terentio in Eunuch. 3: 5: 41. *Qui templa cœli ſumma ſonitu concutit*: Terentius autem ipſe ex Ennio. Sed quomodo tandem ſui oblitus eſt Lucretius, cum dicit, *ſerena cœli tonitru concuti?* negabit enim alibi & quidem accurate, fieri unquam poſſe ut cœlo ſereno tonet. Videlicet ex vulgi ſententia, non ſua, loquitur. quod manifeſtum eſt. quaſi dicat, Quî tandem, ut iſti palpones Deorum ajunt, fieri queat, ut Jupiter cœlos convertat, ſereno cœlo tonet, &c. Virgilius ipſe haud aliter in Georg. 1: 487. accipiendus: *Non alias cælo ceciderunt plura ſereno Fulmina.* Nam Ille Alter non minus Epicureus quam Virgilius, aulæ imponere volebat cum caneret, 1. Od. 34: 8. *plerumque per purum tonantes Egit equos volucremque currum*, &c. Quis autem ſatis ex dignitate rideat illud *plerumque?* Diceres certe tertio quoque die id fieri. Videlicet naſo opus eſt, ut cauſas, rationeſque & conſilia ſcriptorum ſagaciter odorari poſſis. Faber. Hic multa *Faber*, quaſi oblitus ſui fuiſſet Lucretius, qui alibi negabit, & quidem accurate, fieri unquam poſſe ut Cœlo *ſereno* tonet; vel ſaltem ex vulgi ſententia, non ſua loqueretur. *Cœli ſerena* melius interpreteris *ampla & ſpatioſa Cœli templa*, quid enim ex Vulgi ſententia loqueretur Poëta, cum ad argumentum ſuum nihil faceret? quid denique Cœlum *ſerenum* cogitaret, cujus faciem tenebroſis nubibus in priori verſus parte obſcuraverat? Nihil hic de palponibus Sacerdotibus *Lucretius*; nihil *Virgilius*, cum cecinit Georg. 1: 487.

Non alias Cœlo ceciderunt plura ſereno
Fulmina.

Nec Aulæ imponere voluit Horatius, 1. Od. 34: 8.

Plerumque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum.

Naſo opus eſt, ut inquis, *Faber*, ut cauſas, rationeſque, & conſilia ſcriptorum ſagaciter odora-

ra-

Saeviat exercens telum, quod ſaepe nocenteis
Praeterit, exanimatque indignos, inque merenteis?
Multaque poſt Mundi tempus genitale, diemque
Primigenum Maris, & Terrae, Soliſque coörtum,
Addita corpora ſunt extrinſecus, addita circum
Semina, quae magnum jaculando contulit Omne:

Un-

INTERPRETATIO.

ibique fulminans, inaniter ſæviat, exercens illud telum quod nocentes & impios ſæpe præterit, immeritos vero & innocentes proſternit? Poſt ortum hujus mundi, diemque natalem Maris & Terræ, & exortum Solis, multa ſunt corpora extrinſecus addita, plurima ex omni parte ſemina, quæ Infinitum Univerſum conjecit & applicuit;

VARIÆ LECTIONES.

1102. *quod.* quo A marg. P.
1103. *Præterit.* Perterit P.
1107. Delendum cenſet L. *contulit.* contudit P.

NOTÆ.

rari poſſis, ſed Naſum nolo nimis naſutum. Creech.

1101. *Deſerta*] *Diverſa* Gaſſendus: & in ſequenti verſu pro *quod* quidam Codd. exhibent *quo.* Creech. Lactantius *incerta*, quaſi vellet *in incerta.* Sed recte ſe vulgata lectio habet; recedere enim Jovem ait in deſerta, quaſi ibi *brachia conſuefaciat* & *lacertos firmet*, ſicuti loquitur 6: 396. Hav.

1102. *Sæviat exercens telum &c.*] Sic lib. 6: 387.

Quod ſi Jupiter, atque alii fulgentia Divi
Terrifico quatiunt ſonitu cœleſtia templa,
Et jaciunt igneis, quo cuique eſt cumque voluntas:
Cur, quibus incautum ſcelus averſabile cumque eſt,
Non faciunt, icti flammas ut fulguris halent,
Pectore perfixo, documen mortalibus acre? &c.

totus enim ille locus mire cum hoc congruit. ſic & M. Tull. lib. de conſulatu:

Nam pater altitonans ſtellanti nixus Olympo,
Ipſe ſuas arceis, atque inclyta templa petivit,
Et Capitolinis injecit ſedibus igneis. Lamb.

1102. *Quod ſæpe*] In quibuſdam libris: *quo.* Gif.

1103. *Indignos*] Indignos, qui exanimentur, ut explicat ipſe, immerenteis. Sic loquitur Horat. ſat. 2. lib. 2: 103.

Cur eget indignus quiſquam, te divite?

M. Tull. Tuſcul. 4. *Miſericordiam datam eſſe dicunt ad opem ferendam, & calamitates hominum indignorum ſublevandas.* Lamb.

1104. *Multaque poſt mundi*] Redit ad inſtitutum. Lamb. Mundos infinitos extruxit, mortales aſſeruit, Animalibus ſimiles, atque ideo nutriri, creſcere, aliquando etiam diminui, feneſcere, & ad interitum vergere affirmat v. 17. Infinitum enim Univerſum ſubminiſtrat ſemina, quibus receptis & debite conjunctis creſcit Mundus; & fit vegetior; cum tot ſemina emittit quot recipit, tum conſiſtit, id eſt neque creſcit, neque diminuitur: cum vero plura è Mundo emittuntur Semina, quam recipiuntur & debite conjunguntur, tum debilior fit Mundus, & feneſcit. Creech.

1104. *Multaque ——— corpora ſunt*] Repetit propoſitum. Διὰ μέσου autem legendi illi verſus xv. ab illo, *Quæ bene cognita, &c.* Faber.

1106. *Addita corpora ſunt, &c.*] Id eſt, & multa poſt ortum mundi corpora addita ſunt, alia extrinſecus, alia circum. hic verſus, qui deinceps ſequitur in omnib. libris, *Semina, quæ magn.* &c ſine dubio non eſt Lucretii: ſed ab aliquo nimium ſibi arrogante pro Lucretiano interpoſitus eſt, quaſi aliquid deeſſet. itaque eum delendum cenſeo. Lamb.

1107. *Semina, quæ magnum* &c.] Sine dubio hic verſus non eſt *Lucretii*, ſed ab aliquo ſibi nimium arrogante pro *Lucretiano* interpoſitus eſt, quaſi aliquid deeſſet, itaque eum delendum cenſeo. Hæc *Lambinus*, quam ſententiam qui ſequitur, errabit. vid. lib. 1. ver. 995. Creech.

1107. *Magnum jaculando contulit omne*] Et hunc contra omnes libros rejicit Lambinus; male. *Jaculando*, ut ſupra: *jactata. Omne*, τὸ πᾶν Ita *Magnum Inane*, ſupra, lib. 1. verſ. 1096. Gif. Quum ita ait Poëta, ab immenſo illo univerſo,

quod

Unde Mare, & Terrae poſſent augeſcere: & unde
Adpareret ſpatium Coeli domus, altaque tecta
Tolleret à terris procul; & conſurgeret Aër.
Nam ſua quoique locis ex omnibus omnia plagis

Cor-

INTERPRETATIO.

è quibus ſeminibus Mare & Terræ augeri poſſunt, è quibus etiam Cœlum amplius fieret, altaſque fornices procul à Terris tolleret, novus etiam Aër oriretur. Ex omnibus enim Univerſi partibus propria ſemina

VARIÆ LECTIONES.

1109. *Adpareret.* Aptaret D. E. N. P.

NOTÆ.

quod *omne* vocat & interdum *Summam ſummarum*, corpuſcula conferri dicit, quibus mundi hujus elementa conſtent & angeantur, mundusque creſcat & amplificetur. Turn. *Adv.* v. *cap.* xxvii.

1108. *Unde*] E quibus corporib. additis extrinſecus, & additis circum. Lamb.

1109. *Adpareret ſpatium*] Libri ſcripti alii habent *appariret*, alii *apparet*, alii *aperiret*: quod poſtremum in prima editione probaveram, exiſtimans ita à Lucr. ſcriptum: ut intelligamus, verſum initium capere ab anapæſto, *Aperiret ſpatium*, *aperire ſpatium* autem, id eſt, *explicare*. & tamen lectionem vulgatam, *Aptaret ſpatium*, ſecutus eram. in ſecunda editione vero, & itidem in hac, *Appareret* magis probavi. Turnebo noſtro aſſentiens. *Appareret* autem verbum eſt junctum ex *ad* & *pario*: & valet *acquireret*, *ſibi adderet*, *ſeu ſibi compararet* ſpatium, id eſt amplitudinem: atque hoc totum appareret ſpatium, id eſt amplius & ſpatioſius fieret, augeſceret, amplificaretur. Lamb. Sic (*adpareret &c.*) reſtitui ex Veteri meo quodam, id eſt, *adquireret*. In aliis: *Aptaret*, *Apariret*, *Apparet*, *Aperiret*. Gifan. Ita optime in II. editione emendavit Lambinus: *adparere* autem ab *adpario*, proprie eſt quod Græce προσκτᾶσθαι, *acquirere* aliquid, *adjungere*. Faber.

1112. *Et ad ſua ſæcla recedunt*] Nonnulli libri, ut Flor. habent,

Et ad ſua ſemina cedunt:

quam ſcripturam non probo. quomodo enim corpora prima, ad ſua corpora prima cedant? niſi dicamus, corpora prima confluere ad corpora prima ſibi cognata & ſimilia. cod. Vatic. habet,

Ad ſua ſæde recedunt,

plane mendoſe. Atque illud *ſæde* factum eſſe puto ex *ſæcla*. nam ſæpe reperimus in libris manuſcriptis ſcriptum *d* pro *cl*, & *cl* pro *d*, propter ſimilitudinem. ita cum ex *ſæcla* factum eſſet *ſæda*, facile jam librarius imperitus ſcripſit *ſæde*. Sed quidam non indoctus putabat hîc legendum,

Ad ſua fœdera cedunt,

ex illa ſcriptura Vaticana faciens conjecturam. addebat ille, quo ſuam conjecturam confirmaret, verbum *recedunt* huic loco non convenire, quia cum ſignificet Lucretius, corpora prima ad ſui generis principia convenire & confluere, recedere autem ſit retro cedere, & diſcedere, verbo ab eo quod ſentiret, alieno uteretur. *ad ſua fœdera* autem interpretabatur *ad ea corpora, ad quæ per fœdera, & leges naturæ, concedere & confluere deberent.* ego reſpondebam, verbum *recedunt* mihi videri ad hunc locum maxime accommodatum. Nam cum dicat Lucretius, corpora prima per plagas ad ſua ſæcla recedere: motus autem, qui fit per plagam, non ſit naturalis; neque ad lineam, ſed contrarius: proprie & ſignificanter ea dixiſſe recedere ad ſua ſæcula: quod eſt plagis ſeu ictibus repulſa cedere. Sed de his hactenus. ego ſcripturam vulgatam, & receptam, & trium antiquorum teſtimonio comprobatam retineo. hoc tantum. cetera judicio lectoris permitto. Lamb. Hæc (*& ad ſua ſæcla recedunt*) eſt veterum librorum optima ſcriptura. Gifan. Adjungunt ſe humida humidis, terrena terrenis, *&c.* notanda ſignificatio. Fab.

Ad

Corpora diſtribuuntur, & ad ſua ſaecla recedunt:
Humor ad Humorem, Terreno corpore Terra
Creſcit; & Ignem Ignes procudunt, Aetheraque Aether:
Donicum ad extremum creſcendi perfica finem

Omnia

INTERPRETATIO.

ſingulis rerum generibus diſtribuuntur & applicantur; Aquæ ſemina Aquæ: Terra augetur è Terreſtribus particulis, Ignis ex Igneis, atque Æther ex Æthereis; uſque dum Natura rerum parens & perfectrix

VARIÆ LECTIONES.

1112. *ad ſua ſæcla recedunt.* ad ſua ſemina cedunt *Pii codices.* ad ſua fœdera *Alii.* recellunt K. *Gronov.*

1114. *procudunt.* producunt C. P.

1115. *Donicum.* Denique N. P. Q. *perſica.* Ita ſcribendum. vide Turn. Adv. xi. 20. perfice a B. P. Q1. perſpice C. E. N.

NOTÆ.

Ad ſua ſemina cedunt Alii. *Ad ſua fœdera* Alii. fruſtra: dum & Codices, & ipſe Poëta alibi exhibet *ſua ſæcla.* Creech.

1114. *Procudunt*] Sic habent quattuor libri manuſcripti, utrique Aldini, Vicetini, & Lugdunenſes. Lamb.

1115. *Donicum ad extremum &c.*] Sic legendum, & ita habent quatuor libri manuſcripti, niſi quod in duobus pro *perfica*, legitur *perfice*, quemadmodum & apud Nonium Marcellum, plane mendoſe. Nam quod ad Nonium attinet, apud quem ita ſcriptum eſt, *Perfice, perficeris: Lucretius libr.* 2: 1115.

Donicum ad extremum creſcendi perfice finem, &c. ſic eſt corrigendus: *Perfica, perficiens: Lucret. lib.* 2: 1115.

Donicum ad extremum creſcendi perfica finem, &c. *Donicum* autem idem valet quod *donec*, eodemque modo interpretatur auctor vocabularii Latinogræci, mihi à Cl. Putaneo, juvene ingenioſiſſ. & eruditiſſ. commodati. ſic enim ille, *donicum*, inquit, ἄχρι τοῦ, ἕως. Plautus Aulul. 1: 1: 19.

——— *neutrum reddibo, donicum res dijudicata ſit,*

ex Priſciano. Idem Plaut. Trucul. 1: 1: 18.

——— *uſque adeo, donicum foras eduxit.*

Soſipater Cariſ. *Donicum pro donec. ita uſurpat Livius Androm.*

Ibi manens ſedeto, donicum videbis me carpento
vehentem domum veniſſe.

Plautus quoque in Fragm. 2: 35.

Inimicus eſto, donicum ego revenero,

ſed & Cato: Cum otioſus ambulas, qui apud regem fuiſti, donicum ille tibi interdixit rem capitalem. Hactenus Cariſ. Cato de re ruſtica: *Donicum ſolutum erit, aut ita ſatis datum erit: quæ in fundo illata erunt, pigneri ſunto.* Lucr. inf. 1128.

Donicum oleſcendi ſummum tetigere cacumen:

& item ſæpe. ordo autem & ſententia verborum eſt; Donicum, ſeu donec natura rerum creatrix, omnia ad extremum creſcendi finem perfica, id eſt perficiendo, ſeu perficiens, ſeu perfectrix, perduxit. Cum hæc ſcripſiſſem anno CIϽ. IϽ. LXIII. prodiit in lucem biennio poſt Nonius à quodam aliquot locis emendatus. ubi hic locus ad oram libri ſic ab illo emendatur, diſſimulante, unde ſumſerit. Utitur autem eodem nomine & Arnob. lib. 4. adverſus genteis: *Etiamne perfica una eſt è populo numinum, quæ obſcænas illas & luteas voluptates ad exitum perficit dulcedine inoffenſa procedere?* Ex quibus Arnobii verbis intelligere licet, *Perficam*, deam apud illos Romanos fuiſſe quæ res Venereas ad exitum perducere crederetur. De Thraſone autem illo, qui hunc quoque locum σφετερίζει, piget queri. Uſquequaque licet hîc illud uſupare, καὶ τόδε Φωκυλίδου. Lamb. Ita ſæpiſſime veteres, pro *donec.* exempla paſſim reperias, & ſæpe uſus Lucretius. Faber.

1115. *Donicum*] Ita ex veteribus libris ſcripſi. Vulgati: *Denique.* Gifan.

1115. *Per-*

Omnia perduxit rerum Natura creatrix:
Ut fit, ubi nihilo jam plus eſt, quod datur intra
Vitaleis venas, quam quod fluit, atque recedit:
Omnibus his aetas debet conſiſtere rebus:
His Natura ſuis refraenat viribus auctum.
Nam, quaecunque vides hilaro grandeſcere adauctu,
Paul-

INTERPRETATIO.

Omnia perduxit ad ultimos augmentationis ſuæ terminos, quod evenit quando res non plura recipiunt ſemina intra vitales ſuas venas, quam ejiciunt & amittunt; tum enim omnes res ſummum ætatis ſuæ florem attingunt, nec Natura patitur ut ampliores & auctiores fiant. Quæcunque enim vides læto augmine grandeſcere,

VARIÆ LECTIONES.

1116. *perduxit.* produxit P.
1119. *his.* hic D.
1120. *His.* Hic A. B. D. P. Q1. Y. Z. Sic C. E. N.
1121. *hilaro.* hilari B. D. hilar Y. Z. hilum *Priſci codd. Pii.* Q1. *hilarem* C. E. N. *adauctu.* ad auctum C. E. N. X. Z.

NOTÆ.

1115. *Perfice finem*] Sic lego ex quodam Veteri. Ita & P. Victorius invenit in veteri libro, & in Nonio. Quidam Veteres: *perfica.* Vulgati: *perſpice:* peſſime. Vide Indicem. GIFAN.

1115. *Perfica*) Effectrix, perfectrix. Verſus, qui hunc ſequuntur, perquam faciles ſunt; Itaque illos tranſiliam. FABER. *Effectrix*, *Perfectrix*: *Perfice* Gifanius, & Pareus, id eſt perfecte: ne credas Lector. Alia vero præter Naturam Dea olim dicebatur *Perfica.* Arnobius lib. 4. adverſus Gentes p. 131. *Etiamne* Perfica *una eſt è populo numinum, quæ obſcœnas illas & luteas voluptates ad exitum* perficit *dulcedine inoffenſa procedere?* Et pag. 133. *Pertundæ* Perficam conjungit. CREECH.

1117. *Ut fit, ubi*] Hæc referuntur ad ſuperiora: & eſt argumentum à ſimili. quidam tamen legi volunt, *Id fit, ubi*, &c. LAMB.

1117. *Ut fit*] Forte: *Id fit.* GIFAN.

1119. *His ætas*, & *His natura*] Alii *Hìc ætas*, & *Hìc natura* è Codicibus. CREECH.

1120. *His natura ſuis refrænat*] Cum in quattuor libris manuſcriptis ſcriptum reperiſſem, *Hic natura ſuis*, &c. repoſui, *His natura*: ut ſit παλιλλογία. Omnibus his rebus ætas conſiſtit, quæ ad extremum finem à natura, creatrice rerum, perducta ſunt: his (inquam) rebus natura definit ſuis viribus incrementum dare. LAMB.

1120. *Hìc natura*] Ita vet. cod. Forte: *His*, ut Lambinus. Vulgati: *ſic.* GIFAN.

1121. *Nam quæcunqne vides* &c.] Quoniam Mundos ſuos aliquando creſcere, aliquando diminui aſſeruit, totam rationem & incrementi & decrementi in Animalibus (& eadem eſt rerum aliarum ratio) ver. 23. explicat. Creſcunt autem Animalia, quia in prima ætate plus Alimenti convertitur in Animalis ſubſtantiam, quam ex illa depereat; media tantundem convertitur, quantum deperit: ideo conſiſtit Animalis ætas, id eſt, neque creſcit, nec decreſcit Animal: Extrema autem ætate amplius deperit quam convertitur. Ita creſcunt & decreſcunt Animalia, at unde evenit quod in prima ætate plus recipitur & adjungitur, in media tantundem, in extrema minus, nondum inquirit Poëta, latet Cauſa, &, id ſcio, Atheos ſemper latebit. CREECH.

1121. *Hilaro grandeſcere adauctu*] Læto & alacri augeſcere incremento. mendoſe autem legitur in libr. vulgatis, *hilarem grand. ad auctum.* licet etiam legere, *hilari grand. adauctu:* & ita ſcriptum eſt in codice Bertiniano. LAMB.

1124. *Di-*

Paullatimque gradus aetatis ſcandere adultae:
Plura ſibi adſumunt, quam de ſe corpora mittunt,
Dum facile in venas cibus omnis diditur: & dum
Non ita ſunt late diſperſa, ut multa remittant:
Et plus diſpendî faciant, quam veſcitur aetas.

Nam

INTERPRETATIO.

& ad florem ætatis adultæ paulatim aſſurgere, plura ſibi aſſumunt Corpora, *quam de ſe ejiciunt, dum ſcilicet alimentum in omnes venas facile diſtribuitur, nec tam dilatata ſunt, ut multa corpora ex ſe ejiciant; & plura amittant quam recipiant;*

VARIÆ LECTIONES.

1124. *diditur.* inditur V. Y. Z.
1126. *veſcitur.* paſcitur *Quidam* nancitur F.

NOTÆ.

1124. *Diditur*] Id eſt diſtribuitur, non, ut vulgus putat, dividitur. nam *dido* verbum eſt integrum, compoſitum ex *di* & *do*, *das*, non deminutum à verbo *divido*. Utitur eodem verbo hic idem ſcriptor pluribus locis: ut lib. 3: 246.

Senſiferos motus quæ didit prima per artus.

& libr. 4: 625.

Inde quod exprimimus, per caulas omne palati
Diditur.

& lib. 5: 20.

Ex quo nunc etiam per magnas didita genteis
Dulcia permulcent animos ſolatia vitæ.

Virgil. lib. 7. Æn. 144.

Diditur hic ſubito Trojana per agmina rumor.

& 8: 132.

Cognatique patres, tua terris didita fama. LAMB.

1126. *Et plus diſpendi*] Plus damni, detrimenti, ſumtus. LAMB.

1126. *Quam veſcitur ætas*] Quidam vir doctus, amicus meus, legendum cenſet,

——— *Quam paſcitur ætas.*

ego nihil muto. LAMB. Verſus ſunt illuſtres, & ex penitiſſima corporum animatorum conſideratione petiti; ſed in illo,

Et plus diſpendI faciant, quam veſcitur ætas,

plane aliquid eſt quod contra Poëtæ mentem faciat. Conſtat quippe hæc verba, *quam veſcitur*, oppoſita illis eſſe, *plus diſpendI faciant:* Itaque *τὸ veſci* ſignificaret *acquirere*, *parare*, &c. cui rei Linguæ Latinæ uſus reclamat. Quamobrem hunc locum ita ſemper legendum exiſtimavi:

Et plus diſpendI faciant quam nancitur *ætas.*

Nancitur autem [id eſt, *acquirit*] cum verbum protriti uſus non ſit, depravaſſe illi videntur, qui memoria patrum mercede conducti libros deſcribebant, proque eo intruſiſſe, *naſcitur*, quod nihilo melius eſt; unde alii ſuum *veſcitur* effinxerunt, quod ego vitioſum eſſe arbitror. *Nancitur* autem fit à *nancior*; id à *nancio* eſt, quod olim uſurpavit Gracchus, ut ex Priſciano novimus: Ex *nancio* autem nova proles orta eſt *nanciſcor*, quam recentior uſus retinuit. *Nancior* autem ſignificat *occupo*, *prehendo*, *capio*. In XII. tab. SI QUID PIGNERIS NANCITOR, SIBI HABETO (ubi *nancitor* veteris orthographiæ eſt pro *nancitur*) inde *renancitur* apud Paulum Diaconum Feſti Epitomiſten, pro *reprehendit*, ſeu *iterum prehendit*. Cum autem videam vocem antiquam, quæ in foro noſtro & tabulariis etiamnum obtinet, *des nants*, pro pignoribus ſumi, unde & *nantir* & *nantiſe*, & *ναντίζω* in Græco-Barbaro, facile adducor ut credam è veteri jure Romano eam eſſe petitam, cum, ut dixi, in XII. Tabulis legatur, *Si quid pigneris nancitor, ſibi habeto.* FAB. Feſti tamen Codd. exhibent *Renanciſcitur.* Lucretii codd. *Veſcitur*, quæ vox forſan commode retineri poteſt. CREECH. Vulgata lectio recte ſe habet; nam ut alterum eſt quod exit è corporibus, ita *veſcitur* eſt quod ingreditur. Itaque non minus hoc rectum quam quod apud Virgilium *Veſcitur aura*; ſed & apud Plautum & Feſtum eſt *renaſcitur*. Is. Voss.

 1127. *Ac*

Nam certe fluere, ac decedere corpora rebus
Multa, manus dandum eſt: ſed plura accedere debent,
Donicum oleſcendi ſummum tetigêre cacumen.
Inde minutatim vireis, & robur adultum
Frangit, & in partem pejorem liquitur aetas.

Quip-

INTERPRETATIO.

Concedendum enim omnino eſt corpuſcula multis modis effluere atque decedere à rebus, plura vero debent accedere, donec res attigerint ultimum augmentationis ſuæ terminum: Deinde paulatim vires & perfectus vigor decreſcunt; & ætas debilitata tabeſcit:

VARIÆ LECTIONES.

1127. *ac decedere.* atque recedere B. C. D. E. I. L. P.
1128. *Multa, manus.* Multimodis A. B. D. I.
1129. *oleſcendi.* aleſcendi A. B. C. D. E. P. Q. Y. Z.

NOTÆ.

1127. *Ac decedere*] *Atque recedere* Alii: & pro *multa, manus dandum eſt* in ſequenti verſu *Multimodis, dandum eſt.* Creech.

1128. *Multimodis, dandum eſt*] Ita in Veteri quodam noſtro. Vulgati: *Multa manus*; quod non tam placet. Gifan.

1128. *Manus dandum eſt,*] Concedendum eſt. *dandum eſt* autem, pro *dare oportet*, δοτέον. ut ſupra iterum atque iterum. Alii quidam legunt,

Multa modis multis, dandum eſt.

ego ſic ſcriptum reperi, ut edidi, in quattuor libris manuſcr. Lamb. Concedendum eſt, fatendum eſt, multa fluere, &c. Dandum eſt τὰς *manus*; de quo dicendi genere in I. fuſius. Fab. Ita MS. & o. edd. vett. recte probante Lambino. Male ſuppoſuit Gifanius: *Multimodis dandum eſt. Manus dandum eſt*, id eſt, fatendum eſt, negari nequit. Ut ſupra: 1041.

ſi vera videtur,
Dede manus: at ſi falſum eſt, accingere contra.

Horatius Ep. 17: 1. *Jamjam efficaci do manus ſcientiæ.* Nec aliter ſcripſiſſe Claudianum exiſtimo lib. 1. in Eutropium, verſ. CCCLXVI. *Quicquid amas, dabit ille manus.* Ipſe nimirum Eutropius manum promittet. non *illa*. Ovidius lib. 1. de arte:

Sed ſemel eſt cuſtos longum redimendus in ævum,
Sæpe dabit, dederit quas ſemel, ille manus.

Frequens autem ille Græciſmus Lucretio & aliis. &c. Gron. *Obſ.* 1. *cap.* VII.

1129. *Donicum aleſcendi*] Sic in Veteribus noſtris. Vulgati: *Donec.* In Nonio: *Denique*; male, ut & modo. Nonius etiam, *oleſcendo* videtur legiſſe. Sed in Veteribus omnibus: *aleſcendi.* Gifan.

1129. *Donicum oleſcendi ſummum*] Id eſt, donec ad ſummum creſcendi cacumen pervenerunt. non eſt autem dubium, quin ita legendum ſit. Nam quod apud Nonium Marcellum in verbo *adoleſcere*, ita legitur hic verſus,

Dumque adoleſcendi ſummum, &c.

corruptus eſt eo loco Nonius, atque ita corrigendus: *Adoleſcere, creſcere, unde oleſcendi dicit Lucret. libr.* 2: 1128.

Donicum oleſcendi ſummum tetigere cacumen.

Errant autem qui *aleſcendi* legunt, ut diximus. nam verbum *aleſco* non eſt Latinum, ſed in ejus locum ſubſtituendum eſt *oleſco*, ex quo ſunt hæc compoſita, *adoleſco, inoleſco, ſuboleſco, exoleſco.* Præterea *coalitum* (ut dixi) non eſt vox Latina, quamvis reperiatur in codicibus Auli Gell. & Arnob. & aliorum auctorum. Nam, ubicumque reperitur, *coolitum* reponendum eſt. neque ita dico, hoc mihi videri, aut hoc me opinari, ſed me ſcire. Lamb. Vide verſ. 1060. Creech.

1130. *Robor adultum*] Sic habent libri manuſcripti, & plerique typis excuſi. Lamb. Ita veteres libri. Vulgati: *robur.* Gifan.

1131. *Liquitur*] Tabeſcit, τήκε(). Lamb.

1132. *Augmine demto*] Sic codex Vaticanus. *augmine demto* autem, id eſt detracto: quod fit, cum deſinit creſcere & augeri. ordo eſt: quanto

res

Quippe etenim quanto eſt res amplior, augmine dempto,
Et quo latior eſt, in cunctas undique parteis
Pluria eo diſpergit, & à ſe corpora mittit:
Nec facile in venas cibus omnis diditur eji:
Nec ſatis eſt, proquam largos exaeſtuat aeſtus,

Un-

INTERPRETATIO.

nam quo res eſt mole amplior & latior, ſi modo non augeatur, eò plura Corpora ex ſe in omnes undique partes emittit, & diſpergit: nec alimentum in omnes venas iſtius rei facile diſtribuitur; & quoniam largam effluviorum copiam Res iſta emittit,

VARIÆ LECTIONES.

1132. *Quippe etenim.* Quippe etiam D. I. *demto.* adempto C. E. N. P. V. Y. Z. adepto *Quidam* V.

1134. *Pluria eò.* Plura modo A *marg.* C. E. N. P. Q. V. Y. Z. *& à ſe.* ætas & Q.

1136. *pro quam largos.* quæ per largos L. N. P. præquam largos F. cum prælatos P.

NOTÆ.

res aliqua amplior, & quo latior eſt; eo plura in omneis undique parteis corpora diſpergit, augmine demto. LAMB. Bene: nec *Augmine adepto* recte ſcribitur. CREECH.

1134. *Pluria eo diſpergit*] Eo pluria diſpergit. ſic autem legendum, non, ut in vulgatis, & quibuſdam ſcriptis, *Plura modo. pluria* autem dixiſſe veteres teſtantur Aulus Gellius lib. 5. cap. 21. & Cariſius lib. 1. & ita Terentius in Phorm. 4: 3: 6.

——— *nova hîc compluria.*

& idem Lucretius lib. 4: 1082.

Unaque res hæc eſt, cujus quam pluria habemus,
Tam magis ardeſcit. &c. LAMB.

In aliis: *Plura modo.* GIFAN.

1136. *Nec ſitis eſt, quæ per*] Verſus adulterinus, neque Lucretianus germanus: qui ita varie legitur, ut pigeat me referre. in ſcriptis quidem libris tribus ſic reperi ſcriptum,

Nec ſatis eſt pro qua largos exæſtuat artus:

in Bertin.

Nec ſatis eſt proquam largus, &c.

in Aldinis antiq.

Nec ſatis eſt cum prælatos, &c.

Atque ut magis credas eſſe adulterinum, verſus, qui eſt ab hoc tertius, cujus initium eſt,

Quantum opus eſt, &c.

non reperitur in libris ſcriptis: cum librarii hunc ineptum verſum ſcripſiſſent, Lucretianum omiſiſſent. Credibile eſt autem, adjectum eſſe ab aliquo confidente, qui cum videret à Lucretio de cibo ſermonem haberi, nullum de potu verbum fieri, putarit aliquid deëſſe. quod ſi quis verſus hîc deſideraretur, & locum vacuum explere nobis liceret, talem verſum ſubſtituerem:

Nec potus proquam ſitis artus arida terret. LAMB.

1136. *Nec ſatis eſt, proquam largos*] Ita veteres libri quidam, & quidam Veteres: *proqua*, quidam: *præquam.* Alii, *æſtus. Proquam* adverbium eſt. Nothum putat Lambinus. GIFAN. *Æſtus*, opinor, pro ultima, voce, quam in contextu habet Gif. *artus.* PREIG.

1136. *Nec ſatis eſt* proquam *largos exæſtuat artus,*
Unde queat tantum ſuboriri & ſuppeditare,
Quantum opus eſt, &, quod ſatis eſt, naturæ novare.]

Monuit Lambinus tertium illum verſum, *Quantum opus eſt*, &c. in MSS.Codd. non reperiri; quem ipſe genuinum Lucretianum arbitratur, contra autem, hunc, *Nec ſatis eſt*, &c. ſpurium eſſe contendit; Cur ita? nimirum non diſpiciebat, qua ratione emendandus foret. Sic autem legendus videtur:

Nec ſatis eſt, præquam *largos exæſtuat* auctus,
Unde, &c.

Cujus hic erit ſenſus: *Ubi corpus ad creſcendi cacumen venit, tunc defluere & minui debet, quia nihil ſatis eſt unde tantum ſuboriri poſſit, præquam exæſtuat largos auctus*; id eſt, *ſubſtantiam prius ac-*

Unde queat tantum ſuboriri, ac ſuppeditare,
Quantum opus eſt; & quod ſatis eſt, Natura novare.
Jure igitur pereunt, quom rareſacta fluendo
Sunt; & quom externis ſuccumbunt omnia plagis:
Quandoquidem grandi cibus aevo denique deſit.

Nec

INTERPRETATIO.

Alimentum quod accipit non ſatis eſt, unde tantum, quantum opus eſt, ſuboriri & ſuppeditari poſſit, & quod naturæ defluentis reparationi ſufficiat: Neceſſe eſt igitur ut pereat iſta res, cum effluvia emittendo rarior fiat illius textura, & externorum corporum incurſu valide percutiatur: quandoquidem rei grande ævum attingenti non ſubminiſtratur ſufficiens Alimentum,

VARIÆ LECTIONES.

1137. *queat.* queant Y. Z. *æſtus.* auctus F. artus A. Nec ſitis eſt quæ per latos exæſtuat artus P. *in not.* Nec potus proquam ſitis artus arida torret. L. *in not.* Nec ſitis eſt quæ perlargo ſe exæſtuat æſtu. *Sciopp. in Lect. ſuſp.*

1138. *Quantum opus eſt; & quod ſatis eſt.* Quod ſatis eſt; & quantum opus eſt I. C. E. N. P. Delet Y. Z. 1143. *Sequebatur in Q. hic verſus:* jam ſenem mundum & omnia puſilla naſci; *ex argumento videlicet in ora poſito. Erat autem ita correctum:* Jamque ſenem mundum & puſillius omnia naſci.

NOTÆ.

acquiſitam amittit. Auctum enim vocat eam ſubſtantiam quâ illud aut illud corpus auctum eſt, ut & alibi: Faber. *in Emend.* In al. edit. *Nec ſatis eſt, pro quam largos exæſtuat artus.* Sed ut operæ parcamus, tu legendi, ego ſcribendi, vide Emendationes. Faber. *in Not.* *Lambinus* legit

Nec ſitis eſt quæ per largos, &c.

totumque verſum tanquam adulterinum rejicit. *Faber* ita legit,

Nec ſatis eſt præquam *largos exæſtuat* auctus.

Nulla eſt utriuſque interpretis conjectura, Iniquus ille, qui rejicit hunc verſum, nec æquior ille qui emendat. Quis enim neſcit Corpora Animalium tantum effluviorum copiam quotidie emittere, ut Alimentum, niſi copioſe ſubminiſtratum illis reparandis non ſufficiat? Jure igitur legitur *Nec ſatis eſt*; Quis etiam ignorat Effluvia iſta in modum Aquæ è fiſtulis expreſſæ erumpere? Quænam igitur vox ſignificantior iſta voce *Æſtus*? Creech.

1137. *Unde*] Ex quo cibo. Lamb.

1137. *Suboriri*] In locum eorum quæ amiſſa & conſumta ſunt, oriri. ſic ſupra libro 1: 1048.

Quare etiam atque etiam ſuboriri multa neceſſe eſt. Lamb.

1138. *Quantum opus eſt, & quod ſatis eſt*] Ordo eſt: unde, ſeu ex quo cibo, tantum, quantum opus eſt, ſuboriri ac ſuppeditari queat, & unde natura id novare queat, quod ſatis eſt. quidam vir doctus legendum putat, *quoad ſatis eſt nat. nov.* Lamb. Ita & mox. Quod ſatis eſt, & opus eſt ad miniſtrare ac ſuppeditare; ſatis eſt ad novare. In Vulgatis inverſus hic eſt ordo. Gifan.

1142. *Tuditantia*] Id eſt tundentia. & ita Feſtus, qui hunc locum citat. Paullus apud eundem: *Tuditantes rem, ſignificat negotium tundentes, id eſt agentes, Tudites, mallei à tundendo dicti, inde & cuidam cognomen Tuditano fuit, quod caput malleo ſimile habuerit.* Idem Lucretius infra libro tertio: 395.

Et quam intervallis tantis tuditantia poſſint
Concurſare, &c. Lamb.

1144. *Sic igitur magni quoque*] Demum ver. 29. concludit. Mundum eo modo quo Animalia ſeneſcere, Meatus viz. quos in Animalibus Venas voces, aſſiduis Corporum externorum ictibus labefactati ægre recipiunt materiam Mundo reparando idoneam ex *Infinito* defluentem: Et jam tam late expanſa eſt hæc compages, ut plus Materiæ è ſe dimittat, quam ex Infinito acci-

Nec tuditantia rem ceſſant extrinſecus ullam
Corpora conficere, & plagis infeſta domare.
Sic igitur magni quoque circum moenia mundi
Expugnata dabunt labem, putreiſque ruinas.

O-

INTERPRETATIO.

nec corpora externa perpetuo incurſantia & infeſta unquam ceſſant ictibus ſuis rem frangere & conficere. Pari modo mœnia hujus Magni mundi (*Cœli aſpectabiles*) *labefactata corruent & diſſolventur:*

VARIÆ LECTIONES.

1142. *tuditantia.* truditantia Qr.
1145. *putreiſque.* turpeſque *Gaſſ.*

NOTÆ.

cipit, atque ideo diminuatur neceſſe eſt, & devigeſcat. Quin, ut *Epicurus* ſtatuit, Omnia genera Animalium, Fruges, Arbores &c. ſponte ſua Tellus olim produxit, quam tamen hodie effœtam ſentimus, ideoque ipſam ſeneſcere fatendum eſt. Creech.

1144. *Circum*] Ἐν κύκλῳ, adverbium. nam *mœnia* recti caſus eſt, nec conjungi debet cum voce *omnia*, quæ ſequitur tertio verſu, ut vulgata interpunctio oſtendit. Lamb.

1145. *Dabunt labem*] Collabentur, & corruent. Lamb. Quemadmodum minora συγκρίματα quotidie perire ante oculos videmus, ita & majora, tellus, aër, cœlum, aliquando ex neceſſitate phyſica *dabunt labem*, diſſolventur, dilabentur. Sed antequam his notulis finem imponam, dabis veniam, ſpero, ſi metas egrediar, & ab hoc Lucretii loco admonitus, quid ſentiam de quodam Virgilii loco qui in ore eſt omnibus, aperuero. Is in II. Æneidos vs. 97. legitur.

Hinc mihi prima mali labes.

Nil facilius inquies; Verum aliter multo jampridem ſentio; neque me pudeat profiteri id ignorare me quod corruptum eſſe & à nemine unquam intellectum fuiſſe arbitror. Certe licuit mihi diſſimulare, & ignorantiam cauto ſilentio obtegere; ſed aliter viſum eſt. Dico igitur, & clare dico, locum hunc à nemine intelligi poſſe, niſi qui ultro & volens ſibi imponat. Quid enim eſt *labes*? aliquando repentinam aliquam calamitatem ſignificat vel ab aquis immodicis, vel à grandine, fulminibus, *&c.* vel à chaſmate & hiatu terræ, id quod Docti annotarunt. Illud ipſum eſt, opinor, quod in libris Juriſconſultorum noſtratium *vimere* dicitur, id eſt, *vis major:* quæ cum advenit, *tunc damnum coloni non eſt.* Hæc autem ſignificatio nullum hic locum habere poteſt; quid enim erit *calamitas mali* aut *labes mali*? vel, ſi metaphorice ſumi dices, neceſſario expungenda erit illa vox *mali*; cum ea enim ſtare non poterit τὸ *labes.* Altera autem ſignificatio hujus vocis eſt, *macula*, & metaphorice *probrum*, *dedecus*, &c. quæ nihilo plus loci hic habebit quam illa altera. quid enim eſſet, *macula & probrum mali*? Ut voles, inquis, quidvis afferas licebit; conſtat certe ita ſcriptum à Virgilio verſum illum fuiſſe; nam unde illud Juſtini in xviii. niſi è Virgilio? [*Hinc illa prima mali labes, hoc initium impendentis ruinæ fuit*] Beneſane, inquam; etiamnum puer imitationem illam Virgilianam apud Juſtinum annotaveram. Sed ſi vera illa ſunt quæ de ſignificatione τ͂ *labes* ſuperius ſcripſi, in eodem luto hæſitamus; idque tantum probas quod minime probari neceſſe fuit, locum illum Virgilii ſcilicet à quibuſdam veteribus ita lectum fuiſſe ut nunc legitur, id eſt, jampridem depravatos eſſe codices Virgilii; Sed non aliter ſcripſiſſe Virgilium, id vero eſt quod probari oportuit. At ego affirmare poſſe videor ſcriptum ab illo fuiſſe,

Hinc adſcita mihi labes ....

Papæ! inquies,

Jam mihi vehementer nova res molitur ad aures,
Accidere, & nova ſe ſpecies oſtendere rerum!

Ita eſt; ſed & illud non minus verum erit,

nihil tam mirabile quidquam
Principio, quod non minuant mirarier omnes
Paulatim.......

 Hæc

Omnia debet enim cibus integrare novando:
Et fulcire cibus, cibus omnia ſuſtentare.
Nequidquam, quoniam nec venae perpetiuntur

Quod

INTERPRETATIO.

Alimentum enim renovare omnia & inſtaurare debet, cibis fulcire & ſuſtentare, At id fruſtra tentatur, quoniam neque venæ ipſæ (meatus per quos Alimentum diſtribuitur) recipere ſuſtinent id quod ſatis eſt, neque natura id quod ſufficit hujus mundi reparationi ſubminiſtrat:

VARIÆ LECTIONES.

1146. *novando.* inſerunt *& fulcire cibis ac omnia ſuſtentare*, A. B. C. D. I. P. Q. pro *cibis* alios Q2. L. *Nonius. Et fulcire; cibus; cibus omnia ſuſtentare.* X. Y. Z. Vide Notas.

NOTÆ.

Hæc enim lectio, quæ tam longe à vulgata abit, ſcin' quo fundamento nitatur? Excerptis Servii, mi Lector, ex quibus liquido conſtat, non potuiſſe aliter legere Clariſſimum illum Grammaticum: cum ejus expoſitio receptæ lectioni non congruat, ſed hanc, quæ à me propoſita eſt, plane & neceſſario ſupponat: ſic autem ſe habet Servii explicatio: Hinc *pro* hac cauſa, *vel* propter hoc, *& eſt adverbium locale pro conjunctione cauſali: Quia ſecuta ſunt poſtea oraculum, &* Adscita *Calchantis factio*; Adscita *ſane dicitur* abſumpta. (*legendum* adſumpta.) Labes *vero* ruinam *ſignificat à lapſu.* Vides ita veram eſſe eam lectionem, quam ego ab oblivione reducem feci, ut illud *Adſcita* non modo in explicatione Servii reperiatur, ſed, quod omnem dubitationem tollet, ab eo etiam exponatur per *adſumpta.* Præterea *labem* explicat per *ruinam.* Itaque illud *mali* ſtare non poteſt. Sed unde illud *prima.* Ex gloſſemate grammaticorum, qui ad oram libri adſcripſerant, *prima labes.* ad oraculum, *Secunda.* ad Calchantis cum Ulyſſe compoſitam fraudem, *Tertia.* Si quis hæc otioſe & æquo animo apud ſe reputabit, à me opinor non longiuſcule abibit. Nunc fortaſſe jam tempus ſit ad Lucretium regredi, ſed eſt & aliud in VIII. Æneidos vs. 63. quod me revocat; idque tale eſſe exiſtimo, ut tecum communnicatum oporteat; certe de illo tecum agere decreveram in N. ad I. Lucretii: Loquitur Tiberinus:

Ego ſum pleno quem flumine cernis:
Stringentem ripas & pinguia culta ſecantem,
Cæruleus Tybris cælo gratiſſimus amnis.
Heic mihi magna domus celſis caput urbibus exit.

Multa vero ad hæc Interpretes, & eo quidem conatu, qui quam magnus & operoſus, tam & profecto irritus & ob rem nullam eſt: alii enim ad vocem *caput*, notaverunt, *de fonte fluvii in editiore Etruriæ parte exeunte intelligi debere, nam capita fontes amnium vocari ſolent.* Alii de exitu ſeu oſtiis fluminis id accipi debere arbitrantur; Alii denique de dignitate & præſtantia urbis Romanæ multa hinc illinc corraſerunt; magnum ἀγώνισμα ſcilicet, & dignum iſto genere hominum, qui offarcinatas ſcholaſticis nugis editiones nobis obtrudunt. Sed nemo, quod ſciam, extitit, qui vel minima ſuſpicione verum tetigerit. At ſi, quod unum eſſe in interpretando, præque omnibus unum ante oculos eſſe debet, ſi, inquam, ſermonis Latini genium conſuluiſſent, pauciora quidem multo, ſed & multo meliora ſcripſiſſent. Primum enim quid eſt, *Hic mihi magna domus caput exit?* an quia latiſſimos fontes Tybris habet? eſto, quamquam, *&c.* Sed an è montibus Etruriæ repente circa ea loca fontes illi delati ſunt, in quibus poſtea condita Roma eſt? Dein ſi *caput* fontem ſignificabit, quid erit quod cum *celſis urbibus* jungi queat? Præterea quid iſthuc, *domus exit*; An id moris erat temporibus Heroicis, ut tecta horſum illorſum ſine machinis tranſmoverentur? (quanquam reperti ſunt quibus tale aliquid in Piceno circa ædiculam ſacram magna hodieque celebritate inſignem multis poſtea ſæculis factum fuiſſe perſuadere libuerit.) Sed ſi mota Tybridis domus eſt, qua ratione intelligetur, *exit hic.* Uno itaque verbo dicam, loqui Deum, & in eo verſu vaticinium eſſe; itaque ſi vocem aliquam ἀρχαϊκὴν uſurpaverit Virgilius, id ex Decoro perſonæ fecerit, quemadmodum alibi ſæ-

Quod ſatis eſt, neque quantum opus eſt, naturâ miniſtrat.
Jamque adeo affecta eſt aetas, effoetaque tellus
Vix

INTERPRETATIO.

Imo jam jam vires Terræ diminuuntur, & Tellus fit effœta, vix producit parva Animalia, quæ cuncta

VARIÆ LECTIONES.

1150. *affecta eſt.* effæta 'ſt C. E. N. *priſci codd. Pii.* fracta 'ſt D. I. L. P. Q. Y. Z. *Gaſſ.*

NOTÆ.

ſæpe; & quia, uti dixi, vaticinium hic verſus complectitur (tunc enim & Roma & Romulus ἐν ἰδέαις Πλάτωνος jacebant,) verbum aliquod futuri temporis in eo fuerit neceſſe eſt: Quare nunquam dubitavi quin ſit legendum,

Hic mihi magna domus celſis caput urbibus eſcit,

ſeu *eſſit*, id eſt, *erit*; de quo ad I. Lucretii librum antea dictum. Hoc certe habet emendatio noſtra, quod omnibus omnino difficultatibus obviam eat; ſenſu tam perſpicuo, ut nil ſupra. *Hic mihi magna domus*, aliquando *cunctarum urbium caput erit.* Atque equidem haud ſcio an Te hæc legiſſe tædeat, me quidem ſcripſiſſe haud ſane pœnitet. Sed tandem, tandem tempus eſt ut in viam redeamus. FABER. Adde & Lipſ. de Phil. Stoica p. 866.

1145. *Putreſque ruinas*] Gaſſendus *Triſteſque.* CREECH.

1146. *Omnia*] Res omneis. nam vox *omnia* eſt caſus accuſandi. regitur enim ab infinitivo *integrare:* neque pertinet ad duos ſuperiores verſus. LAMB. Huic verſui nonnulli ſubjungunt prorſus ineptum

Et fulcire cibis, ac omnia ſuſtentare.

Hic enim delendus eſt, Imo, ſi Libri permitterent, tres alios rejicerem. CREECH.

1147. *Et fulcire ſitis, ac omnia, &c.*] Quis non videt, hunc verſum eſſe παρεμβεβλημένον, & ab eadem incude atque officina, ex qua ſuperiores aliquot, profectum, ſive legamus *Et fulcire cibis*, ſive *Et fulcire cibus*, ſive *Et fulcire artus*, ſive (ut quidam malunt) *Et fulcire ſitis?* LAMB. Hunc verſum nothum cum Lambino putamus. Forte interim: *cibus.* GIFAN. Immerito verſum *Et fulcire* &c. expungi volunt, ob depravatam paſſim lectionem, quæ ex Codd. Lugd. Bat. clara & perſpicue vera à nobis eſt repoſita. Dicitur autem *fulcire cibus*, ut (notante Caſaub. ad Perſii Sat. 1. p. 74. Gregorio Nyſſeno dicitur ἡ τροφὴ ὑποστηρίζειν τὸ τῆς φύσεως ἡμῶν ἐνδεές. atque Seneca de Beata vita dixit *animo fulcire corpus*, quomodo & ipſe Lucretius 3: 125.

Noſcere ut hinc poſſis, non æquas omnia partes
Corpora habere, neque ex æquo fulcire ſalutem.

HAV.

1148. *Nec venæ perpetiuntur*] Recipiunt, habent. ita & Gr. πάσχουσι. FABER.

1150. *Jamque adeo*] Vim probandi habet iſtud *adeo*, quaſi diceret, Idque ita verum eſt, ut ante oculos omnia paulatim effœta fieri videamus. FABER.

1150. *Jamque adeo fracta eſt ætas, effætaque &c.*] Sic mihi videtur legendum, & ita ſcriptum fere eſt in omnibus libris manuſcr. nam libri quidem Faërni, & Tettii, habent,

Jamque adeo facta eſt ætas, affectaque tellus.

Bertinian. autem,

Jamque adeo facta eſt ætas, effætaque tellus:

Memm. ſine ulla varietate,

Jamque adeo fracta eſt ætas, effætaque tellus.

Quod ſi quis malit ita legi,

Jamque adeo fracta eſt ætas, affectaque tellus,

equidem libenter ei aſſentiar. Videtur enim tellus affecta quidem eſſe, ſed nondum effæta. Ne hæc quidem rejicienda eſt,

Jamque adeo affecta eſt ætas, affectaque tellus.

quid ſit autem affecta ætas, affectum bellum, & ſimilia, ſciunt, qui Latine ſciunt. LAMB. Ita (*fracta*) omnes fere libri veteres. Quidam tamen: *facta*; & *affecta.* Sed hoc ex pronunciatione manavit. Vide & infra, lib. v. verſ. 825. Illa ſimilitudine & loquendi formula à fæmina ſumptis in eadem re utuntur Virgilius, Columella, & Salluſtius. GIFAN. Locum Salluſtii aliosque in Indice Gifaniano habes. Opo-

Vix animalia parva creat, quae cuncta creavit
Saecla, deditque ferarum ingentia corpora partu.
Haud (ut opinor) enim mortalia ſaecla ſuperne
Aurea de Coelo demiſit funis in arva:
Nec mare, nec fluctus plangentes ſaxa creârunt:
Sed genuit Tellus eadem, quae nunc alit ex ſe.
Praeterea nitidas fruges, vinetaque laeta

Spon-

INTERPRETATIO.

rerum genera, & vaſta ferarum corpora olim peperit & procreavit; Non enim, ut opinor, Funis aureus de Cælo in Terram demiſit genera Animalium; neque Mare, neque Fluctus rupes pulſantes illa produxerunt, ſed Terra ex ſe produxit res omnes quas nunc nutrit & ſuſtentat. Præterea Tellus ſponte ſua Opimas ſegetes & vineta grato fructu abundantia olim mortalibus produxit,

VARIÆ LECTIONES.

1153. *enim mortalia.* & inmortalia P.

NOTÆ.

ponit autem *fœta* & *exhauſta* i. e. effæta Lucanus in Catonis Marcia 2: 338.

Dum ſanguinis inerat, dum vis materna, peregi
Juſſa Cato, & geminos excepi fœta maritos,
Viſceribus laſſis partuque exhauſta, revertor.

De hac autem Epicureorum opinione adi Turnebi Opera Tom. 3. p. 20. & Lipſium Philoſ. Stoicæ p. 872. Hav.

1154. *Aurea de cælo*] Hunc verſum profert Nonius in voce *funis*, & A. Gell. lib. 13. cap. 19. notans *funis* dictum eſſe à Lucr. genere fœmineo, ut verſus eſſet grandiore ſono. Animalia (inquit) non ſunt è cælo delapſa, aut per funem illum aureum demiſſa, ſed à terris initio edita. Alludit ad catenam illam auream, quam commemorat Homer. Ιλ. θ. 18.

Εἴ δ' ἄγε πειρήσασθε θεοὶ, ἵνα εἴδετε πάντες·
Σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες,
Πάντες ἐξάπτεσθε θεοὶ, πᾶσαί τε θέαιναι, &c.

Plato in Theæt. per hanc catenam, ſolem ſignificari arbitratur. ſic ille, Ὡς οὐδὲν ἄλλο, ἢ καὶ ἥλιον Ὅμηρος λέγει, καὶ δηλοῖ, χρυσῆν σειρὰν, ὅτι ἕως μὲν ἂν ἡ περιφορὰ ᾖ κινουμένη, καὶ ὁ ἥλιος, πάντα ἐστὶ καὶ σώζεται τὰ ἐν θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις· εἰ δὲ σταίη τοῦτο, ὥσπερ δεθὲν, πάντα χρήματα ἂν διαφθαρείη, &c. i. e. *Namque nihil aliud Homerus quam ſolem dicit, & oſtendit eſſe auream catenam: quia dum ſol mundum ſuo curſu ambit ac luſtrat, omnia ſalva ſunt, & conſervantur, tum quæ apud Deos ſunt, tum quæ apud homines.: ſi vero ſtet, & quieſcat tanquam vinctus, res omnes interierint.* At Macrob. lib. 1. in ſomnium Scipionis, catenam illam Homericam vult eſſe *à ſummo Deo ad ultimam rerum fæcem, connexionem unam mutuis ſe vinculis religantem, & nuſquam interruptam.* Lamb. E terra, inquam, hæc omnia orta; neque enim ut iſti providentiæ aſſertores ajunt, animantia è cœlo per Catenam illam, quam unus hominum Homerus vidit, demiſſa ſunt; neque porro à mari & fluctibus littora pulſantibus edita; ſed quæ tellus hodie omnia genera alit, illa ipſa eſt quæ cuncta protulit. Faber.

1155. *Nec mare*] Solent poëtæ, quem ſignificare volunt inhumano atque immiti ingenio eſſe præditum, *è mari* eum dicere *eſſe natum.* Homerus Ιλ. π. 34.

——— *γλαυκὴ δέ σ' ἔτικτε θάλασσα.* Lamb.

1155. *Plangentes*] Verberantes. Lamb.

1157. *Nitidas fruges*] Nitidas, id eſt plenas, & opimas. ſic item ſæpe alibi. Sic Horat. epiſt. ad Albium Tib. de ſeipſo:

Me pinguem & nitidum, bene curata cute, &c.

Vide ſupra eodem lib. 594. & 993.

Tum porro nitidas fruges arbuſtaque læta &c. Lamb.

1161. *Et vireis agricolarum*] Sic habent libri manuſcr. aut, ne mentiar, *viris*: quod indocti non intelligentes, corruperunt, & ſubdiderunt

vi-

Sponte ſua primum mortalibus ipſa creavit.
Ipſa dedit dulceis foetus, & pabula laeta:
Quae nunc vix noſtro grandeſcunt aucta labore:
Conterimuſque boves, & vires agricolarum
Conficimus; ſeris vix arvis ſuppeditati:
Uſque adeo pereunt foetus, augentque labores.

Jam-

INTERPRETATIO.

ipſa etiam ſponte ſua dulces fructus procreavit, & læta gramina; quæ nunc temporis Hominum cura & labore adjuta ægre creſcunt: Boum & Agricolarum vires conterimus, vix ſatis ferri eſt quo agros colamus, (in colendis Agris omne ferrum conſumimus) uſque adeo res ægre creſcunt, & labores Hominum augentur: Et nunc temporis robuſtus Arator quaſſans caput queritur

VARIÆ LECTIONES.

1160. *Quæ.* Qua Y. Z.
1161. *vires.* viribus C. E. N. Q1.
1162. *Conficimus; ſeris.* Ita A. B. *& Gronov. atque Cr. in not.* Conficimus ſeris P. conf. feris Q. conficimus ferrum *Reliqui. ſuppeditati.* ſuppeditarit D. ſuppetiati P. *in not.*
1163. *pereunt.* parcunt V. X. Y. Z. pariunt P. *ex codd. antiquioribus tamen in not. reponit* pereunt. *labores.* labore P. X. Z. laborem P. *in not.*

NOTÆ.

viribus: eademque opera addiderunt duos verſus, qui deinceps ſequuntur:

Conficimus ferrum vix arvis ſupp.

vel, ut alibi legitur,

Conficimus feris, &c.

deinde alterum,

Uſque adeo pereunt fœtus,

vel, ut alibi legitur, *pariunt fœtus:* vel, ut alii libri habent, *parcunt*, &c. quos ego delendos cenſeo. LAMB.

1161. *Et viris agricolarum*] Ita veteres libri. Id eſt, agricolas; ut *vis equorum*, pro *equis.* Vulgati: *viribus.* GIFAN.

1161. *Conterimuſque boves*, &c. *Conficimus ferrum*, &c.] Hi duo verſus unde olim malum pedem tulere, eo & referre debent: neque enim Lucretii lucerna digni ſunt. FABER. *Sera* autem Arva, Triſtia, quæ fructum ægre reddunt: ut *Sera* mors Æneid. 6. Mors *gravis*; & *ſerum* Bellum apud Saluſtium, *Grave* bellum. *Servius.* Quidam legunt:

Conficimus, ferrum vix arvis ſuppeditârit.

CREECH. Recte *Seris* legit Gronov. Obſ. 1: 17. atque ſimilibus ex Virgilio aliiſque locis illuſtrat, verum oſtendit *Sera arva* hic non ſignificare triſtia & laborioſa, verum tarde provenientia, atque ita pro tanto labore maligne & ſero fructum reddentia. Hos autem verſus omnino Lucretianos eſſe patet ex collatione lib. 5: 207. & ſeqq.

Quod ſupereſt arvi, tamen id Natura ſua vi
Sentibus obducat, ni vis Humana reſiſtat
Vitai cauſa valido conſueta bidenti
Ingemere &c.

Dicit vero *ſuppeditare arvis*, pro ſufficere, ut Plaut. Aſin. 2: 4: 17.

Labori non queo ſuppeditare.

Cicero Catilin. 2. *Sed ſi omiſſis his rebus omnibus, quibus non ſuppeditamus.* HAV.

1162. *Conficimus. ſeris vix arvis ſuppeditati*] Ita ex veteribus quibuſdam libris, & ratione ſuadente ſcripſi, & interpunxi. Quidam libri: *ferrum;* male. Quidam libri: *pariunt.* Fortaſſe hi duo verſus ſunt nothi, ex mendoſa præcedentis verſus ſcriptura interjecti: quod & alias contigit. Vide verſus præced. GIFAN.

1163. *Uſque adeo pereunt fœtus*] Palmerius *Parcunt* fœtus, id eſt, parcius redduntur, & augentur Labores. CREECH.

Jamque caput quaſſans grandis ſuſpirat arator
Crebriùs incaſſum magnum cecidiſſe laborem,
Et quom tempora temporibus praeſentia confert
Praeteritis, laudat fortunas ſaepe parentis:
Et crepat, antiquum genus ut pietate repletum

Per-

INTERPRETATIO.

ingentem ſuum & improbum laborem ſæpe incaſſum cecidiſſe, comparat præſentem ætatem cum præterita, frequenter laudat fælicem parentis ſui ſortem, & ſæpe memorat, ut priſca gens mortalium pietatis plena

VARIÆ LECTIONES.

1165. *magnum.* manuum V. *laborem.* labores V. Y. Z.

1167. *parentis.* parentum N. Inſerunt: *Triſtis item vetulæ vitis ſator atque fatigat Temporis incuſat nomen ſæclumque fatigat* C. E. M. N. P. omnes MSSti L. V. Y. Z. *atque.* æqua E. P. N. in quo alter verſus non comparet. Ut nec in Q. & X. qui legunt *atque fatigat*, ſed in marg. habet Q. pro *vetulæ* alii *vitulæ*, pro *vitis* alii *viti. nomen.* momen P. *in not. ſæclumque fatigat.* ſeclumque fatiſcens, corrigit P. *in not.*

1168. *ut pietate. ſuppletate* Z. *ſed ſuperſc.* ubertate.

NOTÆ.

1164. *Jamque caput quaſſans*] Quaſſare ſeu movere caput, geſtus eſt iraſcentis, aut minantis aut lamentantis. Virg. lib. 7. Æneid. 292. de Junone

Tum quaſſans caput, hæc effudit pectore dicta:
O ſtirpem inviſam, &c.

idem 12: 894

Ille caput quaſſans, non me tua fervida terrent
Dicta ferox, &c.

Homer. Ὀδυσσ. ε. 285.

Κινήσας δὲ κάρη προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν.

Plautus Trinum. 5: 2: 45.

——— ——— *Quid quaſſas caput?*
Ch. cruciatur cor mihi, & metuo. Lamb.

1167. *Laudat fortunas ſæpe par.*] Sic habent quattuor lib. manuſcript. vulgati *parentum.* Lamb. Qui hunc ſequebantur verſus duo, delevimus; quia & inepti ſunt, & a libris noſtris aberant. Gifan. Si retinere velles, poſſes legere

Triſtis item vetulæ viciæ ſator ægra fatigat
Tempora, & incuſat Numen, ſæclumque fatiſcens.

Ita Virg. Georg. 1: 75.

Aut tenues fœtus viciæ, triſtiſque lupini.

Eſt enim *vicia* leguminis genus; & tenuis hic victus antiquis illis & antiqua laudantibus convenit. *Fatigare* vero ſimpliciter dixere pro conviciis & maledictis inceſſere; ut docet Salmas. ad Vopiſc. p. 796. Hav.

1167. *Triſtis item vetulæ, &c.*] Vide, ſodes, lector, nugatoris illius, qui hos duos verſus affinxit, impudentiam cum pari ſtultitia atque inſcitia conjunctam. quemadmodum ſupra verſui, in quo neſcio quid de cibo dicebatur, ſubjunxit verſum de potu, ſeu potius de ſiti; ita hic, quia Lucretius aratorem dixerat ſuſpirare & lamentari, ſe toties fruſtra laboraſſe, tum præſentia tempora cum præteritis conferentem parentis ſui fortunas præ ſuis laudare: quaſi aliquid deeſſet, addidit de ſuo quiddam de vinitore. Hunc igitur verſum,

Triſtis item vetulæ, &c.

& alterum ei proximum,

Temporis incuſat nomen, &c.

ille ſibi habeto: nos hinc deleamus. Lamb.

1167. *Laudat fortunas ſæpe parentis*] Huic fere, quamquam alio fine, illud Flacci A. P. 173. ſimile eſt, *laudatur temporis acti ſe puero.* Faber.

1168. *Et crepat*] Et crebro habet in ore, crebris uſurpat ſermonibus: ὡς, id eſt quam, vel quomodo antiquum genus pietatis plenum, *facile*, id eſt, ſine magno labore, καὶ μετὰ ῥᾳστώνης, *tolerarit ævum*, egerit ætatem, vitam traduxerit, aut ſuſtentarit anguſtis agrorum limitibus ac terminis. id eſt parvo agello. hunc verſum profert Nonius in verbo *crepare*, cum illo Horatiano:

Quis poſt vina gravem militiam crepat? Lamb.

Jactat, dictitat. Horat. Faber. Argumento,

quod

Perfacilè anguſtis tolerarit finibus aevom,
Quom minor eſſet agri multò modus ante viritim:
Nec tenet, omnia paullatim tabeſcere, & ire
Ad capulum ſpatio aetatis defeſſa vetuſto.

INTERPRETATIO.

vitam omnibus rebus neceſſariis abundantem nullo ſuo labore tranſegerit inter anguſtos fines, cum olim ſingulis Hominibus multo minor Agri modus contigit: Nec intelligit res omnes paulatim deficere, ad interitum vergere, & multis annis feſſa & debilitata ad ſcopulum ætatis (metam terminumque vitæ ſuæ) tendere.

VARIÆ LECTIONES.

1169. *tolerarit.* toleraret P. *aliter in not.* Q.
1170. *minor.* minus N. *multò modus.* multimodus C. P. Q. multis modus, *corrigit* P.
1171. *& ire.* ut ire D.
1172. *Ad capulum* Ad copulum Y. Z. *ſed a ſec. manu emendatur ut eſt in vulg.* ad ſcopulum *in* Z. Ad capulum V. *Addit S. V. in* Q. Proverbium illud eſt. Plautus in Bacch.

NOTÆ.

quod modo duxerat ex *Epicuri* placitis, ſubjungit Poëtarum fabulas de aureo ſeculo, viz. tum temporis mire fertilis erat Terra, omnia ſponte produxit, quæ jam multo labore ſubacta ægre Homines ſuſtentat: Conſcius autem Poëtas iſtos hanc Terræ fertilitatem Numinis benevolentiæ Piis hominibus faventis attribuiſſe, iſtam opinionem Scommate impugnat, & deſpicit ignorantiam illorum, qui Tellurem Senio effœtam fieri nondum intellexerint. CREECH.

1169. *Perfacile tolerarit ævum*] Beati viverent; ſic enim hunc locum capio, ut illum Terent. *Quam vos facile vivitis.* Inde apud Homer. Il. ζ. 138. dii ῥεῖα ζώοντες dicuntur. Per ſcopulum autem intelligit exitium, labem, ruinam. FABER.

1170. *Quom minor eſſet agri m. m. a. v.*] Contarium inter ruinæ Romanæ Reip. cauſas enumerat Lucanus 1: 167.

——— ——— Tunc longos jungere fines
Agrorum, & quondam duro ſulcata Camilli
Vomere, & antiquos Curiorum paſſa ligones
Longa ſub ignotis extendere rura colonis. HAV.

1171. *Nec tenet*] Nec intelligit. ſic libr. 3: 137.
Nec tenet, amiſſam lævam cum tegmine ſæpe, &c.
Plautus Pœnulo 3: 1: 72.
——— tenetis rem.
Reſpondent Advocati, riſu quæſito ex ioco præter expectationem ſubobſcæno:
Vix quidem hercle, ita pauxilla eſt, digitis primoribus.
qui iocus, ſi cui nondum etiam planus eſt, eum ſuo loco, cum Plautum commentariis illuſtratum edemus, declarabimus. LAMB.

1172. *Tabeſcere*] Minui, liqueſcere, τήκεσθαι, φθίνεσθαι. Plautus Sticho 5: 5: 11.
Poſtea accumbam, quia ſenſim extabeſcit dies. LAMB.

1172. *Ad ſcopulum*] Ad interitum. tranſlatum à navi, quæ infligitur ſcopulo. LAMB. Ad interitum: tranſlatum à navi quæ infligitur ſcopulo. *Lambinus.* Per *Scopulum* intelligit exitium, Labem, ruinam, *Faber.* Salmaſius autem aſſerit *Scopulum* eſſe metam, ſeu parvum ſcopum: ſic Suetonius in Domitiano cap. 19. *Nonnunquam Pueri procul ſtantis, præbentiſque pro* Scopulo *diſpanſam dextræ manus palmam* &c. CREECH. Quoniam in MS. optimo L. B. legitur *ad copulum* a manu antiqua puto ſcriptum olim fuiſſe *ad capulum*, i. e. ad locum funeris & interitum. Navibus enim quæ ſcopulo alliduntur, illud in medio curſu accidit non ſenſim; metæ quoque ſcopulus, ut diminutivum, quæſitum a Suetonio, hic locum habere vix poteſt; neque *ire*; ſed *currere* vel ſimile quid tunc dixiſſet. At quum de Terra ut *effœta* agat, quam modo *tabeſcere* dixit, nihil videtur convenientius, quam *ad capulum*, quod ætati vetuſtæ convenit. Horatius de Lyce jam vetula & effœtæ formæ 4: 14: 26.
Poſſent ut juvenes viſere fervidi
Multo non ſine riſu,
Delapſam in cineres facem. HAV.

IN hoc Libro poſitæ ſunt omnes *Epicuri* fortunæ, Exiguæ quidem iſtæ, quas tamen multi olim afflixerunt, & Tullius diripuit. Inſtaurare demum magno conatu nititur *Lucretius*, eo ſucceſſu, quem meretur: Idem enim *Epicuri* opinionibus accidit quod Fœtui mali ſtaminis, copioſum licet, & ſaluberrimum Alimentum ingeras: debilis tamen manet, & infirmus.

A v. 66. ad v. 82. Docet Poëta Motum eſſe, nec diffitemur; Motum etiam rerum Omnium è Motu ſeminum oriri, illud quoque agnoſcimus: ſed dum v. 82. Pondus Seminibus, & inde Motum attribuit, nimium ſibi & ſuis Atomis indulget: quis pondus omni Materiæ, & quis Corporibus ejuſdem molis idem pondus concedat? Senſus enim & Experientia reclamant. Vidit autem *Epicurus* Lapides, Ligna, cuncta denique intra Mundi hujus ambitum contenta deorſum tendere, atque ideo credidit Omnia ab æterno deſcendiſſe, quam Opinionem qui amplectitur, næ ille erit nitidiſſimus de grege Epicuri Philoſophus: Idem enim ac ſi diceret, rotas, elateres, & reliqua machinæ alicujus membra id factura ſeorſim, quod conjunctim faciunt. Sed ut hoc quoque largiamur: Habemus tandem Infinita Semina per Inane infinitum pari paſſu, & æquali velocitate deorſum tendentia. In immenſitate Latitudinum, Longitudinum, Altitudinum, Infinita vis innumerabilium volitat Atomorum, quæ interjecto Inani cohæreſcunt tamen inter ſe, & Aliæ alias apprehendentes continuantur, ex quo efficiuntur hæ rerum formæ & figuræ. Unde vero Aliæ alias apprehendant, cum pari velocitate omnes ferantur? viz. Paullum, & quam minimum declinant, v. 221. Sed ipſa hæc declinatio ad libidinem fingitur, (ait enim *Lucretius* declinare Atomos ſine Cauſa, quo nihil turpius Phyſico) & illum motum naturalem omnium ponderum è regione inferiorem locum petentium ſine Cauſa eripuit Atomis. Nec tamen id, cujus cauſa hæc finxerat, aſſecutus eſt: nam ſive omnes Atomi declinabunt, nullæ unquam cohæreſcent; ſive aliæ declinabunt, aliæ ſuo nutu recte ferentur, erit hoc quaſi provincias Atomis dare, quæ recte, quæ oblique ferantur. *Tullius* primo de Finibus.

Hanc difficultatem ſenſit ipſe *Lucretius* v. 225. ubi non tam ſolvit, quam vi ejus ſuccumbit oppreſſus & proſtratus:. Sed v. 251. aliam difficultatem movet, cujus ope vim prioris effugere conatur; vel, ut Sepia, tenebras & caliginem offundit, ut difficilius inveniri & capi poſſit. Aſſerit enim ſine iſta ſeminum Declinatione Libertatem Voluntatis, quam in omnibus Animalibus ſentimus, explicari non poſſe. Reſpondet *Cicero lib. I. de Natura Deorum.* Hoc perſæpe facitis *Epicuræi*, ut cum aliquid non veriſimile dicatis, & reprehenſionem effugere velitis, efferatis aliquid quod omnino ne fieri quidem poſſit: ut ſatius fuerit illud ipſum, de quo ambigebatur, concedere; quam tam impudentur reſiſtere: Velut *Epicurus*, cum videret, Si Atomi ferrentur in locum inferiorem ſuopte pondere, nihil fore in noſtra poteſtate, quod eſſet eorum motus certus & neceſſarius: invenit quo modo neceſſitatem effugeret, quod viz. *Democritum* fugerat: Ait Atomum, cum pondere & gravitate directo deorſum feratur, declinare paullum. Hoc dicere turpius eſt, quam illud, quod vult, non poſſe defendere. Et Libro de *Fato. Epicurus* uno tempore res duas ſuſcipit inenodabiles, unam, ut ſine Cauſa fiat aliquid, ex quo exiſtet ut de nihilo quippiam fiat: quod nec ipſi, nec cuiquam Phyſico placet: alteram, ut cum duo Individua per Inanitatem ferantur, alterum è regione moveatur, alterum declinet. Fuſius deinde hanc cauſam agit in *eodem libro.* Quæ ergo nova Cauſa in Natura eſt quæ declinat Atomum? aut num ſortiuntur inter ſe, quæ declinet, quæ non? aut cur minimo declinet intervallo, majore non? aut cur declinet uno Minimo, non declinet duobus aut tribus? Optare hoc quidem eſt, non diſputare; nam neque extrinſecus impulſam Atomum loco moveri dicis, neque in illo Inani, per quod feratur Atomus, quidquam fuiſſe cauſæ cur ea non è regione ferretur, nec in ipſa Atomo mutationis aliquid factum eſt, quamobrem naturalem ſui ponderis motum non teneret. Ita cum attuliſſet *Epicurus* nullam cauſam quæ iſtam declinationem efficeret, tamen aliquid ſibi dicere videtur, quum id dicat quod omnium mentes aſpernentur & reſpuant. Ita Hortos *Epicuri* vaſtat *Cicero*, & evertit totam illam, quæ Providentiæ iniquior eſt, Philoſophiam.

Melius tamen ſuccedit longa illa a v. 333. ad verſum 580. Diſputatio de varietate Figurarum quæ in ſeminibus invenitur; ſimiliter illa de Seminibus diverſimode figuratis in unoque Compo-

poſito contentis, à v. 581. ad v. 728. Argumentum enim fabulis ſubinde introductis ornat, & ſententiam ſuam variis, iiſque firmiſſimis rationibus confirmat.

Nec ullus unquam Epicuræ Philoſophiæ adverſarius effugiet iſta argumenta, quibus à v. 729. ad v. 1021. demonſtrat Semina Coloris, Odoris, Caloris, omnis denique qualitatis, & ſenſus eſſe expertia: Originem ſenſus Ipſe, fateor, non recte explicat, at ſenſum Animalium ſenſilibus Principiis (quod unum in hoc libro agit) minime deberi eo, quo *Lucretium* decuit, acumine perſuadet.

Quod denique à v. 1022. ad v. 1103. Innumerabiles Mundos extruit, hoc etiam ferri poteſt, ſi aliquem Architectum adhibuiſſet. Sed quis credit ex Atomorum concurſione fortuita hunc mundi pulcherrimum ornatum eſſe perfectum? An cum machinatione quadam aliquid moveri videmus, ut Sphæram, ut Horas, ut alia permulta, non dubitamus quin ſint opera illa rationis: Cum autem impetum Cœli cum admirabili celeritate moveri, vertique videamus, conſtantiſſime conficientem viciſſitudines Anniverſarias cum ſumma ſalute & conſervatione rerum omnium, dubitamus quin ea non ſolum ratione fiant, ſed etiam excellenti quadam divinaque ratione? Quod ſi Mundos efficere poteſt concurſus Atomorum, cur Porticum, cur Templum, cur Domum non poteſt, quæ ſunt minus operoſa, & multo quidem faciliora? Hæc *Cicero* Providentiæ gratiſſimus vindex.

Demum à v. 1104. ad v. 1172. Mundos innumerabiles quotidie naſcentes, & intereuntes contemplare, & Beatum Te judicabis, Lector, qui inter tot tantaſque ruinas integer manes & illæſus: Interim ridebis lactentes iſtos, & feneſcentes mundos, modo fame enectos, modo pinguedine nimis obeſos. Certo enim certius, tum perire omne Lucretii acumen cum Providentiæ adverſetur. Creech.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBRI TERTII

ARGUMENTUM.

HActenus, duobus nempe ſuperioribus libris Naturam & Affectiones quas dicimus Atomorum, rite explicâſſe ſibi viſus eſt Poëta. Nunc quatuor reliquis libris ea, quae ex Atomis iſtis fiunt, attentius ſpeculatur: Atque uti par fuit, primas detulit partes Animae & Animo, de quibus hoc toto libro jam diſputat. Hunc autem auſpicatur librum ab Epicuri laudibus, quem à v. 1. ad v. 94 praedicat primum docuiſſe non à Deo, ſed ex fortuito Atomorum concurſu Mundum hunc & omnia fuiſſe facta; atque inde Hominum mentes Deorum, Mortis, & Poenarum poſt mortem metu liberâſſe: Hoc autem unus Epicurus faeliciter perfecit, quod alii Philoſophi fruſtra conati ſunt. Pauca haec de Epicuro praefatus, docet à v. 94. ad v. 147. Animum & Animam partem eſſe Hominis aeque ac Pedes, Manus, Brachia, Caput, & reliqua membra, & non Habitum vitalem totius Corporis, ſeu omnium partium Corporis intentionem, & concentum, quam quidam veteres Philoſophi Harmoniam dixerunt. Ne vero minus diſtincte diſputare videatur, dum vocibus Animus & Anima promiſcue utitur à v. 147. ad v. 161. docet Animum & Animam unam quidem rem eſſe, Animum vero praecipuam eſſe partem, & in Corde reſidere, quippe ibi Metus, Gaudium, & reliquae Paſſiones quae Animum ſequuntur, ſeſe oſtentant; dum Anima, in qua loco-motiva facultas unice ſita eſt, per totum Corpus diſſita ad nutum Animi movetur: Inde à v. 162. ad v. 177. demonſtrare conatur Animi & Animae naturam eſſe Corpoream, Animus enim tangit Animam, quam movet, Anima autem Corpus; nullus vero, niſi inter Corpora, contactus. A v. 178. ad v. 323. docet Corporeum hunc Animum componi è ſeminibus minutiſſimis quidem, tenuiſſimis & maxime rotundis: Et ſi rem

rem ipſam ſpectemus, *è Calore*, *Vento*, *ſeu Vapore*, *& Aëre*; *& alia inſuper re*, *quae ex tenuiſſimis*, *minutiſſimis*, *& maxime mobilibus ſeminibus conſtans*, *eſt* ſenſus *Principium & Origo*: *Quo vero modo Calor*, *Ventus*, *Aër*, *& quarta illa res innominata miſceantur*, *explicare ſe non poſſe liquido fatetur. A v.* 324. *ad v.* 350. *aſſerit Animam & Corpus ita conjuncta eſſe*, *ut ſine utriuſque pernicie ſeparari non poſſint*: *Deinde à v.* 351. *ad v.* 370. *non ſolum Animum*, *ſed etiam Corpus* ſentire *affirmat*, *ſeu potius totum Animal*, *rem è Corpore & Anima compoſitam*: *Poſthaec à v.* 371. *ad v.* 417. *refutat opinionem* Democriti, *qui ſingulas Animae partes ſingulis Corporis partibus oppoſitas & conjunctas eſſe docuit*: *Et ut olim affirmâſſet Animum eſſe potiorem totius Compoſiti partem*, *ſic ab* Animo *potius quam ab* Anima *vitam dependere*, *& ſalutem Animalis conſervari aſſerit. Deinde à v.* 418. *ad v.* 842. *Animos & Animas naſci & interire cum Corporibus viginti octo argumentis demonſtrare conatur*, *&* Tranſmigrationem Pythagorae *obiter deridet. Demum à v.* 842. *ad v.* 882. *Mortem nihil eſſe docet*, *cum poſt mortem nihil eſt mortali Animae timendum*, *imo ſi Anima Immortalis* (*ut Platoni viſum eſt*) *concedatur*, *Mortem tamen nihil eſſe*, *cùm Anima ſeparata non meminerit ſe unquam antea extitiſſe. Proinde ad v.* 906. *ridet Hominum vanam de ſepultura ſolicitudinem*: *Deinde demonſtrat* Mortem *non eſſe Malum*, *quia mortui non indigent iſtis bonis quibus vivi gaudent*, *neque iſtis Doloribus afficiuntur qui miſeros mortales cruciant*, *ad v.* 943. *Vitam etiam ipſam non eſſe deſiderabilem*, *quippe quae nihil novi afferat*, *ſed eaſdem ſemper voluptates uſque ad nauſeam ſubminiſtrat*, *ad v.* 988. *Ne verò iſtae fabulae*, *quas Poëtae narrant*, *de Inferis & Poenis poſt mortem terreant mortales*, *ad v.* 1036. *omnes illas commoda interpretatione elevat. Deinde uſque ad finem hujus libri monet pleroſque Mortalium inepte & abſurde de* Morte *queri*, *cum ſapientiſſimi Hominum*, *& Potentiſſimi Ducum & Imperatorum vim dirae Neceſſitatis ſenſerint*: *Docet ideo mortales vitam ſollicitam & inquietam agere*, *quod hànc Mortis contemplationem refugiant*, *& inepte votis omnibus vitam expetere quam aliquando amiſſuri ſunt*, *quae nullam novam Voluptatem afferat*, *innumeris vero Doloribus & Periculis obnoxia reddatur*; *praeſertim cum vivéndo nihil detrahunt de tempore Mortis*, *quae omnes manet aeterna.*

T. LU-

T. LUCRETII CARI DE RERUM NATURA

LIBER TERTIUS.

E Tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuiſti, inluſtrans commoda vitae:
Te ſequor ô GRAIAE gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis,
Non ita certandi cupidus, quàm propter amorem,
Quod

INTERPRETATIO.

O Epicure, qui primus potuiſti tam claram lucem è tam denſis tenebris proferre, vitæ commoda illuſtrans, Te Græcorum decus, & ornamentum, ſequor; & in tuis veſtigiis meos pedes figo: Non quod Tecum contendere velim, ſed quod Tui obſervantiſſimus

VARIÆ LECTIONES.

1. *E Tenebr.* O Teneb. Y. A tenebr. X. Z.
3. *ſequor.* ſequar X. *decus.* dux *Gaſſ.*
4. *Fixa.* Ficta a. B. P. Q. V. X. Y. Z.

NOTÆ.

1. E *Tenebris tantis*] Epicurum affatur, eumque, ut harum rerum inventorem, & vitæ beatæ parentem, laudat. Sic L. Torquatus libro primo de finibus, de Epicuro: *Quem ego arbitror unum vidiſſe verum, maximiſque erroribus* (al. *terroribus*) *hominum animos liberaſſe, & omnia tradidiſſe, quæ pertinerent ad bene beateque vivendum. E tenebris tantis*, id eſt ex tanta rerum & cauſarum ignoratione. LAMB.

1. *Tam clarum extollere*] Tantam rerum obſcuriſſimarum cognitionem expromere, tamque facilem & proclivem beate vivendi viam demonſtrare. metaphora, ſeu allegoria eſt ab iis qui navigantibus, ſublatis facibus, lumen prælucent, & ubi ſint, quoque curſum flectere debeant, ex aliqua ſpecula ſignificant. φρυκτωρεῖν, & πυρσεύειν di-



Frans van Mieris inv et delin. IIII. I. Wandelaar fecit.

Quod te imitari aveo: Quid enim contendat Hirundo
Cycnis? aut quidnam tremulis facere artubus Hoedi
Con-

INTERPRETATIO.

Te imitari cupiam. Quid enim Hirundo cum Cygnis certaret? aut quid Hœdi tremulis membris debiles & infirmi præſtare

VARIÆ LECTIONES.

6. *imitari aveo.* invitare habeo Q.

NOTÆ.

dicunt Græci. LAMB. Id Græci dicunt *αἴρειν πυρσὸν*; & cum quid e ſpeculis ea ratione ſignificabant, id *διὰ πυρσῶν*, & *παρὰ πυρσῶν* nuntiari dicebatur: Herodotus in Polymnia, & initio Calliopes. Hinc ſumpta metaphora eſt, qua Lucretius uſus. Epicurum autem alloquitur. FAB. Alloquitur autem v. 30. *Epicurum* Athenienſem Philoſophiæ Epicureæ Principem: Invenit quidem *Democritus*, ſed ita expolivit & perfecit *Epicurus*, ut Pater rerum & inventor à *Lucretio* haud abſurde diceretur. Huic quidem fælix ingenium gratulatur, beneficia agnoſcit quæ contulit hominibus, dum Naturam rerum explicavit, & omnem de Providentia opinionem & Terrores inde natos diſpulit: idem denique aſſerit, quod L. Torquatus in *Ciceronis* prim. lib. de Fin. Ego arbitror Epicurum unum vidiſſe verum, maximiſque erroribus Hominum animos liberâſſe & omnia tradidiſſe, quæ pertinerent ad bene beateque vivendum. CREECH.

2. *Illuſtrans*] Qui extollit Lumen proculdubio illuſtrat: in verſu ſequenti pro *Gentis decus: Gentis dux* Gaſſendus. CREECH.

4. *Fixa pedum*] Libri ſcripti habent *ficta*, mendoſe. quod ideo notavi, ut admoneam lectorem, librarios illos veteres ſcribere ſolitos eſſe *c* & *ſ* pro *x*, ut *fiſca*, pro *fixa*, *connecſa* pro *connexa*. ita factum eſt *ficta*. LAMB. Sic (*ficta*) omnes veteres libri; optime. Marullus, & Vulgati: *Fixa*. Vide Indicem. GIFAN. Quidam *ἀρχαϊκῶς ficta*, ſed quod ejuſdem ſignificationis ſit. FABER. Nec enim Lambinus id negare debet quod Diomedes, aliique veteres Grammatici aſſeruerunt. CREECH.

5. *Non ita certandi cupidus, quam propter*] Non ita certandi cupidus, quam, &c. pro, non tam certandi cupidus, quam, &c. ſic ſupra libro ſecundo: 1036.

Nulli, ut opinor, ita hæc ſpecies miranda fuiſſet,
Quam tibi, &c.

ſic enim vulgo legitur. ſed, ut ad eum locum notavi, malim omnino legi,

Nil, ut opinor. ita hæc ſpecies miranda fuiſſet.
Quam tibi jam nemo feſſus ſatiate videndi,
Suſpicere in cæli dignatur lucida templa:

ut ſit hæc ſententia: Nil, ut opinor: videlicet poterat his rebus mirabilius dici, aut nil, quod gentes minus auderent credere futurum. ſequitur jam *ἐπιφώνημα*: *ita hæc ſpecies*, &c. id eſt, uſque adeo hæc ſpecies, id eſt hæc facies, ſeu hæc forma, videlicet cæli, & errantium ſiderum, &c. mirabilis fuiſſet. ſequitur nunc, Quam ſpeciem nunc nemo videndi ſatietate defeſſus, id eſt, cujus formæ videndæ ſatietate defeſſus nemo tibi dignatur ſuſpicere in cælum. *tibi* dativus caſus eſt venuſtatis cauſa poſitus. Sic videtur hic locus potius & legendus, & intelligendus, quam quo modo impreſſus eſt. LAMB.

6. *Quod te imitare aveo*] Ita recte libri veteres. In quodam etiam veteri: *habeo*. GIFAN.

6. *Quid enim contendat hirundo cycnis*] Theocrit. *εἰδ. ζ.* 41.

——— *βάτραχος δὲ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω.*

Sic Virgil. Pharmac. 8: 55.

Certant & cycnis ululæ.

verbum *contendat* conjunxit cum dandi caſu, ut Horatius epiſt. ad Loll. libro primo 1: 18.

——— *mihi contendere noli.* LAMB.

Cygnorum enim cantus admirantur omnes, qui ingratam Hirundinum garrulitatem damnant;

Τί σοι θέλεις ποιήσω
Τί κωτίλη κελιδών Anacr. Od. 12. Ita enim legendum: non *Τί σοι, λάλη χελιδών.* *Κώτιλος* autem *ἀπατηλὸς, ἀπατεὼν, δόλιος, λάλος, κωτίλη, λαλεϛάτη* Heſych. CREECH.

7. *Artubus*] Ita erat in veteribus libris. Vi-

 de

Conſimile in curſu poſſint, ac fortis Equi vis?
Tu Pater, & rerum Inventor: tu patria nobis
Suppeditas praecepta, tuiſque ex, inclute, chartis,
Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,

Au-

INTERPRETATIO.

poſſunt in curſu, quod ſimile ſit celeritati fortis equi? Tu es pater, & Philoſophiæ auctor, Tu, ut Pater natis ſuis, das optima præcepta, & ex tuis libris, (Divine vir) ut Apes in agris floriferis è floribus dulcia ſua mella legunt, nos opiniones aureas colligimus, aureas inquam,

VARIÆ LECTIONES.

8. *ac.* & N. Q1. X. Y. Z.

9. *&.* es E. N. P. X. delet Y. ô Z. *ſed a ſec. manu.*

11. *libant.* Ita A. B. C. Cr. D. E. F. I. N. P. *Gaſſ.* limant L. *& priſci codd. Pii.* c. limantur X. deliniant O.

NOTÆ.

de Indicem. Gifan. Alii, *artibus*, quod olim uſurpare ſolebant; ſed ego *artubus* prætulerim; cum ſciam ab *artes* (τέχνας) dici *artitos* (Horat. 4. Od. 1: 15. *& centum puer artium*) ut *Artitus* in Gloſſis Philoxeni vertitur πάντεχνος, δαίδαλος, ſic ab *artus artutos*, id eſt *robuſtos* vocabant. Sunt tamen quîbus hæc minus certa videantur. ſed nil ad Lucretium. Faber.

8. *Fortis Equi vis*] Id eſt fortis equus: περίφρασις. Ennius:

Sicut fortis equus, ſpacio qui ſæpe ſupremo
Vicit Olympia, &c.

profert autem hunc verſum Nonius, & *fortis* interpretatur *celeris*. Lamb.

9. *Tu pater & rerum*] Sic legendum, non *Tu pater es*. Lamb.

9. *Patria*] Paterna, ſeu patrita. tu patrias nobis præceptiones, ſeu tu patria nobis documenta præbes. Lamb. Modo dixerat *Epicurum* eſſe Patrem & Inventorum rerum. Creech.

10. *Tuiſque ex inclute chartis*] Et ex tuis chartis. ſic libro quarto, 827.

——— *validis ex apta lacertis.*

& libro tertio, 851.

——— *quibus e ſumus uniter apti.*

& item ſæpe alibi. *inclute* autem habent libri ſcripti: quos ſecutus ſum. Sic libro primo: 41.

——— *petens placidam Romanis, incluta, pacem.*

Lamb.

11. *Limant*] Sic habent libri manuſcripti. tralatio autem eſt ab iis qui ferrum limant. *limant* autem, id eſt deterunt, decerpunt, depaſcuntur: alii *libant.* non probo. neque me movet illud Virg. libr. 4. Georg. 54.

——— *& flumina libant*
Summa leves.

Virgilius enim *libari flumina* dixit: Lucretius: *non flumina, ſed flores omneis*, qui ſunt in ſaltibus floriferis. Itaque idem Virgil. eodem verſu flores ab apibus non dicit *libari*, ſed *meti*: quod tantundem fere valet, aut etiam ὑπερβολικώτερον eſt, quam Lucretianum verbum *limare.* Sic Virg. Georg. 4: 54.

Illæ continuo ſaltus, ſilvaſque peragrant,
Purpureoſque metunt flores. Lamb.

Ita Lambin. malim tamen ubique *libant*, cum aliis editoribus. Gifan. *in pr. Ed.* Ita *Lambinus* è Codd. Alii *Libant*: quæ vox cum ſequenti *Depaſcimur* melius convenit. Creech.

11. *Libant*] Ita legiſſe videtur Virg. iv. Georg. ac Victorin. & ita Impreſſi, & noſtri Veteres. Alii: *limant*, quod nimis durum eſt, & repugnat verbo, *depaſcimur.* Gif. *in poſt. Ed.* Vide Gifanii Indicem, licet hunc locum celet. Cicero quoque 1. de Divinat. *Naturale* (ſc. divinandi genus) *quod animus arriperet, aut exciperet extrinſecus ex divinitate, unde omnes animos hauſtos, aut acceptos aut libatos haberemus.* Preig.

12. *Aurea dicta*] Jam alibi de voce *aureus*: fortaſſe hoc loco reſpexerit ad χρυσᾶ ἔπη Pythagoræ. Faber.

14. *Ratio*] Philoſophia, ſecta tua. Faber.

14.

Aurea, perpetua ſemper digniſſima vita.
Nam ſimul ac Ratio tua coepit vociferari,
Naturam rerum haud Divina mente coörtam,
Diffugiunt Animi terrores; moenia mundi
Diſcedunt, totum video per Inane geri res.

Ap-

INTERPRETATIO.

& dignas ut in memoria ſemper habeantur: Namque ubi primum Philoſophia tua perſpicue docuit Univerſum non eſſe à Deo factum, Terrores iſti, qui mentem occupabant, fugiunt; Mundi mœnia diducuntur, & per omne Inane ſpatium res naſci & interire video;

VARIÆ LECTIONES.

15. *haud.* Deeſt E. N. P. Q1. X. Y. Z. Inde L. *Divûm ſine mente coörtam.* coactam, creatam *Alii.* coartam Z.

NOTÆ.

14. *Vociferari*] Βοᾶν. Horat. epiſt. 17: 48. libri primi,

——— *Clamat, victum date.*

iterum Lucretius ſupra libro primo: 732.

Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, & exponunt præclara reperta. Lamb.

15. *Naturam rerum haud divina*] Suſtulerant negationem Chriſtiani homines, non ferentes ſcilicet ſententiam falſam & impiam. recte. ſed Lucretium aliud fecerant loquentem, quam ſentiat. Lucretius enim & Epicurei omnes volunt, hanc rerum naturam non à mente aut providentia divina eſſe creatam, ſed ex fortuito atomorum concurſu natam. negandi igitur particulam reſtituimus ex codice Donati Jannocti Florentini, typis impreſſo quidem illo, ſed ad manuſcriptum emendato: ad cujus oram ipſius manu hæc negatio erat adſcripta. Sed quid ſi legamus, eadem ſententia,

——— ——— ——— *Divum ſine mente coörtam?*

ut ſuſpicemur *ex divum ſine*; factum eſſe *divina*. Lamb. *Haud*, abeſt ab omnibus veteribus libris, & Vulgatis pleriſque. Gifan. *Haud* abeſt ab omnibus libris, ſed reſtituit, ſententia ipſa poſtulante, *Lambinus*: conjicit etiam legendum *Divum ſine.* pro *Coortam* mox Alii *coactam* malunt, quidam etiam libri *creatum* exhibent. Creech.

15. *Coortam*] Tres libri veteres habent *coartam*: unde poſſit quis conjicere, legendum *coactam.* quod ſi placebit, *coactam* interpretabor, *concretam*, *collectam.* in nonnullis aliis libris reperi *creatam.* Lamb. Recte Lambinus. Simile quid admiſere, qui contra mentem Poëtæ, pro vera lectione: *quod ſæpe nocenteis Præterit*, ſupra lib. II. verſ. 1103. Joh. Bapt. Pio ſuppeditarunt: *quod ſæpe nocenteis Perterit.* Preig.

17. *Diſcedunt*] Diſſipantur & diſparantur: vel dividuntur & hiant, ut apud M. Tull. off. 3. *Cum terra diſceſſiſſet magnis quibuſdam imbribus.* & Virg. l. 9. Æn. 20.

——— *video medium diſcedere cælum.* Lamb.

Longe latiora, ampliora, fiunt; animus fines nullos habet, quos intra coerceatur, ut antea. Faber. Melius vero *Lambinus*, dividuntur & hiant; Per diducta enim & hiantia mundi mœnia in magnum Inane proſpicit: M. Tull. & Virgilius in locis a Lamb. citatis. Creech.

17. *Geri res*] A natura rerum. ſed fortaſſe *geni* etiam hic legendum. *geni* autem valet *gigni*, ut ſæpe diximus. Verum tamen *geri* hoc loco videtur eſſe ferendum, atque adeo retinendum. Lamb. Ita (*geri*) omnes veteres codd. Dicit; mœnibus mundi diſparatis, videre ſe & quæ apud Superos, & quæ apud Inferos geruntur. Gif. Atque ex hoc loco apparet meliorem Gifanii (quod raro fit) quam Lambini eſſe cauſam, qui perpetuo invicem litigant. utrum *geri* an *geni* ſit ſcribendum, quorum prius Lucretio placuiſſe, vel hinc diſcimus. Hav.

18. *Apparet divum numen*] Sed cur apparet divum numen? Videlicet quæ ante Epicurum vulgus philoſophorum ſentiebat, ita ab eorum natura aliena erant, nihil ut de iis certi haberetur; at nunc apparent, &c. fortaſſe etiam non mi-

Apparet Divôm numen, ſedeſque quietae:
Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis
Adſpergunt, neque nix acri concreta pruina
Cana cadens violat: ſemperque innubilus aether
Integit, & large diffuſo lumine ridet.

Omnia

INTERPRETATIO.

Mentis meæ oculis Dii objiciuntur, & quietæ illorum ſedes, quas neque venti quatiunt, neque Nubes imbribus perfundunt, neque Nix alba acri pruina concreta cadens violat, & quas purus ſemper, & ſine nube Æther tegit, & late diffuſa ubique luce benigne aſpicit, & fovet.

VARIÆ LECTIONES.

19. *neque.* nec X. Z.
20. *acri.* acre Y. Z.
21. *ſemperque.* ſemper Q. X. Y. Z. *innubilus.* in nubibus Q.
22. *Integit.* Integer O.

NOTÆ.

minus recte dixeris, Apparet numen deorum. quietum (ſequitur enim, *ſedeſque quietæ*) ita ut ab iis nil mali quidquam metuendum ſit; cum jam moleſta illa odioſaque providentia remota ſit. Ceterum IV. illi verſus, qui hunc ſequuntur, ex Homero adumbrati ſunt; quod ſi Turnebus non annotaſſet, alii annotare poſſent. Fab. Frigidas vero iſtas obſervationes reſpuit Poëta; *Apparet Divum Numen*, quoniam per hiantia Mundi mœnia in immenſum Inane proſpiciens non minus Deos, quam cæteras res vidit: v. 25.

——— *Nuſquam apparent Acheruſia templa*,

Creech. Virgiliana & hujus verſus imitatio exſtat Æn. 2: 621.

Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna Deûm. Hav.

19. *Quas neque concutiunt*] Adrianus Turnebus, collega meus, vir doctiſſimus, indicavit mihi, hos quattuor verſus, qui deinceps ſequuntur, ex Homero eſſe expreſſos. verſus autem Homeri ſunt Ὀδυσσ. ζ. 42.

Οὔλυμπόνδ', ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Ἔμμεναι· οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὔτέ ποτ' ὄμβρῳ
Δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται· ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
Πέπταται ἀννέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

quos profert Ariſt. lib. de mundo, cap. 6. Lamb.

21. *Semperque innubilus æther*] Sic habent omnes fere vulgati: quibuſcum conſentiunt manuſcript. Bertin. & Memm. alii,

——— ——— *Semper ſine nubibus æther.*

Homer. ἀννέφελος. Lamb. Ita quidam veteres codd. In aliis Veteribus: *ſemper ſine nubibus.* Fortaſſe: *ſemper innubilus.* Gifan. Quidam Codd. *ſine nubibus.* melius tamen *Innubilus* leg. dum Homerus, è quo Hi quatuor verſus deſumpti ſunt, utitur voce ἀννέφελος: Odyſſ. Z. 45. Creech.

22. *Integit*] Sic legendum, non *integer.* & ita habent lib. manuſcript. utitur eodem verbo ſupra lib. 1: 406.

Naribus inveniunt intectas frunde quieteis.

& Catull. ad Lesbiam.

——— *gemina integuntur*
Lumina nocte.

ubi tamen vulgo legitur, *gemina teguntur:* ut *gemina* cohæreat cum voce *nocte.* Lamb.

22. *Et large diffuſo lumine ridet.*] Virg. Ecl. 5: 56.

Candidus inſuetum miratur lumen Olympi
Sub pedibuſque videt cælos & Sidera Daphnis.

Lucanus de Pompejo poſt fata inter Semideos recepto 9: 11.

——— *Illic poſtquam ſe lumine vero*

Im-

Omnia ſuppeditat porro Natura, neque ulla
Res animi pacem delibat tempore in ullo.
25 At contra nuſquam apparent Acheruſia templa:
Nec Tellus obſtat, quin omnia diſpiciantur,
Sub pedibus quaecunque infra per Inane geruntur.

His

INTERPRETATIO.

Natura porro omnia illis Diis ſubminiſtrat, nec ulla unquam res tranquillitatem Animi & otium diminuit. At contra nullibi Tartara, aut Inferi cernuntur: Nec Terra impedit quo minus omnia iſta, quæ infra ſub pedibus noſtris in Inani ſpatio fiunt, contemplari poſſimus.

VARIÆ LECTIONES.

24. *delibat.* Ita A. B. N. P. Q1. V. X. Y. Z. delibrat L. *ullo.* illo Q.
26. *quin.* quando Q. *diſpiciantur.* deſpiciantur N. P. X.

NOTÆ.

Implevit, ſtellaſque vagas miratur, & aſtra
Fixa polis, vidit quanta ſub nocte jaceret
Noſtra dies.

Uterque vero agit de loco Dæmonibus ſeu Semideis adſignato

Quodque patet terras inter lunæque meatus.

ut ibid. Lucan. verſ. 6. at perſpicaciores oculos agnoſcit Lucretius, qui per omnes cælos ad Inane uſque ferantur. HAV.

22. *Ridit*] Sic veteres libri. Marullus, & Vulgati: *ridet.* GIFAN.

23. *Omnia ſuppeditat*] Subaudi; *Illis*, ſcilicet Diis. Illud autem *animi pacem* ad avertendam opinionem de Providentia. FABER. Diis viz. ſic lib. 1. v. 66.

Ipſa ſuis pollens opibus, nil indiga noſtri. CREECH.

24. *Delibrat*] Sic videtur legendum, repugnantibus libris omnibus. adjuvant hanc ſcripturam libri veteres aliquot, qui habent *deliberare. delibrare* autem valet *decorticare*, & per tranſlationem, *extenuare, ac deminuere.* utiturque eodem verbo infra, eodem lib. 1100.

Nec prorſum, vitam ducendo, demimus hilum
Tempore de mortis, nec delibrare valemus, &c.

& libr. 6: 69.

Delibrata Deûm per te tibi nomina ſancta
Sæpe aderunt.

ſic enim legunt docti quidam, non *Delibata.* LAMB.

24. *Delibat*] Ita omnes veteres libri. Lambinus: *delibrat*; male. Vide Ind. GIFAN. Al. *delibat*, melius multo. FABER. Quaſi *decorticat*; & *extenuat*: Lambinus: Alii *delibat*, quos ſequor. CREECH.

25. *Nuſquam apparent Acheruſia templa*] Nulla enim ſunt, ſi mortales animi hominum habeantur; quod Lucretius aſſerebat. FABER.

26. *Nec tellus obſtat*] Ratio enim obſtantia omnia pervadit. FABER.

26. *Quin omnia diſpiciantur*] Sic habent libri manuſcripti, non *deſpiciantur.* LAMB. *Deſpiciantur*, quod Pio acceptum referunt Variantes Lectiones, ſane quam elegantiſſimum eſt & huic loco aptiſſimum; adeoque immerito neglectum videri poſſit. Loquitur enim de iis, quæ infra nos, ſub pedibus noſtris, ubique per Inane, ut non ſine emphaſi loquitur, geruntur; ut ea non tam diſpicere atque curare, quam excelſa quadam ſede & voluptatis gratia, deſpicere liceat. Statius ad ejuſdem ſectæ, ejuſdem horti, ejuſdem gregis Hominem:

Celſa tu mentis ab arce
Deſpicis errantes, &c.

in Sylvis. Vide Senecæ illam ὑπεροψιν, ſi ita loqui liceat. qua ſimiliter fere *terrarum orbem ſuperne deſpicere* ſeſe fingit. in Nat. Quæſt. in procemio libri primi. PREIG.

27. *Per Inane geruntur*] A natura rerum adminiſtrantur, atque aguntur. ſed ſi legamus *genuntur*, interpretabimur, ut ante, *gignuntur*,

 crean-

His tibi me rebus quaedam divina Voluptas
Percipit, atque Horror, quod ſic Natura tua vi
Tam manifeſta patet ex omni parte retecta.
Et quoniam docui, cunctarum exordia rerum

Qua-

INTERPRETATIO

Dum hæc contempler maxima Voluptas me invadit, & ingens admiratio, quod Tui ingenii viribus tota ex omni parte Natura tam clare & dilucide explicatur. Et quoniam docui qualia ſunt cunctarum Rerum Principia,

VARIÆ LECTIONES.

28. *tibi.* ubi a B. D. I. P. V. X. Y. Z.

29. *Percipit.* Perciit A. C. D. O. *Horror.* error Q. Q1. *ſed in altero corr. fuit* Horror, *dein repoſitum rurſus* error. *ſic.* ſit N. Q2. *ſic Natura.* ſignatur a Q1. ſignatura X. Y. Z.

30. *patet.* patens A. B. C. D. E. I. N. P. Q. X. Y. Z. *retecta.* recta eſt Q1. Y. Z. retecta es C. P. retecta eſt A. Q1. retorta eſt a. B. D. X. retenta Q2.

NOTÆ.

creantur ab eadem natura, rerum creatrice & perfectrice. Omnino *geruntur* ferri hoc loco poteſt. LAMB.

28. *His tibi me rebus*] Sic legendum, & ita habet cod. Florent. *tibi* autem venuſtatis gratia poſitum eſt, ut apud M. Tull. lib. 2. offic. *Ecce tibi qui rex populi Romani eſſe concupierit.* & apud Terent, Phorm. 5: 8: 21.

Qui mihi ubi ad uxores ventum eſt, tum fiunt ſenes.

& iterum apud Lucret. hoc eod. libr. 178.

Is tibi nunc animus quali ſit corpore, &c.

Idem lib. 2: 2036.

Quam tibi jam nemo feſſus ſatiate videndi,
Suſpicere in cæli dign. luc. templa. LAMB.

28. *His ubi me rebus*] Ita veteres omnes. Marullus: *tibi*; & ſic Vulgati alii; male. Vide Ind. GIFAN. Iſtud *Tibi*, ut σοὶ, σὲ, *me*, *te*, paſſim apud Græcos, paſſim apud Latinos, παρέλκον eſt. FABER. Lucretius lib. 2. v. 137.

Quum Tibi *jam nemo feſſus ſatiate videndi* &c.

His ubi Gifanius: Et interpretatur *ubi* in qua re, in qua ratione, præceptis, via, Philoſophia. imperite. *Fayus* vero: *ubi*, poſtquam, cum, quoniam, Relative ad vocem *quoniam* v. 31. Lambinus legit *Tibi* ſup. *fateor.* Quæ demonſtrant ſacrificulum iſtum ne legere quidem *Lambinum* potuiſſe. CREECH. Gif. *ubi*, relative nimirum; atque ita in altera demum editione. Sed quis non videt, iſtiuſmodi relativum prorſus excludi per voces *His rebus*, quæ hæc ad proxime præcedentia ita jam alligant, ut nihil opus ſit aliqua voce relativa. *Tibi* eleganter, & ſuo more dixit, exempla paſſim obvia. Quam facile autem *tibi* in *ubi* & vice verſa tranſeat, dicere nihil attinet. PREIG.

29. *Percipit*] Occupat, pervadit. ſic loquitur Plautus Amphit. 5: 1: 66.

Nam mihi horror membra miſero percipit dictis tuis.

Iterum Lucretius infra, 80.

——— ——— *vitæ*
Percipit humanos odium &c.

ad quem locum plura. LAMB.

29. *Perciit*] Ita in Veteribus quibuſdam; quod rectius videtur. In aliis: *percipit*, etiam recte. GIF.

29. *Percipit*] Penetrat, ſubit, &c. Ita alibi noſter, Plautus & Virgilius. Intimæ ſignificationis vox eſt. FAB. Alii *Perciit*: Quidam legunt

——— *Quod ſit Natura tua vi*
Tam manifeſta patens ex omni parte retorta.

Retorta autem eſt Evoluta, quæ prius quaſi contorta, & involuta videbatur. CREECH. Πάντα γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς. ut loqueretur Paulus ad Hebr. 4: 13. HAV.

29. *Horror*] Κατάπληξις, ingens admiratio, θάμβος: vel dic proprie φρίκη, τρόμος, tremor. LAMB.

30. *Patet*] Quidam, *pates*, ad naturam converſa oratione; male: nempe metuebant, ne ob ſyllabæ modulum rueret verſus. FABER.

30. *Retecta*] Sic legendum, non *retecta es.*

Epi-

Qualia ſint: & quam variis diſtantia formis
Sponte ſua volitent aeterno percita motu,
Quoque modo poſſint ex his res quæque creari:
Haſce ſecundum res ANIMI natura videtur,
Atque ANIMÆ claranda meis jam verſibus eſſe:

Et

INTERPRETATIO.

& quam diverſis variiſque figuris differentia ſponte ſua moveantur mutuis plagis agitata, & quo modo res cunctæ ex iis conſtitui & componi poſſint; Poſt hæc Animi *&* Animæ *natura videtur meis carminibus declaranda,*

VARIÆ LECTIONES.

33. *æterno.* alterno **L. P. Y.** aiterno **A. B.** alterna **X. Z.**
34. *Quoque modo.* Quove motu **Z.** *his res:* res his **Q1.** res iis **Z.** res ex his **N. X. Z.**

NOTÆ.

Epicurum enim alloquitur. præterea *patet* repoſui, neque quenquam movere debet ſyllaba poſterior brevis, ut ſæpe oſtendimus. Non diſplicet tamen mihi ſcriptura illa,

Tam manifeſta patens ex omni parte retecta eſt.

Sed hæc, meo judicio, vera eſt, & germana. ſic lib. 2: 27.

Nec domus argento fulget, auroque renidet, &c.

tranſit jam ad diſputationem de animæ atque animi natura. LAMB.

30. *Retorta*] Sic ex Veteri quodam, malim. In aliis, ut in Vulgatis: *retecta.* GIFAN.

31. *Eſt*] Male, contra veteres libros, Lambinus: *es.* Nam totus ſermo eſt ad Epicurum. GIFAN.

31. *Docui*] In I. & II. FABER. In primo & ſecundo libro multa de Seminibus ipſis, de eorum figuris & motibus: jam v. 10. accuratam de *Anima* diſputationem promittit, ut Homines metu mortis, & pœnarum poſt mortem liberaret. CREECH.

31. *Exordia*] Atomi; quas tamen nunquam nominavit Lucret. Manilius autem *Individua* Principia vocavit, &c. lib. I. pag. 5.

Sive Individuis, in idem reditura, ſoluta
Principiis natura manet poſt ſæcula mille,
Et pæne ex nihilo ſumptum eſt, nihilumque futurum,
Cæcaque materies cœlum perfecit & orbem: FAB.

32. *Qualia*] De magnitudine, ſoliditate, &c. jam ſupra: FABER.

33. *Alterno percita motu*] Ἀλληλοτυπίαν nominat Epicurus, id eſt mutuam plagam, ſeu alternam, & mutuam verberationem. quidam tamen hoc loco legunt, *æterno percita motu.* quo modo ſupra libro ſecundo, 986.

Multimodis volitent, æterno percita motu,

al. *aiterno:* quod idem valet. *ai* enim diphthongus fuit antiqua pro *æ*, ut ſupra diximus ad lib. primum, ex qua *muſaï, aulaï, terraï,* & ſimil. pro *muſæ, aulæ, terræ,* &c. LAMB.

33. *Aiterno*] Ita veterum more ſcriptum olim fuiſſe puto: ex eoque poſtea (ut ſæpe *i* in *l*, & contra, commutarunt librarii) factum: *alterno.* Vide inf. IV. 28. ubi hi verſus repetuntur. Ibi diſerte eſt: *æterno.* GIFAN.

33. *Alterno motu*] Notum quid ſit; quidam tamen *æterno*; quod ob motum ingenitum atomorum damnari non poteſt. FAB. Leg. *Æterno*: quomodo enim Semina *alterno* motu percita *ſponte ſua* volitarent? Lib. 2. v. 1054. & lib. 4. v. 28. ubi hi verſus repetuntur. CREECH. Marg. noſt. *alterno*, quod & in Fabri edit. hoc loco habet, MS. auctoritate fulcit. Additque V. *alterna.* Voſſii, credo, auctoritate. Sic & lib. IV. verſ. 27. Fabri contextus habet *æterno*, noſter in marg. rurſus *alterno.* Ego *æterno* recte ſe habere arbitror, cum hoc tum illo loco. Lambinus, ſi uſpiam, hic friget. PREIG.

35. *Secundum*] Poſt, ἑπομένως τούτοις, ἑξῆς. FABER.

35. *Animi atque animæ*] Anima, animus & mens differunt, & ſede & facultate, uti mox apparebit, & jam dictum. FABER.

36. *Claranda*] Uſus & Horatius, ſed pro, illu-

Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo;
Omnia ſuffundens mortis nigrore: neque ullam
Eſſe voluptatem liquidam puramque relinquit.
Nam, quod ſæpe homines morbos magis eſſe timendos,
In-

INTERPRETATIO.

& prorſus expellendus eſt ille metus Acheruntis (*pœnarum poſt mortem*) *qui vitam Humanam ab imo turbat, Mortis nigrore omnia ſuffundens, neque permittit ullas vitæ voluptates liquidas puraſque remanere. Nam quod nonnulli crepant Infamen vitam*

VARIÆ LECTIONES.

39. *ſuffundens.* ſuffundans Q. X. Z. *nigrore.* vigore Q. X.

NOTÆ.

luſtrem efficere, claritudinem afferre. Faber. Lib. 4. v. 779.

Multaque in his rebus quæruntur, multaque nobis
Clarandum *eſt.* Creech.

37. *Acheruntis*] Sic habent lib. manuſcript. & metus inferorum (inquit) ex animo ejiciendus eſt funditus. Lamb. Ex hac itaque ſcola (notante Turnebo Adverſ. 21: 10) Virgilii illa Æn. 2: 491.

Atque metus omnes & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari.

Ad quem locum etiam hoſce Lucretii verſus citans Philargyrius, hæc ita dici notat, *quia Philoſophiæ cognitione, & mortis metum, & inferos, quibus voluptas humana inquinaretur, domari & tolli credebant.* Hav.

39. *Omnia ſuffundens mortis nigrore*] Quibus nemo unquam aliquid venuſtius: Omnia quæcunque Alii protulerunt excutias, nunquam pulchrior Imago. Creech.

41. *Nam quod ſæpe Homines* &c.] Dicat forſan aliquis, idem alios Philoſophos præſtitiſſe quod Lucretius promittit, nec ſolum *Epicurum* metum iſtum Acheruntis præcipitem egiſſe, cum plurimi docuerint Animas interire, nullaſque poſt mortem pœnas timendas eſſe; *Empedocles* v. g. dixit Animam eſſe cordi ſuffuſum ſanguinem: Atque *ideo Epicurum* non tantas mereri laudes, nec *Lucretium* majus beneficium conferre mortalibus, quam Alii olim contulerint. Reſpondet Poëta v. 14. Omnes iſtos Philoſophos fortia quidem verba loqui, ſed Mortem timere æque ac vulgus Hominum; Inter Dolores, infamiam, anguſtias vitam tolerant: & cum Periculis, Morbis, &c. premantur, nunquam invenies magis humiles Animos aut ſuperſtitioni magis obnoxios. Creech. Ad hunc locum faciunt verſus Mœcenatis apud Senecam; *Debilem facito*; &c. Faber. *in Not.*

41. *Nam quod ſæpe homines morbos magis eſſe timendos,*
Infamemque ferunt vitam, quam Tartara lethi,
Et ſe ſcire animi naturam ſanguinis eſſe,
Nec prorſum quidquam noſtræ rationis egere:]

Ex iſtis quatuor verſibus poſteriores duos arbitror deleri oportere. Primum nihil opus illis eſt; dein, quænam iſthæc Latinitas, *Natura animi eſt ſanguinis?* Video quid velit; ſed Barbarus ſit & plane ἄμουσος qui ita loquatur. Ille autem verſus,

Nec prorſum quidquam noſtræ rationis egere,

quid boni tandem habet? Hinc diſcimus rem profecto mirabilem, bellam, & elegantiæ Lucretianæ, ſcilicet! animum noſtrum non egere noſtra ratione. Qui hæc amant, faciat Deus ut ne unquam noſtra ament. Faber. Duos hoſce verſus delet *Faber*; quia primum nihil opus illis eſt, dein quænam iſthæc Latinitas, *Natura Animi eſt ſanguinis*, Iſte autem verſus

Nec quidquam prorſum noſtræ Rationis egere.

quid boni tandem habet? Hinc diſcimus rem profecto mirabilem, bellam, & elegantiæ Lucretianæ! viz. Animum noſtrum non egere noſtra ratione. Admirabilem profecto rem! quaſi *Ratio* apud Lucretium non ſit *Philoſophia*, & vox iſta *ſe* in priori verſu cum *Egere* in hoc verſu minus

Infamemque ferunt vitam quam Tartara lethi,
Et ſe ſcire Animi naturam ſanguinis eſſe,
Nec prorſum quidquam noſtræ Rationis egere:
Hinc licet advertas animum, magis omnia Laudis,
Aut etiam Venti, ſi fert ita forte voluntas,

Ja-

INTERPRETATIO.

aut morbos magis timendos eſſe quam mortem, & ſe ſcire Animam nihil eſſe præter ſanguinem, nec ſe noſtræ Philoſophiæ ope & auxilio ullatenus indigere: Hinc cognoſcere poſſis & recte colligere, hæc omnia ab Illis jactari magis laudis acquirendæ, aut auræ popularis (ſi iſtam appetendi libido eſt)

VARIÆ LECTIONES.

43. 44. Delendos cenſet *Faber*.
46. *Venti.* vetiti A. B. I. O. P. *priſci codd. Pii*, venti *cauſa.* cauſam Q. X. Y. Z. *forte.* fera A. B. I. dira F. corde *Quidam.* *voluntas.* voluptas O. P.

NOTÆ.

nus conveniat. Leg. autem

Et ſe ſcire Animi naturam ſanguini ineſſe.
Et tum ſententiam *Empedoclis*, qui dixit Animum eſſe cordi ſuffuſum ſanguinem, *Cicero* 1. *Tuſc. quæſt.* non inepte adumbratam aſſero. Quis etiam neſcit *Lucretium*, licet Carmina Empedoclis admiratus ſit, Opiniones tamen illius ubique convellere? CREECH. Pro *animi* Marg. noſter habet *animæ*. pro *prorſum*, *proſum*. Quorum illud quidem conſideratu dignum non opus eſt. hoc dictum ſcriptumque ut *ſuſum*, *deoſum* alibi. Contra Fabrum autem in hunc modum diſſerit. „Nempe quia putabant naturam animi ſequi „temperamentum ſanguinis. ſic ſenſere Ariſto- „teles & complures alii. Vide Galeni ſcriptum „de hac re. Dicebant itaque illi, quos hic indicat „Lucretius, nos non debere affici terrore mortis, „quia talis ſenſus proveniat a temperamento ſan- „guinis. Illum itaque non curare rationes ani- „mi, utpote quæ è ſanguinis vitio oriuntur, „non ex ipſo animo aut rei veritate. Vide E- „tym. M. voce αἷμα. Addeſis Thom. Canteri „Var. Lect. lib. 1. cap. 5. PREIG.

46. *Vetiti, ſi fert ita fera voluntas*] Ita ex veteribus libris. Vulgati: *venti.* Et forte: *vetitum laudi*, *Fera vetito* reſpondet. optime. Ex numero mendum. GIFAN.

46. *Venti*] Inanis gloriæ & oſtentationis cauſa. mendoſe legitur in quibuſdam libris, *vetiti:* quod quidam ſecuti ſunt: iidemque (quod non riſu, ſed flagris dignum eſt) pro *ſi fert ita forte voluntas*, aut, ut alii libri habent, *voluptas*, ſcripſerunt, *ſi fert ita fera voluntas.* quid huic homini facias? LAMB. Gloriolæ, fumi. Græci etiam in ea notione καπνὸν dicunt. Vide Peregrin. Luciani. FABER. *Sera voluntas* Palmerii non eſt nauci. Scribendum vero:

Hæc, licet advortas animum, magis omnia laudis
Aut etiam vetiti, ſi fert ita forte voluntas,
Jactari cauſſa, quam quod res ipſa probetur.

In antiquiſſimis membranis Voſſianis eſt *forte*, ut recte Lambinus. *Fera* viri cætera doctiſſimi monſtrum eſt ad barbariem relegandum. Pro *hinc*, quod eſt vulgo, etiam legimus *hæc.* Utrumque ſententia neceſſarium facit. Ait metum Acheruntis non poſſe melius præcipitem agi quam per Epicuri philoſophiam. Nam quod inveniuntur viri quidam, ut videtur, animoſi, qui ſæpe dictant morbos & infamem vitam morte magis eſſe metuenda, & noſſe ſe naturam animi totam eſſe ſanguinis, neque egere ad hoc dogmatum Epicureorum: hæc omnia ſcias licet jactari magis oſtentationis cauſſa, aut ſi revera ita volunt ſentiuntque, ſi mortem præ morbis aut turpitudine expetunt, faciunt id magis quia non aliter poſſunt, quia illa, quæ ſpernunt, vetita ſunt illis, quam quod ratione rem habeant probatam. Etenim illi ipſi extorres patria & à conſpectu hominum procul acti, omnibus deni-

 que

Jactari cauſa, quam quod res ipſa probetur:
Extorres iidem patria, longeque fugati
Conſpectu ex hominum, foedati crimine turpi,

INTERPRETATIO.

gratia, quam quod Ipſi credant. Iidem enim, qui hæc jactant in Exilium acti, à patria ſua, è hominum conſpectu longe fugati,

NOTÆ.

que ærumnis adfecti, ſi licet, tamen vivunt. &c. GRONOV. *Obſ. Lib. Novo, Lib.* IV. *Cap.* XII. Atqui utraque lectio ſuum habet acumen & defendi poteſt. *Vetiti* ſi malis, juxta illud Medeæ apud Ovid. Met. 7: 19. erit explicandum:

——— ——— ——— Aliudque Cupido,
Mens aliud ſuadet. Video meliora, proboque,
Deteriora ſequor.

Venti atque *laudis* cauſa aliquid illi faciunt, quorum alii videri tantum, alii eſſe laudabiles volunt; quomodo Archiam poëtam, teſte Cicerone pro Arch. cap. 3. *non ſolum colebant, qui aliquid percipere atque audire ſtudebant, verum etiam ſi qui forte ſimulabant. Ventoſos* dixere Horatius Ovidius aliique inflatos ſuperbia; ſed *ventus* pro inani gloriola minus uſitatum. Invenies tamen apud Perſium Sat. 3: 27.

Hoc ſatis an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tuſco ramum milleſime ducis. HAV.

Placet altera lectio *vetiti*; nam *laus* & *vetitum*, multo concinnius ſibi opponuntur, quam *laus* & *ventus*. Et credibile eſt, τὸ *vetitum*, abſolute ita dictum imperitiorum auribus oculiſve potius, quam τὸ *ventus* pro inani gloria, ſimiliterve ſumptum offeciſſe; cum tamen eodem modo, & forte ad imitationem hujus loci, locutus ſit Claudianus in Eutrop. 2: 52.

Nitimur in vetitum: damni ſecura libido.

Accedit quod & ſequens hemiſtichium, neſcio quomodo multo opportunius nobis oggeratur, quaſi boni ominis cauſa. Non ita diſſimili ratione ab illo Homerico, qui Jovis voluntatem poſt male ominata illa primorum 5. verſuum Iliados ſuæ, commemorat his verbis:

Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή. PREIG.

46. *Voluntas*] In aliis libris nonnullis ſcriptum & impreſſum eſt, *voluptas*. LAMB. In MSS. quibuſdam *fera voluntas*; in aliis, *fera voluptas*. Sed quia τὸ *fera* priorem ſyllabam brevem habet, exiſtimo eſſe gloſſema vocis alicujus, quæ hinc exciderit. Ea autem eſſe nulla alia poteſt quam *dira*; *Dirus* enim non eſt, quod vulgo putant, *deorum ira immiſſus*, cum è Græco δεινὸς natum ſit. Ita Lucretius lib. 4: 1039. de impetu ſævientis & impotentis amoris dixit,

Irritata tument loca ſemine, fitque voluntas
Ejicere id, quo ſe contendit dira lubido.

& expreſſe magis poſt paulo ſcripſit, 1083.

Unaque res hæc eſt, cujus, quam pluria habemus
Tam magis ardeſcit dira cuppedine *pectus*

Quod & Virgilius in ſe ſe tranſtulit 9: 185.

——— An ſua cuique Deus fit dira cupido.

Sic alibi in Æneid. 8: 349. de Capitolio loquens;

Jam tum relligio pavidos terrebat agreſtes
Dira loci ———

Ad hunc modum *diritas morum*, in Tiberio Suetonii, δεινότης erat & aſperitas; quod ex Cicerone firmari poteſt, qui *Fratres* illos *Terentianos* comparans, ait, in altero eſſe *diritatem*, in altero *comitatem*. Ita denique, (nam alia proferre haud lubet) *dirus hydrops*, apud Horatium ſumi debet. FABER. Quidam *fera voluntas*: unde Palmerius *fera voluntas* i. e. ſtulta, ſiniſtra, Turpis: Giſanius *fera* retinet, de metro minime ſolicitus: *Dira* ſcribit Faber:, dum Alii *Corde* reponunt ex Virgilio Lib. 6. Æneid. 675.

——— Si fert ita *Corde voluntas.*

An vero hæc verba illos ſpectent qui laudem iſtam aut auram popularem ambiunt, an ſubjungenda ſint

Hinc licet advertas animum:

Alii diſputent. CREECH. Emendandum eſt: *fera voluntas*. Nam *fera* numeri etiam reſpuunt: quomodo tamen eſt in vet. cod. *Et voluntas fera* eſt ſiniſtra, ſtulta, inutilis. Sic *fera arva*, lib. II. verſ. 1161. triſtia ac laborioſa & gravia ſunt.

Omnibus aerumnis adfecti denique vivunt:
Et quocunque tamen miseri venêre, parentant,

Et

INTERPRETATIO.

infami crimine inquinati, denique omnibus miseriis & molestiis oppreſſi, tamen vivunt: *in quemcunque locum venerint miseri perſolvunt juſta mortuis,*

NOTÆ.

ſunt. Ita interpretatur Servius, V. Æn. (verſ. 1161.)

Seraque terrifici cecinerunt omnia (Al. *omina*) *vates*

Addit ex Hiſt. Salluſt. *Serum bellum in anguſtiis futurum.* Et lib. VI. (puta Æn. verſ. 569.)

Diſtulit in ſeram commiſſa piacula pœna (Al. *mortem*)

Qualiter item Propertius 2: 7: 25.

Sed poſtquam ſera captiva eſt reddita pœna.

Sed & Lucr. 2: 1162. *ſera arva*, quod tarde ægreque fructum ferant Palm. in ſpicil. tom. IV. Fac. crit. pag. 870. & ſeqq. Adr. Turnebus XXXVI. Adv. cap. 17. „Verſus ille Maronis, „inquit, videtur refragari rerum eventui, & „cum Poëtæ ſententia pugnare 5: 524.

„*Seraque terrifici cecinerunt omina vates.*

„Nam mox incenſa claſſe, illius diri portenti fi„des repræſentata eſt. Sed videtur *ſerum* non „hic tardum ſignificare, ſed dirum, ac videtur „ex eo male ominoſum eſſe, quod ſera omina „& tarda, proſperos non habeant ſucceſſus, „quæ erat cauſa ut poſtridianos dies averſaren„tur, neque his quicquam inciperent. Poſtri„die enim quod incipitur, mature non inchoa„tur, nec tempeſtive. Itaque in nomine ipſo, „obſcænum ineſt, & inauſpicatum omen. Sed „etiam *ſeri ominis* ſignificationem explicavit Ser„vius, in hunc Maronis locum

„*Seraque culminibus ferali carmine bubo*

„In Marone, lib. IV. (verſ. nempe 462.) etiam „legit Nonius, ſi codices ejus maculoſi non „ſunt. Ita Bubo erit vel noctu canens, vel in„auſpicatus. Preig.

47. *Jactari*] Dici. Virgil. Æn. 1: 106. *talia jactanti.* Saluſt. *Jacit*, id eſt dicit, in Jugurthino. Faber.

47. *Quam quod res*] Quam quod ita ſentiant. Ab his non admodum abhorrent, quæ ſunt apud Ariſtotelem libro primo Elenchorum: Οὐ γὰρ ταυτὰ βούλονταί τε καὶ φασίν. ἀλλὰ λέγουσι μὲν τοὺς εὐσχημονεστάτους τῶν λόγων, βούλονται δὲ τὰ φαινόμενα λυσιτελεῖν· οἷον τεθνάναι καλῶς μᾶλλον, ἢ ζῆν ἡδέως φασὶ δεῖν· καὶ πένεσθαι δικαίως μᾶλλον, ἢ πλουτεῖν αἰσχρῶς. βούλονται δὲ τἀναντία. id eſt, *Non enim eadem & volunt, & dicunt homines: ſed loquuntur verba quidem honeſtiſſima & ſpecioſiſſima, volunt autem ea quæ expedire videntur, exempli cauſa: honeſte mori potius, quam jucunde vivere dicunt oportere: & paupertatem juſtam divitiis turpiter partis dicunt eſſe anteponendam: ſed contraria volunt.* Lamb.

48. *Extorres iidem*] Exules. Lamb. Quaſi diceret, ventoſam illam gloriolam frigida perfundens: Si ex animo dicant infamiam magis metuendam quam mortem eſſe, quid igitur cauſæ eſt, cur exilio multati, & probris fœdati, vivant tamen: moriantur, per me licet; jam tempus eſt: infamia enim & dedecore flagrant. Faber.

50. *Omnibus ærumnis adfecti*] Quidam libri habent *adflicti.* quam ſcripturam probo. Lamb.

50. *Adfecti*] Veteres quidam: *adflicti.* Gif.

51. *Parentant*] Juſta perſolvunt parentibus mortuis, aut aliis, quos æque caros habent. Auctor vocabularii Latinogræci, *Parentat*, inquit, ἐναγίζει, ſeu ἐναγίζει νεκροῖς νεκύσια. Lamb. Mortuis ſacra faciunt, quo illos ſibi propitios habeant. Unde hoc? inquit. ex mortis formidine. Et tamen qui hæc faciunt, turpem famam aiebant multo minus formidari debere, quam vana illa mortis terriculamenta. Itaque nugæ, fumi, quicquid iſti glorioſuli vulgo prædicant. Faber. Mortuis ſacra faciunt, ideoque Animas poſt mortem ſupereſſe credunt: Itaque Nugæ, Fumi, quicquid iſti glorioſuli vulgo prædicant. Quid enim verba audimus, cum facta videamus? Creech.

Et nigras mactant pecudes, & Manibus divis
Inferias mittunt: multoque in rebus acerbis
Acrius advertunt animos ad Relligionem.
Quo magis in dubiis hominem ſpectare periclis
Convenit, adverſiſque in rebus noſcere qui ſit.
Nam verae voces tum demum pectore ab imo

Eli-

INTERPRETATIO.

mactant nigras pecudes, Diis Manibus mittunt inferias, & cum res adverſæ premant, vehementius mentes ſuas ad Religionem applicant. Quapropter ſi Animum Hominis velis perſpicere, & qualis ſit penitus cognoſcere, illum periculis cinctum, & adverſis rebus oppreſſum contemplare: tum enim vera verba è profundo pectore

VARIÆ LECTIONES.

52. *Et* quas A. marg. E. *& Manibus divis.* Manibuſque diviſque Q. X. quas Manibus Dis Q1. Manibus divis Y.

55. *hominem.* homines A. C. D. E. N. P. X.

56. *qui ſit.* qui ſint A. C. D. N. P. quid ſit a. B. I. Q1. Q2. quidam *Codd.* P.

NOTÆ.

52. *Et nigras mactant*] *Mactant*, id eſt immolant. Sic Nonius. *nigras autem pecudes Diis manibus & mortuis immolabant antiqui.* Virgil. l. 6: 153.

Duc nigras pecudes: ea prima piacula ſunto. LAMB.

52. *Et manibus divis, &c.*] Sic legendum, & ita Nonius. cum quo faciunt libri manuſcript. nam vulgati habent, *quas manibus.* Manes autem, ut ſcriptum eſt in vocabulario Latinogræco, δαίμονες χθόνιοι, hoc eſt *dii terreſtres*, ſeu *dii inferi.* LAMB.

53. *Inferias*] *Inferiæ, ſacrificia, quæ diis manibus inferebant*, inquit Feſt. Auctor vocabularii Latinogræci, *Inferiæ*, inquit, χοαί. χοαὶ autem, id eſt *libamina.* LAMB.

53. *Multoque in rebus acerbis acrius advert. &c.*] Hoc ex Tito Livio multis locis intelligere licet. LAMB. Quod neutiquam facerent, ſi mortem minime metuendam crederent. FABER.

55. *Hominem ſpectare*] Sic habent libri manuſcr. quos nunc ſequor. nam vulgati habent *homines*, & ſequ. verſu, *qui ſint.* LAMB. Sic (*hominem*) omnes veteres libri; recte: ut ſit mutatio numeri. Quidam tamen: *homines*; & mox: *qui ſint.* GIFAN. Alios Philoſophos, quos tanquam *Epicuri* æmulos Sectatores ſui prædicabant, rejecit, quoniam illorum dogmata Metum Mortis non penitus abſtulerant: Deinde 4. v. addit minime credendum eſſe iſtis, qui lætis rebus florentes magnifice loquuntur, ſpectandi autem ſunt Homines periculis cincti & miſeriis oppreſſi, ſi tum ſe fortes præſtent, tum fatendum eſt illis Philoſophiam profuiſſe. CREECH.

58. *Ejiciuntur*] *Eliciuntur* habent omnes libri manuſcr. & vulg. quod ſi probemus, interpretabimur *exprimuntur.* Sed exiſtimant tamen docti legendum *ejiciuntur*, ut intelligamus, homines ipſos in rebus adverſis veras voces ejicere, id eſt mittere. & ita amicus meus putat legendum in oratione pro M. Cælio, *Nonne ipſam domum metuet, ne quam vocem ejiciat?* ubi vulgo legitur *eliciat.* cui propemodum nunc aſſentior, quamvis olim diſſenſerim. Sed ſi mutatio conſilii eſt inconſtantia, ut non eſt; & ſi in toto vitæ ſtatu licet interdum, temporibus poſtulantibus, ſententiam mutare: quanto magis in iis quæ ad ſtudia litterarum pertinent; ego igitur & in hac tertia editione *ejiciuntur* edendum curavi, & item in ſecunda, cum in prima *eliciuntur* editum eſſet. neque hîc me movent libri veteres. Scio enim in eis ſæpenumero *i* pro *l*, & *l* pro *i* ſcriptum reperiri. LAMB. Ita (*ejiciuntur*) poſui. Vide Indicem. In libris, tamen: *Eliciuntur.* GIFAN.

Sic

Eliciuntur, & eripitur Perſona; manet Res.
  Denique Avarities, & Honorum caeca cupido,
Quae miſeros homines cogunt tranſcendere fineis
Juris, & interdum ſocios ſcelerum, atque miniſtros
Nocteis atque dies niti praeſtante labore
Ad ſummas emergere opeis: haec volnera vitae
Non minimam partem Mortis formidine aluntur.

INTERPRETATIO.

emittuntur, larva detrahitur, & Res manet Deinde Avaritia, & Honorum impotens cupido, quæ miſeros mortales cogunt terminos æquitatis tranſgredi, & aliquando ſocios & miniſtros ſcelerum noctes & dies maximo labore conari ut maximas divitias aſſequantur: Hæ inquam peſtes & vitæ humanæ labes maxima ex parte Metu Mortis nutriuntur,

VARIÆ LECTIONES.

58. *Eliciuntur.* ita E. N. P. V. X. Y. Z. Ejiciuntur Gr. Fab. Gif. Lamb. *&.* delet Z. *manet res.* manare Q. Y. Z. manere X.
61. *ſcelerum.* ſterilis Q. X. ſceleris Q1.
62. *præſtante.* perſtante *quidam Codd.* P.
64. *minimam partem.* min. in partem Q1.

NOTÆ.

Sic *jacere*, *rejectare*, & *mittere* vocem, *Lucretius*: Alii tamen è Codd. *Eliciuntur.* Creech. Marg. noſter ſive Voſſius ille, ſive Beverlandus, ex MSS. *Elicitur eripitur perſona manare.* Quo & confirmatur omnium, quos quidem Lambinus viderat, MSStorum lectio. Addit Ovidii locum.

Voce mea voces eliciente. Dei. Preig.

Adde Claudian. in Ruf. 3: 56.

Juſtitia inſultat, vitiiſque à ſtirpe reciſis,
Elicit oppreſſas tenebroſo carcere leges,

Hic *elicere* eſt evocare, protrahere in lucem; ſic idem Carm. 17: 190.

——— *Tu prima hominem ſylveſtribus antris*
Elicis. Hav.

59. *Denique avarities*] Verſus, qui mox legentur, ab homine rerum Ethicarum perito non poſſunt ſatis legi, relegi, tanta in iis vis boni reperitur. Certum enim eſt mortis formidinem probri, dedecoris, perfidiæ, crudelitatis, invidiæ, deſperationis, *&c.* fontem eſſe. Faber. Et hinc oritur magna *Epicuri* gloria, qui præceptis ſuis Metum mortis, è quo tot mala fluunt & derivantur, fugat. Creech.

60. *Tranſcendere fineis*] Ὑπερβαίνειν τοὺς ὅρους τοῦ δικαίου. Lamb.

61. *Et interdum ſocios, &c.*] Et cogunt eos præbenteis ſe ſocios, ac miniſtros, ſeu adjutores ſcelerum, niti ſummo labore *emergere*, id eſt ex humili loco & rebus anguſtis evadere, & pervenire ad magnas opes. Lamb.

62. *Præſtante labore*] In quibuſdam libris ſcriptum eſt *perſtante*: quod ſi probabimus, perſtantem laborem interpretabimur, aſſiduum, & improbum, & pertinacem. ego nihil mutavi. Lamb.

62. *Præſtante*] Ita & ſupra, lib. II. verſ. 12: Quidam tamen libri: *peritante.* Gifan Sic lib. 2. v. 12. Alii Codd. *Perſtante*; id eſt: Aſſiduo, Improbo &, pertinaci. Creech. Mart. VII. epigr. 42.

Primum eſt, ut præſtes, ſi quid te Cinna rogabo
Illud deinde ſequens, ut cito Cinna neges.
Diligo præſtantem, non odi Cinna negantem
Sed tu nec præſtas, nec cito Cinna negas. Is. Voss.

64. *Non minimam partem*] I. e. non minima ex parte. ſic enim loquuntur alii boni ſcriptores. Cæſ. lib. 4. de bello Gallico: *Neque multum frumento, ſed maximam partem lacte atque pecore vivunt.*

Turpis enim Fama, & Contemptus, & acris Egeſtas
Semota ab dulci Vita ſtabilique videntur:
Et quaſi jam Lethi portas cunctarier ante:
Un-

INTERPRETATIO.

Turpis enim ignominia, & acerba paupertas à dulci & ſtabili vita longe abeſſe videntur, & veluti ante Mortis januam cunctari, (morti eſſe proxima)

VARIÆ LECTIONES.

65. *Fama, &.* ferme A. B. I. Q. Y. Z. formæ D. Q. X. famæ E. N. P.
66. *videntur.* videtur C. E. N. P. Q1. X. Y. Z.

NOTÆ.

vunt. M. Tull. oratore perf. *Magnam partem ex jambis noſtra conſtat oratio.* Idem offic. lib. 1. *Maximam autem partem ad injuriam faciendam aggrediuntur nonnulli, ut adipiſcantur ea quæ concupiverunt.* iterum ſic Lucr. lib 6: 1247.

Inde bonam partem in lectum mœrore dabantur.

al. *in letum.* Lamb. *Non minimam partem* i. e. Κατά. Faber.

65. *Turpis enim fama, &c.*] Secutus ſum in hoc verſu codices vulgatos potius, quam manuſcr. nam cum ita habent manuſcr.

Turpis enim ferme contemtus, &c.

vulgati autem ſic,

Turpis enim famæ contemtus, &c.

hanc vulgatam leviter immutavi, & ex *famæ*, feci *fama, &c.* & cujus lectionis hæc ſententia eſt: Turpis enim *fama*, id eſt infamia, ſeu ignominia, & *contemtus*, i. ὀλιγωρία, vel καταφρόνησις, & acris egeſtas, hæc videntur eſſe à dulci vita remota. turpis fama & contemtus pro uno videntur eſſe poſita. Nam quamquam inter ſe differant, in eo tamen certe ſimilia ſunt, quod honori opponuntur. ſcripturam autem quæ reperitur in libris calamo exaratis, ut probarem, à me impetrare non potui: quamvis ſciam, eam ita explanari poſſe: *Turpis contemtus*, id eſt vita obſcura, & honoris expers, atque adeo infamis, & acris egeſtas, *ferme*, id eſt propemodum, videntur eſſe remota à vita beata, & mortis inſtar. Nam illud *ferme* non mihi videtur apte hoc loco poſitum. itaque vulgatorum codicum lectionem, manuſcriptorum ſcripturæ antepoſui. reperitur & hæc alia ſcriptura: *Turpis enim formæ*, ſeu *formæ contemtus, &c.* quam etiam mendoſam arbitror; ex qua quidam faciunt, *Turpis enim forma, & contemptus, &c.* Verum neque hæc lectio mihi probatur. *Turpis fama* autem ita dictum à Lucretio eſt, ut *turpis exiſtimatio* à M. Tull. orat. pro Cæcina. Jam vero etiam Epicuri præceptum fuit: ἀδοξίας ἐπὶ τοσοῦτον προνοεῖσθαι, ἐφ' ὅσον μὴ καταφρονεῖσθαι: id eſt, *bonæ famæ uſque eo curam eſſe habendam, quoad non contemnaris.* Si quis tamen ſcripturam antiquam huic anteponet, non reclamabo: multo minus pugnabo. Lamb. Quidam Codd. *Turpis enim ferme:* Unde alii ſcribunt *Turpis enim formæ*: Alii *Turpis enim Famæ:* At codicibus iſtis & conjecturis melius Lambini judicium, qui edidit *Turpis enim fama, &.* Epicuri autem præceptum fuit, ἀδοξίας ἐπὶ τοσοῦτον προνοεῖσθαι, ἐφ' ὅσον μὴ καταφρονεῖσθαι. Creech.

66. *Ferme contemptus*] Ita Veteres libri. Vulgati: *famæ contemptus.* Lambinus: *fama, & contemtus.* Verum alterum reſpondet cæcæ hominum cupidini, alterum avaritiæ. Gifan.

66. *Semota ab dulci*] Sic loquitur l. 1: 59.

Semota ab noſtris rebus, ſejunctaque longe.

& item lib. 2: 19. niſi quod præpoſitionem non addidit:

—— —— mente fruatur
Jucundo ſenſu, cura ſemota, metuque.

dixit enim *ſemota cura*, pro *ſemota à cura, &c.* Lamb.

67. *Et quaſi jam leti portas*] Et videntur quaſi jam ante mortis portas reſidere, ſeu exſpectare, ſeu morari. Lamb. Ductum videtur ab illis, qui ad portas aut januas cum venêre, ibi interdum cunctantur, nec recta ſtatim ingrediuntur: ut apud Ariſtoph. in Neb. vſ. 131.

Τί ταῦτ' ἔχων στραγγεύομαι

Iterum verſu 509.

Ti

Unde homines, dum ſe falſo terrore coacti
Refugiſſe volunt longe, longeque remôſſe:
Sanguine civili rem conflant: divitiaſque
Conduplicant avidi, caedem caedi accumulantes.

Cru-

INTERPRETATIO.

unde Homines dum falſis terroribus inpulſi cupiunt procul ſe removere, & ſtationem ſuam ab hac janua Mortis longe ponere, cæde Civium ſibi opes comparant, Divitias

VARIÆ LECTIONES.

69. *Refugiſſe.* Reffugiſſe F. Effugiſſe C. E. K. P. V. X. Y. Z. *remôſſe.* Ita *Gronov.* N. K. P. Y. Z. Adde Palmer. in Face Crit. tom. IV. pag. 870. recêſſe L. remaſſe A. B. D. I. remanſe *Alii.* remoſſi E. remote Q. X. remoti Q1.

71. *cædi.* cæde N. P. Q1. X. Y. Z.

NOTÆ.

Τί κυπτάζεις ἔχων, περὶ τὴν θύραν. TURN. *Adv. lib.* XXX. *cap.* IX.

68. *Dum ſe refugiſſe*] Sententia Epicureis mirifice placita, eos enim, qui perturbati ſunt, aut quos aliquid urit, & è perturbatione maloque exire conantur, *ſe fugere* velle dicunt, nec tamen plerumque effugere poſſe, ut hujus libri clauſula verſ. 1081.

Hoc ſe quiſque modo fugitat: quod ſcilicet, ut fit,
Effugere haud potis eſt.

In ſenſum igitur ſuperioris loci eſt. Iſti, inquit, quos pertæſum eſt inglorios & deſpicatos vivere, effugere ſe volunt, i. e. ſuam indignitatem, ignobilitatem & humilitatem atque contemptum, & omni contentione ad gloriam & divitias enituntur. TURNEB *Adv. Lib.* XXX. *Cap.* X. Jam antea multis exemplis probatum eſt, veteres, *Me*, *Te* & *Se* in modo infinitivo uſurpaſſe, *παρελκόντως.* *Omnis homines qui ſe ſe ſtudent præſtare ceteris animantibus.* Salluſt. Iſtud *Se* poterat abeſſe. FABER.

69. *Refugiſſe*] *Effugiſſe*; male. GIFAN.

69. *Longeque remâſſe*] Vulgati: *remôſſe.* Quod quia agens eſt, *refugiſſe* autem abſolutum, non convenit huic loco. Itaque conjectura ductus, repoſui verbum *Ennianum.* GIFAN.

69. *Reffugiſſe volunt longe, &c.*] Sic legendum, non *effugiſſe.* ſed manebat ſcrupulus, quod *refugiſſe* hoc loco eſt verbum abſolutum: *removiſſe* autem, quod reperitur in libris omnibus, pro eo quod edendum curavi, *recêſſe*, agens: qui eximetur, ſi *recêſſe* legamus. Quare ſic plane puto eſſe legendum, & ita à Lucretio ſcriptum: quod cum minus eſſet intellectum à ſciolis, eſſe depravatum, & *remôſſe* ſuppoſitum. *recêſſe* autem dictum eſt pro *receſſiſſe*: quemadmodum *promîſſe*, *extînxem*, & ſimilia, pro *promiſiſſe*, & *extinxiſſem*, *&c.* atque ita hac tertia editione excudendum curavi. Quod autem baſcanus quidam vult legi, *longeque remâſſe*, pro *remeaſſe*: ferri hîc non poteſt, neque ullo pacto convenit. nam remeare, eſt reverti. At qui revertitur, ad eum locum, unde prius abiit, ex eo quo poſterius venit, redire intelligitur. quod hîc quadrare non poteſt. LAMB. Terentius in Andria, 4:6:2. *Quæ ſeſe inhoneſte optavit parare hic divitias potius, quam in Patria honeſte vivere.* CREECH.

69. *Recêſſe*] Al. *remôſſe.* Gifan. autem *remâſſe*, id eſt *remeaſſe*, fort. etiam non minus recte, *remânſe*, ὑπολειφθῆναι. FABER. Scribe *remôſſe*, ſubaudito rurſus provocabulo *ſe*, notiſſimo Græciſmo, atque Lucretio perfamiliari, unde etiam 4: 70.

Nam certe jacere ac invergi multa videmus.

Se ſcil. legit Jo. Fr. Gronov. Obſ. 2: 7. illuſtrans illo Comici Eun. 3:3:7. *Ait rem divinam feciſſe.* Recte vero idem judicat quia *remôſſe* agens ſit, *refugiſſe* abſolutum, aliam lectionem ab Interpretibus fuiſſe ſubſtitutam. HAV.

71. *Cædem cædi accumulantes*] Sic fere loquitur M. Tull. Catilin. 1. *Nonne etiam alio incredibili ſcelere hoc ſcelus cumulaſti?* LAMB. *Cædi* pro *cæde*, ut inf. verſ. 734. *contâgi* pro *contage*, juxta Lamb. Tamen ibi, ut & hic MSS. *contage* atque *cæde.* Utrumque veteribus uſitatum; ſed pro *cæde* etiam

fa-

Crudeles gaudent in triſti funere Fratris:
Et Conſanguineûm menſas odêre, timentque.
Conſimili ratione ab eodem ſaepe timore
Macerat invidia: ante oculos Illum eſſe potentem,
Illum adſpectari, claroque incedere honore;

Ipſi

INTERPRETATIO.

Avari augent, cædem cædi accumulantes ; In triſti funere fratrum crudeles gaudent, Cognatorum menſas oderunt, & metuunt. Similiter ab eodem mortis metu ſæpe fit quod Homines Invidia macerat, cum querantur Illum eſſe potentia ſpectabilem,

VARIÆ LECTIONES.

72. *Fratris.* fratres P. Q1. X.
74. *ratione.* rationi Z.
75. *Macerat.* Macerati Z. *potentem.* potentum *Quidam Codd.* P.
76. *claroque incedere.* claro inc. X. claro qui incedit A. B. E. N. P. Q1. Y. Z. clarus qui incedit L.

NOTÆ.

facit Macrob. 6: 2. citans hæc Lucretii, ut cum Maronianis illis conferat Georg. 2: 511.

—— *Gaudent perfuſi ſanguine fratrum,*
Exilioque domos & dulcia limina mutant. HAV.

73. *Timentque*] Metu veneni. Itaque omnem cœnam dubiam eſſe putant; ſed alio ſenſu quam à Paraſito Terentiano dictum eſt. FABER.

75. *Macerat invidia*] Horat. epiſt. 2. l. 1: 57.
Invidus alterius macreſcit rebus opimis. LAMB.

76. *Clarus qui incedit Honore*] Duo libr. manuſcr. habent,

—— *claro qui incendit honore*

ex qua ſcriptura feci,

—— *clarus qui incedit honore.*

nam *claro*, factum ex *claros*. *claros* autem pro *clarus* poſitum. quomodo ſæpe veteres loquebantur. Ex eadem ſcriptura olim feceram,

—— *claroque incendit honore:*

ut eſſet hæc ſententia : illum eſſe potentem, illum digito monſtrari, atque adſpectari, macerat alios homines invidia : & *honore*, id eſt propter illius honorem, homines invidos *incendit*, urit, & cruciat. Sic Horatius 2: 1: 13. epiſt. ad Auguſt.

Urit enim fulgore ſuo, qui prægravat arteis
Infra ſe poſitas, &c.

vel dic, & *honore*, id eſt honoris ſtudio, & cupiditate homines illos inflammat. ſic Horat. ſat. 9. l. 1: 53.

—— *accendis quare cupiam magis illi*
Proximus eſſe.

Nunc autem malo ſic,

Clarus qui incedit honore:

vel ſic,

Clarumque incedere honore. LAMB.

76. *Claro qui incedit honore*] Quidam Veteres: *claro qui incendit.* Quidam Veteres: *claroque incedere*; etiam bene. *Incendit*, non admitto. In quibuſdam Veteribus etiam : *incendere* ; male. GIFAN.

76. *Claroque incedere honore*] Alii *Clarus qui incedit Honore.* Alii *Claro qui incendit Honore.* Fayum vide Lector, & ridebis. CREECH.

78. *Statuarum & nominis ergo*] *Ergo* correptum (inquit Feſtus) idem ſignificat, quod apud Græcos ἔν: productum, idem quod χάριν, hoc eſt *gratia*, cum ſcilicet gratia intelligitur pro cauſa. vide cetera apud eundem. Virgilius Æneidos 6: 670.

—— *illius ergô*
Venimus.

Præterea admonendus eſt lector, in quibuſdam libris veteribus ſcriptum eſſe,

Sta-

Ipſi ſe in tenebris volvi, coenoque queruntur.
Intereunt partim ſtatuarum, & nominis ergô:
Et ſaepe uſque adeo, Mortis formidine, vitae
Percipit humanos odium, luciſque videndae,
Ut ſibi conſciſcant moerenti pectore Lethum;

Obli-

INTERPRETATIO.

Illum ſpectari, & Dignitate inſignem magna pompa undique cinctum incedere: dum ipſi in tenebris & luto, (in infima conditione) volvuntur; Et ſeipſos macerando enecant ut Famam ſibi & Statuas compararent: Et ſæpe metu mortis tantum odium vitæ & lucis videndæ Hominum Animos occupavit, ut dolenti corde ſibi ipſis mortem conſciſcant,

VARIÆ LECTIONES.

78. *Intereunt partim ſtatuarum.* ſtatuai A. B. ſtatus C. K. P. ſtatim *vel* ſtatum Q. X. Y. Z. ſtatuarum *priſci codd.* P. ſtatuæ O. Intereuntes faſtus tantum *vel*; Intereuntque potentatus V.

80. *humanos.* ingratos *Gaſſ.*

81. *mœrenti.* morienti Q. X.

NOTÆ.

Statuaï & nominis ergô.

78. *Statuaï, & nominis ergô*] Cum in quibuſdam libris eſſet: *ſtatuæ*, in Aliis: *ſtatuarum*, in Aliis: *ſtatim*; ego *ſtatuaï.* Qua in re ſæpe eſt peccatum. Et olim, *ſtatuæ honor* dicebant & Græci, & Latini. *Statuarum* etiam non male. Gifan. In quibuſdam Codd. *Statuaï.* Alii *Intereuntes faſtus tantum.* vel *Intereuntque potentatus.* Creech.

78. *Statuarum*] Marg. noſter: *ſtatum.* Addito: Fecit Iſ. Voſſ.

Intereuntes faſtus tantum & nominis ergo
vel
Intereuntque potentatus.

At vide, ne ſit neceſſe, ut quicquam mutemus. *Partim* ita citra geminationem ponere, & in hujuſmodi partitionibus, amat Noſter, ut alibi dictum. Nec noſter tantum ſed & Cic. 1. de Divinat. *Statuarum* autem mentio non ita huic loco inconveniens. Juven. Sat. 8: 1.

Stemmata &c. ———

——— *& ſtantes in curribus Æmilianos.* Preig.

79. *Vitæ percipit humanos odium,*] Sic loquuntur & alii boni ſcriptores. Terentius Eun. 3: 1: 14.

Tunc ſicubi eum ſatietas hominum, aut negoti ſi quando odium ceperit.

ibid. 5: 6: 2.

Neque agri; neque urbis odium me umquam percipit.

Idem Hecyra: 2: 1: 22.

Jam pridem equidem audivi cepiſſe odium tui Philumenam.

Plautus Truculento: 2: 5: 14.

Si bene facere incœpit, ejus eum cito odium percipit.

Idem Sticho: 2: 2: 17.

Quid ego, quoi miſero medullam ventris percepit fames?

ſic idem Lucret. ſup. eodem lib. verſ. 29.

His tibi me rebus quædam divina voluptas
Percipit. Lamb.

Lucretius ſupra v. 27.

His tibi me rebus quædam divina voluptas
Percipit. Ubi tamen Alii legunt *Perciit.*

Pro *Humanos* Gaſſendus legit *Ingratos.* Creech.

80. *Luciſque videndæ*] Id eſt vitæ colendæ. Virgil. lib. Æneid. 4: 631.

——— *quam primum abrumpere lucem:*

& lib. 6: 435.

Obliti fontem curarum hunc eſſe Timorem,
Hunc vexare pudorem, Hunc vincula amicitiaï
Rumpere, & in ſumma pietatem evertere fundo.
Nam jam ſaepe homines patriam, caroſque parenteis
Prodiderunt, vitare Acheruſia templa petentes.
Nam veluti Pueri trepidant, atque omnia caecis
In tenebris metuunt: ſic Nos in luce timemus
Interdum, nihilo quae ſunt metuenda magis, quam
Quae Pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.

Hunc

INTERPRETATIO.

obliti omnes ſuas curas ab hoc metu derivari: Obliti etiam hunc metum Pudorem violare, nexus Amicitiæ perfringere, ſummatim, Omnem pietatem penitus enervare & evertere: frequenter enim Homines Patriam caroſque parentes prodiderunt metu mortis, vel ut mortem & inferos vitarent. Nam ut Pueri trepidant, & omnia metuunt in tenebris, ſic Nos in luce timemus, Illa etiam, quæ interdum non ſunt magis metuenda, quam quæ Pueri in tenebris metuunt, & imaginantur futura.

VARIÆ LECTIONES.

84. *pietatem.* pietate K. X. *fundo.* funditus A. B. ſuadet C. E. K. P. Y. Z. ſuadent Q. ſuadit N. X. ſuapte V.
90. *finguntque.* fugiuntque Q. X.

NOTÆ.

—— *lucemque peroſi.* Cicero pro Mil. *Lucem intueri.* Græci poëtæ, ὁρᾶν φάος ἠελίοιο. Lamb.

84. *Pietatem evertere funditus*] Ita conjectura ſcripſi. Vulgati: *ſuadet.* In veteribus libris quibuſdam: *fundet*, &: *fundit.* Hinc feci; *funditus*; ut ſit dactylus in fine, qua in re ſæpe eſt peccatum. Vide Indicem: *Verſus.* Lambinus: *fundo*; non male. Gifan.

84. *Pietatem evertere fundo*] Sic hunc locum, in omnibus libris ſine dubio depravatum, reſtitui, à veteribus quidem codicibus adjutus, ſed magna ex parte conjectura ductus, cum ex *fundet*, feciſſem *fundo.* quam conjecturam neminem litteris mediocriter tinctum, judicioque non impolitiſſimo præditum, improbaturum arbitror. *ſuadet* autem, quod eſt in omnibus libris vulgatis, rejeci. ſic Virg. locutus eſt lib. 10: 88.

Nos ne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur.

vertere fundo, id eſt funditus perdere. Thraſo quidam mavult ſcribi, *vertere funditus*, ut ſit dactylus in extremo verſu, mendoſiſſime, & plane ridicule. Lamb.

87. *Nam veluti pueri, &c.*] Poſiti jam ſunt hi verſus ſupr. initio lib. 2: 54. & tertium legentur non longe à principio ſexti: 34. Lamb.

94. *Primum animum dico*] Liber hic tertius, quo animi immortalitas à Lucretio oppugnatur, à Chriſtiano homine caute eſt legendus: neque ejus argumenta, quantumvis probabilia, cum ſint infirma, falſa, fallacia, & captioſa, ullo modo vel audienda, vel in pectoris ſedem recipienda: ſed animo jam præparato, inſtructo, atque armato, ne, quaſi venenata tela in eum penetrent, in eoque inhæreant, ad hujus libri lectionem veniendum. Omnino nulla tutior armatura adhiberi poteſt, quam pietas & religio noſtra: quæ non ſinet nos in hac de anima diſputatione titubare, aut errare: verum tamen licet etiam ex ſcriptoribus Chriſtianis arma quædam hujus quæſtionis propria ſumere. Juvabit autem non parum Tertulliani libros de teſtimonio animæ, de ſubſtantia animæ, de anima de-

ni-

Hunc igitur terrorem animi, tenebraſque neceſſe eſt
Non radii ſolis, neque lucida tela diei
Diſcutiant, ſed Naturae ſpecies, Ratioque.
Primum ANIMUM dico (mentem quem ſaepe vocamus)
In quo conſilium vitae, regimenque locatum eſt,
Eſſe hominis Partem nihilo minus, ac Manus, & Pes,
Atque Oculi partes animantis totius exſtant.
Quamvis multa quidem Sapientum turba putârunt
Senſum animi certa non eſſe in parte locatum:
Verum Habitum quendam vitalem corporis eſſe,

Har-

INTERPRETATIO.

Hos igitur terrores tenebraſque quæ mentem obſident, non radii Solis, aut Diei ſplendor diſſipabit, ſed contemplatio vel cognitio Naturæ, & vera Philoſophia: Primum igitur aſſero Animum (quem frequenter appellamus Mentem) in quo Conſilium & regimen vitæ ſitum eſt, (cujus imperio vivimus) eſſe partem Hominis æque ac Manus, & Pes, atque Oculi ſunt partes integri Animalis: Quamvis multi inter Philoſophos crediderint Animi ſenſum (Animum) non eſſe ſitum in una certa parte Hominis, ſed eſſe Habitum quendam vitalem totius corporis,

VARIÆ LECTIONES.

91. *Hunc.* Nunc. K. Q.
94. *quem.* quam C. E. M. N.
95. *locatum eſt.* vocatum eſt K Q. V. X. Y. Z.
98. *putârunt.* putare O. putaret c. P. putarit A. B. Verſum hunc delent Y. Z.

NOTÆ.

nique, pervolutare & perlegere: quibus libris vir ille totam quæſtionem de anima non ſolum maxime pie, & Chriſtiane, ſed & pereruditc tractavit. LAMB.

94. *Mentem quem ſæpe vocamus*] Sic habent quattuor lib. manuſcripti & antiqui Veneti: quam ſcripturam non video quamobrem mutare debuerim. hic enim ordo verborum eſt: Primum igitur dico, animum quem ſæpe mentem vocamus, eſſe hominis partem, &c. vulgati autem habent, *mentem quam*: quam lectionem tamen non damno, cum præſertim ſic referat Cariſ. lib. 2. *Primum. Lucr.*

Primum animum dico, mentem quam, &c.
ubi Velius Longus, *Primum* (inquit) *adverbialiter audiendum eſt.* LAMB. Ita (*quem*) omnes libri veteres. Marullus, & Vulgati: *quam.* GIF. Hinc, quum & ipſe, nonnunquam Epicureus, Virgilius, *mentem animumque* conjunxiſſet in illis Æn. 6: 11.

——— ——— *Magnam cui mentem animumque Delius inſpirat vates.*

Servius hæc notavit: *Periſſologia eſt: Nam ſecundum Lucretium unum eſt, mens & animus.* HAV.

96. *Eſſe hominis partem nihilo minus, &c.*] Immo multo magis. nam hominis quidem pars eſt animus: ſed pes & manus, corporis humani partes ſunt potius, quam hominis. LAMB.

96. *Eſſe hominis partem*] Corpore atque animo conſtat homo: ergo duæ in homine partes. Et tamen vides quid hinc colligat Epicurus. Sed verus homo animus eſt. FABER.

98. *Putarit*] Ita veteres quidam libri. In Aliis: *putaret.* Alii: *putârunt.* GIFAN.

99. *Senſum animi certa, &c.*] Inf. eod. lib. 547.
Et quoniam mens eſt hominis pars una, locoque
Fixa manet certo, velut aures atque oculi ſunt,
Atque alii ſenſus, &c. LAMB.

Qqq 2 101.

Harmoniam Graji quam dicunt, quod faciat nos
Vivere cum ſenſu, nulla quom in parte ſiet Mens:
Ut bona ſaepe Valetudo quom dicitur eſſe
Corporis, & non eſt tamen haec pars ulla Valentis:
Sic Animi ſenſum non certa parte reponunt:

Ma-

INTERPRETATIO.

quem Græci dicunt Harmoniam, quoniam nos vivere & ſentire faciat, cum Mens non ſit in ulla parte Corporis: ut cum bona valetudo ſæpe dicitur eſſe Corporis valetudo, interim tamen illa non ſit aliqua pars corporis valentis: Similiter, Animi ſenſum Illi in aliqua certa parte non collocant;

VARIÆ LECTIONES.

100. *vitalem.* totius *Gaſſ.* vitalis Z.
102. *cum ſenſu.* concentu Cr. *quom in parte.* in parte Q. *ſiet.* ſit Z.

NOTÆ.

101. *Harmoniam Graji*] Sic Plato in Phædone: Καὶ γὰρ οὖν ὦ Σώκρατες, οἶμαι ἔγωγε καὶ αὐτόν σε τοῦτο ἐντεθυμῆσθαι, ὅτι τοιοῦτό τι μάλιστα ὑπολαμβάνομεν τὴν ψυχὴν εἶναι, ὥσπερ ἐν τεταμένου τοῦ σώματος ἡμῶν, καὶ συνεχομένου ὑπὸ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ, καὶ ξηροῦ, καὶ ὑγροῦ, τοιούτων τινῶν κρᾶσιν εἶναι, καὶ ἁρμονίαν αὐτῶν τούτων, καὶ ψυχὴν ἡμῶν, ἐπειδὰν ταῦτα καλῶς καὶ μετρίως κραθῇ πρὸς ἄλληλα. lege cetera quæ ſequuntur apud Platonem. valde enim ad hunc locum pertinent. hæc autem ſic interpretor: *Namque equidem arbitror, Socrates, te quoque hoc aliquando tecum conſideraſſe, tale quiddam nos exiſtimare animum eſſe, veluti intento corpore noſtro, & conſtante ex calido & frigido, ſicco & humido, & quibuſdam aliis hujus generis, temperationem, & harmoniam harum ipſarum rerum eſſe animum noſtrum, cum hæ res recte & moderate inter ſe fuerint temperatæ.* Hanc veterum opinionem refert & Ariſtoteles libr. 1. de animo, eamque refellit, his verbis, Καὶ ἄλλη δέ τις δόξα παραδέδοται περὶ ψυχῆς, πιθανὴ μὲν πολλοῖς, καὶ οὐδεμιᾶς ἧττων τῶν λεγομένων· λόγους δὲ, ὥσπερ εὐθύνας, δεδωκυῖα καὶ τοῖς ἐν κοινῷ λεγομένοις λόγοις. ἁρμονίαν γάρ τινα αὐτὴν τινες λέγουσι. καὶ γὰρ τὴν ἁρμονίαν, κρᾶσιν καὶ σύνθεσιν τινα ἐναντίων εἶναι, &c. id eſt, *Alia quoque opinio de animo tradita eſt, probabilis quidem illa multis, nullaque earum quæ ſermonibus hominum uſurpantur, inferior, ſed quæ fuit communibus philoſophorum diſputationibus agitata, ac veluti judicium rationum referendarum ſubiit. harmoniam enim quandam eum quidam eſſe dicunt, quippe harmoniam, temperationem & compoſitionem eſſe quandam contrariorum*, &c. & M. Tull. Tuſcul. 1. *Proxime autem Ariſtoxenus muſicus, idemque philoſophus, intentionem ipſius corporis quandam, velut in cantu & fidibus, quæ harmonia dicitur, ſic ex corporis totius natura & figura varios motus cieri, tanquam in cantu ſonos. Hic ab artificio ſuo non receſſit, & tamen dixit aliquid, quod ipſum quale eſſet, erat multo ante dictum & explanatum à Platone.* Lamb. Quamvis aliud Ariſtoxenus, aliud Plato videtur docuiſſe. Lactantius 7. Inſtit *Sicut in fidibus ex intentione nervorum efficitur concors ſonus, atque cantus quem Muſici Harmoniam vocant, ita in Corporibus & compage viſcerum, ac vigore ſenſuum vis ſentiendi exiſtit.* Hanc opinionem Poëta primo v. 19. explicat & evertit: quippe qui corpore aliquando dolet, Animo lætatur, & qui nihil doloris in Corpore ſentit, Animo miſerrime cruciatur, Anima igitur non eſt totius Corporis intentio & concentus, ſed pars Hominis à Corpore diſtincta, non minus quam Pes, Manus, Caput, &c. ſunt partes Humani Corporis à ſe invicem diſtinctæ. Creech.

101. *Quod faciat nos vivere cum ſenſu,*] Sic ſæpe loquuntur boni ſcriptores, Plautus, Virgilius, ipſe Lucretius. uno Virgilii exemplo nunc contenti erimus; lib. 2. Æneid. 538.

——— *nati me cernere letum*
Feciſti, & patrios fœdaſti funere vultus.

& aliquot ex Lucretio: infra eod. lib. 302.

Quæ

Magnopere in quo mî diverſi errare videntur.
Saepe utique in promptu Corpus, quod cernitur, aegrit,
Quom tamen ex alia laetamur parte latenti:
Et retro fit, uti contra ſit ſaepe viciſſim,

INTERPRETATIO.

qua opinione mihi videntur à Veritate longiſſime recedere: frequenter enim Corpus, quod noſtris oculis ſubjicitur, dolore afficitur, interim tamen ex aliqua latenti parte lætamur, & è contra frequenter vice verſa accidit,

VARIÆ LECTIONES.

106. *Magnopere.* magno opere Q. Y. Z. & *ita paſſim.*

107. *utique.* itaque B. I. P. Y. Z. *in promptu.* in promptu eſt Q1. *ægrit.* ægrum C. E. N. P. Q1. V. X. Y. Z. ægrum eſt A. B. D. I.

109. *uti.* ubi A. marg. E. K. N. P. Q. X.

NOTÆ.

Quæ faciunt tremulum membris exiſtere motum.
Idem lib. 6: 266.

Flumina abundare ut facerent, campoſque natare.
Idem ibidem: 454.

Hæc faciunt primum parvas conſiſtere nubeis.
Idem eod. lib. 511.

Urget, & è ſupero premit, & facit effluere imbreis.
Idem libro 5: 760.

Quæ faciunt igneis interſtingui, atque perire? LAMB.

102. *Cum ſenſu*] Ita Codd. & recte. Tacere tamen non poſſum mihi aliquando placuiſſe *Concentu*, iſta enim vox voci *Harmonia* non abſona videbatur. CREECH.

105. *Non certa parte reponunt*] Eum ſtatim dicet eſſe in media pectoris regione repoſitum, verſ. 141.

Idque ſitum media regione in pectoris hæret. LAMB.

107. *Sæpe itaque in promptu*] Sic legendum, & ita habent libri manuſcr. & impreſſi Pariſ. & Veneti antiq. Nam vulgati habent fere,

Sæpe utique in promptu, &c. LAMB.

107. *Ægrit*] Cum in aliquot libris vulgatis legatur, *ægrum eſt*; in manuſcriptis vero, *ægrum*, ſine verbo ſubſtantivo: ego in prima & ſecunda editione *ægrum eſt*, ut in lib. vulgatis, probaram. Nunc vero commotus ab antiqua ſcriptura, & commonitus, (non enim temere omnes libri antiqui habent *ægrum*) ex hoc *ægrum*, quod depravatam eſſe arbitror, feci *ægrit.* quo verbo utitur iterum infra eodem lib. 836.

Præter enim quam quod morbis tum corporis ægrit, &c. LAMB.

Dicebant *ægrit* & *ægret.* FABER. Ita Veteres, ut & *Ægret.* Giſanius tamen & Alii, *ægrum eſt.* Recte autem illi faciunt, qui v. 108. retinent *Latenti*, & rejiciunt *Valenti*: An vero *Ubi* vel *uti* legi debeat in ſequenti verſu litigent Interpretes. Suumque *Labore* v. 112. retineat *Fayus*, dum Alii *Dolore* præferunt. CREECH. Verbum *ægrire* verſu hujus libri 836. Lucretio reſtituendum docuit Adrian. Turneb. xxx. Adv. cap. 10. uti videtur, primus. Hunc ſecutus Lambinus idem quoque hoc loco (quo jure, viderint, quibus otium eſt) reponere in animum induxit ſuum. Scribendum tamen ſi non hoc loco, at altero illo, *ægret*, tanquam ab *ægreo ægrere*; poſt Giſanium, ſatis ſolide jam evicit vir eximius in Etymologico ſuo, ex eo, quod non *ægriſco* ſed *ægreſco* dixerint. PREIG.

108. *Parte latenti*] Nempe animo: ſic autem habent libri quattuor manuſcripti, & aliquot typis impreſſi. alii enim habent, *parte valenti.* LAMB.

109. *Et retro fit uti contra &c.*] Sic eſt legendum, & ita habent codices fide digni, niſi quod in omnibus *ubi* ſcriptum eſt pro *uti*, plane mendoſe. LAMB.

109. *Et retro fit, ubi*] Sic veteres libri omnes, & vulgati; recte. Lambinus: *uti.* GIFAN.

Quom miſer ex animo, laetatur Corpore toto:
Non alio pacto, quam ſi Pes quom dolet aegri,
In nullo Caput interea ſit forte dolore.
Praeterea molli ſomno quom dedita membra,
Effuſumque jacet ſine ſenſu Corpus onuſtum:
Eſt aliud tamen in nobis, quod tempore in illo
Multimodis agitatur, & omneis accipit in ſe
Laetitiae motus, & curas cordis inaneis.

Nunc

INTERPRETATIO

ut Homo mente æger nihil doloris in toto Corpore ſentiret; eodem prorſus modo, ac cum Pede ægri dolente Caput interea nulla moleſtia afficiatur; Præterea cum membra Corporis molli ſomno dedita ſunt, totumque Corpus ſopore gravatum jacet ſolutum, & ſine ſenſu, Aliquid tamen in nobis eſt, quod illo ipſo tempore multis modis agitatur, quod capax eſt, atque in ſe recipit omnes gaudii motus, vanos etiam metus, atque Animi anxietates.

VARIÆ LECTIONES.

112. *dolore.* labore D.
113. *ſomno quom.* cum ſomno N. Q1. Y. Z.
114. *onuſtum.* honeſtum Q. X. Y. Z. *ſed ſuperſcrib. in aliquot* honuſtum.
115. *aliud.* aliquid D.

NOTÆ.

113. *Præterea molli cum ſomno*] De ſomno & ſomniis lege lib. 4: 905.

Nunc quibus ille modis ſomnus per membra quietem Inriget, &c. Lamb.

113. *Molli*] Sic Poëtæ Græci μαλακῷ ὕπνῳ. Virgil. lib. 2. Georg. 470.

——— *molleſque ſub arbore ſomni.* Lamb.

Aliud Argumentum priori ſimile v. 5. proponit. Somno relaxentur membra, nulla ſit intentio membrorum, nullus ſit viſcerum concentus, ſed effuſa jaceant omnia & languida, interim tamen variis inſomniis aliquid quod ad Hominem pertinet agitatur, dolet, gaudet, &c. Hoc autem quod ſentit eſt Animus, Animus igitur non eſt Corporis Harmonia, relaxato enim ſomno Corpore, ut in Fide laxatis nervis nulla ſit Harmonia. Creech.

114. *Onuſtum*] Cibo & potu. lib. 4: 951.

Deinde cibum ſequitur ſomnus. Lamb.

Alii Cibo aut Potu, Alii Cura, vel labore; Ego mallem ſomno, ſic *ſopor graviſſimus* v. 953. Lib. 4. In verſu ſequenti pro *Aliud* apud plures *Aliquid.* Creech. Annotator quoque noſter *honeſtum* habet, Voſſii nimirum adſcripta auctoritate. Idque exponit, *integrum*, Laudato Cicerone teſte. Et is quidem ſuam ſibi habeat explicationem. Nobis non intempeſtivum videtur hic aliquid novi moliri. Quid enim ſibi vult vulgatum illud *onuſtum?* otioſum quid, planeque moleſtum. Vide, ne legendum ſit:

——— *jacet ſine ſenſu corpus honeſto.* Preig.

118. *Nunc animam quoque*] Ab hoc loco refellere conatur eorum ſententiam, qui animum, ſeu animam, harmoniam eſſe volunt, eademque opera probare, eſſe in numero partium corporis humani. Lamb. Tertium argumentum, quo probatur Animum non eſſe corporis Harmoniam, v. 13. ſic ſe habet. Ut in fidibus detractis quibuſdam nervis totus perit concentus, ſic abſciſſis quibuſdam membris tota totius Corporis Harmonia interiret, nulla itaque vita foret, nullus ſenſus. At Homines membra mutilos & vivere & ſentire, non eſt quod quis dubitet? Licet autem detractis multis membris integra maneat vita, & ſenſus integer; ſi ta-

Nunc Animam quoque ut in membris cognoſcere poſſis
Eſſe, neque Harmoniam corpus retinere ſolere:
Principio fit, uti detracto Corpore multo,
Saepe tamen nobis in membris Vita moretur.
Atque eadem rurſus quom Corpora pauca caloris
Diffugêre, foraſque per os eſt editus aër:
Deſerit extemplo venas, atque oſſa relinquit:
Noſcere ut hinc poſſis, non aequas omnia parteis

Cor-

INTERPRETATIO.

Deinde ut certus eſſe poſſis Animum eſſe in membris, cum Harmonia tamen (ſeu intentio & conſenſus Membrorum) non Corpori ineſſet, primum obſervandum eſt, quod amputatis multis partibus Corporis Vita tamen in reliquis membris integra maneat: Eadem autem vita, cum paucæ Caloris particulæ diffugerint, & per Os Aër expiretur, protinus venas deſerit, & relinquit Oſſa: Atque hinc colligere potes Omnes materiæ particulas non ejuſdem conditionis eſſe,

VARIÆ LECTIONES.

119. *Harmoniam.* Harmonia Y. Z. *retinere.* interire Q1. X.
122. *Corpora.* ſemina Q. *caloris.* calore Q. colore X.
123. *editus.* deditus Q.

NOTÆ.

tamen quædam Caloris & Aëris particulæ è Corpore diffugiant, corruit Animal, nulla relinquitur aut vita, aut ſentiendi vis. E quibus conficitur, vitam & ſenſum non ex intentione omnium Membrorum, Nervorum, & Viſcerum oriri, ſed ab iſtis Caloris & Aëris particulis dependere. Creech.

118. *In membris*] In numero membrorum. nam ſtatim docebit, animam corporea natura eſſe præditam. Lamb. In numero membrorum Lambinus, & poſt illum Alii: at hic *in membris* idem ſonat quod in v. 121. Creech.

120. *Detracto corpore multo*] Detracta magna corporis parte, ſeu detractis multis corporis partibus: ut detracta & amputata tibia, reciſo brachio, & ſimilibus. Lamb. Magna parte ſubſtantiæ corporeæ. Faber.

122. *Corpora pauca caloris*] Infra docebit, animum conſtare ex aura, vapore ſeu calore, aëre, & quarta natura, nominis experte. Lamb.

123. *Per os*] Nam ægri moribundi dicuntur agere animam. Lamb.

124. *Extemplò*] Continuo. Lamb.

125. *Noſcere ut hinc poſſis, &c.*] Id eſt, ita, ut facile hinc intelligere poſſis, non omnia corpora prima parteis æqualeis animæ obtinere, & ex æquo vitam ac ſalutem tueri ac ſuſtentare: ſed ſemina quædam venti & caloris efficere, ut in membris vita maneat. ad hunc locum pertinent illa quæ dicuntur à Cebete apud Platon. in Phædone: Ὦ Σώκρατες, τὰ μὲν ἄλλα δοκεῖ ἔμοιγε καλῶς λέγεσθαι, τὰ δὲ περὶ τῆς ψυχῆς πολλὴν ἀπιστίαν παρέχει τοῖς ἀνθρώποις, μὴ, ἐπειδὰν ἀπαλλαγῇ τοῦ σώματος, οὐδαμοῦ ἔτι ᾖ, ἀλλ' ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ διαφθείρηταί τε καὶ ἀπολλύηται, ᾗ ἂν ὁ ἄνθρωπος ἀποθάνῃ, εὐθὺς ἀπαλλαττομένη τοῦ σώματος, καὶ ἐκβαίνουσα, ὥσπερ πνεῦμα, ἢ καπνὸς, διασκεδασθεῖσα οἴχηται διαπτομένη, καὶ οὐδὲν ἔτι οὐδαμοῦ ᾖ. i. e. *Cetera quidem, Socrates, præclare mihi dici videntur: ſed quæ de animo dicuntur, valde ſunt omnibus incredibilia, ut verendum ſit, ne, cum ex corpore exceſſerit, nuſquam jam ſit: ſed illo ipſo die, quo die homo interierit, intereat, ac perimatur continuo ex corpore decedens, egredienſque, tanquam ventus, aut fumus, diſperſus diffugiat, atque in diverſas parteis evolet, & nuſquam jam quicquam ſit amplius.* Lamb.

125. *Non æquas partes*] Animæ ſcil. Faber. Animæ viz. *Lambinus* & Alii: diverſam interpretationem ſequutus ſum. Creech.

126.

Corpora habere, neque ex aequo fulcire ſalutem:
Sed magis haec, Venti quae ſunt, calidique Vaporis
Semina, curare in membris ut Vita moretur.
Eſt igitur Calor, ac Ventus vitalis in ipſo
Corpore, qui nobis moribundos deſerit artus.

Qua-

INTERPRETATIO.

(non æqualia munera agere,) aut vitam æqualiter ſuſtinere; Sed iſta Venti & calidi Vaporis principia magis facere, ut Vita in membris maneat: Calor igitur & Ventus vitalis eſt in ipſo Corpore, qui noſtra, cum morituri ſimus, membra deſerit.

VARIÆ LECTIONES.

130. *moribundos.* moribundus D. moribundis F.

NOTÆ.

126. *Neque ex æquo fulcire ſalutem*] Vitam ſuſtinere, retinere. FABER.

127. *Venti calidique vaporis*] Nota partes quæ animam conſtituunt, quibus & tertia qualitas accedet infra. FABER.

128. *Curare*] Id eſt, efficere, tranſlatio eſt à rebus animatis. Sic libr. 4: 804.

Quod ne miremur, ſopor atque oblivia curant.
ibid. 246.
Efficit ut videamus, & internoſcere curat.
& libr. 6: 230.
Curat item, ut vaſis integris vina repente
Diffugiant. LAMB.

130. *Moribundos*] Morienteis, ſeu jamjam morituros. LAMB.

130. ——— *qui nobis moribundos deſerit artus.*] Fieri non poteſt quin legendum ſit,

——— *qui, nobis* moribundis, *deſerit artus.*

Alioqui contra ſenſum locutus fuerit Lucretius. FABER.

131. *Quapropter quoniam* &c.] Diſputationem de Harmonia v. 6. cum Scommate, ut erat pronus ad Scommata, concludit: Habeant igitur ſibi Boni iſti & faceti Muſici Harmoniam iſtam, vocem inepte fictam, & ineptius applicatam, quid enim in iſtorum nugis refutandis diutius immorarer? CREECH.

132. *Redde harmoniaï nomen ab organico*] Redde (inquit) nomen harmoniæ delatum ex monte Muſarum organico: id eſt ab iis ſumtum, qui ex fidibus & nervis ſuaveis eliciunt ſonos. LAMB. Scio de harmonia quid dictum, fictum, ſcriptum fuerit; neque Ariſtoxenus ille Ariſtotelis diſcipulus eam opinionem primus induxit, cum jam ante Ariſtotelem ipſum, in Phædone, ubi de animorum immortalitate agitur maxime, tale aliquid ſcriptum à Platone fuerit. Sed cur *harmoniæ nomen ab Heliconis organico ſaltu delatum* dicat Lucretius, id vero unum eſt quod mihi nunquam placere potuit, quippe qui *montem organicum* ſeu *muſicum*, (nam Organici, haud dubie Muſici dicuntur, ut ex ipſomet Lucretio alibi conſtat) montem, inquam, Muſicum, non magis quam Grammaticum aut Dialecticum dici poſſe putem. Inde adeo factum eſt ut ſemper legerim, neque adhuc ſcripſiſſe Lucretium aliter arbitrer:

Nomen ab organico cantu ductum citharaï;

Sed cum ex *citharaï*, id eſt citharæ, ut *terraï*, *harmoniaï*, *aulaï*, & alia id genus, librarii τὸ *Citharonis* feciſſent, facile fuit doctis, qui vitium in metro animadverterent, eam vocem mutare in τὸ *Heliconis*, ut laboranti verſui ſubveniretur. Cetera autem, uti & corrupti carminis ratio poſtulabat, pro captu cujuſque mutata, verſa, interpolata fuere. De hac noſtra conjectura judicabunt qui & naſum habent & poëticæ facultatis expertes non ſunt. Quod autem addit Lucretius,

Sive aliunde *ipſi porro traxêre* .....

Non temere factum, cum *harmonia* ſumatur etiam pro junctura ſeu compage ligni vel ſolidioris alicujus materiæ. Inde apud Ariſtophanem ἁρμονιῶν διαχασκουσῶν. Inde & Heſychius in quodam loco veteris ſcriptoris, quem ipſe quidem non nominat, ſed nos Herodotum eſſe ſcimus,

ἁρ-

Quapropter quoniam eſt Animi natura reperta,
Atque Animae, quaſi pars Hominis: redde Harmoniaï
Nomen, ab organico ſaltu delatum, Heliconi,
Sive aliunde ipſi porro traxêre: & in illam

Tran-

INTERPRETATIO.

Quapropter cum inventum ſit Animum (aut Animam) eſſe Hominis partem, redde nomen Harmoniæ delatum ab organico Saltu Heliconis, ſeu aliunde à Philoſophis tranſlatum, & derivatum ab illis in rem iſtam,

VARIÆ LECTIONES.

132. *redde.* redit P. crede Q1. *Harmoniaï.* Harmoniam Q.
133. *Nomen, ab organico ſaltu delatum, Heliconi.* nomen, ab organico ſaltu delatum Heliconis L. *Aliique.* nom. ab. org. ſaltum delatu Heliconis X. ab organico cantu ductum citharai F. ad organicos alto delatum Helicone V. ab. org. ſalto (ſacro Q1.) del. Heliconi Q. Y. ad organicos ſaltu delatum Heliconi Z.
134. *traxêre.* texêre Z.

NOTÆ.

ἁρμονίαν interpretatur σύζευξιν, ſeu conjunctionem. FABER. Hæc *Faber*, cujus ingenio plurima indulgerem, ſi ſibi ipſi imperare potuiſſet. Saltum Heliconis non abſurde dici probari poteſt ex Manilio ejuſdem fere ætatis ſcriptore,

——— *Primuſque novis Helicona movere*
Cantibus, & viridi nutantes vertice ſilvas.

Aſtronomicωn lib. 1. Illum Saltum dici poſſe *Organicum*, utpote Muſarum, Carminumque plenum nemo dubitavit, qui meminerit eum toties à Poëtis *vocalem* fuiſſe dictum. Eſt tamen qui legit

Ad Organicos alto delatum Helicone,

Et pro *Traxêre* in ſequenti verſu *Texêre*. CREECH.

133. *Redde harmoniaï Nomen, &c.*] Sic Iſ. Voſſ. preſſe veſtigia ſecutus vulgatæ lectionis; & ex eo Annotator noſter; qui explicationis gratia addit: *Organici ſunt, quales Ariſtoxenus, & alii Muſici, qui animam dicebant eſſe harmoniam.* Quod tamen vereor, ne longe nimis petitum ſit. Noſter *Organicos* (vide Fab.) Muſicos ſimpliciter & alibi dixit. PREIG. Reſtitue organicis (inquit Turneb. Adverſ. 21: 2. & 30: 10.) nomen harmoniæ, quod illi Helicone deportarunt, ubi Muſæ & Muſarum præſes Apollo, modulis & cantibus præfecti, muſicorum inſtrumenta ſuis addita ſignis habent, & eorum inventione cenſentur & nobilitantur inter mortales. Hæc Turnebus. Verum neque hac neque multis aliis explicationibus, quæ fluctus in ſimpulo excitant, egemus; ſi ſimpliciter ita conſtituamus atque interpungamus locum, uti jam a nobis factum eſt, optimorum MSS. conſenſu. Redde inquit Harmoniæ nomen Heliconi, cui eſt proprium atque nativum, utpote ex umbroſis ejus ſaltibus ortum atque delatum. Saltus enim & arbores quis Heliconi negabit, pluribus Poëtis Manilio accinentibus. Teſtes Propertius 3: 2: 1.

Viſus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi.

Statius Sylvar. 4: 4: 90.

Parnaſſique jugis, ſilvaque Heliconide feſtis
Thura dedit flammis.

Atque ibidem verſ. 46.

——— ——— *cui non Heliconia cordi*
Serta, nec imbelles Parnaſſi è vertice laurus.

Quare etiam de Ennio Lucretius 1: 119.

Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

Hunc vero ſaltum Heliconis *organicum* appellari poſſe nemo dubitabit, qui contulit hoſce Claudiani verſus de Conſul. Mallii Car. 17. verſ. 270.

Nuncia votorum celeri jam fama volatu
Moverat Aönios, audito conſule, lucos
Concinuit felix Helicon, fluxitque Aganippe
Largior, & docti riſerunt floribus amnes. HAV.

134. *Et in illam*] Rem, quæ res, &c. LAMB.

Tranſtulerunt, proprio quae tum res nomine egebat,
Quidquid id eſt, habeant: Tu caetera percipe dicta.
Nunc Animum, atque Animam dico conjuncta teneri
Inter ſe, atque unam naturam conficere ex ſe:
Sed Caput eſſe quaſi, & dominari in corpore toto
Conſilium, quod nos Animum, Mentemque vocamus:

Id-

INTERPRETATIO.

quæ tum temporis proprio nomine carebat: utcunque illud ſit, unde iſtam vocem tranſtulerunt parvi eſt, recipiant iterum & fruantur; Tu vero quæ dicturus ſum percipe. Jam itaque affirmo Animum & Animam inter ſe conjuncta eſſe, & unam tantum rem componere; at Partem rationalem, quam nos Mentem ſeu Animum nominamus, præcipuam & principalem eſſe, & in toto Corpore dominari;

VARIÆ LECTIONES.

136. abeſt Y. Z.
139. & abeſt Q.

NOTÆ.

135. *Tranſtulerunt*] Quidam Veteres: *Tranſtulere.* GIFAN.

135. *Res nomine egebat*] Miror. nam ante harmoniam uſitata nomina erant θυμὸς, ψυχὴ, νοῦς. Sed de θυμὸς propter πολιμανίαν eſt qui contradicere, quanquam fruſtra, poſſit; de νοῦς, dixerit aliquis eſſe actionem non facultatem. at de ψυχὴ non video quî contra ſtari poſſit; nam quod ψυχὴ aliquando pro ſanguine poſitum legimus; (quippe locus eſt ad rem in Nebulis Comici,) ubi cimices, quos Corinthios vocat, τὴν ψυχὴν ἐκπίνουσιν, Sed id ita intelligi debet ut orientales vulgo ſentiebant, qui ſedem animæ in ſanguine ponebant. FABER. Hæc item *Faber*, qui labori ſuo parcere potuiſſet, ſi hæc omnia eſſe Scommatum plena percepiſſet. CREECH.

137. *Nunc animum, atque animam, &c.*] Nunc docere incipit, inter animum & animam quid interſit. vult autem, animum eſſe mentem, & conſilium, & rationem, ejuſque domicilium eſſe in medio pectore: animam autem per totum corpus eſſe fuſam. ſed non diſſimulabo in cod. Vatic. ſcriptum eſſe, *conjuncta teneri.* LAMB. Vocibus *Anima* & *Animus* indiſcriminatim uſus eſt *Lucretius*, & quidni id faceret, cum *Animus* & *Anima* unam tantum naturam conſtituant? Animus autem in quo ratio ſita eſt, iſtius naturæ præcipua pars in Corde ſitus eſt, ubi omnes Paſſiones, ſedes ſuas habent, & ſeſe oſtentant: τὸ δὲ λογικὸν ἐν θώρακι ὡς δῆλον ἔκ τε τῶν φόβων, καὶ τῆς χαρᾶς. *Diogenes Laërtius.* Docet etiam Epicurus τὰ πάθη καὶ τὰς αἰσθήσεις ἐν τοῖς πεπονθόσι τόποις eſſe. Plutarchus de Pl. Phil. Anima vero hujus Naturæ pars inferior in qua facultas locomotiva præcipue ſita eſt, per totum corpus diffuſa eſt, & ad nutum Animi movetur. Licet tamen illi obſequatur, non omnes illius affectiones ſentit, ſed vehementes tantum; Hinc dolore & triſtitia Animus afficitur, cum tranquillam ætatem Anima agat;. At ſi magno dolore tota Anima commovetur, deliquium patitur Animal, nec in tuto ipſa vita eſt. Unde certum eſt Animum eſſe Animæ conjunctum, quoniam movet Animam & ab illo impulſa Anima Corpus etiam propellit: Hæc omnia v. 25. Pro *Conjuncta* quidam Codd. *Convincta.* Δημόκριτος, Ἐπίκουρος, διμερῆ τὴν ψυχὴν, τὸ μὲν λογικὸν ἔχουσαν ἐν τῷ θώρακι καθιδρυμένον, τὸ δὲ ἄλογον καθ᾽ ὅλην τὴν σύγκρισιν τοῦ σώματος διεσπαρμένον. Plutarchus Placit. Phil. lib. 4. cap. 4. CREECH.

137. *Conjuncta*] Veteres quidam: *convincta*; ut inf. verſ. 417. GIFAN.

139. *Sed caput eſſe quaſi*] Sed conſilium eſſe quaſi caput, ὥσπερ κεφαλὴν ἔχειν vel εἶναι, *inſtar capitis eſſe.* LAMB.

140.

Idque ſitum media regione in pectoris haeret.
Hic exſultat enim Pavor, ac Metus, haec loca circum
Laetitiae mulcent: hîc ergo Mens Animuſque eſt.
Caetera pars Animae per totum diſſita corpus
Paret: & ad numen Mentis, momenque movetur:
Idque ſibi ſolum per ſe ſapit, & ſibi gaudet:

Quom

INTERPRETATIO.

Dicimus inſuper Mentem iſtam ſeu Animum in media regione pectoris ſedem ſuam habere; In iſta enim media pectoris regione Pavor & Metus palpitant, eadem etiam regio Gaudio mulcetur, In iſta igitur regione Mens aut Animus collocatur. Reliqua pars Animæ per totum Corpus diffuſa Animo obſequitur, & ad illius nutum movetur. Iſta autem pars rationalis, ſeu Mens, ſola & per ſe ſapit, ſola etiam & per ſe gaudium percipit,

VARIÆ LECTIONES.

142. *exſultat.* exſultet Z.

NOTÆ.

140. *Quod nos animum mentemque vocamus*] Egregie vero Tertullianus, qui *ſuggeſtum animæ* vocavit. Locus eſt pag. cccxiv. edit. poſtremæ: *Proinde & animum, ſive mens eſt,* NOYC *apud Græcos, non aliud quid intelligimus, quam ſuggeſtum animæ ingenitum & inſitum, & nativitus proprium, quo agit, quo ſapit,* &c. Faber.

141. *Idque ſitum media regione*] Diog. Laërt. Τὸ δ' λογικὸν ἐν θώρακι, ὡς δῆλον ἔκ τε τῶν φόβων καὶ τῆς χαρᾶς. id eſt, *Conſilium, ſeu rationem in thorace,* (id eſt, ut interpretatur Tertullian. lib. de anima, *in lorica pectoris eſſe*) *ut apparet ex timoribus & lætitia.* Idem Lucret. infra lib. 5: 103.

—— via qua munita fideï
Proxima fert humanum in pectus, templaque mentis.

Idem ſupra lib. 2: 277.

Jamne vides igitur, quamquam vis extima multos
Pellit, & invitos cogit procedere ſæpe,
Præcipiteiſque rapit, tamen eſſe in pectore noſtro
Quiddam, quod contra pugnare obſtareque poſſit?

ibid. 45.

Tum vacuum pectus linquunt, curaque ſolutum.

ad quem locum plura. Lamb.

141. *Media regione pectoris*] Adeo *pectus* pro animo, & φρένες, &c. Faber. Quod & Stoici affirmarunt. Vide locos apud Lipſ. Phyſ. Stoicæ Lib 3. Diſſ. 18. Hav.

142. *Hic exſultat enim*] Hoc Lucr. argumentum valde eſt imbecillum: In pectore verſantur & exſultant animi motus atque affectus: ergo in pectore animus locatus eſt. Idem Inf. ex eo quod animus perturbetur affectibus; curis, luctu, metu contabeſcat, ira exardeſcat, lætitia exſultet: colligit eſſe mortalem. Sed hoc refellitur à M.T. lib. I. Tuſcul. ut ſuo loco dicemus. Lamb.

143. *Lætitiæ*] Nota, *Lætitias.* ita *paupertates* apud Varronem in fragm. *glorias* apud eundem & Tullium. *audacias* dixit Cato apud Feſtum. *Quietes* Saluſt. pro ſomno. ut & Cicer. de Offic. *Sapientias.* Item in Tuſc. *Paces.* Varr. & Horat. Græci quoque nonnulla dabunt. Ἀληθείας Iſocrat. Euagor. initio. πατρίδες Diodor pag. L. ταῖς ῥώμαις, ibid. θεολογίας pag. CCXXXII. idem. οἶνοι. CCCXX. τὰς πενίας, ut Varro *Paupertates,* Plato pag. CCLI. in Lachete. Faber. Cicero Epiſt. Fam. 2: 9. *Repente vero inceſſi omnibus lætitiis.* Pomponius *Quot lætitiæ inſperatæ modi mihi irrepſere in ſinum!* Atque iterum Cicero de Finib. lib. II. *Ille Cæcilianus qui omnibus lætitiis lætum ſe eſſe narat.* Hav.

145. *Ad numen Mentis, momenque*] Ad nutum, & momentum, ſeu Motum, & quaſi ῥοπὴν mentis. Lamb. Inf. verſ. 189. & 190.

Momine uti parvo poſſint impulſa moveri.
Namque movetur aqua, & tantillo momine flutat.

Hav.

146. *Idque ſibi ſolum,* &c.] Hoc in animo habebat Tertull. ſupra. Faber.

Quom neque res Animam, neque Corpus commovet ulla.
Et quaſi quom Caput aut Oculus, tentante dolore,
Laeditur in nobis, non omni concruciamur
Corpore: ſic Animus nonnunquam laeditur ipſe,
Laetitiaque viget, quom caetera pars Animaï
Per membra, atque artus nulla novitate cietur.
Verum ubi vehementi magis eſt commota metu Mens,
Conſentire Animam totam per membra videmus:

INTERPRETATIO.

cum nulla res aut Animam, aut Corpus moveat. Et veluti cum Caput aut Oculus dolore aliquo afficitur & cruciatur, cruciatus iſtos in omni corporis parte non ſentimus; ſic aliquando ipſe Animus dolore afficitur, aut gaudium percipit, cum reliqua Animæ pars per membra & artus diffuſa nullo novo motu, (neque grato, neque ingrato motu) agitatur: At cum Mens metu vehementi concuſſa ſit, videmus totam Animam per omnia membra ſitam pariter affici;

VARIÆ LECTIONES.

145. *momenque.* numenque K. nomenque c. O. P. X.
146. *&:* Abeſt Y. Z.
147. *ulla.* una c. K. O. P. Q. V. X. Y. Z.
151. *viget.* urget Q. X.
152. *novitate cietur.* novitatficietur Y. Z.
153. *vehementi.* venienti Q. X.

NOTÆ.

147. *Ulla*] Quidam Codex: *una*. Gifan.

148. *Quaſi cum caput*] Id eſt, & quemadmodum, &c. Lamb. Pergit porro, animam eſſe partem hominis, ut pedes, manus, *&c.* Faber.

152. *Novitate*] Jucunda ſcilicet; itaque voluptatem intelligit. Quare voluptas & dolor, novitatis nomine veniunt; cauſa aperta eſt. Ceterum quæ mox addit, commode per *ſpiritus* explicari poſſunt. Faber.

153. *Verum ubi vehementi*] Idem de quavis alia magna perturbatione ſentiendum, ut de amore, de ira, de mærore, atque angore. in nomine *vehementi* duæ ſyllabæ, prima & ſecunda, pro una habentur: aut anapæſtus eſt pro ſpondeo, ſeu dactylo: aut legendum *vêmenti*, ut ſæpe alibi. Lamb.

153. *Vêmenti*] Sic Veteres; recte. Marullus, & Alii: *vehementi*. Gifan.

155. *Sudores itaque & pallorem*] Sic reſtitui, ſecutus cod. manuſcr. nam vulgati habent, *Sudores quo ita, pallores*, ordine perverſo. Lamb.

156. *Infringi linguam*] Debilitari, titubare. Lamb.

156. *Aboriri*] Intercludi, intermori. locum habet proprie in fæminis. Arnob. lib. 3. adverſus genteis: Et quoniam quædam ſunt fæminarum generis propria, ſequitur, ut eas quoque credamus circumactis perſolvere ſuas menſib. leges, faſtidioſos ducere atque habere conceptus: aboriri; perferre, & præpropero partu ſeptimanas edere aliquando fæturas. Lamb. Ita Codd. *Aboriri* vero propriè abortum facere, *Nonius*; eaque voce utitur *Arnobius* Lucretianarum vocum conſervator Lib. 3. adv. Gentes. *Et quoniam quædam ſunt fæminarum generis propria, ſequitur ut eas* (Deas viz.) *quoque credamus circumactis perſolvere ſuas menſibus leges, faſtidioſos ducere, atque habere conceptus*, aboriri, *perferre &c.* Aliquando tamen legi *Aboleri*. Creech.

157. *Sonere*] Tinnere. *Sonere* antiquum à *ſono, is, it.* Nonius, A *ſonit, ſonere. Lucret. lib.* 3. 157.

Ca-

Sudores itaque & pallorem exſiſtere toto
Corpore, & infringi linguam, vocemque aboriri,
Caligare oculos, ſonere aureis, ſuccidere artus.
Denique concidere ex Animi terrore videmus
Saepe homines, facile ut quivis hinc noſcere poſſit,
Eſſe Animam cum Animo conjunctam, quae quom Animi vi
Percuſſa eſt, exin corpus propellit, & icit.

Haec

INTERPRETATIO.

Sudores ex omni membro prorumpere, totum Corpus palleſcere, titubare linguam, Vocem intercludi, Oculos tenebris obduci, Aures tinnire, omnes artus debiles fieri & collabi: Denique frequenter videmus Homines ſubito aliquo terrore, qui mentem unice afficit, perculſos in terram proſterni, ut inde quilibet ſcire poſſit Animam eſſe Animo unitam, quæ cum impetu Animi commota ſit, percellit ipſum Corpus, & propellit.

VARIÆ LECTIONES.

155. *Sudores.* &c. Sudoreſque ita palloremque Q1. X. Sudoreſque itaque pall. N. Y. Z.
157. *ſonere.* ſonare Q. X. Y. ſonore Q1.
160. *Animi vi.* Animi Q. Y. Z. (*deleto* vi) animai Q1.
161. *exin corpus propellit.* extra N. X. animi vis Q2. exinde propellit corpus *Non.* extra c. P. Q.

NOTÆ.

Caligare oculos, ſonere aureis, ſuccidere artus. *Accius Neopt.*

Atque adeo valvas ſonere ſenſi regias.

lege cetera apud Non. utitur eodem verbo idem Lucret. infra, eod. lib. 886.

Scire licet non ſincerum ſonere, atque ſubeſſe
Cæcum aliquem cordi ſtimulum.

lege & Priſcianum lib. 9. ubi hunc verſum Ennii profert ex 11. Ann.

Tum clypei reſonunt, & ferri ſtridit acumen. Lamb.

Unde *ſonit aura* legit Scaliger in Severi Ætnæ verſu 292 pro *reſonante diu &c.* Hav.

157. *Succidere artus*] Plaut. Curcul. 2: 3: 3.

——— *tenebræ oboriuntur, genua ſuccidunt.* Lamb.

Cæterum nihil in πολυθρυλλητάτω iſto Sapphûs carmine, quod Longini beneficio Græce, & à Catullo Latine ejuſdem metri carmine redditum ex parte habemus, tam ſublime, quod non quam elegantiſſime & copioſiſſime hic exprimat Lucretius: ſic illa; ex emend. Iſ. Voſſ.

Τὸ μοι τὰν
Καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν.
Ὡς γὰρ εἴδω σε βραχέας με φώνας
Οὐδὲν ἔτ' ἥκει.
Ἀλλὰ καμμὲν γλῶσσα σέσιγε, λεπτὸν δ'
Αὐτίκα χρῷ πῦρ ὑποδεδρόμακεν
Ὀππάτεσσιν δ' οὐδὲν ὄρημι βομβεῦ-
σιν δ' ἀκόαι τοι.
Καδδ' ἴδρως ψυχρὸς χεῖται, τρόμος δὲ
Πᾶσαν ἀγρεῖ· χλωροτέρα, δὲ ποίας
Ἔμμι, τεθνάκην δ' ὀλίγω ἐπιδεύσα
φαίνομαι ἄλλα.

Catull.

Lingua ſed torpet. tenues ſub artus
Flamma demanat, ſonitu ſuapte
Tintinant aures. gemina teguntur
Lumina nocte. Preig.

158. *Ex animi terrore*] Ex terrore animi. non eſt enim legendum *exanimi* conjunctim. Lamb.

161. *Percuſſa eſt*] Sic habent libri manuſcr. & plerique typis impreſſi, quos ſequor: quamvis apud Nonium in verbo *icit*, legatur *Perculſa eſt.* Lamb. Apud Nonium legimus;

Quæ cum animi vi
Perculſa eſt, exinde propellit corpus, & icit.

Emendate forſan. Solet enim Lucretius præpoſitionem *pro* in compoſitis corripere; quod non uſquequaque ita videntur potuiſſe concoquere exſcriptores, quin aliquid quandoque immu-

Haec eadem ratio naturam Animi, atque Animaï
Corpoream docet eſſe: ubi enim propellere membra,
Conripere ex ſomno corpus, mutareque voltum,
Atque hominem totum regere ac verſare videtur,
(Quorum nil fieri ſine tactu poſſe videmus:

Nec

INTERPRETATIO.

Jam vero hoc idem argumentum demonſtrat Naturam Animi atque Animæ eſſe Corpoream, cum enim videmus Animum & Animam membra propellere, Corpus è ſomno excitare, vultum mutare, totumque Hominem regere & verſare, (quæ omnia ſolo tactu fieri poſſunt, nullus autem tactus ſine Corpore)

NOTÆ.

mutaverint. Exempla vide in *procumbere*, *profari*, *profundere*. *propagare*. Denique & in hoc noſtro *propellere*. Nec obſtat, quod verſu ab hoc tertio, ac tantum non eodem halitu primam in *propellere* producit; nam ſic quoque lib. VI. verſ. 1025.

Aër, a tergo quaſi provehat atque propellat

Cum mox, verſ. 1027.

Sed tali fit uti propellat tempore ferrum. PREIG.

161. *Exin corpus propellit, & icit*] Sic reperi ſcriptum in libris manuſcript. quibuſcum conſentiunt vulgati Pariſienſ. & Veneti antiquiores. atque hanc ſcripturam agnoſcit Priſcian. libro 10. apud Nonium autem legitur:

Exinde propellit corpus & icit.

icit autem, id eſt verberat, & percutit. in nonnullis libris legitur,

Extra corpus propellit, &c. LAMB.

161. *Percuſſa eſt, exin corpus propellit, & icit*] Ita Nonius: *Icit*, & in noſtris libris veteribus. Sententia poſtulat. alii *extra*. In Nonio etiam: *Perculſa eſt*; male. Priſcianus, libro x. *exhinc*: etiam recte. GIFAN. Seu *Exhinc* legi poteſt, nullo vero modo *Extra*. CREECH.

162. *Hæc eadem ratio* &c.] Eodem argumento probat v. 7. Animum & Animam eſſe Corporeæ naturæ; dum Animus movet Animam, illam tangat neceſſe eſt, dum Anima Corpus propellit, ibi etiam contactus; At

Tangere enim & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.

Hoc & quod proxime ſequitur argumentum his verbis ipſe Epicurus complectitur, οἱ λέγοντες ἀσώματον εἶναι τὴν ψυχὴν ματαιάζουσιν, οὐδὲν γὰρ ἂν ἐδύνατο ποεῖν, οὔτε πάσχειν, εἰ ἦν τοιαύτη νῦν δ' ἐναργῶς ἀμφότερα ταῦτα διαλαμβάνεται περὶ τὴν ψυχὴν τὰ συμπτώματα. CREECH.

163. *Corpoream docet eſſe*] Sic Epicurus apud Laërtium: Ὥστε οἱ λέγοντες ἀσώματον εἶναι τὴν ψυχὴν, ματαιάζουσιν. οὐδὲν γὰρ ἐδύνατο ποιεῖν, οὐδὲ πάσχειν, εἰ ἦν τοιαύτη τις. id eſt, *Quare qui animum incorporeum eſſe dicunt, inanes ſunt. nihil enim neque facere, neque pati poſſet, ſi talis eſſet.* Sed Epicurus ipſe inanis eſt: meliuſque & verius, qui animum incorporeum eſſe putarunt, ut Plato. Itaque cum antiquiores Philoſophi omnes, ut teſtatur Ariſtot. libro I. de anima, ψυχὴν finierint ac terminarint fere tribus, κινήσει, αἰσθήσει, ἀσωμάτῳ, id eſt *motu*, *ſenſu*, *incorporeo:* immerito illi quidem reprehenduntur, qui animum movere ſeu movendi vim habere dixerunt, meritiſſimo autem, qui eum moveri, aut agitationem eſſe, & qui eum ex quattuor elementis conſtare putaverunt, ut res omneis ſentire poſſit. Verum quod ait Lucr. ex vehementi animi metu totam animam in corpore pari motu affici: ex quo exſiſtere in corpore pallorem, ſudorem, linguæ hæſitantiam, & ſimilia: metus, ira, libido, & hujus generis motus non ſunt animi, ſeu mentis, ſed earum animi partium, quæ ſunt illæ quidem rationis conſilii expertes, ratione autem & conſilio regi poſſunt: qualia ſunt τὸ ἐπιθυμητικὸν, καὶ ὀργιστικόν. LAMB.

163. *Ubi enim propellere*] Sic argumentatur Lucretius: animus & anima corpus propellere, atque immutare vultum poſſunt. at impulſio non fit ſine tactu, neque tactus ſine corpore. ergo animus & anima corporea natura ſunt prædita. LAMB. *Ubi enim*, dictum ut Græcorum ὅπου γὰρ. i. e. *cum enim.* TURNEB. *Adv. lib.* XXI. *Cap.* II.

164. *Corripere ex ſomno*] Iſte verſus mihi nunquam placuit, & ſi codices permitterent, rejicerem. CREECH.

167. *Nec tactum porro*] Sup. lib. I: 305.

Tan-

Nec tactum porro ſine Corpore) nonne fatendum eſt
Corporea natura Animum conſtare, Animamque?
  Praeterea pariter fungi cum Corpore: & una
Conſentire Animum nobis in corpore cernis.
Si minus offendit vitam vis horrida teli
Of-

INTERPRETATIO.

nonne concedendum eſt Animam & Animum Corporea natura conſtare? Præterea vides Animum una cum Corpore pati, & vi aliqua Corpori illata affici? Si Telum impetu aliquo intus adactum

VARIÆ LECTIONES.

169. *cum.* rem Q. X.
170. *nobis in corpore.* morbis in corporis E.
171. *minus offendit.* nimis offendit Q1. Z. *ſed a pr. manu. teli.* leti A. C. E. N. P. Q1. priſca exempl. P. *teli.*
171. 172. 173. 174. 175. Delendos putant Cr. *Gaſſ.* L.

NOTÆ.

Tangere enim & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res. Lamb.

169. *Præterea pariter fungi* &c.] Aliud v. 9. continetur argumentum; Cum Corpore pariter Animus, Alteri infligas vulnus, & languet alter; ſive autem Telum, ſive Corpus læſum hos motus & perturbationes in Animo excitaret, perinde eſt, utrumque enim Animum Corporeæ naturæ eſſe probat. Creech.

169. *Fungi*] Pati, ut ſup. lib. 1: 444.

At facere, & fungi, niſi corpus nulla poteſt res. Lamb.

Pati. Faber.

170. *Conſentire*] Συμπάσχειν, ut ſupra. Lamb.

171. *Si minus offendit, &c.*] Hic verſus, & quattuor deinceps ſequentes, vereor ne non ſint ποιητȣ: ſed ejus, qui putaverit aliquid deeſſe, cum re vera, ſi diligenter attendas, nihil deſideretur, his quinque verſibus ſublatis. Hoc enim dicit Lucretius: Præterea vides, animum nobis pariter cum corpore perpeti, & ſentire, ſi quid corpori acciderit. Ergo corporea animi eſt natura, quandoquidem malorum corporeorum eſt particeps. Adde quod hic primus verſus non ſatis apte connectitur cum ſuperiore. adde quod elocutio non ſincerum ſonat, neque olet lucernam Lucretianam. Poſtremo illud *intus adacta* non videtur Latine dictum. *intro* enim *adigere* Latine diceremus, non *intus*: quamquam Lucretius *intus* pro *intro* interdum uſurpare videatur. Lamb. Nothos putat eſſe hos quinque verſus Lambinus: inſigni errore. Eſt etiam (ſic *Gifan. poſteriore ed. Priori* autem: *Eſt enim*) anthypophora egregia. Ita abrupte, & ſupra, lib. 1. verſ. 918. alibi. Gif.

171. *Teli*] Alii *Lethi*, præfero *Teli* ex v. 177. Hunc & quattuor ſequentes verſus ſuppoſititios eſſe & Lucretio indignos ſuſpicatur *Lambinus* illiuſque ſuſpicionem vir maximi judicii *Gaſſendus*, approbat, cujus ſententiam mille Gifaniis, & Pareis libenter præfero. *Faber* illuſtrare, & corrigere conatur:

In terra mentis qui gignitur æſtus

v. 174. mutat in

Interdum moriendi gignitur æſtus.

Deinde addit. Hoc quid ſit norûnt optime, &c. „Qui paulo triſtiores ſunt vel à natura, vel ab „ærumnis, hæc opinor probabunt, neque for„taſſe alii improbabunt. „ Ego quidem & à natura, & ab ærumnis paulo triſtior, hæc tamen improbo. Perturbationes motuſque Animi in Corpore vulnerato deſcribit Poëta, Ad primum ictum collabitur, dum humi jacet novos ſentit motus, interdumque ſubit Voluntas, ea autem non certa ſatis & confirmata, à Terra ſurgendi. Hæc omnia Vulnerati ſentiunt, & quæ iſti experti ſunt quidni narret Lucretius? *Mentis in Terra* igitur interpretor

Animi unâ cum Corpore vulnerato humi jacentis.

Alii tamen legunt *Inter mœrentes.* Alii *Inter lamen-*

Oſſibus ac nervis diſcluſis intus adacta:
Attamen inſequitur languor, terraeque petitus
Suavis, & in terra Mentis qui gignitur aeſtus,
Interdumque quaſi exſurgendi incerta voluntas.
Ergo corpoream naturam Animi eſſe neceſſe eſt:

Cor-

INTERPRETATIO.

diſcerpat nervos, & disjungat oſſa, non vero ipſam vitam tollat, Languor tamen inſequitur, placens Terræ appetitio, & mentis æſtus qui in Terra gignitur, interdum etiam quaſi incerta voluntas ſurgendi è terra. Ergo neceſſe eſt Animi naturam eſſe corpoream,

VARIÆ LECTIONES.

174. *in terra Mentis qui.* Mentes X. inter mærentes qui, inter lamentas, in ceſſamentis V. interdum moriendi F. in terra mitis qui A. marg. priſci codd. *Pii.*

NOTÆ.

mentas. Lamentas autem pro Lamentationes, Pacu. Harmonia, *Nonius.* Creech.

171. *Leti*] Veteres quidam: *teli.* Gif.

172. *Intus adacta*] Si legeremus *ſubter adacta*, effugeremus genus loquendi minus uſitatum. Lamb. Genus loquendi minus uſitatum Lambinus dicit. At ita quoque Virg. x. Æn. 850. & fortaſſe, dum Carum noſtrum hoc loco miratur an imitatur?

Nunc alte vulnus adactum.

Vide *Intus*, pro *intro.* In Collectaneis Gif. Quanquam, neſcio quid ἐμφατικώτερον habet hoc *Intus adacta* quam ſi dixiſſet *intro.* Preig.

173. *Terræque petitus ſuavis*] Dum ii quibus ægre eſt, terram cupide petunt, id eſt in terra decumbere cupiunt. non poſſunt enim ii quibus aliqua valetudinis perturbatio deſubito accidit, recti ſtare, ſed coguntur decumbere & jacêre. ſic Virgil. Æneid. 3: 93.

Submiſſi petimus terram, & vox fertur ad aureis.

& Lucr. ſup. lib. 1: 93.

Muta metu terram genibus ſubmiſſa petebat. Lamb. *Terræque petitus*, eſt triſtitia, nam triſtes terram contuentur: quod Horatio *poſito capite flere* vide Nonium. Sed verius puto nihil mutandum. Petunt terram moribundi, in terra vero proſtrati æſtuant interdumque denuo exurgendi illis naſcitur cupido. Is. Voss.

174. *Et in terra mentis*] Sic habent quattuor libri manuſcript. Florentini autem, *& in terra mitis.* omnino horum verborum, cujuſcunque ſint, ſententia obſcura eſt, niſi forte hæc ſit: & inſequitur ſuavis terræ petitus, & mentis æſtus, id eſt conturbatio, quæ fit in terra, ægro illo in terram ſenſim collapſo. quod ſi quis malit legi *mitis*, mitem æſtum intelligemus, non letalem, neque peſtiferum. Lamb.

174. *Mentis*] Quidam veteres: *mitis.* Gif.

175. *Et interdum exſurgendi*] Id eſt, & interdum deliberatio, ſeu dubitatio, utrum exſurgat, an etiam jaceat. ſed non eſt quod his verſibus explicandis tantam operam ponamus. nam ſi nothi ſunt, inanem operam ſumimus: ſin germani, ſatis explicati ſunt. Lamb. Inſigni errore, inquit Gifanius, hos quinque verſus (ab 171.) nothos eſſe putat Lambinus Sed nec vere, neque ſine impudentia hæc loquitur Gifanius: nam Lambinus ſatis habuit dicere, vereri ſe, ne illi τοῦ ποιητοῦ non ſint. Et ſane non aliter judicare potuit, qui videret ex illis aut obſcuriſſimum eſſe, aut corruptiſſimum. Sed Pyrgopolinices noſter cur poſtremum illum non explicavit?

——— *& in terra mentis qui gignitur æſtus;*

Si corruptus eſt, danda ſaltem opera fuit, ut emendaretur. Sed homo malignus, invidusque vim στοχαστικὴν nullam habuit; neque ullo unquam in his literis judicio valuit, quod ipſius editio plus mille ducentis locis facile probare poſſit. Ego autem cum rem ipſam, qua de loquitur poeta, attentius conſideraſſem, pro his verbis,

& in terra mentis qui *gignitur æſtus*,

quæ nihil ſani habent, legendum putavi,

& interdum moriendi *gignitur æſtus*,

Interdumque quaſi, &c.

Hoc

Corporeis quoniam telis, ictuque laborat.
Is tibi nunc Animus quali ſit corpore, & unde
Conſtiterit, pergam rationem reddere dictis.
Principio eſſe ajo perſubtilem atque minutis
Perquam Corporibus factum conſtare: id ita eſſe,
Hinc licet advertas animum, ut pernoſcere poſſis:

Nil

INTERPRETATIO.

quoniam Telo, quod Corpus eſt, icta languet. Jam vero pergam Tibi verbis oſtendere, quali Corpore ſit iſte Animus, & è quibus principiis componitur: Primum dico Animum eſſe rem perſubtilem, & componi è Corporibus perquam minutis; Id ita eſſe clare perſpicies, ſi modo tantum conſideres,

VARIÆ LECTIONES.

180. *ajo.* animum *Quidam codd.* P. animo X.

NOTÆ.

Hoc quid ſit, norunt optime qui lipothymiam ex animi anxietate aliquando paſſi ſunt; tunc enim non ſine aliquo jucunditatis & ſuavitatis ſenſu *terram ſuccidui petimus*, & interdum *mori lubet*, interdumque voluntas incerta fluctuat inter vivendi moriendive conſilium. Tale aliquid deſcripſit Virgilius 4: 261. in Didone moriente, cum jam ſibi pugionem adegiſſet. Verſus ſunt plane admirabiles:

Illa graves oculos conata attollere, rurſus
Deficit: infixum ſtridet ſub pectore vulnus.
Ter ſe ſe attollens, cubitoque innixa, levavit,
Ter revoluta toro eſt; oculiſque errantibus alto
Quæſivit cœlo lucem, ingemuitque repertâ.

Sed legenda illa in primis ſunt, quæ à Michaële Montano ſcriptore Gallo, quæ de ſeipſo, cum ex equo vi ſubita deturbatus eſſet, memoriæ mandavit. Quod enim hic Lucretius ſcribit, ſi emendatio noſtra vera eſt, omnium optime interpretabitur Vir Clariſſim. Ceterum *moriendi æſtus* erit moriendi impetus, conſilium certum, &c. Qui paulo triſtiores ſunt, vel à natura, vel ab ærumnis, hæc, opinor, probabunt; neque fortaſſe alii improbabunt. Nam pluribus agere ea ut confirmem, nec vacat, neque adeo lubet. FABER.

178. *Is tibi nunc*] Nunc docere incipit, cum animus ſit corporeus, quali ſit corpore præditus, & qualibus, aut quantulis corpuſculis conſtet. Et probat, ex minutiſſimis, & ſubtiliſſimis, & rotundiſſimis principiis ſeu corpuſculis eſſe conflatum & concretum. LAMB. Animum naturæ Corporeæ eſſe ſatis, ſi Lucretio credimus, demonſtratum. Quo autem Corporum genere conſtet hic Animus docet v. 31. Atomi viz. quæ Animum conſtituunt, minutæ ſunt, tenues, & rotundæ; Quippe Animus eſt maxime mobilis, at quod maxime mobile eſt debet componi ex ex iis particulis, quæ tum propter texturam, tum propter molem, & figuram ſunt ad motum aptæ. Res enim alias contemplemur, ideo mobilis Aqua, quia partes ejus parvæ ſunt, & volubiles; Mel interim motum difficulter recipit, quia componitur è partibus magis implicatis & perplexis. Pariter levi vento Papaveris aliorumve granorum Acervus diſſipatur, dum ſpiculorum aut lapidum acervus fortiter reſiſtit; ſi cauſam requiras, Tela iſta & Lapides Grandia ſunt Corpora, & aſpera Grana vero rotunda, lævia, & minuta. Ψυχὴ συγκεῖται ἐξ Ἀτόμων λειοτάτων, καὶ στρογγυλωτάτων, οὐ (iſtam particulam interponit Gaſſendus) πολλῷ τινὶ διαφερουσῶν τῶν τοῦ πυρὸς Epicurus. CREECH.

178. *Et unde*] Et ex quibus primordiis. LAMB.

180. *Perſubtilem*] Sic Epicurus: ἡ ψυχὴ λεπτομερὲς σῶμα, καὶ λεπτομερεστάτοις σώμασι σύγκειται. id eſt, *animus corpus eſt tenuium partium, & ex tenuiſſimarum partium corporibus conflatum.* Idem, ἡ ψυχὴ σῶμά ἐστι λεπτομερὲς, παρ᾽ ὅλον τὸ ἄθροισμα παρεσπαρμένον. i. e. *anima corpus eſt tenuibus partibus præditum, per totam animantis maſſam diffuſum.* LAMB.

Nil adeo fieri celeri ratione videtur,
Quam ſi Mens fieri proponit, & inchoat ipſa.
Ocius ergo Animus, quam res ſe perciet ulla,
Ante oculos quarum in promptu natura videtur.
At quod mobile tantopere eſt; conſtare rotundis
Perquam ſeminibus debet, perquamque minutis:
Momine uti parvo poſſint impulſa moveri.
Namque movetur Aqua, & tantillo momine flutat:

Quip-

INTERPRETATIO.

Nil tam cito, & tanta celeritate fieri quam id quod Mens ipſa proponit faciendum, & inchoat. Citius Animus ſeipſum movet, quam ulla alia res, quæ ſub oculis noſtris aut cognitione cadit, ſeipſam excitare poteſt. At res quæ eſt tam mobilis debet componi è ſeminibus perquam rotundis, & perquam minutis, ut levi impulſu agitata moveri poſſint: Aqua enim levi impulſu agitata fluctuat,

VARIÆ LECTIONES.

186. *quarum.* quorum N. X. Y. Z.
187. *At.* Aut Q. X.
190. *flutat.* fluctuat A. B. D. I. fluctat C. E. N. Q.

NOTÆ.

183. *Nil adeo fieri celeri ratione vid. quam ſi mens*] Vide apud Homer. in Odyſſ. de admirabili celeritate, *Ocius cogitatione.* Fab. Unde icon fere ſummæ celeritatis, apud Poëtas, ex gr. ὥςτε νόημα· ὡσεὶ πτερὸν, ἠὲ νόημα. & ſimilia, quæ videri poſſunt apud Rittersh. ad Oppian. Halieut. lib. v. verſ. 660. Quibus adde, quod Heliodorus in Æthiopicis valde familiare habet λόγε θᾶττον, & λόγε τάχιον. pag. 410. 305. 173. 28. Item pag. 188. ἀλλ᾽ ἦν ἄρα κοινὸ παντὸς ὀξύτερον τὸ Θεῖον. Preig.

185. *Ocyus ergo animus*] Vult Lucretius, cum Epicuro, animum eſſe mobiliſſimum quiddam, atque à ſe moveri: quod autem ita mobile eſt, neceſſario conſtare ex primordiis minutiſſimis, læviſſimis, & rotundiſſimis. Etiam Plato dicebat, animum à ſe moveri, & eſſe mobiliſſimum: & Pythagorei ſic animum definiebant, numerum ſeipſum moventem. Sed Ariſtoteles lib. I. de animo eos refellit, qui animum à ſe moveri volunt, negatque omnino animum moveri: ex quo efficitur, neque à ſeipſo moveri: docetque non eſſe neceſſarium, ſi anima ſit principium motus, eam quoque moveri: ſed contra ipſam quidem eſſe immobilem, cur autem corpus moveatur, eſſe cauſam. Lamb.

186. *Ante oculos quarum*] Sic legendum, non *quorum*, ut eſt in libris vulgatis. nam hæc eſt verborum ſtructura: animus ocyus ſe perciet, id eſt permovet, quam res ulla earum rerum quæ cernuntur. Lamb.

187. *Conſtare rotundis, &c.*] Sic Epicurus: Καὶ ἐξ ἀτόμων αὐτὴν συγκεῖσθαι λειοτάτων, καὶ στρογγυλωτάτων, πολλῷ τινὶ διαφερουσῶν τῶν τοῦ πυρός: id eſt, *Et eam ex atomis conſtare leviſſimis, & rotundiſſimis, & ignis atomos rotunditate longe ſuperantibus.* Lamb.

189. *Momine uti parvo*] Ut parvo momento impulſa moveri poſſint. Lamb. Ita Feſtus; qui tamen habet: *ſi parvo poſſent.* Quidam libri: *Nomine*; male. Ita inf. lib. vi. verſ. 473. Gif.

190. *Tantillo*] Minimo, δεικτικῶς. Lamb.

190. *Fluctuat*] Ità reſtitui; ut ſit Dactylus in fine. Vide Indicem. Qui numerus hic optime congruit. In libris quibuſdam: *fluctat*, in Quibuſdam: *flutat.* Neutrum Lucretio dignum. Vide & inf. iv. 75. Gif.

190. *Flutat*] Sic habent libri manuſcripti, quibuſcum conſentiunt Pariſienſes, & utrique Aldini. *flutat* autem poſitum puto pro *fluitat.* alii

Quippe volubilibus, parviſque creata figuris.
At contra Mellis conſtantior eſt natura,
Et pigri latices magis, & cunctantior actus.
Haeret enim inter ſe magis omnis materiaï
Copia: nimirum quia non tam laevibus exſtat
Corporibus, neque tam ſubtilibus atque rotundis:
Namque Papaverum, aura poteſt ſuſpenſa, leviſque

Co-

INTERPRETATIO.

quia conſtat è ſeminibus parvis, & iſtius figuræ, quæ eſt ad motum apta: At è contra Mellis natura eſt magis ſtabilis, & ejus liquores non tam facile agitantur, omnes enim illius partes magis ſunt inter ſe implicitæ, quia Mel non componitur è ſeminibus tam lævibus, ſubtilibus, & rotundis. Similiter, ſit altus ſeminum Papaveris acervus, lævis auræ flatus

VARIÆ LECTIONES.

193. *actus.* ictus c. O. P. Q. X.

196. Poſt hunc verſ. ſequebatur in Qi. *ſemina quin etiam latis recentia campis.*

197. *Papaverum.* Papaveris D. K. P. X. Y. Z. *Corrigit Pius:* Nam Pappos minima aura poteſt. &c.

NOTÆ.

lii habent *fluctat.* quod ſi cui probabitur, *fluctat* erit poſitum pro *fluctuat*, quod poſtremum nonnulli probant, atque adeo aliis ſcripturis rejectis, ſolum tuentur, & retinent. Lamb. Fluitat, fluit. Lucretio indignum, inquit Giſanius; vellem cauſam diceret. Fab. Et hinc *flutæ murenæ*, quia ſolis vapore calefactæ in ſummo fluitant æquore, nec cute ſiccata mergi poſſunt. Turn. *Adv. Lib.* xix. *Cap.* xxxiv. Annotator noſter in in Marg. *fluctrat.* Ita fluctuatum hoc loco; neque quo pedem figerent, viri vel eruditiſſimi habuiſſe videntur. Cauſa mali, ſi dicam quod ſentio, fuere, qui *fluctuat*, ſimpliciſſimum, & huic loco aptiſſimum verbum, cum δισυλλάβως efferre non poſſent, ferendum non eſſe exiſtimarunt, adeoque immutarunt. unde *flutare*, *fluctare*, *fluctrare*, & quæ non? Idem autem, quod hoc loco, lib. iv. etiam, verſ. 75. ſtatuerim. Pro verbo *flutare* quid faciat *fluta muræna* apud Macrobium, ab Adr. Turneb. xxix. Ad cap. 34. adducta, quippe non à *flutando*, ſed à *fluendo* ita dicta, ut ſolide ſatis oſtendit in Etym. Ger. I. Voſſ. non video. Preig.

193. *Et cunctantior actus*] Et tardior curſus, ſeu fluxus, tralatio eſt ab iis quæ aguntur. Lamb. Tenor, ductus. Faber.

197. *Namque papaverum aura poteſt*] Non video, cur antiquam ſcripturam vel Marullus immutare debuerit, ſi verum eſt ab eo eſſe immutatam & corruptam, vel ego ſequi non debuerim. Quamvis enim ea quam habent libri Florentiæ impreſſi, ſit ſpecioſa,

Nam pappos minima aura poteſt, &c.

antiqua tamen, quæ reperitur etiam in aliis impreſſis, ſententiam continet non abſurdam, ſive *papaveris* legatur, ſive *papaverum.* eſt autem hic ordo verborum: namque aura parva & levis cogere poteſt, ut altus papaverum, ſeu papaveris, acervus tibi ex imo diffluat. *pappi* autem, ſi quis forte ſcripturam Florentinam malit, cui nullo modo aſſentior, ſunt carduorum flores: qua voce utitur infra Lucret. Sed cum in libris manuſcriptis plane ſcriptum ſit partim, *Namque papaveris*, partim, *Namque papaverum:* eorum ſequamur potius auctoritatem, atque harum duarum ſcripturarum poſteriorem magis probemus. Lamb. *Namque papaverum aura.* Hæc verior videtur ſcriptura. Vide ſimile ſupra, lib. i. verſ. 362. de verbo, *corporum.* Alii: *papaveris.* Gifan. Ita Codd. & recte: Alii: *Nam pappos*, qua voce utitur *Lucretius* v. 387. At *Pappos* iſtos ſeu carduorum flores lævigatos & rotundos

quis

Cogere, ut ab ſummo tibi diffluat altus acervus:
At contra Lapidum conjectum, Spiclorumque
Nenu poteſt: igitur parviſſima corpora quanto
Et laeviſſima ſunt, ita mobilitata feruntur.
At contra quo quæque magis cum pondere magno,
Aſperaque inveniuntur, eo ſtabilita magis ſunt.

Nunc

INTERPRETATIO.

efficere poteſt ut à ſummo diffluat; At è contra ſpiculorum aut lapidum acervum nequaquam disjicit. Igitur quo minores & leviores ſunt partes alicujus Corporis eo facilius moventur, eo citius, & celerius agitantur, & contra, quo majores ſunt & aſperæ eo magis motui reſiſtunt.

VARIÆ LECTIONES.

199. *conjectum.* conlectum A. B. *Spiclorumque.* ſpicarumque c. K. P. V. Y.
200. *Nenu.* Nulla N. Q. *quanto.* proquam A. B. V. perquam I. K. Q1. Y. quæque c. O. P.
201. *Et.* Ut P. *mobilitata.* mobilitate C. D. E. N. P. Q1. X. V. Z. *feruntur.* fruuntur C. E. N. P. Q. V. feruntur autem P. *in not.*
202. *quo quæque.* quæ cunque C. E. N. P. Y. Z. quacunque X. *pondere.* corpore Cr.

NOTÆ.

quis dixerit? CREECH.

197. *Suſpenſa*] *Aura ſuſpenſa*, id eſt placida, lenis, ſilens: & ita Nonius Marcellus. Terentius Phormione 5: 6: 26.

—— hoc ubi ego audivi, ad foreis
Suſpenſo gradu ire perrexi. LAMB.

199. *Lapidum conjectum*] Id eſt, acervum lapidum, lapides in unum locum conjectos. quidam viri docti, in his Muretus, legunt *lapidum conlectum.* ego, cum in omnibus libris ſcriptum reperiſſem *conjectum*, nihil auſus fui mutare: ne nunc quidem quicquam mutavi. Sed tamen *conlectum* magis probo. LAMB.

199. *Conlectum*] Sic legendum puto. Vulgati: *conjectum.* Vide Indicem. GIFAN.

199. *Spiclorumque*] Et ſpiculorum, telorum. libri veteres tamen habent, *ſpicarumque*: unde legendum ſuſpicor *ſpicorumque*, id eſt, & ſpicarum. Nam veteres dixiſſe *ſpicum*, in genere maſculino, pro *ſpicam*, teſtatur Pompejus Feſtus. LAMB. Alii *Conlectum*, *Spiclorumque.* Alii *Spicarumque* ſeu *Spicorumque*, Veteres enim dicebant *Spicum.* *Spiculorum* vero huic loco, & Poëtæ menti magis convenit. CREECH.

200. *Nenu poteſt*] Id eſt, non poteſt. ſic autem habent libri manuſcripti: neque dubium eſt, quin hæc ſcriptura recta ſit. *Nenu* enim dixerunt veteres pro *non*, ut notat Nonius: citatque teſtem Lucillium libro trigeſimo;

Sed tamen hoc dicas, quid id eſt, niſi nenu moleſtum eſt:

& Varronem, epiſtola ad Fufium, *Si hodie nenu venis, cras quidem venies: &c.* Idem Lucretius libro quarto: 716.

Nenu queunt rapidi contra conſtare leones. LAMB.

Nenu. Non. Fit autem à μὴνυ. hinc negativa in ſermone noſtro. Ceterum in prorſa etiam oratione uſurpabatur Ciceronis tempeſtate; nam Varro in Epiſtola quadam dixerat, *ſi nenu venis.* FAB. Et fruſtra ſunt illi qui legunt *Nulla.* CREECH.

200. *Quanto*] Marg. *proquam*, idque exponit *utquam*, ut lib. II. verſ. 1135. & lib. VI. verſ. 10. PREIG.

200. *Proquam*] Ita veteres libri fere omnes Vide Indicem. Quidam Veteres tamen, ut & Marullus, & Vulgati: *quanto.* Quidam veteres etiam: *perquam.* GIFAN.

201. *Ita mobilitata*] Adverte animum ad hoc loquendi genus, quanto parviſſima & leviſſima ſunt, ita mobilitate fruuntur, ſeu ita mobilitata feruntur: quæ poſterior ſcriptura ex codice Vaticano & libro Memmii expreſſa eſt: in quibus legitur *mobilitate feruntur.* *quanto, ita*, pro *quanto, tantum.* ſic ſupra libro ſecundo: 587.

Et

Nunc igitur, quoniam eſt Animi natura reperta
Mobilis egregie: perquam conſtare neceſſe eſt
Corporibus parvis & lævibus atque rotundis.
Quae tibi cognita res in multis, O BONE, rebus
Utilis invenietur, & opportuna cluebit.
Haec quoque res etiam naturam deliquat ejus,

INTERPRETATIO.

Quoniam autem conſtat Animum eſſe maxime mobilem, neceſſe eſt ut componatur è Corporibus perquam parvis, lævibus, & rotundis. Quæ res bene cognita, O bone Memmi, tibi in multis rebus utilis invenietur & opportuna. Hæc inſuper res demonſtrat

VARIÆ LECTIONES.

204. *eſt.* Y. Z. *reperta.* reperta eſt Q1.
207. *o bone.* & bone P.
209. *deliquat.* dedicat A. B. C. E. I. P. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

Et quam quicque magis, &c.
Atque poteſtates, ita pluria,
ſeu
Plurima, &c.
Sed non diſſimulabo, me ſcriptum reperiſſe in in cod. Bert.
Parviſſima corpora perquam:
in Vaticano, *proquam*, quæ fortaſſe recta ſcriptura eſt. Non eſt autem, quod quemquam offendat participium *mobilitata.* eſt enim natum à verbo *mobilitor:* quod uſurpat infra eod. lib. non longe idem Lucret. verſ. 248.
Accipit; inde aër, inde omnia mobilitantur.
uſurpat & Cæcilius activum:
Itaque quæ lætitia me mobilitat, mæror molitur metu. LAMB.

201. *Ita mobilitata feruntur*] Ita in quibuſdam Veteribus; niſi quod pro, *mobilitata*, erat: *mobilitate.* Vulgati: *mobilitate fruuntur.* GIF.

202. *At contra quo quæque magis*] Sic legendum, non *quæcunque magis*, ut eſt in vulgatis. LAMB.

202. *Cum Pondere*] Fateor Gravia motui reſiſtere, at melius huic loco convenit *Corpore*, Quis enim neſcit Aquam eſſe Oleo graviorem; Licet vero gravior ſit, quoniam è minutioribus Corporibus ſeu particulis componitur, ideo mobilior. CREECH.

209. *Hæc quoque res etiam* &c.] Animum conſtare ex Atomis minutis, lævibus, & rotundis docuit, quia eſt maxime mobilis; jam v. 23. demonſtrat Animi & Animæ naturam ſubtilem eſſe, tenuis texturæ, & è minutis Corporibus conjunctam; Quippe moriatur animal, tota avolat Anima, at ſi metiaris Cadaver, eadem eſt Mortui, qui fuit Viventis membrorum moles; ſi expendas, idem pondus: Igitur quod avolat eſt ſubtile quoddam & minutum, ſolidam enim aliquam partem magnamve detrahas, diverſa erit totius moles, & diverſum pondus. Breviter, ut judicamus Florem Vini, Odorem Unguenti, & Saporem Sapidi alicujus Corporis conſtare è particulis ſubtilibus & minutis, quoniam poſtquam Vinum vapidum fiat, Unguentum iſtud amittit odorem, & Sapidum Corpus inſipidum reddatur, Corpora tamen iſta ejuſdem ſunt molis, & ejuſdem ponderis quo prius; ſimiliter etiam propter eandem rationem idem de Anima judicandum eſt. Ψυχὴ σῶμά ἐστι λεπτομερὲς παρ' ὅλον τὸ ἄθροισμα παρεσπαρμένον. Epicurus. CREECH.

209. *Deliquat*] Declarat: ut ſup. lib. 1: 367.
——— *plus in ſe corporis eſſe*
Deliquat.
Eſt autem, quod ſupra me lectori ſignificare fugit, hoc quoque unum ex ducentis vocabulis Latinis, quæ aliis eſſe ignota, ſibi uni nota, vere gloriabatur Gulielmus Peliſſerius, Epiſc. Monſpeſſ. Præterea auctor vocabularii Latino-græci, mihi à Cl. Puteano commodati, ſic interpretatur hoc verbum: *deliquat*, διηθεῖ, διυλί-

Quam tenui conſtet textura; quamque loco ſe
Contineat parvo, ſi poſſit conglomerari:
Quod ſimul atque Hominem lethi ſecura quies eſt
Indepta, atque Animi natura, Animaeque receſſit:
Nil ibi libatum de toto Corpore cernas
Ad ſpeciem, nil ad pondus: Mors omnia praeſtat,
Vitalem praeter ſenſum, calidumque vaporem.
Ergo Animam totam perparvis eſſe neceſſe eſt

Se-

INTERPRETATIO.

e quam tenuibus particulis Animus componitur, quantillum etiam impleret ſpatium, ſi in unum locum coacervari poſſit? quod quando ſecura quies mortis Hominem occupaverit, & tota natura Animi & Animæ receſſerit, nihil de toto corpore detractum ſentis vel quoad ſpeciem, vel quoad pondus; Mors omnia relinquit integra præter vitalem ſenſum & Calorem: Ergo neceſſe eſt Animam per venas, nervos,

VARIÆ LECTIONES.

211. *ſi poſſit.* ſi poſſet A. B. L. Q. ſe poſſit K. *priſc. Codd.* P. Q2. Y. Z. ſic poſſit Q1.
213. *Indepta.* Adepta Q1. Z. *a pr. manu.*
214. *ibi libatum.* Ita A. B. D. N. P. X. Y. Z. delibratum L. ibi libratum *Alii. vel* limatum.
215. *præſtat.* proſtat Q1.

NOTÆ.

ζει: quæ verba Latine rurſum reddita, ſonant *tranſcolat*, *defæcat.* Quis igitur non videt, *deliquare* & hoc loco, & aliis, idem valere quod *declarare*, tralatione ducta à vino, & ſimilibus defæcatis, & liquidioribus effectis. LAMB.

209. *Naturam dedicat ejus*] Vide ſupr. 1: 368. GIFAN. *Deliquat.* Declarat; vox minus nota, ideo Alii præferunt *Dedicat*, ut lib. 1. v. 368. CREECH.

211. *Si poſſet conglomerari*] Cum duo libri veteres haberent *ſe poſſit*, ſuſpicatus ſum, librarium tranſpoſuiſſe vocaleis *e* & *i*, & ſcripſiſſe *ſe poſſit*, pro *ſi poſſet.* quam puto veram eſſe ſcripturam. *ſi poſſet conglomerari* autem, hoc eſt, ſi poſſet in unam maſſam, in unam molem, & in unum quaſi glomum cogi & conduci. LAMB.

211. *Si poſſet*] Ita omnes Veteres fere. Marullus: *poſſit.* GIFAN. At vero inauditum & inuſitatum genus eſt dicendi, antiquum tamen, cujus duo proferam exempla:

——— ——— ——— *quamque loco ſe*
Contineat parvo, ſe poſſit conglomerari

Sic vulgo edunt, adulterantes antiquitatem: & 1: 105.

Quippe etenim quam multa tibi me fingere poſſum.

Vetuſtatem autem interpolantes, *jam fingere poſſunt*, edunt. Ego vero notare malui iſtas, ut ſingulares & prope prodigioſas dicendi formas, quam loco movere: cum ſciam Archaiſmi conſuetudine illum accuſativum expreſſum fuiſſe, ubi poſtea tacitum eſt ut apud Salluſtium in Catil. Cap. 1. *Omnes homines, qui ſeſe ſtudent præſtare cæteris animantibus.* TURN. *Adv. Lib.* XXIX. *Cap.* XXXIV. At ego illud, *ſi poſſit*, potius explicarem: ſi tamen poſſit fieri ut conglobetur atque ad unum locum redigatur incluſa hæc Animi textura; quod negat ſatis clare in ſeq. quum verſ. 218. dicat non in unum locum eſſe ſtipatam, ſed ——— *nexam per venas, viſcera, nervos.* HAV.

213. *Indepta*] *Indipiſcor* verbum compoſitum ex ſimplici *apiſcor*, & præpoſitione *in.* interponitur *d.* quo utitur & Plautus non uno loco. Vel lege *endepta*, à verbo *endipiſcor*, ex præpoſitione *endo* & *apiſcor.* Ego tamen *indepta* retineo. LAMB. Indepiſci, aſſequi, adipiſci, *Feſtus.* CREECH.

214. *Nil ibi limatum*] Nihil demtum, nihil de-

Seminibus, nexam per venas, viſcera, nervos:
Quatenus omnis ubi è toto jam Corpore ceſſit,
Extima membrorum circum-caeſura tamen ſe
Incolumen praeſtat: nec deſit ponderis hilum:
Quod genus eſt Bacchi quóm flos evanuit, aut quom
Spiritus Unguenti ſuavis diffugit in auras:
Aut aliquo quom jam Succus de corpore ceſſit:

INTERPRETATIO

viſcera, è Seminibus perparvis compoſitam fuiſſe, quoniam cum tota totum Corpus reliquerit, exterior forma Corporis eadem manet, idem etiam pondus: quod item accidit cum flos Vini evanuerit, aut cum ſuavis unguenti ſpiritus in auras diffunditur; aut Succus ab aliquo Corpore recedit, res enim iſta à qua flos iſte, aut ſpiritus,

VARIÆ LECTIONES.

218. *nexam.* vixam Q. nixam Q1.
219. *è.* & Z.
223. *ſuavis.* ſuaveis N.

NOTÆ.

detractum, detritum, deminutum. ſic autem videtur legendum potius, quam, ut vulgo, *libatum*. M. Tull. epiſtol. libr. 3. *Etſi de tua prolixa beneficaque natura limabit aliquid poſterior annus: limabit*, id eſt deminuet, detrahet, decerpet. ubi tamen nonnulli libri veteres habent *limitabit*, ut & vulgati aliquot, ab eodem verbo. Si quis tamen legi malet *libratum*, ut aſſumta præpoſitione *de*, fiat *delibratum*, non pugnabo: quin magnopere probabo. LAMB. Magis probem al. editiones, *libatum*. FABER. Detractum: Alii *Libatum*: ſed Lambinus maxime probaret *Nil delibratum*. CREECH.

215. *Mors omnia præſtat*] Id eſt, mors omnia relinquit integra. LAMB. Facit ne quid detrimenti in mole corporis appareat. Vadem ſe & prædem in omnia exhibet. Ita *præſtare periculum, fidem publicam præſtare*. FABER.

219. *Quatenus*] Quoniam. ſic & alibi LAMB.

220. *Extima membrorum circum-cæſura*] *Extrema circum-cæſura*, id eſt extremitas, ἐπιφάνεια, ſummus cortex. denique *circum-cæſura* eſt περικοπή. hunc verſum profert Priſcian. lib. ſi bene memini, tertio. idem Lucret. libr. 4: 651.

Ut ſunt diſſimiles extrinſecus, & generatim
Extima membrorum circum-cæſura coërcet. LAMB.

222. *Quod genus eſt*] Id eſt, quale eſt, vel cujus generis eſt: ut ſup. lib. 2: 194.

Quod genus, è noſtro cum miſſus corpore ſanguis, &c.

& infra non longe:

Quod genus in quovis animantum viſcere volgo
Eſt odor, &c.

Malim autem ſic legi,

Quod genus, aut Bacchi cum flos evanuit, &c.

oſtendit à ſimili, animum minutis admodum primordiis conſtare, quia, quemadmodum cum odor vini aut unguenti evanuit, vinum aut unguentum nihilo minus eſt ad ſpeciem atque ad adſpectum: ita poſtquam animus exceſſit è corpore, ipſa extrema corporis cæſura nulla ex parte videtur deminuta. LAMB.

222. *Bacchi cum flos*] Per florem Bacchi fortaſſe uvam labruſcæ ſignificat: quam *œnanthen* appellant Græci. de qua ſic Plin. lib. 20. c. 11. *Odor idem ei, qui germinantibus uvis, atque inde nomen.* Idem lib. 12. c. ult. *Eodem & œnanthe pertinet. Eſt autem vitis labruſcæ uva. colligitur cum floret, id eſt cum optime olet.* Alii ſimpliciter de odore vini dictum volunt. Sic Plautus Curcul. 1: 2: 1.

Flos veteris vini meis naribus objectus eſt.

Idem Caſina 3: 5: 15.

——— niſi hæc meraclo
Se uſpiam percuſſit flore Libyco.

Idem Ciſtel. 1: 2: 8.

Quiaque adeo me complevi flore Liberi.

Fortaſſis autem Plautus per *florem Bacchi*, ſeu *vi-*

Nil oculis tamen eſſe minor res ipſa videtur
Propterea, neque detractum de pondere quidquam:
Nimirum, quia multa, minutaque ſemina Succos
Efficiunt, & Odorem in toto corpore rerum.
Quare etiam atque etiam Mentis naturam, Animaeque
Scire licet perquam pauxillis eſſe creatam
Seminibus: quoniam fugiens nil ponderis aufert.
  Nec tamen hæc ſimplex nobis natura putanda eſt.
Tenuis enim quaedam moribundos deſerit Aura
Miſta

INTERPRETATIO.

aut ſuccus recedit non ideo minor apparet oculis, neque quidquam de pondere illius detrahitur; nimirum quia Succus & Odor rerum è multis minutiſque Seminibus componitur. Certi igitur eſſe poſſumus Animi & Animæ naturam conſtare è Seminibus perquam minutis, quoniam diſcedens è Corpore, nil de illius pondere detrahit. Neque tamen credendum eſt iſtam Animi naturam ſimplicem eſſe & incompoſitam, moribundos enim relinquit tenuis quædam Aura

VARIÆ LECTIONES.

226. *Propterea.* Præterea C. P. Q. *pondere.* corpore *Gaſſ.*
232. *putanda eſt.* putandum eſt A.

NOTÆ.

ni, ſignificant ἀνθοσμίαν, id eſt vinum, cujus non ſolum ſapor, palato & linguæ, verum etiam naribus gratus eſt. Lamb.

227. *Quia multa*] Niſi vox iſta *multa* ſileat, vereor ne Poëta ſibi parum conſtare videatur: ſint enim Minuta Semina, at *multa* detrahas, & Moles & Pondus diminuetur: vid. etiam v. 279. Creech.

232. *Nec tamen hæc ſimplex* &c.] Subtiles has Atomos è quibus Animam compoſuit, non eſſe unius & ejuſdem generis aſſerit v. 6. Obſervaverat enim in morientibus exhalari Auram, eamque calidam, una cum Aëre (ſine quo Calor eſſe non ſolet) intermiſto; At qui moritur, efflat vel expirat Animam; Ideoque Anima iſta ex Aura, Aëre, & Calore conſtat, Ψυχὴ σῶμά ἐστι λεπτομερὲς παρ᾽ ὅλον τὸ ἄθροισμα παρεσπαρμένον, προσεμφερέστατον δὲ πνεύματι θερμοῦ τινὰ κρᾶσιν ἔχοντι, καὶ πῇ μὲν τούτῳ προσεμφερὲς, πῇ δὲ τούτῳ. Epicurus. Et apud Plutarchum adverſus Colotem Epicurei dicuntur τὴν τῆς ψυχῆς οὐσίαν συμπηγνύντες ἔκ τινος θερμοῦ, καὶ πνευματικοῦ, καὶ ἀερώδους. Creech.

232. *Tenuis enim quædam*] Primus pes hujus verſus eſt proceleuſmaticus pro dactylo, ut apud Virgil. libr. 5. Æneid. 432.

Genua labant:

niſi dicamus *u* eſſe hoc loco conſonantem. ſic iterum apud Lucr. l. 4: 1235.

Tenue, locis quia non potis eſt affigere adhæſum.

& hoc libro: 384.

Nec nebulam noctu, nec aranei tenuia fila.

& ſæpe alibi. Incipit nunc docere, animum conſtare ex vento tenui, vapore, aëre, & natura quadam nominis experte, qua nihil quicquam ſubtilius, nihil tenuius excogitari poteſt. Lamb.

237. *Multa cieri*] Sic conjecit legendum eſſe Adrian. Turnebus, cum ſcriptum reperiſſet in cod. Bertiniano, *multaque ri.* quam conjecturam magnopere probo. nam ex *cieri*, factum *ceri*, ex *ceri*, *queri*. Lamb.

237. *Moveri*] Quidam legendum putant: *cieri.* Gifan. Cum Turnebo *Cieri*, vel cum Aliis *Moveri* legas, perinde eſt. Creech.

238.

Miſta Vapore, Vapor porro trahit Aëra ſecum;
Nec Calor eſt quiſquam, quoï non ſit miſtus & Aër
Rara quod ejus enim conſtat natura: neceſſe eſt
Aëris inter eum primordia multa cieri.
Jam triplex Animi eſt igitur natura reperta.
Nec tamen haec ſat ſunt ad Senſum cuncta creandum:
Nil horum quoniam recipit mens poſſe creare
Senſiferos motus, quædam qui mente volutent.

Quar-

INTERPRETATIO.

Vapore mixta, Vapor vero Aërem ſecum trahit, nullus enim eſt Vapor ſeu Calor, cui Aër non immiſcetur: nam quoniam omnis Calor Rarus eſt, neceſſe eſt multa Aëris Semina inter ejus partes moveri. Igitur natura Animi jam inventa eſt è tribus rebus compoſita. Cuncta tamen hæc ad procreandum ſenſum non ſufficiunt, Ratio enim concipere non valet aliquid horum trium, vel omnia ſimul conjuncta ſenſum producere poſſe, aut cogitationem;

VARIÆ LECTIONES.

237. *inter eum.* incertum X. in cetum c. O. P. in cereum Q. interitu Q1. in jectu Q2. *cieri.* moveri A. B. C. D. E. I. N. P. Y. anquiri V.

241. *quædam qui mente volutent.* qui dant quæ mente volutes V. quædam quæ A. B. G. I. N. P. Q1. q. qui m. volutat C. E. N. P. X. Y. Z. volutet A. B. I. queis omnia mobilitantur F.

NOTÆ.

238. *Triplex.*] Et calor, atque aër, & venti cæca poteſtas. FABER. Anima hæc ex Aura, Aëre, Calore conſtans eſt plane imperfecta, nondum vim ſentiendi aut cogitandi ſortitur: Quartum igitur aliquod, quodcunque illud ſit, nomine enim tenus Epicureis ignotum, addendum eſt: Iſtud quartum è minutiſſimis, maxime lævibus & ſubtilibus Atomis conſtat, quippe Primum movetur, & tum Calorem, Auram, & Aërem per membra excitat, omneſque partes Corporis pro diverſo motu vel dolorem vel voluptatem ſentiunt. Si motus hic vehementior ſit quam Animi textura pati poſſit, ſi uſque ad Oſſa & Medullas penetret, diſſipatur Anima, & Mors inſequitur. Si minus vehemens, ſi in Corporis ſuperficie ſiſtatur, tum integra manet Anima & Senſus, ſive Doloris, ſive Voluptatis oritur. Hæc v. 21. *Plutarchus* & Alii dicunt Epicurum non feciſſe ſimplicem Animi naturam, ſed eſſe voluiſſe *κρᾶμα ἐκ τεσσάρων, ἐκ ποιοῦ πυρώδους, ἐκ ποιοῦ ἀερώδους, ἐκ ποιοῦ πνευματικοῦ, ἐκ τετάρτου τινὸς ἀκατονομάστου, ὃ ἦν αὐτῷ αἰσθητικόν.* De Placit Phil. lib. 4. cap. 3. CREECH.

240. *Nil horum quoniam, &c.*] Id eſt, quoniam mens, ſeu ratio animi, non recipit, ſeu non approbat, quicquam horum trium poſſe ſenſiferos motus creare: qui motus res aliquas cogitare & volutare queant. reperitur autem hæc ſcriptura in cod. Florentinis duntaxat. LAMB.

241. *Mente voluntent*] Sic Lucill.

Hæc tu me inſimulas? non ante in corde volutas?

& Virgil. lib. 4: 533.

Sic adeo inſiſtit, ſecumque ita corde volutat.

& lib. 6: 185.

Atque hæc ipſe ſuo triſti tum corde volutat.

& Plautus Captivis: 4: 2: 1.

Quanto in pectore hanc rem meo magis voluto,
Tanto mihi ægritudo auctior eſt in animo. LAMB.

Jam triplex animi eſt igitur natura reperta:
Nec tamen hæc ſat ſunt ad ſenſum cuncta creandum;
Nil horum quoniam recipit mens *poſſe creare*

Quarta quoque his igitur quaedam natura neceſſe eſt
Attribuatur: (ea eſt omnino nominis expers:)
Qua neque mobilius quidquam, neque tenuius exſtat,
Nec magis è parvis, aut laevibus ex elementis:
Senſiferos motus quae didit prima per artus.
Prima cietur enim parvis perfecta figuris,
Inde Calor motus, & Venti caeca poteſtas
Ac-

INTERPRETATIO.

Quarta igitur quædam res his tribus adjungenda eſt, (ea vero res nomine prorſus caret) qua neque mobilius eſt aliquid, neque tenuius, neque è minutioribus & lævioribus ſeminibus compoſitum, quæ prima ſenſiferos motus per membra excitat & diſtribuit. Nam è minutis ſeminibus conſtans prima movetur, Inde Calor, & Aura motus

VARIÆ LECTIONES.

245. *aut.* & Y. Z. *ex elementis.* excrementis Q. X.
246. *quæ.* quæ Y. Z. *didit.* dedit Q. X.

NOTÆ.

Senſiferos motus, quædam qui mente volutent.] Poſtremus verſus ita in quibuſdam editionibus legitur,

—— *poſſe creare*
Senſiferos motus quædam, quæ mente volutet;

& ita habet editio Gifanii; ſed ea lectione nihil nequius, aut ridiculum magis. Prior autem illa ſtare non poteſt, quid enim ſani habet id, quod jam lecturus es? *Mens nihil horum recipit poſſe creare motus qui mente quædam volutent.* eaque pro his verbis,

quædam qui mente volutent;

ſic legendum exiſtimo,

queis omnia mobilitantur.

Certe ita poſtulat ratio, cui auſcultandum eſt invitis centum millibus MSS. Codicum. nam de *mobilitantur*, quod dicam nihil eſt, cum duobus tribuſve locis id verbum apud Lucretium 3: 248. reperiatur:

inde omnia mobilitantur.

& alibi in III: 201. quoque

queis mobilitata feruntur. Faber.

Gifanius

Senſiferos motus quædam, quæ mente volutent:

Eum, uti ſolet, ſequitur *Pareus*, ita tamen interpretatur; *Quia ratio Animi non approbat quicquam horum trium poſſe ſenſiferos motus creare, qui motus res aliquas cogitare & volutare queant.* Iſta vero Gifanii lectione nihil nequius aut ridiculum magis, Prior autem (inquit *Faber*) illa non ſtare poteſt, &c. Ita ſcribere debuiſſe *Lucretium* dicat *Faber*. Ita ſcripſiſſe minime concedo;

Ut *ſenſiferos motus, quædam qui mente volutent.*

Aliquis non minus intelligat quam

Motus iſtos ſenſiferos, qui cogitationi inſerviant.

Alii tamen legunt,

Senſiferos motus, qui dant quæ mente volutes.
Creech.

Non intempeſtive Marg. noſter ad Fabri illam emendationem: *Hac ratione*, inquit, *omnia ex omnibus fieri poſſunt.* Adeoque Voſſianam præfert, quam & nos amplectimur, donec melius quid occurrerit. Preig.

242. *Quarta quoque his igitur*] Quoniam tria illa ſuperiora ſenſiferos motus creare non poſſunt, qui quædam cogitent, quarta eis quædam natura addatur neceſſe eſt: qua addita, ſuis jam ſit omnibus partibus animi natura abſoluta atque perfecta. Sic M. Tull. libro 1. Tuſcul. quæſt. de Ariſtotele: *Quintum genus adhibet vacans nomine, & ſic ipſum animum ἐντελέχειαν appellat*, no-

Accipit: inde Aër: inde omnia mobilitantur:
Tum quatitur ſanguis, tum viſcera perſentiſcunt
Omnia; poſtremo datur oſſibus, atque medullis
Sive voluptas eſt, ſive eſt contrarius ardor.
Nec temere huc dolor uſque poteſt penetrare, neque acre
Permanare malum; quin omnia perturbentur,

INTERPRETATIO.

accipiunt, inde Aër, inde reliqua omnia moventur; tum ſanguis agitatur, viſcera omnia ſentiunt, demum Oſſibus & Medullis communicatur iſte Motus, ſive ſit motus Voluptatis, ſive Doloris Voluptati contrarius. Neque Dolor, neque acre aliquod Malum poteſt huc uſque (ad Oſſa & Medullas) intrare & pervenire, quin omnia protinus uſque adeo turbentur,

VARIÆ LECTIONES.

249. *Accipit.* Occipit Q1.
250. *Tum quatitur ſanguis, tum viſcera perſentiſcunt Omnia.* Cum quatitur &c. Q1. *quod Lamb. conject. firmat.* Concutitur ſanguis per venas, viſcera vivunt Omnia c. O. P. Concutitur tum ſanguis, viſcera perſentiſcunt Omnia A. B. C. D. E. N. Y. Z. *in reverendæ fidei exempll.* P. *ſcriptum erat.* Concutitur ſanguis, tum viſcera perſentiſcunt Omnia; &c. *quod probat* P. *in not.* Concutitur tum (cum X.) ſanguis per ſentes viſcera vivit Q. X.
251. *poſtremo.* poſtremis A. B. L. N. P. Q1. Y. Z.
253. *acre.* aër Q1.

NOTÆ.

novo nomine, quandam continuatam motionem & perennem. quo tamen loco reprehenditur M. T. à doctis, qui putarit ἐντελέχειαν eſſe motionem, cum & ἐντελέχεια ſignificet perfectionem quandam, ſive functionem, ſive actum, & Ariſtoteles perſpicue dicat, animum movere quidem, ſed non moveri. LAMB.

246. *Didit*] Διαδιδόναι, *deſtribuere*, &c. Virgil. *dividere*, alibi. verſ. 272. in eadem notione. FABER.

248. *Inde calor motus*] Sume verbum *accipit*, ut ſit, inde, id eſt ab hac quarta natura, calor motus accipit. nam *motus* eſt numeri multitudinis, accuſandi caſus. LAMB.

250. *Tum quatitur ſanguis, &c.*] Secutus eram initio codices duos manuſc. Sed cum poſtea reperiſſem in aliis libris item manuſcriptis,

Concutitur ſanguis, tum viſcera perſentiſcunt,

ex *Concutitur*, feci *Tum quatitur*, ſuſpicatus, ex *tum quatitur* factum eſſe *cum quatitur*; deinde *concutitur*, & ita hunc verſum eſſe depravatum. Nam omnino ſcriptura recepta,

Concutitur tum ſanguis, viſcera perſentiſcunt,

cum ſit inepta, tum ne ferri quidem poteſt, LAMB. Ita rectius, & ſonantius Lambinus. dum Alii ſcribunt *Concutitur tum ſanguis.* CREECH. Quidni retineamus: *Concutitur*, quod non niſi *Lambini* auctoritate in *Tum quatitur* tranſiit. Concutitur ſanguis ἀσυνδέτως. ut alius ſæpe. PREIG.

251. *Poſtremo*] Forſan rectius ſcribas cum MSS. Lugd. Bat. *poſtremis*, loquendi genere haud inuſitato. HAV.

252. *Contrarius ardor.*] *Ardor* hîc dolorem ſignificat, ſi locus emendatus eſt. ſed quibuſdam videtur legendum, *ægror*, ſeu *angor.* ego nihil muto. Nam ſic fere uſurpavit Catull. nomen *ardoris*, in ſecundo carmine,

Credo dum gravis acquieſcat ardor. LAMB.

Quidam legunt *Contrarius ægror*, ſeu *Angor*; ſed nihil mutant Interpretes, cum apud Catullum *Ardor* ſit *Dolor*

Credo ut gravis acquieſcat Ardor.

licet voci iſti nequius aliquid ſubeſſe *Voſſius* exiſtimet. CREECH.

252. *Ardor*] Hæc veriſſima ſcriptura. vide Indicem. GIFAN.

Uſque adeo ut vitae deſit locus, atque Animaï
Diffugiant partes per caulas Corporis omneis.
Sed plerumque fit in ſummo quaſi corpore finis
Motibus, hanc ob rem vitam retinere valemus.
Nunc, ea quo pacto inter ſeſe miſta, quibuſque
Côpta modis vigeant, rationem reddere aventem
Ab-

INTERPRETATIO.

ut vitæ nullus relinquatur locus, parteſque Animæ per poros & meatus Corporis diffugiant. Sed plerumque motus in ſumma Corporis ſuperficie ſiſtitur, non ulterius penetrat, & iſtam ob cauſam vitam retinemus. Nunc quomodo quatuor hæ res inter ſe miſcentur, quibus etiam modis vigeant, me explicare cupientem.

VARIÆ LECTIONES.

255. *ut.* abeſt Q. X. Y. Z. *deſit.* deſit N. Q.
256. *Diffugiant.* Diffugiunt. N.
257. *fit in ſummo quaſi corpore finis.* quaſi in ſummo fit corpore finis N.
259. *ſeſe.* ſe Q1.
260. *Côpta.* ſic, id eſt *coapta* Cr. F. compta *Alii.* *aventem.* habentem Q. X. Y.

NOTÆ.

255. *Uſque adeo, ut vitæ deſit locus*] Cùm reperiſſem ſcriptum in libris manuſcriptis *deſit*, non *deſit*, *diffugiant*, non *diffugiunt*, ſcripturam veterem adjuvi, repoſita particula *ut*, poſt vocem *adeo*. Nam vulgati libri ſic habent:

Uſque adeo vitæ deſit locus, atque animaï
Diffugiunt partes per c. &c.

ut ſit epiphonema. quam ſcripturam, ut mendoſam & ſuppoſitam, rejeci. Licet tamen vetere ſcriptura ſervata ſine particula *ut*, ſententiam ex ea optimam elicere. Lamb. Sic (*deſit*) Veteres omnes, & quidam Vulgati. In aliis Vulgatis: *deſit*, & mox: *Diffugiunt*; mendoſe. Lambinus: *ut deſit.* Vide: *Ut.* Gifan.

257. *Sed plerumque*] Sed plerumque (inquit) motus ſenſiferi, & vitales, interrumpuntur non in oſſibus & medullis, ſed in ſummo quaſi corpore: quod cum fit, tum non moritur animans, ſed brevi tempore, aut certe aliquando, convaleſcit. Lamb.

259. *Nunc ea quo pacto*] Nunc docere meditatur, quo pacto quattuor illa inter ſe miſta ſint. Lamb. Difficile opus jam aggreditur Poëta, & cui pro dignitate ſua perficiendo Latina Lingua non ſuppeditat voces congruas & aptas; Pergit tamen, & v. 30. docet quatuor iſtas res, Calorem, Auram, Aërem, tertiamque innominatam rem inter ſe perfecte miſceri, ut inde fiat una quædam, eaque tenuiſſima ſubſtantia, quæ per totum Corpus Animalis fuſa tum ab ipſo contineatur, tum ipſi cauſa ſalutis ſit. Omnibus vero non eadem regio & ſedes; Pars illa quæ Animus proprie dicitur, interius & altius ſita, eſt veluti totius Animæ fundamentum: Aura vero, Calor, & Aër, ita inter ſe miſcentur, ut unam, pro diverſa Animalium natura, ſubſtantiam componant: Sic Calor, Sapor, Odor, in quolibet viſcere miſcentur; non tamen diverſa, ſed unum tantum Corpus conſtituunt. Creech.

259. *Quibuſque comta modis*] Quidam legendum putant; *Juncta modis.* & item lib. 4: 31. ubi legitur,

Et quibus è rebus cum corpore comta vigeret.

ego nihil mutandum cenſeo. Lamb. Hoc unum quoque ex illis vocabulis eſt, quæ nunquam ab Interpretibus intellecta fuere. Fateor quidem *comptum* aliquando ſignificare ornatum, aliqua præſtantia inſignem, præditum, &c. Sed ei ſignificationi quid cum hoc loco Lucretii eſſe poteſt? Nihil quidquam. Deinde ratio vociferatur, eo vocabulo opus eſſe cui convenire poſſit cum *inter ſe ſe miſta*, quod videlicet colligationem, nexum, & vinculum aliquod notet. Quare ne dubita quin legendum ſit *coapta*, ſeu me-

Abſtrahit invitum patrii ſermonis egeſtas.
Sed tamen, ut potero ſummatim attingere, tangam.
Inter enim curſant Primordia principiorum
Motibus inter ſe, nihil ut ſecernier unum
Poſſit; nec ſpatio fieri diviſa poteſtas:
Sed quaſi multæ vis unius corporis exſtant.

Quod

INTERPRETATIO.

Egeſtas patriæ (Latinæ) linguæ etiam invitum reprimit: Breviter tamen, & ut potero conabor explicare. Harum enim quatuor rerum, quæ Animum conſtituunt, Principia ita inter ſe miſcentur & moventur, ut nulla una iſtarum rerum ab aliis loco ſeparari, & diverſam ſedem occupare (vel in diſtincta regione vires ſuas exercere) dici poteſt: Sed plures ſunt unius ejuſdemque Corporis poteſtates.

VARIÆ LECTIONES.

265. *diviſa.* diverſa c. O. P.
266. *multæ vis.* multa ejus C. E. K. N. P. Qr.

NOTÆ.

melius *côpta*; quod etſi auribus noſtrorum hominum novum eſſe ſcio, non ideo tamen minus certa, minuſque neceſſaria erit emendatio. *Coaptus* autem ſeu *côptus* idem eſt quod 3: 851. dixit *unitur aptus.*

quibus è ſumus uniter apti.

Vides, *Ex illis apti ſumus*; quod hîc unica voce expreſſit, *coaptum* dicens. Item 3: 858

qui cætu conjugioque
Corporis atque animæ conſiſtimus uniter apti.

Adde quod in IV. 31. locus eſt, qui facile & πάνυ ἀνάγκῃ probet τὸ *comptus* vitioſum eſſe. Quis enim Latine ſine vitio dixerit *anima compta eſt cum corpore*? quod tamen jam viſurus es:

Atque animi quoniam docui natura quid eſſet,
Et quibus è rebus cum corpore compta vigeret.

Ibi itaque reſtituendum,

cum corpore. côpta *vigeret.*

id eſt, *uniter apta, coapta, connexa, συναφθεῖσα.* FABER. *Juncta* Alii: Nihil mutat *Lambinus.* ſic lib. 4. v. 31.

Et quibus è rebus cum Corpore compta *vigeret.*

Faber tamen legit *Côpta* ſeu *Coapta*, Ratio enim vociferatur, eo vocabulo opus eſſe, cui convenire poſſit *Inter ſeſe miſta*, quod viz. Colligationem, nexum, & vinculum aliquod notet. CREECH.

260. *Reddere aventem*] Reddere cupientem. libri manuſcr. habent, *reddere habentem.* quod iccirco notavi, ut meminerit lector, quod eum jam ante admonui, *b* pro *u*, & contra *u* pro *b*, à ſcriptoribus illis librariis perversè eſſe ſcribi ſolitum. Treis nunc ex uno eodemque ſcriptore exempli cauſa, præter eos quos alias collegi, afferam locos; ex Arnobio, inquam, adverſus genteis: quorum primus erit ex libro primo. ubi ſic legitur in libris vulg. *Atque à nobis procul, procul inquam, aberruncetur amentia.* legendum *averruncetur.* alterum ex lib. 3. in extr. *Adeſtote dii penates, tu Apollo tuque Neptune omniaque hæc mala, quibus uror, terreor, vexor, veſtri numinis aberruncate clementia.* legendum *averruncate.* tertium ex lib. 7. *Satis, ut opinor, oſtendimus fruſtra Diis immortalibus hoſtias rebus cum conſequentibus admoveri; quod neque alantur his, neque percipiant voluptatem, neque iras, aut animos ponant, neque ut res tribuant fauſtas, neque ut abigant, aberruncentque contrarias.* legendum, *averruncentque. averruncare* autem eſt *avertere.* LAMB.

261. *Abſtrahit invitum patrii*] Sic ſupra libro primo: 140:

Propter egeſtatem linguæ & rerum novitatem. LAMB.

263. *Inter enim curſant*] Id eſt, primordia ex quibus conſtat animus, inter ſe intercurſant mutuis motibus, ita ut nullum ab altero diſtingui aut ſecerni poſſit; neque ullo intervallo ſeparari. LAMB.

266. *Sed quaſi multæ vis*] Sed ſunt veluti multæ poteſtates in unum corpus coactæ & coagmentatæ, &c. ſecutus ſum autem in hoc loco reſtituen-

Quod genus in quovis Animantum viſere volgo
Eſt Odor, & quidam Calor, & Sapor: & tamen ex his
Omnibus eſt unum perfectum Corporis augmen.
Sic Calor, atque Aër, & Venti caeca poteſtas
Miſta creant unam naturam, & mobilis illa
Vis, initium motus ab ſe quae dividit ollis,
Senſifer unde oritur primum per viſcera motus.
Nam penitus prorſum latet Haec natura, ſubeſtque:

INTERPRETATIO.

Ut in quovis Animalis viſcere reperitur Odor, aliquis Calor, & ſapor, tamen ex his omnibus unum tantum Corpus perficitur. Sic Calor, Aër, & Aura, & mobilis illa quarta res innominata, quæ eſt principium motus tribus reliquis, & e qua ſenſifer motus primum per Corpus oritur, miſcentur, & in unam ſubſtantiam coaleſcunt. Hæc enim quarta res penitus latet,

VARIÆ LECTIONES.

267. *Animantum viſere.* animantum eſt viſere C. K. O. P. *in not.* animantum viſere Y. animantum viſcere *Reliqui.*
268. *Calor.* color A. B. *ex his.* ex iis Z.
271. *illa.* illa eſt Q1.
272. *initium.* initum C. D. E. K. L. P. Y. Z. initam Y. *ollis.* illos C. P.

NOTÆ.

tuendo codicum manuſcript. auctoritatem. ſic ſup. uſus eſt nomine *vis*, numero multitudinis, libro ſecundo: 586.

Et quam quicque magis multas vis poſſidet in ſe, &c. Lamb.

Αἱ δυνάμεις. Saluſt. Faber. Saluſtius, *Male jam aſſuetum ad omnes* vis *controverſiarum.* Priſcianus lib. 6. Creech. Non male

Sed quaſi multa ejus unius corporis exſtat.

Ut ſenſus ſit, non diviſa, ſed multa poteſtas, ejus unius corporis. Preig.

267. *Quod genus*] Quemadmodum, cujus generis, οἷον. Lamb.

267. *Viſcere*] Carne, corpore. Faber. Inepta hic *viſceris* mentio. temere ut videtur tranſſumpta an arrepta? ex verſ. ab hoc ſeptimo. Planiſſima res eſt, ſi recipiamus quod in Var. Lect. eſt & auctoritate haud contemnenda fulcitur: *animantum eſt viſere.* Verum tunc ita diſtinguendum erit:

Quod genus in quovis animantum eſt viſere volgo:
Eſt odor, &c. Preig.

Simpliciſſima illa ſecundum MSS. lectio videtur, quam repræſentavimus. Dicit, *Quod genus &c.* uti mox verſu 277.

Quod genus in noſtris membris &c.

i. e. cujus generis in quocunque animali ſunt odor & ſapor quidam &c. *viſere eſt*, id eſt, cernere licet: confer 1: 728. 783. & 2: 577. Hav.

268. *Quidam calor*] Alias, *quidam color.* Lamb.

268. *Quidam color*] Ita habebant quidam libri. Vide ſupr. II. 678. Alii hic & ibi habebant: *calor.* Gifan.

269. *Augmen*] Ογκος Græcis *moles* eſt & *magnitudo*, Lucretius Latine *augmen* dixiſſe videtur, *unum* itaque *augmen*, eſt una moles, εἷς ὄγκος. Turn. *Adv. Lib.* xx. *Cap.* xxii.

270. *Venti poteſtas*] Ventus ipſe. ita ſæpe Græci. ἲς πελάγους, &c. Faber. Ventus ipſe v. 278. *Animi vis, & Animæ poteſtas.* v. 288. *Aëris poteſtas.* Creech.

271. *Mobilis illa vis*] Quarta illa natura, nominis expers. Lamb.

272. *Initium motus quæ*] Quæ tribuit & impertit ceteris partibus initium ſeu introitum. in nonnullis libris legitur *initium*: quod ſi cui magis placeat, *i* & *u* coëunt in unam ſyllabam. Lamb. Variavit hæc ita 2: 261.

Nam

Nec magis Hac infra quidquam eſt in corpore noſtro:
Atque anima eſt Animae proporro totius ipſa:
Quod genus in noſtris membris, & corpore toto
Miſta latens Animi vis eſt, animaeque poteſtas;
Corporibus quia de parvis, pauciſque creata eſt.
Sic tibi nominis Haec expers Vis, facta minutis
Corporibus latet: atque Animaï totius ipſa

Pro-

INTERPRETATIO.

nec quidquam eſt in Corpore noſtro interius altiuſve ſitum; & eſt omnino Anima totius Animæ. Ut in toto Corpore omnibuſque membris Animus & Anima latent, (intime collocantur & diſcerni nequeunt) quia e parvis pauciſque ſeminibus componuntur, ſic res hæc innominata e minutis Corporibus conſtans latet, eſt prorſus Anima Totius Animæ,

VARIÆ LECTIONES.

275. *quidquam.* cuiquam P. quiddam, *Quidam codd.* P.
276. *Animæ.* animi N.
279. *Corporibus.* Corporeis Z.
281. *latet.* late V. *Animaï.* animæ quaſi A. B. c. O. P. Q1. X. Y. Z. animus quaſi C. E. N.

NOTÆ.

Nam dubio procul his rebus ſua quoique voluntas
Principium dat: & hinc motus per membra rigantur.

Ubi quod *principium* dixit, hic vocat *initium*; de cujus vocis vocalium coitione conſule Notas ad 1:13. HAV.

272. *Initium*] *Initum.* GIFAN.

274. *Latet ſubeſtque*] Maxime intima eſt homini; ultra quam non datur pergere. FABER.

275. *Nec magis hac infra*] Si hic verſus Lucretianus eſt, ſententia ejus hæc videtur eſſe: nec quicquam interius eſt hac natura in corpore noſtro, nihil magis abſtruſum, nihil magis reconditum. itaque, ut hæc ipſa ſententia magis exprimatur, quidam legi volunt *intra.* quos nonnulli codices adjuvant. ſed videtur plane verſus alienus & ſuppoſitus. Quod ſi ſecus videatur doctis & acutis, à quibus diſſentire difficile eſt, licet hanc lectionem defendere ac tueri, & ſic explicare: nec quicquam eſt magis hac (anima) infra (id eſt infra ſenſus noſtros) in corpore noſtro: ut hoc dici à Lucretio intelligamus, nihil eſſe, quod tam fugiat ſenſus noſtros, quodque minus cadat ſub ſenſus noſtros, quam animam. Hanc lectionem, ejuſque interpretationem confirmat verſus ille libro quarto, non longe admodum à princip. verſ. 111.

——— *& in primis quoniam primordia tantum*
Sunt infra ſenſus noſtros, tantoque minora,
Quam quæ primum oculi cœptant non poſſe tueri,
&c. LAMB.

Hic verſus *Lambino* non placet, nec mirum, cum *Infra* interpretatur *Infra noſtros ſenſus*: ſitum enim non exiguitatem quartæ naturæ innominatæ Poëta exprimit; ut Anima Corpori intima, ſic quarta iſta vis expers nominis ipſi Animæ; & eſt quaſi Anima totius Animæ, quoniam ſicut Anima Corpus, ſic Animam ipſa vegetat, & ſenſus perficit. CREECH.

276. *Atque anima eſt animæ*] Ita hæc quarta natura ceteris præſtat tenuitate, ſubtilitate, mobilitate, & ſimilibus, ut ſit quodammodo animæ totius anima. LAMB.

281. *Atque animaï totius ipſa, &c.*] Sic reſtitui ex auctoritate codicum manuſcript. adhibita tamen facili & illuſtri conjectura. nam cum in aliis duobus reperiſſem ſcriptum,

——— ——— *Atque animæ quaſi totius ipſa*
Proporro eſt anima:

in aliis, *atque animæ totius*, ſine voce *quaſi*: ſu-

ſpi-

Proporro eſt Anima, & dominatur corpore toto.
Conſimili ratione neceſſe eſt Ventus, & Aër,
Et Calor inter ſe vigeant commiſta per artus:
Atque aliis aliud ſubſit magis, emineatque:
Ut quiddam fieri videatur de omnibus unum:
Ne Calor, ac Ventus ſeorſum, ſeorſumque poteſtas
Aëris interimant ſenſum, diductaque ſolvant.

Eſt

INTERPRETATIO.

& in toto Corpore dominatur. Similiter neceſſe eſt ut Aura, Aër, & Calor per membra miſceantur, ut ex his aliud magis ſubſidat, vel infra ſit, aliud magis emineat, ita ut una quædam ſubſtantia ex iis omnibus oriri videatur; Nec Calor, Aura, Aër in diſtinctis locis ſedibuſque ſita deſtruant, & ſeparata ſolvant ſenſum.

VARIÆ LECTIONES.

282. *Anima.* animi C. E. N.
286. *de.* ab A. marg. E. N. P. V. X. Y. Z.
287. *Ne.* Ni Q1. Y. Z.
288. *ſenſum.* ſeorſum c. O. P.

NOTÆ.

ſpicatus ſum à Lucretio ſcriptum eſſe *animaï*, deinde cum ex *animaï* factum eſſet *animæ*, culpa librariorum, ab aliquo ſtudioſo adjectum *quaſi*, ut verſum perficeret. Vulgata lectio autem talis eſt,

Atque animus quaſi totius ipſa, &c. LAMB.

281. *Atque animæ quaſi, totius ipſa*] Ita in pleriſque omnibus libris. In Aliis abeſt, *quaſi*; quod tamen non eſt otioſum. GIFAN.

281. *Anima eſt animæ*] Ita Philo in lib. de Opificio mundi, mentem eſſe quaſi animam animæ dixit. FABER.

282. *Proporro*] Id eſt, producte, longe. LAMB.

284. *Inter ſe commiſta*] Hoc unice probat, quod in Emendationibus ad vocem *côpta* dictum fuit. FABER.

285. *Subſit magis, emineatque*] Aliud magis ſubſit aliis, aliudque magis emineat aliis. *ſubeſſe* & *eminere* dixit Latino ſermone, quod Græci ὑφίϛαϑαι, καὶ ἐπιπολάζειν. LAMB. *Subſit.* Intimum ſit, *infra ſit.* FABER.

286. *De omnibus*] Sic legendum potius, quam *ab omnibus.* LAMB.

287. *Ne calor ac ventus*] Libri manuſcripti habent *ni calor*: quam ſcripturam ſi recipimus, accipiendum *ni* pro *ne.* LAMB. Ita (*ni calor*) in veteribus libris. Alii: *Ne.* GIFAN.

289. *Eſt etiam Calor ille Animo*, &c.] Ex Aura, Calore, & Aëre Animos componi probat v. 35. Admittas enim, & variæ Animalium temperies commode explicari poſſunt. Unde v. g. *Leo* ad Iram proclivior, niſi quod *Calor* in illius Animo emineat? Unde cervorum timiditas, quia in illorum Animabus Aura dominatur. Boum vero conſtantiam neque Iræ nimis neque Metui obnoxiam Aëri tranquillo acceptam referas: Calorem enim ex Irati oculis emicantem, & ſcintillas tantum non erumpentes videmus: Tremunt & Horreſcunt Cervi; & tranquilla eſt Boum Gravitas. Huc, ſi *Gaſſendus* permitteret, illa è *Stobæo* deſumpta referrem, τὸ μὲν πνεῦμα κίνησιν, οὐδὲ ἀὴρ ἠρεμίαν, τὸ δὲ θερμὸν τὴν φαινομένην θερμότητα τοῦ σώματος, τὸ δὲ ἀκατονόμαστον τὴν ἐν ἡμῖν ἐμποιεῖ αἴσθησιν. Deinde in Hominibus etiam aliquod horum trium dominari docet v. 16. Quidam enim ad Iram, Alii ad metum proclives, dum alii manſueti ſint ac mites: Et quoniam hæc tria commiſceri tanta varietate ob graduum varietatem poſſunt, inde morum diverſitates innumeras ſequi. Philoſophia autem vitioſam naturam emendari aliquatenus, ſed ita ut veſtigia quædam τῆς κακίας remaneant; (quippe

Eſt etiam Calor ille animo, quem ſumit in ira,
Quom ferveſcit, & ex oculis micat acribus ardor.
Eſt & frigida multa comes formidinis Aura:
Quae ciet horrorem in membris, & concitat artus.
Eſt etiam quoque pacati ſtatus Aëris ille,
Pectore tranquillo qui fit, voltuque ſereno.

INTERPRETATIO.

In Animo quidem eſt Calor, quem in ira ſumit, cum ferviſcit, & Ardor e micantibus oculis exilit: Eſt etiam multa frigida Aura formidinis Comes, quæ facit membra horreſcere, & concitat. Eſt inſuper placidus leniſque Aër, qui apparet in tranquillo pectore, & ſereno vultu.

VARIÆ LECTIONES.

289. *Calor.* color Q.
290. *ferveſcit.* ferveſcet X. Z. *acribus.* acrius C. D. E. I. N. P. X. Y. Z.
292. *Quæ.* Qua O. X. *in.* Deëſt C. K. N. P. Q. Y. Z.
294. *qui fit.* ſit qui Q1. X. fit qui Y. Z.

NOTÆ.

pe Homines doctrina exculti & maxime politi ſunt quibuſdam pravis affectionibus obnoxii) id quod non impediet quo minus quis jucunde vivat. CREECH. Legendum, *Eſt etenim.* quippe eorum rationem affert quæ in verſ. 17. ſcripſerat,

Ne calor ac ventus ſeorſum, ſeorſumque poteſtas Aeris, &c.

Probat, inquam, eſſe in animo calorem, auram frigidam, & aërem temperatum: quaſi diceret, Neque vero temere affero calorem eſſe in animo: *eſt etenim calor ille animo quem ſumit in ira*, &c. imo reliquas duas qualitates reſumit & aſtruit in verſibus qui mox ſequuntur, auram, inquam frigidam, & aërem temperatum:

Eſt & frigida multa comes formidinis aura,
Quæ ciet horrorem in membris & concitat artus.
Eſt etiam quoque pacati ſtatus aeris ille,
Pectore tranquillo qui fit, voltuque ſereno.

Itaque hæc ſatis plana puto, iis ut æquus Lector acquieſcat. FABER. *in Emend.*

289. *Eſt etiam calor*] Vide Emendationes. Illud autem *acribus* pro *acrius*, quod tamen à Giſanio probatur, quanquam nihili eſt, Paſſeratio & Lambino acceptum referri debet. FABER. *in Not. Eſt etenim.* Faber, quippe eorum rationem affert quæ v. 287. ſcripſerat,

Ne Calor ac Ventus ſeorſum, ſeorſumque poteſtas Aëris, &c.

Conjecturam non improbo, ſed inepta ratio quam adducit. CREECH.

290. *Et ex oculis micat*] Ardor oculorum iram ſignificat. Hom. Iλ. α. 103.

——— μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφὶ μέλαιναι
Πίμπλαντ', ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.

LAMB.

290. *Acribus*] Sic neceſſario legendum eſt. atque hunc locum imitatus eſt Virg. lib. 12. Æn. 102. ut me admonuit Paſſeratius:

Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ardor.

Sic & M. Tull. loquitur libr. 1. Tuſc. quæſt. *Nec vero quiſquam de hoc dubitare poſſet, niſi idem nobis accideret, diligenter de animo cogitantibus, quod iis ſæpe uſu venit, qui acribus oculis deficientem ſolem intuentur, ut adſpectum omnino amitterent, &c.* LAMB. Giſanius tamen *Acrius.* v. 295. *Acria corda.* CREECH.

292. *In membris*] Τὸ *in* abeſt ab aliis quibuſdam Veteribus. GIFAN. Neque iis vulgaribus, nam & in Lugd. Bat. optimo quoque deſideratur. At quis de mente Poëtæ, quomodo ſcripſerit, judicabit? HAV.

294. *Fit qui voltuque*] Ita veteres libri; more Lucretiano. Marullus, & Vulgati: *qui fit.* Vide, lib. II. verſ. 730. GIFAN.

Sed Calidi plus eſt illis, quibus acria corda,
Iracundaque mens facile effervéſcit in ira;
Quo genere in primis vis eſt violenta Leonum:
Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes,
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.
At Ventoſa magis Cervorum frigida mens eſt,
Et gelidas citius per viſcera concitat auras:
Quae tremulum faciunt membris exſiſtere motum.
At natura Boum placido magis Aëre vivit,
Nec nimis iraï fax unquam ſubdita percit
Fumida ſuffundens caecae caliginis umbras;

Nec

INTERPRETATIO.

Plus Caloris illorum Animis ineſt, quibus Iracunda ſunt corda, & quorum mentes Ira facile accenduntur: Cujus generis præcipue ſunt Leones, qui plerumque gementes pectora ſua fremitu diſrumpunt, neque irarum æſtum pectore ſuo continere & cohibere poſſunt: Frigidus vero Animus Cervorum plus Auræ (ſeu Venti) continet, & citius gelidas auras per membra concitat, quæ totum Corpus tremere & horrere faciunt: At Boum Animi plus placidi Aëris continent; Nec unquam fax Iræ fumida ſuffundens umbras cæcæ caliginis ſubjecta nimis incendit eos;

VARIÆ LECTIONES.

304. *nimis.* minus Q. Y. Z.
305 *Fumida ſuffundens.* Fumides effundens Z. quaſi velit *s' effundens.* tumidas effundens X. *umbras.* umbra Z.

NOTÆ.

295. *Sed calidi plus eſt*] Sic Plutarchus libello περὶ ἠθικῆς ἀρετῆς, non admodum longe ab extremo: Οὐ γὰρ ὀρθότητι δοξῶν, οὐδὲ φαυλότητι δήπου, τοῖς μὲν ἀλκαὶ καὶ ὁρμαὶ πρὸς τὰ φαινόμενα δεινὰ παρίστων.), τοῖς δὲ ἀμήχανοι πτοίαι καὶ φόβοι τῆς ψυχῆς, ἀλλὰ αἱ περὶ τὸ αἷμα, καὶ τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ σῶμα δυνάμεις, τὰς τῶν παθῶν διαφορὰς ποιοῦσιν, ὥσπερ ἐκ ῥίζης τοῦ παθητικοῦ τῆς σαρκὸς ἀναβλαστάνοντος, καὶ συναναφέροντος τὴν ποιότητα, καὶ τὴν κρᾶσιν. id eſt, *Non enim propterea quod rectas, aut pravas opiniones habeant, beſtiis aliis excitantur vires & impetus adverſus ea quæ his videntur mala & incommoda, aliis vero pavores, & motus animæ, ſed quæ circa ſanguinem, & ſpiritum, & corpus ſunt poteſtates, affectuum differentias & diſſimilitudines efficiunt: ea animæ particula, quæ affectibus æſtuat, ex carne, tanquam radice, pullulante, & una qualitatem & judicium efferente.* Lamb.

299. *Irarum fluctus*] Sic Catull. carmine de Pelei & Thet. nupt.

Proſpicit, & magnis curarum fluctuat undis.

Virgil. Æneid. 4. 532.

——— *magnoque irarum fluctuat æſtu.*

De leonibus lege Plinium lib. 8. cap. 16. & Ariſtot. lib. 9. de hiſtoria animalium, & Euſtathium ad hunc Homeri locum, Ιλ. υ. 164.

Πηλείδης δ' ἑτέρωθεν ἐναντίον ὦρτο. λέων ὣς
Σίντης, ὅν τε καὶ ἄνδρες ἀποκτάμεναι μεμάασιν
Ἀγρόμενοι, πᾶς δῆμος, &c.

Lucret. infra eod. libr. 741.

Denique cur acris violentia triſte leonum
Seminium ſequitur? Lamb.

300. *At ventoſa magis cervorum*] De cervis Plinius libr. 8. cap. 32. Homerus Ιλιαδ. α. 225.

——— κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.

Verba ſunt Achillis in Agamemnonem, impuden-

Nec gelidi torpet telis perfixa pavoris:
Inter utroſque ſita eſt, Cervos, ſaevoſque Leones.
Sic Hominum genus eſt, quamvis Doctrina politos
Conſtituat pariter quoſdam, tamen illa relinquit
Naturae quojuſque Animae veſtigia prima,
Nec radicitus evelli mala poſſe putandum eſt,
Quin proclivius Hic iras decurrat ad acreis;
Ille metu citius paullo tentetur: at Ille
Tertius accipiat quaedam clementius aequo.
Inque aliis rebus multis differre neceſſe eſt

Na-

INTERPRETATIO.

neque torpent unquam gelidis Pavoris ſpiculis transfixi: Animorum Boum natura media eſt inter utroſque Cervos viz. & rabidos Leones. Ex iiſdem Principiis Animi Hominum componuntur, quamvis Humaniores literæ & Philoſophia quoſdam extolant, & politos reddant; relinquunt tamen prima veſtigia naturæ cujuſque Animæ, neque credendum eſt Vitia, quæ ex ipſis Animi principiis oriuntur, radicitus extirpari poſſe, quin Hic ad Iram ſit proclivior, Ille ad metum pronior, Tertius vero mitis ſit, & forſan lenior quam par eſt: In multis aliis rebus neceſſe eſt varias naturas Hominum, & mores,

VARIÆ LECTIONES.

306. *gelidi.* gelidis X. Z. *pavoris.* vaporis Q1. Z.
307. *utroſque.* utraſque Q1. X. Y. Z.
310. *Naturæ.* Natura P. Q1. X. Y. Z. *Animæ.* Animus *priſci codd.* P. animi A. B. P. L.
312. *decurrat.* decurrit Y. ſed a rec. manu emend. *decurrat.*

NOTÆ.

dentiam & timiditatem ei objicientis. LAMB.

303. *At natura boum*] De bobus, ſeu bubus, Plinius legendus libr. eodem cap. 45. LAMB.

304. *Subdita*] Subjecta. Sic Virgil. lib. 3. Georgic. 271.

Continuoque avidis ubi ſubdita flamma medullis.

Sic M. Tullius pro Milone dixit *ſubjicere faceis invidiæ.* Ciceronis verba ſunt hæc: *Quin hoc tempore ipſo, cum omnes à tuis inimicis faces invidiæ mihi ſubjiciuntur, &c.* LAMB.

304. *Percit*] Perciet, permovet: ſubintell. boum naturam. LAMB.

306. *Perfixa*] Tralatio ab iis, qui telis perfixi ſunt. ſupra lib. 2: 360.

——— *Deſiderio perfixa juvenci.* LAMB.

308. *Sic hominum genus eſt*] Significat, naturæ vitia non poſſe doctrina funditus exſtirpari: ita tamen doctrina, ſtudio & diligentia minui & levari poſſe, ut nihil vetet, quo minus ſapiens beate vivat, & homo inter homines Deus quidam eſſe videatur. LAMB.

310. *Animi*] Hoc ex Veteribus quibuſdam malui. Loquitur enim de Animo ac Mente. Alii: *animæ.* GIFAN. Lugd. Bat. aliique *naturâ*, quaſi vellet naturaliter, ſua indole &c. HAV.

310. *Veſtigia prima*] Tolle hanc diſtinctionem; Nam μονωθεῖσα virgula ſatis fuerit. Senſus eſt, Doctrinâ vitioſam naturam emendari aliquatenus, ſed ita ut veſtigia τῆς κακίας remaneant; id quod non impediet quo minus quis jucunde vivat. FAB. Scribendum forſan *priva*, quæ pluribus in locis familiaris noſtro vox eſt. Ita inf. 390.

——— *nec priva pedum veſtigia quæque*

i. e. ſingula, ſingularia. Hæc autem *veſtigia*

 pri-

Naturas hominum varias, moreſque ſequaceis:
Quorum ego nunc nequeo caecas exponere cauſas,
Nec reperire figurarum tot nomina, quot ſunt
Principiis, unde haec oritur variantia rerum.
Illud in his rebus video firmare poteſſe,
Uſque adeo Naturarum veſtigia linqui

Par-

INTERPRETATIO.

qui iſtam naturam ſequuntur, plurimum differre: Quorum obſcuras & latentes cauſas ego nunc explicare non poſſum, nec invenire tot voces, quibus exprimam iſtas figuras, (quot ſunt diverſæ ſeminum figuræ) e quibus oritur hæc morum diverſitas. Hoc vero liquido affirmare & probare poſſum, tam parva & tantillæ efficaciæ veſtigia Naturarum,

VARIÆ LECTIONES.

320. *videor.* Ita A. B. C. D. I. L. Q1. Y. Z. video *Cr.* F. *firmare.* formare Q1. Y. Z.

NOTÆ.

prima ſeu *priva*, mox verſ. 319. *principia* vocat. Hav.

316. *Moreſque ſequaceis*] *Sequaceis*, id eſt, ad ſequendum facileis, & flexibileis, μιμητικὰς, ἀκολουθητικάς. Lamb. Horatius locum hunc imitatus eſt. Faber.

317. *Cæcas*] Obſcuras. Lamb.

319. *Variantia*] Differentia. Lamb.

320. *Illud in his rebus* videor *firmare poteſſe.*] Quarumdam editionum lectionem revocavi. neceſſario enim legendum eſt, *videor*, non *video*. Faber. Recte *Faber*, nec *Video* pati poſſumus. Creech.

320. *Video firmare poteſſe*] Nodum in ſcirpo hic quærit Faber. *Video* haud dubie recte ſe habet, ut ſit ſenſus: *video me firmare poſſe &c.* Amant enim Veteres τὸ ἀπροσδόκητον, Nam, ut hoc loco: *video firmare poteſſe*, ſic alibi rurſus: *poſſum me fingere. Student ſe præſtare, & poſſit ſe conglomerari*, ut verſ. 211. *Firmare* autem verbum huic loco aptiſſimum eſt, quo & Tacitus utitur VI. Annal. cap. 6. *Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus, & ictus, &c.* Preig.

321. *Naturarum*] Docti quidam legi volunt, *naturaï*. Lamb. Quibuſdam placet *Naturaï*. Et pro *Dictis* in ſequenti verſu *Doctis* ſcribitur. Creech.

322. *Depellere doctis*] Secutus fueram initio libros vulgatos. Nam manuſcripti habent *depellere noctes*. unde ſuſpicabar legendum, *ratio depellere docta*. nunc *doctis* magis placet, ut ſit hæc ſententia: quæ veſtigia naturarum ratio nequeat à doctis depellere. Ne cui autem mira ſit, aut abſurda videatur hæc locutio, ſic & M. Tullius locutus eſt in oratione pro Milone paullo ante confirmationem: *Sin hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, omnem ſemper vim, &c.* Lamb.

322. *Doctis*] Sic legendum puto ex libris veteribus, in quibus eſt: *dictis*. Marullus, & Vulgati: *noctis*; male. Ut alibi, II. 986. Vide & inf. hoc libro, verſ. 627. Gifan. A viris doctrina perpolitis. Notum illud eſt, quod à Pindaro dictum de diſcrimine quod Naturam inter & educationem reperitur. Faber. Valde fluctuant in hoc verſiculo Viri docti. Ita ut neque Gifanius, neque Lambinus ſibi conſtent; quorum ille in prima *dictis* jam ediderat quod in poſtrema in *doctis* mutavit, Lambinum ſc. tacite, præſertim Ciceronis illa auctoritate munitum, ſecutus, qui & ipſe *dictis* ante aut *docta*, ad poſtremum vero *doctis* legendum contendit. Verum quæ neceſſitas diſcedendi a veterib. libris; qui habent:

Queis ratio nequeat depellere nocteis.

Nonne ita more ſuo loquitur Lucretius, ut in iſtis:

Hunc igitur terrorem animi tenebraſque neceſſe eſt
Non radii ſolis neque lucida tela diei
Diſcutiant, ſed naturæ ſpecies ratioque.

Suadet autem hanc loquendi formulam, quod cum Diis ipſis de felicitate ac ſerenitate contendere

Parvola, quae nequeat Ratio depellere doctis:
Ut nihil impediat dignam Dîs degere vitam.
  Haec igitur Natura tenetur Corpore ab omni,
Ipſaque corporis eſt cuſtos, & cauſa ſalutis;
Nam communibus inter ſe radicibus haerent:
Nec ſine pernicie divelli poſſe videntur.
Quod genus è Turis glebis evellere Odorem

Haud

INTERPRETATIO.

quæ Philoſophia & Humaniores literæ præceptis ſuis delere non poſſunt, relinqui; ut nihil obſtet quo minus vitam Diis dignam Homines agerent. Hæc autem Animi & Animæ natura a toto Corpore continetur, ipſa viciſſim eſt conſervatrix Corporis, & ſalutis illius cauſa (facit ut vivat & vigeat:) nam communibus radicibus ita inter ſe hærent, ut ſine utriuſque interitu ſeparari nequeant. Quemadmodum a gleba Thuris Odorem ſeparare

VARIÆ LECTIONES.

322. *quæ.* quis V. *doctis.* dictis *Cr.* I. noctes K. V. noctis M. Q1. X. Y. noctes Z. 325. *eſt.* & Q1.

NOTÆ.

dere inſtituit, ut ex verſ. ſeq. patet. *Dignam enim Diis vitam degere* iis demum, ex ipſius Poëtæ mente, licet, quibus ſedes quietæ, ut loquitur hujus libri principio:

Quas neque concutiunt venti neque nubila nimbis
Aſpergunt, &c.

atque adeo, apud quos ratio omnibus rebus noctes depellant. Preig. Quoniam Græci noctem εὐφρόνην vocarunt, quod oportunum maxime ad ſtudia & conſilia illud ſit tempus, hinc *rationem noctis* pro conſilio prudenti capi poſſe arbitratur *Turneb.* Adv. 20: 22. Sed opportune Ciceronis locum adduxit Lamb. qui niſi videretur obſtare, legerem

——— *quæ nequeat ratio depellere, doctos*
Ut nihil impediat, &c.

Neque enim quivis tam beati ſunt, ſed docti tantum, id eſt Epicuri ſectam (ſi Dîs placet) ſecuti; qua ratione fortius loqui mihi, quam alias, videtur Lucretius. Preigeri mei admitterem conjecturam, ſed *queis* pro *quæ* Voſſii eſt, non MSS. neque *tenebras* abſolute ſed *mentis* dixit 1: 147. *doctis* præterea reſpondet magis verſ. ſup. 308. Hav.

323. *Dignam Diis*] Beatam. ſic Epicurus, ζή-σῃ δ' ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις. οὐδὲν γὰρ ἔοικε θνητῷ ζῴῳ ἄνθρωπος ἐν ἀθανάτοις ἀγαθοῖς. id eſt, *vives autem ut Deus inter homines. nulla enim re mortali ſimilis eſt homo in bonis immortalibus vitam agens.* Lamb.

324. *Hæc igitur natura*] Animus ex quattuor illis naturis conflatus. Lamb. Animam ex Aura, Calore, Aëre, & quarto innominato formatam v. 14. ita Corpori conjungit, & immiſcet, ut neque Corpus ſine Anima incolume, neque Anima ſine Corpore integra maneret: Epicurei cenſuerunt Animam a Corpore contineri, (*Epicurus* apud *Laërtium* utitur verbo στεγάζεσθαι, apud *Empiricum* διακρατεῖσθαι) Corpus etiam mutuo ab Anima teneri, ne prorueret in exſolutionem. Nempe voluerunt Animal eſſe quaſi Telam, in qua ſtamen eſſet Corpus, ſubtegmen vero Anima, adeo ut utrumque mutuo intertextum opus conſtans evaderet, altero vero diſſoluto alterum, atque ideo utrumque ſimul, exſolveretur. Exemplum velis? en Thuris glebam, Odorem ab iſto Thure ſepara, & nec Odor, neque Thus integrum manebit, & idem de Animo & Corpore ſentiendum. Creech.

326. *Nam communibus inter ſe*] Significat, animum & corpus animantis ita inter ſe eſſe conjuncta & colligata, ut alterum ab altero ſejunctum vivere aut eſſe non poſſit. Lamb.

328. *Quod genus*] Quemadmodum. Probat à ſimili neque animam à corpore animantis ſejunctam, neque corpus ab animo ſemotum eſſe poſſe. Lamb.

Haud facile eſt, quin intereat natura quoque ejus.
Sic Animi, atque Animæ naturam corpore toto
Extrahere haud facile eſt, quin omnia diſſolvantur:
Implexis ita principiis ab origine prima
Inter ſe fiunt conſorti praedita vita:
Nec ſine vi quidquam alterius ſibi poſſe videtur
Corporis, atque Animi ſeorſum ſentire poteſtas:
Sed communibus inter eos conflatur utrimque

Mo-

INTERPRETATIO.

non potes, quin & Thus & Odor ſimul pereant: Sic Animum & Animam ex omnibus membris extrahere non potes, quin utriuſque, & Corporis & Animæ, diſſolutio ſequatur: Principiis ita inter ſe implexis a prima origine formantur, & conſorti vita donantur, nec aut Corpus ab Anima ſeparatum, nec Anima in Corpore ſeparata per ſe agere aliquid, aut ſentire poteſt ſine alterius ope & auxilio; ſed ſenſus nobis per viſcera excitatur

VARIÆ LECTIONES.

333. *conſorti.* conſortia O. P. *Priſci codd.* P. conſorti. *vita.* vitæ. F.

334. *Nec ſine vi quidquam alterius ſibi poſſe.* Nec ſibi *quidque* (quoque X.) ſine alterius vi poſſe A. B. I. X. quæque L. P. Q1. Y. Z. Nec quidquam ſine vi alterius ſibi poſſe *pr. codd.* P.

335. *ſentire.* conſtare A. marg. c. O. P. ſtare Q. Y.

336. *conflatur.* conflictatur A. B.

NOTÆ.

329. *Haud facile*] Ita alibi hujuſmodi *μείωσιν* uſurpavit. Nam *haud facile* ſignificat plane *ἀδύνατον*. Faber.

331. *Quin omnia diſſolvantur*] Alii legunt ita, *diſſoluäntur*, ut ſit quinque ſyllabarum, fiatque *διαίρεσις*: alii *diſſolvantur* ſine diæreſi, ut ſit verſus ſpondiacus. ego ſuſque deque habeo. Lamb.

332. *Implexis*] Implicatis. *implexum* compoſitum à præpoſitione *in*, quæ vim augendi habeat, non negandi; ut in his *incurvus*, *incanus*, & ſimilibus, & *plexum*. *plexa* autem (ut docet Feſtus) *colligata* ſignificat ex Græco: cui nos etiam præpoſitionem adjicimus, cum dicimus *perplexa*. Lamb.

333. *Conſorti vita*] Notandum, paſſive ſumi. Non temere alibi. Tamen ita auctor Ceiridis, ſeu ille Virgilius eſt, ſeu quis alius.

Si me jam ſummâ Sapientia pangeret arce,
Quatuor antiquis quæ hæredibus eſt data conſors.

Faber.

334. *Nec ſibi quæque ſine alterius* &c.] Sic legitur hic verſus in libris vulgatis, præter Pariſienſ. & Vicet. & Venetos antiquos,

Nec ſine vi quicquam alterius ſibi poſſe videtur, &c.

in manuſcriptis autem,

Nec ſibi quæque ſine alterius vi poſſe videtur, &c.

quos ſecutus ſum. quamvis alteram ſcripturam, quam olim ſecutus eram, non damnem. Lamb.

334. *Nec ſibi quidque ſine alterius*] Ita in Veteribus omnibus, & nonnullis Vulgatis. In Aliis:

Nec ſine vi quidquam alterius ſibi poſſe videtur.

Ego à veterum librorum conſenſu, etſi parum interſit, diſcedere nolui. Gifan.

335. *Sentire*] *Conſtare.* Gifan. Codd. *Conſtare*, quibus minime credendum. Creech.

336. *Conflatur*] Neſcio quâ negligentia factum ſit, ut in utraque Gifanii editione ſcriptum fuerit, *conflictatur*. Faber.

337. *Accenſus nobis per viſcera ſenſus*] Sic ſupra lib. 2: 942.

qui-

Motibus accenſus nobis per viſcera Senſus.
Praeterea, Corpus per ſe nec gignitur unquam,
Nec creſcit, nec poſt mortem durare videtur.
Non enim ut Humor aquae dimittit ſæpe vaporem,
Qui datus eſt, neque ab hac cauſa convellitur ipſe,
Sed manet incolumis: non, inquam, ſic Animaï
Diſcidium poſſunt artus perferre relicti:
Sed penitus pereunt convolſi, conque putreſcunt.

INTERPRETATIO.

ex communi Utriuſque conjunctim agentis motu. Præterea Corpus nunquam per ſe (ſine Anima) generatur, neque creſcit ſine Anima, neque poſt ſeparationem Animæ videtur durare; Non enim, ut Aqua ſæpe dimittit calorem, qui ab igne excitatur, non tamen ipſa Aqua eam ob cauſam deſtruitur, ſed integra manet, & incolumis; non, inquam, ita membra Corporis ab Anima relicta illius Animæ ſeparationem ferre poſſunt; ſed disjunctis ſuis partibus pereunt, & cum Anima putreſcunt.

VARIÆ LECTIONES.

339. *nec poſt.* neque poſt Q1. Y. Z.
340. *vaporem.* ſaporem A. marg. N. c. P.
341. *neque ab hac.* neque ea K. P. Q1. Y. Z. *ipſe.* ipſa Z.
343. *Diſcidium.* diſtigium Q1. diſſidium Q2. *poſſunt.* inter Q.

NOTÆ.

quibus convenienter
Accenſi ſenſus animantem quamque tuentur: vel, ut legendum potius, *quibus omnituentes*, &c. Lamb. *Accenſus ſenſus* jam antea dictum eſt, in II. (492.) opinor, quid ſit; ſed animadverti Giſanium in Indice ſuo longe aliter ſenſiſſe. Exiſtimat enim *accendere* hoc loco idem ſignificare quod *complere*. Ita me amet Deus, ubi iſthæc lego, tum mihi *cerebrum implicifcitur*, ϗ Πλαῦτον. Huic homini credas ſcilicet, tum bene ſe tibi res habebunt. Utinam modo per otium liceret cribro pollinario illud opuſculum ſuccutere; quantum ibi furfuris! quantum! Faber.

338. *Corpus*] Corpus hominis, ſeu cujuſlibet animalis. Lamb. Iſtam Animæ & Corporis adunationem v. 13. iterum demonſtrat. Corpus neque generatur, neque creſcit ſine Anima, & & cum Anima avolet, diſtrahuntur illius particulæ, reſolvuntur vitalia vincula, putreſcunt membra, denique perit Corpus. Quid interim de Anima exiſtimandum? nempe illa diſpergitur in tenues auras, & evaneſcit: Cum vero neutrum ſine altero maneat integrum & incolume, credendum eſt, eorum ſubſtantias conjunctas eſſe, atque intime unitas. Creech.

340. *Non enim ut humor*] Argumentum à diſparibus, ſeu diſſimilibus. Non (inquit) ut aqua calefacta, amiſſo calore, manet incolumis, neque perimitur: ſic corpus humanum efflata anima ſalvum & incolume manere poteſt; ſed penitus corrumpitur, computreſcit, atque interit. Lamb.

340. *Dimittit ſæpe vaporem*] Sic libri manuſcripti & item nonnulli typis excuſi: Florentini, & Lugdunenſes, & Veneti recentiores, *ſaporem.* ego illam ſcripturam probo, & *vaporem* interpretor *calorem*, ſeu *halitum calidum.* Lamb.

340. *Vaporem*] *Saporem.* Gifan. Nonnulli Codd. *Saporem*, improbe: neque *ab hac cauſa* in *ab ea cauſa* mutandum. Creech.

343. *Diſcidium*] Id eſt, diſciſſionem, ac divulſionem, à verbo *diſcindo.* Lamb.

344. *Conque putreſcunt*] Et conputreſcunt. tmeſis. Lamb.

Ex ineunte aevo ſic Corporis atque Animaï
Mutua vitaleis diſcunt contagia motus;
Maternis etiam in membris, alvoque repôſto
Diſcidium ut nequeat fieri ſine peſte, maloque:
Ut videas, quoniam conjuncta eſt cauſa ſalutis,
Conjunctam quoque naturam conſiſtere eorum.

Quod

INTERPRETATIO.

Imo ex prima utriuſque origine Corpus & Anima ita inter ſe conjunguntur, mutuo hærent, implicantur, & vitales motus conjunctim exercent, ut dum Infantes in Matrum utero jacent, Anima a Corpore ſeparari non poteſt ſine utriuſque damno & interitu; Et hinc diſcas naturam Eorum (res ipſas Animum & Corpus) conjunctam & unitam eſſe, quoniam cum ſeparentur pereunt.

VARIÆ LECTIONES.

347. *in.* Deeſt A. B. E. N. P. X. Y. Z. *repoſto.* Ita E. N. X. Y. Z. repoſta *Alii.*
348. *ut.* Deeſt P. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

345. *Sic corporis, atque animaï mutua, &c.*] Ordo eſt: ſic mutua corporis atque animæ contagia vitaleis motus diſcunt etiam in membris maternis repoſita & recondita. Lamb.

346. *Mutua vitaleis diſcunt contagia motus*] Verbum *diſcere*, hoc loco elegantiſſimum eſt; ſimili tranſlatione *noſcere* uſurpat lib. vi. verſ. 915.

Ex alioque alius lapidis vim vinclaque noſcit.

Diſcere autem pro experiri, aut cogi ſimiliterve ſumptum etiam à Virg. i. Æn. 634. & lib. v. verſ. 22. Preig.

347. *Alvoque repoſta*] Hinc non magis idoneum ſenſum hauriri poſſe ait Turneb. Adv. 21: 2. quam ex pumice aquam; reponit itaque *repoſto*, quo modo certe legitur in optimis Membr. Lugd. Bat. imo penitus juxta lectionem Turneb. qui hic *in*, & in ſequenti verſu *ut* delet. Quum itaque attentius locum hunc ejuſque connexionem conſiderarem; vidi adjuvandum eſſe diſtinctione, atque porro ex Turnebo & MSS. ita refingendum, ut fecimus; Legebatur autem

Ex ineunte ævo ſic corporis atque animaï
Mutua vitaleis diſcunt contagia motus,
Maternis etiam in membris, alvoque repoſta;
Diſcidium ut nequeat fieri &c.

Neque tamen viderunt Interpretes duos illos priores verſus non pertinere ad ſequentes, ſed eſſe concluſionem præcedentium, atque reſpondere illis, qui leguntur verſ. 332. 333. majori itaque diſtinctione egere. Novam deinde argumenti confirmationem proponi in ſimilitudine & exemplo deſumto à fœtu nondum in lucem edito, ſed adhuc latente repoſito alvo membriſque maternis. Hav.

351. *Quod ſupereſt*] Probare conatur, eos errare qui omnem ſenſum attribuunt animæ, corpus nihil ſentire opinantur. Lamb. Modo aſſeruerat Poëta, neque Corpus ab Anima ſeparatum, neque Animam a Corpore ſeparatam per ſe aliquid agere, aut ſentire poſſe, ſed ſenſum per viſcera excitari ex communi Utriuſque conjunctim agentis motu: Deinde Philoſophos aggreditur qui ſolam Animam iſtius motus quem ſenſum vocamus capacem affirmabant; Iſtos autem ad Experientiam provocat, Concedatur enim Corpus ſentire, non magis iſtius ſenſus conſcii eſſemus, quam jam nunc ſumus; ideo Corpus ſentire confitendum eſt: Dicat autem aliquis, Si Corpus ſentiat, unde dimiſſa Anima vim iſtam & facultatem ſentiendi non retineat? Quia nempe non Corpori ſoli, ſed Corpori Animæ conjuncto vis iſta & facultas competit. Hæc omnia v. 9. Similiter *Epicurus* apud Laertium lib. 10. ἡ ψυχὴ (Anima) εἰλήφει

ἂν

Quod ſupereſt, ſi quis Corpus ſentire renutat:
Atque Animam credit permiſtam Corpore toto
Suſcipere hunc motum, quem Senſum nominitamus:
Vel manifeſtas res contra, veraſque repugnat.
Quid ſit enim Corpus ſentire quis adferet unquam,

Si

INTERPRETATIO.

Quod reliquum eſt, ſiquis neget Corpus ſentire, & credat Animam toto Corpore permiſtam ſolam ſuſcipere motum hunc quem ſenſum appellamus, Ille profectio veræ certæque Experientiæ contradicit: Etenim quis unquam docebit quid ſit Corpus habere ſenſum,

VARIÆ LECTIONES.

351 *renutat.* refutat A. B. C. E. N. P. V. X. Y. Z.

355. *Quid ſit.* Qui ſit E. *quis adferet.* quod adſerat F. quis efferet I. Quid ſit enim corpus ſentire quis afferet unquam? P. *in not.*

NOTÆ.

ἂν ταύτην (ſentiendi facultatem) εἰ μὴ ὑπὸ τοῦ λοιποῦ ἀθροίσματος ἐστεγάζετό πως· τὸ δὲ λοιπὸν ἄθροισμα παρασκευάσαν ἐκείνῃ τὴν αἰτίαν ταύτην, μετείληφε καὶ αὐτὸ τοιούτου συμπτώματος παρ' ἐκείνης· διὸ ἀπαλλαγείσης τῆς ψυχῆς οὐκ ἔχει τὴν αἴσθησιν, οὐ γὰρ αὐτὸ ἐν ἑαυτῷ ἐκέκτητο τὴν δύναμιν, ἀλλ' ἑτέρῳ ἅμα συγγεγενημένῳ αὐτῷ αὐτὴν ἡ φύσις παρεσκεύαζεν. CREECH. *Quod ſupereſt* autem, id eſt reliquum eſt. LAMB.

351. *Renutat*] Sic legendum, non *refutat.* nam *refutare* (inquit Feſtus) *redarguere eſt*, compoſitum à *fando*, verſa *a* littera in *u*. *renutat* autem, id eſt negat, renuit, non vult, libr. 4: 604.

Incolumis tranſire poteſt, ſimulacra renutant.

Horatius Epiſt. 1: 16: 49. ad Quinctium.

——— *renuit, negat atque Sabellus.* LAMB.

Ita Lambinus, dum Alii *refutat* præferunt. CREECH.

351. *Refutat*] Ita omnes libri. Lambinus: *renutat.* GIFAN.

353. *Quod ſupereſt, ſi quis corpus ſentire renutat,* &c.

Vel manifeſtas res contra, veraſque repugnat.

Quid ſit enim corpus ſentire quis afferet [*al.* aſſeret] *unquam.*

Poſtremus verſus corruptus eſt. ſic autem legi debet:

Quid ſit enim corpus ſentire quod aſſerat *unquam.* Sententia plana & vera. *Quid ſit enim* quod adſerat [id eſt, probet] *corpus noſtrum ſenſu præditum eſſe, & vere ſentire, niſi illud quod res ipſa docet?* Explicat autem quod dixerat,

Vel manifeſtas res contra veraſque repugnat.

Neque enim petit poeta *Quid ſit ſenſus?* (quod faceret tamen, ſi recepta lectio ſequenda foret; ſed ait hominem quemque ſentire ſe ſenſu præditum eſſe; itaque tanta mole argumentorum nihil eſſe opus. Præterea hoc addam quoque, neminem, qui quidem ſani capitis fuerit, ſic unquam locuturum: *Quis homo id aſſeret niſi experientia?* ridiculum eſt ac delirum; & tamen ita loqueretur Lucretius niſi mendum vidiſſemus: *quis id aſſeret*, niſi quod res, &c. FABER.

355. *Quid ſit enim Corpus ſentire quis afferet*] Alii *Aſſeret:* ſed Faber, *quod aſſerat:* & hoc modo explicat: *Quid ſit enim* quod adſerat &c. Hæc *Faber*, qui raro quidem errat, niſi cum inſigniter fallatur. Quid enim his verbis luculentius *Quis unquam aſſeret quid ſit Corpus ſentire, niſi id ſit quod res ipſa palam dedit, ac docuit nos?* CREECH. Vulgata lectio proba eſt. Quis enim eſt ille, qui docere poſſit, quid ſit ſentire corpus, id eſt, quid ſit ſenſus, niſi ipſa res & ipſe ſenſus. Is. VOSS. Imo: Quis enim *aſſeret* vel *efferet*, h. e. verbis exponet, quid ſit, aut ſibi velit corpus aliquod ſentire, niſi dicat, ſenſum conſiſtere in eo, quod res ipſa palam nobis dedit, & nos docuit? PREIG.

Si non ipſa palam quod res dedit ac docuit nos?
At dimiſſa Anima corpus caret undique ſenſu,
Perdit enim quod non proprium fuit eïus aevo:

INTERPRETATIO.

Experientia & res ipſa illud non jamjam docuit, & monſtravit nobis? At ſeparata, inquies, Anima Corpus omnis ſenſus expers jacet; Concedo, quoniam id perdit quod ſibi dum vixit non fuit proprium, (quod ſibi ſoli non competebat)

VARIÆ LECTIONES.

356. *ac.* & Q1. *Inſerit dein* X. Perdit enim quod non pr. f. ejus in ævo, Multaque &c.
357. *At.* Ac Q1.
358. Rejicit L. delet F. condemnat Cr. *quod.* quid O. *eïus ævo.* ejus inquam V. *qui in MS. tertio notat fuiſſe* ejus in quo. eo in ævo Z. *ſed a pr. manu fuit* ei.

NOTÆ.

356. *Si non ipſa palam quod res*] Codices quidem & manuſcripti, & typis impreſſi ſic habent: ſed contendunt doctiſſimi quidam viri, ſic eſſe legendum;

Si non ipſe, palam qui res dedit, ac docuit nos?

ipſe autem, nempe ſenſus. ego nihil muto. Lamb.

357. *At dimiſſa anima corpus, &c.*] ὑποφορὰ, quam ſtatim ſolvit. At corpus, inquit (dicet aliquis) dimiſſa anima, ſenſu caret: ergo corpus non ſentit, ſed anima. Lamb.

358. *Perdit enim, &c.*] Hunc Lambinus exturbat. Videtur parentheſi includendus. Gifan. Hunc verſum rejicit Lambinus, & ſequentem *Multaque præterea* &c. retinet, quem *Faber* & Alii ſequuntur: *Gifanius* ejuſque ſequaces una cum *Gaſſendo* parentheſi includunt. Ego vero retinendum cenſeo, nec affirmare dubitem illum potiori jure hunc locum poſſidere quam *Multaque præterea* quem Codex Vaticanus non agnoſcit. Rationem petis? en validam ex ipſis Epicuri verbis ductam: διὸ ἀπαλλαγείσης τῆς ψυχῆς οὐκ ἔχει τὴν αἴσθησιν, οὐ γὰρ αὐτὸ (Corpus) ἐν ἑαυτῷ ἐκέκτητο τὴν αἴσθησιν. Laertius lib. 10. Ubi eidem objectioni idem reſpondet *Epicurus* quod hoc verſu Lucretius amplectitur. Creech. Mire hic quoque turbatum. At niſi vehementer fallor, nativo ſplendori ſuo reſtitutus erit, modo levi immutatione illud Voſſiani tertii, *in quo*, noſtrum faciamus. Fecit inde vir ille doctiſſimus:

Perdit enim quod non proprium fuit ejus, inquam.

Et, ſi bene quid video, apud Annotatorem Noſtrum pro verſu

Multaque præterea, &c.

ſubſtituendum cenſuit, vel ſaltem iſti proxime non præmittendum, ſed ſubnectendum. Acute ſane & ingenioſe! at ſi licet quod facile eſt, inventis aliquid addere; lege: *unquam.* & ita diſtingue:

At dimiſſa anima corpus caret undique ſenſu,
Multaque præterea perdit, cum expellitur ævo.
Perdit enim, quod non proprium fuit ejus unquam:

Vocabulum *ejus*, τρισυλλάβως, & prima producta, neſcio quod ſpectrum portentumve viſum librariis eſt. Verum, qui toties *ei* priori longa uſurpat Poëta (quod *eji* tyronum cauſa ſcripſere Palæmones, non ipſi, ut opinor, Auctores veteres) quid cauſæ dicamus tandem, cur non idem in *ejus* ſibi permiſerit: quaſi pronunciandum dederit *ejius.* Quod ad ſenſum vero attinet; *ævo expelli*, non tam de ipſa morte, quam de putrefactione, & omnimoda cadaveris humani, brutive deformatione acceperim potius, ne bis idem dicat Lucretius. Cæterum agnoſcenda hic figura Poëtæ familiaris eſt, in repetitione verbi *perdit.* Nam & hoc lib. ſupr. verſ. 12. ſimiliter:

depaſcimur aurea dicta
Aurea perpetua, &c.

Plura exempla vide apud Fabrum vr. 792. Preig. Omnino retinendus; *ævum* enim hic vitam ſignificat ut inf. 452. & ſæpius more Græ-

Multaque praeterea perdit cum expellitur aevo.
Dicere porro Oculos nullam rem cernere poſſe:
Sed per eos Animum ut foribus ſpectare recluſis,

De-

INTERPRETATIO

& inſuper obſervandum eſt Corpus multa perdere (ſenſus Corporis debiliores fieri & paulatim interire, cum Anima ſenectute expellitur, vel ipſum Corpus ſenio expugnatur. Deinde affirmare Oculos rem nullam videre poſſe, Sed Animam per illos quaſi per fores recluſas ſpectare,

NOTÆ.

corum; nam & apud Homerum & Sophoclem *αἰὼν* ita uſurpatur, ex quorum imitatione ita loqui Poëtam obſervavit Turneb. Adv. 20: 22. Præterea Codd. Lugd. Bat. cum aliis verſum hunc quoque retinent; ſed tamen non poſſum, quin Preigeri mei acumen laudem, ex cujus ſententia repoſui *εἰῶν* triſyllabum. Verſus autem ita, ut ſunt, conſtitutos, ſervare malo. Si cum illo *unquam* legas, dicet Poëta ſenſum ſine animæ conjunctione nullum unquam corpori fuiſſe, unde &c. *ævo* autem, notat nihil eſſe mirum ſi corpus anima deſtitutum i. e. mortuum nihil ſentiat, quum, vel vivum etiam nihil per ſe ſentire potuerit niſi quoad cum anima fuerit conjunctum. Denique illud *ei*, quod a manu prima fuiſſe in altero Lugd. Bat. agnoſcitur, docet vetus latere ulcus male obducta à librariis & correctoribus cicatrice. HAV.

359. *Multaque præterea*, &c.] Solutio objectionis. quid mirum (inquit) corpus carere ſenſu? vel quid tum poſtea, ſi corpus caret ſenſu poſt animæ diſceſſum? Multa etiam alia præterea amittit, cum expellitur ævo, id eſt cum deſinit ætatem agere, & vivere. hæc mihi videtur hujus loci & recta ſcriptura, & vera ſententia. Itaque verſum ſuperiorem, ut adulterinum, delendum cenſeo. movet me codex Vaticanus: à quo abeſt hic verſus, *Multaque præterea*, &c. animadverti enim hoc ſæpe uſuvenire, ut cum adjectus eſſet huic poëtæ verſus aliquis alienus, ſcriptor librarius, qui poſtea illud exemplum ſequeretur, verſum adjectum & alienum ſcriberet, verum & germanum prætermitteret. Atque, ut magis credas, lector erudite, hunc locum eſſe corruptum, docti quidam exiſtimant hîc aliquot verſus deeſſe, dubitantque, utrum verſus is, quem dico, ſit τοῦ ποιητοῦ, necne. ſed non attendunt, quandocumque duo verſus inter ſe proximi in eandem vocem deſinunt, magno id argumento eſſe, alterum eorum eſſe alienum. Cum igitur neceſſario alter ex his duobus verſibus foris irrepſerit in alienum locum, locutionis ſimilitudo, & ſententiæ conſecutio facile indicant, verſum, *Multaque præterea*, &c. eſſe germanum Lucretianum; illum autem ſuperiorem, ſpurium atque adulterinum. LAMB.

360. *Dicere porro, oculos*, &c.] Refellit eorum ſententiam, qui dicebant, mentem videre, mentem audire; &c. notum illud Heracliti, *νοῦς ὁρᾷ, νοῦς ἀκούει*, *mens videt, mens audit.* quod adſcribit Tertullianus Epicharmo libro de anima. ſic enim ille: *Meminerat ſcilicet & Epicharmi comici; Animus cernit, animus audit, reliqua ſurda & cæca ſunt.* idem videtur ſenſiſſe M. Tull. ſic enim ille lib. 1. Tuſcul. *Nos enim ne nunc quidem cernimus ea quæ videmus. Neque enim ullus ſenſus eſt in corpore, ſed, ut non ſolum phyſici docent, verum etiam medici, qui iſta aperta & patefacta viderunt: viæ quaſi ſunt ad oculos, ad aureis, ad nareis, à ſede animi perforatæ*, &c. Eodem pertinent illa, quæ ſunt libr. 3. de nat. Deorum: *Cur contuereris autem altero oculo, cauſa non eſſet, cum idem obtutus eſſet amborum, & cum rerum natura, quam tu ſapientem eſſe vis, duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere voluiſſet.* LAMB. Quia fuerunt, qui exiſtimarent non debere totum Compoſitum, puta Animal, dici ſentire, ſed Animam per ſe & ſolam id munus ita exſequi, ut Organa nihil cooperarentur, Sed eſſent quaſi meræ fores per quas recluſas Anima intus exiſtens externa perciperet; Inter quos emicuit *Epicharmus* dicens, νοῦς ὁρᾷ, νοῦς ἀκούει, v. 11. ſubjungit Lucretius, & duobus argumentis demonſtrat futilem iſtius opionis vanitatem; Nempe ſi Oculi eſſent tantum fores, unde vim aliquam aut laborem à fulgidis objectis ſentiunt? Deinde Oculos, (fores iſtas) evellas, melius externa perciperet Anima, dum liberior daretur proſpectus. CREECH.

Deſipere eſt, contra quom ſenſus dicat eorum:
Senſus enim trahit, atque acies detrudit ad ipſas.
Fulgida praeſertim quom cernere ſaepe nequimus,
Lumina luminibus quia nobis praepediuntur:
Quod foribus non fit: neque enim, qua cernimus ipſi,
Oſtia

INTERPRETATIO.

plane ineptire eſt ; cum ipſe Oculorum ſenſus tali affirmationi contradicat : ſenſus enim trahit, & ad acies ipſas detrudit, praeſertim cum res fulgidas ſæpe intueri non poſſumus, quia oculi noſtri objectorum ſplendidorum luce occæcantur. Quod quidem in foribus nunquam contingit, nunquam enim fores recluſæ, per quas nos ſpectamus,

VARIÆ LECTIONES.

362. *Deſipere eſt.* Difficile eſt C. E. N. P. Q1. V. X. Y. Z. *dicat.* ducat N. Q1. Y. Z.
363. Rejicit A. Cr. L.
366. *cernimus.* terminus Q1. *ipſi.* eſſe *Gaſſ.*

NOTÆ.

362. *Deſipere eſt*] Hoc malui ex veteri Codice. Alii tamen: *Difficile.* Sic & alibi eos *delirare* dicit, imitatus Epicurum. Vide Cic. lib. 1. de Natura deor. ubi de Zenone Epicureo. Gif. Sic jam edendum curavi in ſecunda editione, cum vulgo legeretur, *Difficile eſt.* hanc emendationem Thraſo ſibi arrogavit. Lamb. Ita recte *Lambinus* contra Codd. qui exhibent *Difficile eſt.* Creech.

362. *Contra cum ſenſus dicat*] Sic legendum vel codicibus omnibus reclamantibus : in quibus vel ſcriptum , vel impreſſum eſt, *contra cum ſenſus ducat.* quam ſcripturam quid eſt quod accuratius refellere coner, cum id ſentiat Lucretius, quod Epicurus Græce dicere ſolebat, *ἀντιμαρτυρεῖν*, ſeu *ἀντιμάχεσθαι*? præterea Latine dicimus *contra dicere*, *contra ducere* non item. Lamb.

362. *Ducat*] Ita omnes libri. Videtur tamen legendum : *dicat.*, & proximus verſus *nothus.* Gifan.

363. *Senſus enim trahit*, &c.]. Hunc verſum delendum cenſeo. nam primum ſupervacaneus eſt, eoque ſublato de ſententia nihil deperit; immo planior atque illuſtrior eſt , ut ſtatim oſtendam: deinde falſum eſt , quod per eum ſignificatur , & ab Epicureis decretis abhorret : poſtremo loquendi genus inelegans atque adeo inquinatum eſt. Lamb. Verſus expungendus. Fab. Omnes ſi unum *Fayum* , excipias , (quanquam quis iſte.) Interpretes hunc verſum rejiciunt. Creech. Neque tamen omnes Interpretes rejiciunt, niſi Turnebus numero illorum ſit excludendus; cujus hæc ſatis commoda eſt explicatio Adv. 30: 10. Suſpicor (inquit Poëta) ipſius Senſus teſtimonio refelli eos , qui animum cenſent videre per oculos , ut per fores aut feneſtras. Trahit enim & detrudit ſenſus ad aciem ipſam adſpectumque , & ad teſtimonium ſuum adducit, quo conjunguntur. Hav.

365. *Lumina luminibus*, &c.] Quia oculi nobis præpediuntur , objecto lumine , & ſplendore, præſertim acriore : cujus rei cauſam explicat l. 4: 325.

Splendida porro oculi fugitant, &c. Lamb.

366. *Quod foribus non fit*] Hoc ſentit hoc loco Lucretius : res ſplendidas intueri nequimus, propterea quia oculi nobis præpediuntur à lumine externo acriore, quam ut ferre poſſint: quod non fieret, ſi ſolus animus cerneret, & oculi eſſent tanquam fores , aut feneſtræ, per quas cerneret: cum experiamur, ſi per feneſtram aut januam aliquam apertam & patentem aſpiciamus, nihil eam laborare. Lamb.

366. *Qua*] Hoc eſt, per quæ oſtia; adverbium motus per locum. Lamb.

368. *Præterea ſi pro foribus*]. Hoc Lucretii argumentum, quo conatur probare, falſum eſſe, animum per oculos, tanquam per feneſtras, cernere, refellit & irridet Lactantius libr. de opificio Dei, capite octavo, his verbis : *Cum autem*

ri-

Oſtia ſuſcipiunt ullum recluſa laborem.
  Praeterea, ſi pro Foribus ſunt lumina noſtra,
Jam magis exemptis Oculis debere videtur
Cernere res Animus ſublatis poſtibus ipſis.
  Illud in his rebus nequaquam ſumere poſſis,
Democriti quod ſancta viri ſententia ponit,

Cor-

INTERPRETATIO.

vim ullam aut dolorem patiuntur. Præterea, ſi Oculi noſtri nobis eſſent pro foribus, evulſis oculis clarius meliuſque objecta Animus videret, quoniam tum poſtes ipſi foreſque quæ viſum impediunt, removerentur. In his rebus nequaquam ſumere poſſis illud, quod divina Democriti Opinio ſtatuit,

VARIÆ LECTIONES.

372. *viri.* ſibi F.

NOTÆ.

videamus momento temporis, plerumque vero aliud agentes, nihilominus tamen univerſa, quæ contra ſunt poſita, intueamur: verius & manifeſtius eſt mentem eſſe, quæ per oculos ea quæ ſunt oppoſita, tranſpiciat, quaſi per feneſtras, lucente vitro, aut ſpeculari lapide, obductas. Et iccirco mens & voluntas ex oculis ſæpe dignoſcitur. Quod quidem ut refelleret Lucretius, ineptiſſimo uſus eſt argumento. Si enim mens, inquit, per oculos videret: erutis & effoſſis oculis magis videret: quoniam evulſæ cum poſtibus fores plus inferant luminis, quam ſi fuerint obductæ. Nimirum ipſi, vel potius Epicuro, qui eum docuit, effoſſi erant oculi, ne viderent, effoſſos orbeis, & ruptas oculorum fibras, & fluentem per venas ſanguinem, & creſcenteis ex vulneribus carnes, & obductas ad ultimum cicatrices nihil poſſe lucis admittere, niſi forte auribus oculos ſimileis naſci volebant, ut non tam oculis, quam foraminibus cerneremus: quo nihil ad ſpeciem fœdius, ad viſum inutilius fieri poteſt, &c. Lamb.

370. *Res*] *Rem*: forte vere Gifan.

370. *Sublatis poſtibus*] I. e. ſublatis oculis, qui ſunt animi fores. Eodem ſenſu etiam reſpondent apud Varronem lib. 4. de Ling. Lat. aruſpices, *Deum Manium poſti leonem poſtulari*, id eſt, civem fortiſſimum eo dimitti, nam *Deum Manium poſtis* appellatur terræ hiatus, qui cenſebatur Orci janua. Turn. *Adv. Lib.* xx. *Cap.* xxii.

370. *Poſtibus*] I. e. foribus. ſic libro 4: 275.

Primus enim, citra poſteis qui cernitur aër.

& Virgilius libro ſecundo Æneidos: 456.

—— *poſteſque relicti*
A tergo; infelix qua ſe, dum regna manebant, &c. Lamb.

ſeu *Fores cum Poſtibus*, ut explicat *Lactantius* lib. de opificio Dei: Cap. 8. Creech.

371. *Illud in his rebus, &c.*] Docet errare Democritum, qui ſingula animi primordia ſingulis corporis ſeminibus appoſita eſſe dicat. Lamb. Olim declaravit Lucretius animam eſſe mole parvam, totamque illius ſubſtantiam exiguo loco poſſe excipi, ſi ſeorſum conglomeretur; id jam longe uberius ediſſerit v. 26. adverſus *Democritum*, qui quot eſſent partes Corporis, totidem partes Animæ illis applicitas ponebat. Inde enim ſequeretur nos omnia ſentire quæ parti alicui Corporis applicarentur: nam cum corporis particula, & Animæ pars illi appoſita moveatur, quidni ſenſus oriretur? At plurima ſunt, ut ex allatis exemplis conſtat, quæ Corpori noſtro applicita nequaquam percipimus; Fruſtra igitur ſingulas partes Animæ ſingulis partibus Corporis aliquis conjungat Creech.

371. *Sumere poſſis.*] Valet ponere, dicere, afferre: eſtque verbum philoſophicum aut dialecticum, quod λαμβάνειν Græce dicitur; unde *ſumptiones* dicuntur partes ratiocinationis complexionem antecedentes. Turneb. *Adv. Lib.* xx. *Cap.* xxvi.

372. *Democriti quod ſancta viri*] Democriti ſententia, periphraſis: id eſt Democritus. ſic Horat. ſat. 2. libri primi verſ. 32.

Corporis atque Animi primordia ſingula primis
Adpoſita alternis variare, ac nectere membra.
Nam quom multo ſunt Animaï elementa minora,
Quam quibus è Corpus nobis & Viſcera conſtant;
Tum numero quoque concedunt, & rara per artus
Diſſita ſunt, duntaxat ut hoc promittere poſſis,

Quan-

INTERPRETATIO.

viz. ſingula Animi primordia ſingulis primordiis Corporis applicita alternatim variare, & membra Animalis connectere. Nam cum Primordia Animæ ſunt multo minora mole quam ea e quibus Corpus & viſcera noſtra componuntur, tum etiam pauciora ſunt numero, & rara per artus (intervallis quibuſdam disjuncta) collocantur; ita ut hoc tantum affirmare poſſis,

VARIÆ LECTIONES.

374. *nectere.* vertere D.
376. *è.* & A. B. C. D. E. N. P. Q. Y. Z. *ſed in* Y. *quidem manu ſecunda.*
378. *promittere.* permittere c. O. P. Q. X.

NOTÆ.

——— *macte*
Virtute eſto, inquit ſententia dia Catonis,
id eſt Cato. cujus circumlocutionis ſi plura exempla quæris, petito ex commentariis noſtris in Horat. Porro autem hic Lucretii verſus iteratur libr. 5: 621. Lamb. Hic verſus in V. 631. repetitus fuit; & quemadmodum verſum illum
Magnarum rerum fierent exordia ſemper,
quem in quinto repetitum etiam conſtat fuiſſe; mendoſum utrobique eſſe ſupra oſtendi, idem de hoc quoque ſentio; quippe qui non putem, dici commode & eleganter poſſe, *ſancta ſententia viri Democriti*, pro Democrito ipſo. Scio quidem apud Homerum *Vim Herculis*, *Vim Priami*, ut & alia id genus apud Pindarum & Tragicos reperiri; pro Hercule, Priamo, &c. neque oblitus ſum dici quoque *Cor Ennii*; pro Ennio ipſo; Quin & *mitis ſapientia Lælii*, apud Horatium, Lælius ipſe eſt αὐτοπροσώπως; & nos olim congeſtis exemplis ex libris qua Græcis, qua Latinis, id oſtendimus, quia tunc otio abundabamus: Sed illa exemplorum ſeges nihil ad hunc Lucretii locum. Aliquo enim opus teſtimonio foret, ubi *cor viri Lælii*, *ſapientia viri Catonis* reperiretur. Quamobrem, mi Lector, centies ſcribatur hic verſus, centies repetatur, toties ego exclamavero, *Corruptus eſt.* Sed, dices, Quæ tua eſt ſententia? Primum, ſi velim, licebit mihi dicere, ἀπορῶ circa emendationem; dein aliquid, ſpero, dubitabundus afferre poſſim; Si minus id licebit; æqui Lectores hunc meum conatum ita fortaſſe interpretabuntur, quaſi ſi obſervationem aliquam circa vim & genium proprietatis Latinæ ſcripſerim. Itaque pro
Democriti quod ſancta viri ſententia ponit,
legi poſſe arbitror,
Democriti quod ſancta ſibi *ſententia* ſumit.
Neque vero id ſine exemplo: ſic enim in I. 875. ſcriptum eſt:
Id quod Anaxagoras ſibi ſumit.
Fortaſſe & alia alibi, & ita eſſe ſcio. *Sumere* autem vox eſt quam ſibi Dialecticorum natio quaſi propriam vindicavit, ut & *arripere*, quod ex Lucretio conſtat. Faber. Haud contemnendus iſte à Fabro injectus ſcrupulus eſt. Verum Magnum poſtulat, qui duos verſus, ſimiliterque recurrentem ſuo loco utrumque ſibi emendandum ſumit. Ego compendioſe dictum arbitror quod huc rediret: ſi plene efferretur. *Quod Democriti ſententia, ſancta*, inquam, iſtius aut tanti *viri* ſententia *ponit.* Sic ſolent, ac fere ex abrupto laudare auctores Cicero aliique. Ex. gr. Democriti hæc eſt ſententia. *At quanti viri?* Preig. Diſtingue itaque ante & poſt *viri*; niſi præſtet *ſancta viri*, capere quaſi dixiſſet, *viri ſancti.* Hav.

373. *Primordia ſingula primis Adpoſita alternis variare, &c.*] Nullo ſenſu, quid enim ſibi vult, quo reſpicit illud *primis*? Scribo, & diſtinguo:
Corporis atque animi primordia ſingula, privis
Adpoſita, alternis variare & nectere membra.
Privis, h. e. propriis quæque ſuis appoſita, alter-

Quantula prima queant nobis injecta ciere
Corpora ſenſiferos motus in Corpore, tanta
Intervalla tenere exordia prima Animaï.
Nam neque Pulveris interdum ſentimus adhaeſum
Corpore, nec membris incuſſam ſidere Cretam,
Nec Nebulam noctu, nec Aranei tenuia fila

INTERPRETATIO.

Primordia Animæ tantum ſpatii in Corpore occupare, quantum id eſt cui objecta adpoſita poſſunt ſenſiferos motus in Corpore excitare: Plerumque enim non ſentimus in Corpore adhærentem pulverem, nec cretam in membra noſtra decidentem, nec nebulam noctu, nec tenuia fila Araneæ obvia ſentimus,

VARIÆ LECTIONES.

383. *ſidere.* Ita A. B. D. E. I. P. X. Y. Z. inſidere *Alii.*

NOTÆ.

ternis vicibus variare. *Alternis* abſolute eo ſenſu & alibi uſurpat Lucretius, ex. gr. lib. I. verſ. 1065.

——— *Alternis nobiſcum tempora cœli*
Dividere, &c.

Eandem vocem reſtitue lib. V. verſ. 515. PREIG.

374. *Nectere*] Ita omnes libri, *Fayus* tamen *Vertere.* CREECH.

376. *Quam quibus*] Id eſt quam ea elementa, ex quibus corpus noſtrum conſtat. Sic autem edendum curavi, *Quam quibus e*, nonnullis codicib. antiq approbantibus; aliis reclamantib. qui habent, *Quam quibus & corp. &c.* LAMB.

377. *Numero quoque concedunt*] Numero cedunt, quod valet, inferiora ſunt; id eſt pauciora ſunt. LAMB.

378. *Promittere*] Id eſt affirmare. Horat. ſat. 4. libri primi, verſ. 101.

——— *quod vitium procul afore chartis,*
Atque animo prius, ut, ſi quid promittere de me
Poſſum aliud, vere promitto. LAMB.

379 *Quantula prima queant, &c.*] Hoc dicit: ut duntaxat affirmare poſſis, prima corpora animæ tantum ſpatii occupare, & tam late in corpore diſſeminata, quanto ſpatio, quantoque numero prima illa corpora nobis injecta poſſint in noſtro corpore motus ſenſiferos excitare. legendum fortaſſe eſt, *Quantis prima queant*, &c. *quantis* autem nempe intervallis. Verum nihil mutare auſim. LAMB.

382. *Nam neque pulveris*] Hoc argumento probat, ſingula animi primordia non eſſe ſingulis primordiis corporis annexa: quia ſi ita eſſet, ſentiremus pulverem exiguum corpori adhærentem, cretam inſidentem, nebulam, araneæ telam, & ſimilia: hoc non fit: ergo, &c. LAMB.

382. *Adhæſum*] Adhæſum pulveris, id eſt pulverem adhærentem. profert hunc verſum Nonius in voce *adhæſus*, uſurpat Lucret. eandem vocem libro quarto, 1235.

——— *locis quia non potis eſt adfigere adhæſum:*

& libro ſexto, 471.

Suſpenſæ cum concipiunt humoris adhæſum:

crebro autem utitur hujuſmodi nominibus verbalibus deſinentibus in *us*, *conciliatus*, *commutatus*, *offenſus*, *conjectus*, *injectus*, *adjectus*, *itus*, *initus*, *adauctus*, & ſimil. LAMB.

383. *Inſidere*] Libri fere omnes & vulgati, & manuſcript. habent *ſidere*, à verbo *ſido, is.* Sed volunt quidam legi hîc *inſidere*, in compoſito. quibuſcum nolo pugnare. LAMB. Amat ſimplicia fere Lucretius. Sic ſupra verſ. 320. *firmare* pro affirmare, aut confirmare. Præſertim cum proxime præcedens vocabulum vim præpoſitionis ſuæ hic verbo *ſidere* communicet, quemadmodum haud dubie etiam fit, lib. VI. verſ. 562.

Inclinata minent in eandem prodita partem

pro: *imminent.* Incuſſæ autem membris cretæ exemplum hoc loco a petitorum togis mutuatur, quæ cretatæ erant, unde *Candidati* dicti ſunt. Res Lippis jam & Tonſoribus nota. PREIG.

384. *Nebulam noctu*] Docti quidam legi volunt, *Nec nebulam noctis.* LAMB.

Obvia ſentimus, quando obretimur euntes:
Nec ſupra caput ejuſdem cecidiſſe vietam
Veſtem, nec Plumas avium, Pappoſque volanteis,
Qui nimia levitate cadunt plerumque gravatim:
Nec repentis itum quojuſviſcunque Animantis

INTERPRETATIO.

cum progredientes illis implicamur, neque Araneæ veſtem flaccidam & putrem in Capita noſtra prolapſam, nec plumas Avium, neque pappos volantes, qui præ nimia levitate ægre plerumque decidunt: Neque percipimus inceſſum cujuſviſcunque Animalis repentis,

VARIÆ LECTIONES.

388. *gravatim.* gravati *codd.* P.
389. *itum.* iter Q1.

NOTÆ.

386. *Supera*] Supra. LAMB. Ita (*ſupera*) veteres libri. GIFAN.

386. *Vietam*] Languidam. *Vietus* (inquit Feſtus) *languidus, ſine vi, & naturalibus viribus privatus.* Et Donatus ad illum Terentii locum Eun. 4: 4: 21.

Hic eſt vetus, vietus, veternoſus ſenex:

Vietus (inquit) *mollis, flaccidus, & flexibili corpore. unde & vimina, & vimenta, & vites, & vietores dicuntur, & viere religare dicitur, quia virgis vietis magis religare quidlibet poſſumus.* Lucretius araneæ dixit *vietam veſtem*, id eſt putri mollitia præditam. LAMB.

387. *Pappoſque volanteis*] Profert hunc verſum Feſtus in voce *pappi*, & docet, *pappos* eſſe *carduorum flores.* LAMB. Vide quanta Orationis gravitate, ne dicam majeſtate rem vel leviſſimam, ac nihili prorſus deſcribere doctus ſit Lucretius noſter. Simile quid lib. II. verſ. 117. de pulviſculorum volatu ſolis radiis per opaca domorum illuſtrato:

Et velut æterno certamine prœlia pugnaſque
Edere turmatim.

In quibus Virgilium habuit imitatorem, ſed, præfiſcine dixerim, longo poſt ſe intervallo relinquit. VIII. Æn. verſ. 22.

Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis
Sole repercuſſum, aut radiantis imagine lunæ
Omnia pervolitat late loca, jamque ſub auras
Erigitur, ſummique ferit laquearia tecti. PREIG.

388. *Gravatim*] Id eſt gravate, ob nimiam levitatem gravate cadunt: id eſt ægre, & vix cadere poſſunt. LAMB.

389. *Itum*] Inceſſum. utitur hac voce & Arnob. libro 6. *An habent itus liberos, cum libuerit abire quocumque, & ab ſuis ſedibus ſimulacriſque diſcedere?* LAMB.

390. *Priva*] Privata, propria, ſeu ſingula. *Nam* (ut docet Feſtus) *privos, privaſque antiqui dicebant pro ſingulis. ob quam cauſam & privata dicuntur, quæ uniuſcujusſque ſunt.* LAMB. Singula. alias ſignificat quod cujuſque eſt, privatum. Emenda locum Manilii lib. II. pag. XXXI. edit. Scaligerianæ; dignus eſt enim qui purius legatur. Ait ibi poëta, ſe Latinorum omnium primum rem aſtronomicam attingere. Verſus ſunt ingenioſi & grandes, & ſupra ſæculum Manilii:

Integra quæramus rorantes prata per herbas,
Undamque occultis meditantem murmur in antris;
Quam neque durato guſtarint ore volucres,
Ipſe nec æthereo Phœbus libaverit igni;
Noſtra loquar; nulli vatum debebimus orſa;
Nec furtum, ſed opus, veniet, ſoloque *volamus*
In cœlum curru; priva rate pellimus undas.

In pænultimo verſu legendum, *noſtroque* volamus, *&c.* Hæc emendatio poëtici ingenii hominibus placebit, ſcio: neque adeo explicanda eſt; ab aliis enim laudabitur. FABER. *Singula,* Lucilius Sat. lib. I.

Ad cœnam adducam, & primum his abdomina Thynni
Advenientibus priva *dabo.*

Lucretius lib. 3: 722.

Quod

Sentimus, nec priva pedum veſtigia quaeque,
Corpore quae in noſtro Culices, & caetera ponunt.
Uſque adeo prius eſt in nobis multa ciendum
Semina, corporibus noſtris immiſta per artus,
Quam primordia ſentiſcant concuſſa Animaï,
Et quam intervallis tantis tuditantia poſſint

Con-

INTERPRETATIO.

neque ſingula pedum veſtigia, quæ Culices, & alia ejuſmodi Animalia in Corpore noſtro ponunt: Tam certo conſtat, multa primordia, è quibus Membra Corporum noſtrorum componuntur, movenda eſſe, antequam Semina Animæ excitata ſentire poſſunt, & antequam percutientia ſeſe invicem per ſpatia tam diſſita

VARIÆ LECTIONES.

390. ***Sentimus.*** Sentiamus Z. ***priva.*** prima c. O. P. X.

392. ***eſt in nobis multa ciendum.*** in nobis ſunt multa cienda C. E. N. ***in.*** abeſt Z. ***ciendum.*** ciendo Q. X. Y. Z.

393. *immiſta.* immiſſa *Gaſſ. Turn.* Adv. Lib. XX. Cap. XXVI. præponitur verſ. 394. X. Y. Z. & à Turnebo Adv. Lib. XXX. Cap. X.

394. *ſentiſcant.* ſentificant Q.

395. ***Et quam intervallis tantis.*** Et quantis intervallis a. B. Q. Et quam ſis intervallis L. *Turneb.*

NOTÆ.

Quod ſi forte Animas *extrinſecus inſinuari*
Vermibus, *&* privas *in Corpora quæque venire*
Credis: Nonius. CREECH.

392. *Uſque adeo prius eſt*, *&c.*] Scripturam antiquam reſtitui, corruptam ab iis quorum nominibus parco, propter ingenii gloriam: qua etiam mortui & vivunt, & vivent. ſed illi nimium licentiæ ſibi permittentes, quæ in bonis ſcriptoribus non intelligebant, ſuo arbitratu mutabant, & depravabant: ut, cum hunc verſum ita ſcriptum reperiſſent,

Uſque adeo prius eſt in nobis multa ciundos, &c.

ſic mutarunt:

Uſque adeo prius in nobis ſunt multa cienda, *&c.*

præclare & eadem ſententia manente, fateor. Sed cujus confidentiæ atque impudentiæ eſt, homines non aliunde, quam à Lucretio, Catullo, M. Tullio, & ſimilibus ſcriptoribus, Latini ſermonis ſcientiam conſecutos, eos ipſos, à quibus didicerunt, Latine loqui docere conari? Sic igitur Lucretius locutus eſt,

Uſque adeo prius eſt in nobis multa ciendum
Semina.

Illi hoc genus loquendi non probarunt ſcilicet, & ſic repoſuerunt,

Uſque adeo prius in nobis ſunt, *&c.*

Atqui illo potius modo Lucretius loqui ſolet, ut alias admonui, & ita primo libro, 112.

Æternas quoniam pœnas in morte timendum:

ad quem locum plura exempla collegimus. jam quod nonnulli libri ſcripti habent *ciendo*, hoc *ciendo* factum eſt ex *ciendos*, *ciendos* ex *ciendoz*. *ciendoz* autem idem valebat quod *ciendom*. ſcriptores enim illi imperiti *z* pro *m* ſcribebant in extremis nominibus. *ciendom* porro, ſeu *ciundom*, pro *ciendum*, ſeu *ciundum*, accipiendum eſt, *o* pro *u*: quod etiam ſupra admonuimus. LAMB.

395. *Et quam intervallis tantis*] Sic legendum eſt, non, ut quidam volunt, & nonnulli libri comprobant,

Et quantis intervallis tuditantia, *&c.*

vel ſic, quod magis probo, quia vox *tantis* abeſt à veteribus codicibus:

Et quam ſis intervallis tuditantia poſſint.

ſis autem, id eſt *ſuis*. LAMB.

395. *Et quantis intervallis*] Sic recte omnes

Yyy Ve-

Concurſare, coire, & diſſultare viciſſim.
 Et magis eſt Animus vitaï clauſtra coercens,
Et dominantior ad vitam, quam vis Animaï.
Nam ſine Mente, Animoque nequit reſidere per artus
Temporis exiguam partem pars ulla Animaï:
Sed comes inſequitur facile, & diſcedit in auras;
Et gelidos artus in lethi frigore linquit.

At

INTERPRETATIO.

concurrere poſſunt, convenire, & viciſſim diſſilire. Cæterum Animus *Vitæ munimenta præcipue tuetur, & magis valet ad conſervandam ſalutem Animalis quam* Anima: *Nam ſine Mente & Animo nulla particula Animæ poteſt vel exiguum tempus manere in membris noſtris, ſed una cum eo avolat, & in auras evaneſcit; Et gelidos artus in mortis frigore relinquit.*

VARIÆ LECTIONES.

400. *exiguam.* exigui P.
401. *&.* è Y. Z.

NOTÆ.

Veteres. Marullus: *Et quam intervallis tantis.* Et ita Vulgati. Vide inf. verſ. 567. Gifan. Marg. noſter; *quantis*, etiam repræſentat. Interim, quis ſit ſenſus, nemo explicat. Mihi hic videtur: Multa prius ſemina cieri debent, & ad tanta intervalla, quantis tuditantia poſſint concurſare, h. e. quantis opus eſt ut concurſare, &c. poſſint. Lambini conjectura, ingenioſa quidem illa eſt, proxime ad veterem ſcripturam accedens, & Lucretiano more *ſis* pro *ſuis* antique effert, quemadmodum circa finem hujus libri, verſu 1038.

Lumina ſis oculis etiam bonus Aucu reliquit

Verum quid cauſæ dicamus, cur Lucretius ſcripſerit hoc loco

Et quam ſis intervallis

cum poſſet:

Quamque ſuis intervallis. Preig.

395. *Tuditantia*] Id eſt tundentia: ut ſupra libro ſecundo, 1142.

Nec tuditantia rem ceſſant, &c.

Sententia autem hujus loci hæc eſt: uſque adeo multa in nobis corpora prima moveri debent, quæ ſunt corporibus noſtris immiſta, quam primordia animæ concuſſa ſentiant, ſeu ſentire incipiant: & prius quam primordia animæ, pellendo, & crebro tundendo, utpote tam magnis intervallis diſpoſita, poſſint concurſare, & convenire, & ita ſenſum gignere, &c. Supra 378.

—— & rara per artus
Diſſita ſunt, duntaxat ut hoc promittere poſſis.
Quantula prima queant nobis injecta ciere
Corpora; ſenſiferos motus in corpore, tanta
Intervalla, &c. Lamb.

397. *Et magis eſt animus, &c.*] Videtur aliter ſentire Nonius. cum ita docet: *Animus, quo ſapimus: anima, qua vivimus*, ſed non pugnant hæc inter ſe. Lamb. V. 137. Animum, in quo Ratio & vis ſentiendi ſita eſt, in Pectore poſuit; Animam vero, in qua loco-motiva facultas ſita eſt, toti Corpori adjunxit: jam v. 21. iſti Animo præcipuas in vita conſervanda partes attribuit: nec abſurdum hoc, quicquid Alii ſentiant, aut Philoſophiæ Epicureæ diſſonum: Animus v. 274. qui magnam partem conſtat ex quarto illo Epicuri innominato, quod ſolum ſentiendi facultatem largitur, ita Animali conjungitur, ut nulla res magis ſubſit, imo eſt totius Animalis, & ipſius Animæ fundamentum: Subſtracto autem fundamento tota moles corruat neceſſe eſt. Animum & Animam Oculo recte compares, ubi Animus Pupillæ vicem ſuſtineat, Anima reliqui Orbis; Pupillam laceres, Cæcitas inſequitur; Alias Oculi partes, manet videndi poteſtas. Creech.

399. *Nam ſine mente*] Videtur hoc eſſe falſum; idque adeo apparet ex furioſis, qui ſine

ani-

At manet in vita, quoi Mens Animuſque remanſit,
Quamvis eſt circum-caeſis lacer undique membris:
Truncus, ademta Anima circum, membriſque remotis,
Vivit, & aetherias vitaleis ſuccipit auras,
Si non omnimodis, at magna parte Animaï
Privatus, tamen in vita cunctatur, & haeret,
Ut lacerato Oculo circum ſi Pupula manſit
Incolumis, ſtat cernendi vivata poteſtas;

Dum-

INTERPRETATIO.

At vero ille, cui mens & Animus eſt relictus, manet in vita, (vivit) quamvis laceratus ſit cunctis membris ex omni fere parte amputatis: Truncus, reciſis artubus, atque adeo remota Anima, quæ in iſtis artubus reſidebat, vivit, & vitales ætherias auras ſuſcipit. Si autem Truncus iſte non tota Anima, magna tamen parte Animæ privatus; nihilominus in vita manet, & moratur. Ut, oculo ex omni fere parte lacerato, ſi Pupilla remanſit integra & illæſa, vividæ etiam videndi poteſtas manet:

VARIÆ LECTIONES.

404. *eſt circum.* cretum Y. Z. *ſed in Z. ſuperſcrib. Lege* excretus. *lacer undique.* laceranˌdique Y. *a ſec. m.*
405. *remotis.* remotus V. Y. remota Z.
410. *vivata.* vitata K. jurata Q. innata X.

NOTÆ.

animo & mente, id eſt ſine ea parte qua ſapimus, vivunt: ſine anima autem neque furioſi, neque quiſquam omnino vivere poteſt. Sed dicendum, Lucretium non ita accipere animum. LAMB. Id Lambinus minus verum eſſe credebat; ſed Chanetus vir acutiſſimi judicii & Vir Admirabilis P. Gaſſendus aliter ſenſerunt. FAB.

401. *Sed comes inſequ.*] Libri ſcripti habent *cumes*, mendoſe *u* pro *o*: ut *epiſtula*, & *adulescens*, pro *epiſtola*, & *adoleſcens*: de quibus alias. LAMB.

406. *Cumes*] Ita Veteres omnes. Vide Indicem. Vulgati: *comes*. GIFAN.

406. *Succipit*] Melius quam *ſuſcipit*. Excerpta Serviana alicubi. FABER. Servii locus, quem reſpicit, exſtat ad Virg. Æneid. 6: 249.

——— ——— *tepidumque cruorem*
Succipiunt pateris.

ubi doctus ille Grammaticus notat: *ſuccipiunt: Antique dictum, nam modo ſuſcipiunt dicimus.* HAV.

407. *Omnimodis*] Omnibus modis. LAMB.

409. *Ut lacerato oculo*] Probat a ſimili, animum vitæ eſſe dominum, atque auctorem magis, quam animam, hoc modo: Quemadmodum oculo læſo ac lacerato, ſi modo pupilla illæſa & integra manſit, manet videndi poteſtas ſive facultas; ita, cui ademta anima eſt, anima incolumi remanente, is manet in vita. LAMB.

409. *Circum*] Πέριξ. LAMB.

409. *Pupula*] Ἡ κόρη, τὸ ἐν μέσῳ μέλαν: acies, qua cernimus, quæ etiam pupilla appellatur. Eſt autem hæc oculi pars cryſtallina, ſeu glacialis, vitreus humor autem proxime ſequitur glacialem introrſum; contraria ex parte extrorſum, aqueus. vitreum humorem complectitur tunica, quæ appellatur *ἀμφίβληστρον*, id eſt *rete circundans*: hanc tunica excipit ea, quæ dicitur uvea: quam ambit cornea membrana. LAMB.

410. *Vivata poteſtas*] *Vivatus* & *vividus* à vi magna dicuntur, inquit Feſtus. LAMB. Inf. verſ. 559. CREECH.

Dummodo ne totum corrumpas luminis orbem,
Sed circum-caedas aciem, ſolamque relinquas:
Id quoque enim ſine pernicie confiet eorum;
At ſi tantula pars Oculi media illa pereſa eſt,
Incolumis quamvis alioqui ſplendidus orbis,
Occidit extemplo lumen, tenebraeque ſequuntur;

Hoc

INTERPRETATIO.

Dum non totum Orbem Oculi corrumpas, ſed circumcidas pupillam, eamque ſolum integram & illæſam relinquas; Id fieri poteſt ſine pernicie illorum; (Orbis & Pupillæ Oculi:) At ſi vel minima pars mediæ partis (pupillæ) Oculi perforetur, quamvis reliquus Orbis oculi integer maneat & illæſus, Lumen ſubito occidit (perit ſentiendi Poteſtas) & Tenebræ inſequuntur.

VARIÆ LECTIONES.

412. *Sed.* Et a. B. K. M. c. O. P. X. Y. Z. *circumcædas.* circumcedas Q1. Y. Z. circumcidas *Reliqui.*

413. *confiet.* non fiet a. B. C. E. I. N. P. Q1. X. Y. Z. non fiet? P. *in not.*

415. 416. Inverſo ordine leguntur K. P. Q1. X.

NOTÆ.

411. *Dummodo ne totum corrumpas*] Explicat id quod dixerat obſcurius, *lacerato oculo.* Poterat enim tardiuſculus aliquis ſic accipere, toto oculo lacerato, videndi ſenſum incolumem manere. Huic igitur occurrens, dummodo, inquit, ne totum oculum corrumpas, ſed aciem, ſeu pupulam integram relinquas, eamque ita circumcidas, ut intacta & ſalva maneat. Nam id quoque, id eſt ea talis aciei circumciſio, ut ſalva remaneat, & ſola intacta relinquatur, fiet ſine oculorum pernicie. ſequitur deinceps, *At ſi,* &c. LAMB.

411. *Luminis orbem*] Orbem oculorum. Sic Sophocles in OEdipo Tyranno:

Ἄρας ἔπαισεν ἄρθρα τ᾽ αὐτοῦ κύκλων,

id eſt, *ſublata manu* (vel *ſublatis fibulis, quas manu tenebat*) *orbeis oculorum ſuorum percuſſit,* (vel *artus orbium ſuorum percuſſit.*) LAMB.

412. *Et circumcidas, &c.*] Sic reſtitui hunc locum ex vett. libris. Marullus, & omnes Vulgati: *Sed circumcidas.* Lambinus, etiam: *confiet*; male omnia. Ait Poëta, acie non læſa, viſum manere; non tamen, ſi ita oculum undecumque corrumpas, & circumcidas, ut præter aciem, ſeu pupulam nihil relinquas. GIFAN. *in edit. poſt.* Hæc *Giſanius*, cui nemo credet qui verſum ſequentem legit,

At ſi tantula pars oculi.

& comparationem accuratius perpendit. CREECH. Marg. noſt. Iſ. Voſſii auctoritate, non modo & ipſe conjunctivam hoc loco adverſativæ ſubſtituit; ſed & ſequens verbum disjunctim ſcribit hoc modo:

Et circum cædas aciem, &c.

Ego & ſupra verſ. 406. *circumcæſis*, & heic *circumcædas* conjunctim legendum arbitror; ἀρχαϊκῶς, non *circumciſis*, aut *circumcidas*, & in hujuſmodi ſi non cunctis, aut pleriſque, ſaltem multis compoſitis celeberrimo ad Catull. commentatori, pag. 170. obtemperandum. Cæterum locus ipſe obſcurior eſt; Lambino Giſanione accedas dubium. Viderint, quibus otium eſt. *Circumcidere*, ſeu *circumcædere*, videndum, quam non idem ſit aut fere idem, quod *ad vivum reſecare*, περιτέμνειν quod huic reſpondet proprie, præterquam quod in ſacris notiſſimi ac peculiaris eſt uſus, adhibitum etiam videas pro abſcindere includere atque ſeparare à reliquo corpore. Sic apud Xenoph. lib. v. Cyropæd: Ἔνια δὲ καὶ περιτετμημένα ὑπὸ τῶν ἱππέων ἡλίσκετο. ἅρματα nempe. PREIG.

412. *Aciem*] Pupulam. LAMB.

413. *Id quoque enim ſine &c.*] Circumcidere aciem, quod eſt, detracta ea parte, quæ appellatur à Græcis κερατοειδὴς, id eſt cornea, ſolam aciem incolumem relinquere, fiet ſine pernicie oculorum. *confiet* autem repoſui, cum in omnibus libris *non fiet* legeretur, ab ipſa ſententia ad veram ſcripturam veluti manu ductus.

Quod

Hoc anima atque Animus vincti ſunt foedere ſemper.
Nunc age, nativos animantibus, & mortaleis
Eſſe Animos, Animaſque leveis ut noſcere poſſis:
Conquiſita diu, dulcique reperta labore
Digna tua pergam diſponere carmina vita.

Tu

INTERPRETATIO.

Hoc fœdere Anima atque Animus ſemper vincti ſunt. Nunc age, ut ſcire queas Animos leveſque Animas Animalium (generari & interire) nativos & mortales eſſe; pergam diſponere Carmina vitæ, O Memmi, *tua digna, diu conquiſita, & dulci labore reperta:*

VARIÆ LECTIONES.

417. *vincti.* juncti A. marg. E. P. Q1. vinctis *deleto* ſunt Z.
422. *fac.* face M. C. E. N. P. *nomen.* nomine Z.

NOTÆ.

Quod autem Thraſo vulgatam lectionem *non fiet* tuetur in Indice, cum in contextu improbet: pro *Sed cimcumcidas* autem, legit *Et circumcidas*, hoc ſenſu, Dummodo ne totum oculum corrumpas, & nihil præter aciem relinquas: nam ſi hoc fieret, non ſine pernicie oculorum fieret ea vero ſcriptura ferri non poteſt. Nam ſi ita eſſet, hoc eſt, ſi ita diceret Lucretius,

Id quoque enim ſine pernicie non fiet eorum,

non apte ſubjiceretur,

At ſi tantula pars, &c.

Nunc autem cum dixerit,

Id quoque enim ſine pernicie conſiet eorum,

apte quadrat & convenit,

At ſit tantula pars, &c.

Præterea, ſi legeretur *non fiet*, copulatio quoque eſſet ſupervacanea. At ſupervacanea non eſt, & profecto declarat non poſſe legi *non fiet*. LAMB.

413. *Conſiet*] Recte Lambinus. In libris: *non fiet.* GIFAN. *in ed priori.*

414. *At ſi tantula pars, &c.*] Ordo: At ſi media pars oculi, tantula illa, &c. Sic lib. 5, verſ. 593.

Tantulus ille queat tantum ſol mittere lumen.

Vide etiam, quæ ad verſ. 372. ſupra. PREIG.

416. *Tenebræque*] Et cæcitas. LAMB.

417. *Vincti*] Sic habent libri ſcripti. nam vulgati minus recte, *juncti.* LAMB. Quidam libri: *juncti.* GIFAN.

418. *Nunc age nativos, &c.*] Nunc aggreditur ad probandum animos, ſeu animas (jam enim alterutrum pro eodem uſurpatur) eſſe nativos, & ita, mortaleis. Quidquid enim ortum eſt, neceſſario aliquando interibit. ex quo illud Xenophanis, æque impios eſſe, qui Deos natos eſſe dicerent, atque qui interituros. Sunt autem argumenta quibus utitur, admodum infirma & levia: neque tamen poſſunt ulla afferri firmiora. Quod ſi eſſent firmiſſima, nihil apud nos valerent tamen religione Chriſtiana imbutos. Vetat enim pietas cum in pleriſque aliis, tum in hoc maxime, audire Epicurum. LAMB. Animas mortales eſſe probaturus profitetur v. 8. Se in hac diſputatione non indiligentem fore, quoniam vero Ipſe Animum ab Anima diſtinxerit, & *Stoici* maxime diſtinguunt, ne vim rationum non recte perciperet *Memmius*, monet, omnia ſua argumenta æque contra Animum ac Animam, è quibus una tantum res conſtituitur, militare. CREECH.

418. *Nunc age, &c.*] Animum nativum, & mortalem eſſe, docet pluribus argumentis; quibus Firmianus reſpondet, lib. VII. cap. 12. &c. GIFAN.

421. *Diſponere*] Sup. lib. I: 47.

Studio diſpoſta fideli. LAMB.

Deponere. GIFAN.

421. *Tua. vita*] Te; neque aliter boni ſcriptores Latinitatis. FABER. Aliquando tamen legi *Tuo vate.* CREECH.

Tu fac utrumque uno ſubjungas nomen eorum,
Atque Animam, verbi cauſa, quom dicere pergam,
Mortalem eſſe docens; Animum quoque dicere credas:
Quatenus eſt unum inter ſe, conjunctaque res eſt.
Principio, quoniam tenuem conſtare minutis
Corporibus docui, multoque minoribus eſſe
Principiis factam, quam liquidus humor Aquaï eſt.
Aut nebula, aut fumus: nam longe mobilitate

INTERPRETATIO.

Interim utrumque nomen Animum *viz. &* Animam *uni eidemque rei applicare memento; &, verbi cauſa, cum dixero Animam mortalem eſſe, exiſtima me Animum quoque dicere mortalem; Quoniam Animus & Anima ita conjunguntur, ut unam tantum rem conſtituant. Principio, quoniam docui Animam tenuem componi ex Seminibus parvis, & fieri è Principiis multo minoribus quam Aqua liquida, aut Nebula, aut Fumus, quoniam magis mobilis eſt,*

VARIÆ LECTIONES.

428. *eſt.* Abeſt N. X. Y. Z.

NOTÆ.

422. *Tu fac utrumque*] Sic habent libri manuſcripti, non *Tu face.* jam quod ſequitur, *uno ſubjungas*: ſi ſcriptura emendata eſt, poſitum pro *ſub uno jungas*, vel uno dictum pro *uni*, vel legendum *uni*. Lamb.

422. *Fac*] Marullus: *face.* Gifan.

426. *Principio quoniam*] Hoc primum argumentum eſt, quo oſtendere conatur, animam eſſe mortalem: Anima conſtat ex primis corporibus longe ſubtilioribus, & minoribus, quam aqua, aut nebula, aut fumus: At aqua, vaſe fracto, diffugit ac diffluit; fumus & nebula, qua patet exitus, diſcedunt in auras. Ergo magis anima cum exceſſit è corpore, diffunditur ac diſſipatur. Lamb. Primum argumentum, quo probat Animam (quo nomine etiam Animum comprehendit) mortalem eſſe, ducit v. 20. ex illius ſubtilitate & tenuitate olim demonſtrata, & hic loci ulterius confirmata: Eſt enim quid Corporeum longe tenuius, mobilius, & diſſolutioni magis obnoxium, non modo quam Aqua, verum etiam quam Nebula, aut fumus, quippe cum percellatur rebus fumo nebulaque tenuioribus, (ut puta illorum ſimulachris, ex quorum per ſomnium appulſu, res ejuſmodi cogitamus) ac ideo neceſſe ſit illam diſſipari quam iſta facilius: Fruſtra autem aliquis dicat illam à Corpore ſolutam in Aëre integram manere poſſe, quid enim tenuis Aër illam conſervet incolumem, quæ per meatus craſſi Corporis ſæpe effluit. Creech.

431. *Quoniam*] Huic verbo, *quoniam*, quod & mox repetit, ob quædam interjecta, ibi: *Nunc igitur quom, &c.* tandem ſubjungit ἀνταπόδοσιν, ibi: *Crede*, &c. Gifan.

431. *Quippe ubi imaginibus fumi, &c.*] Epicurus enim neque cerni quidquam, neque cogitari, neque ſomniari putabat ſine imaginibus. *Quippe ubi* autem, id eſt *quippe quia*, ſeu *quippe cum.* Lamb. Illud quoque Græcanicum eſt, eſt enim quod Græci ſcriptores ὅπου γε dicere ſolent, quod valet, *præſertim cum.* Ait enim principia animæ eſſe tenuiora fumo & nebula, præſertim cum fumi & nebulæ imaginibus & ſimulacris ſoleant moveri. Turneb. *Adv. Lib.* xx. *Cap.* xxvi. Quandoquidem. Eſt autem lepidum argumentum. Species ſola fumi, nebulæ, ſoni, *&c.* animum movet, ergo debet eſſe leviſſimus. Faber.

432. *Ubi cernimus*] Cernimus in ſomnis, id eſt cer-

Praeſtat, & à tenui cauſa magis icta movetur;
Quippe ubi Imaginibus Fumi, Nebulaeque movetur:
Quod genus in ſomnis ſopiti ubi cernimus alta
Exhalare vapore altaria, ferreque Fumum:
Nam procul haec dubio nobis Simulacra genuntur:
Nunc igitur quoniam quaſſatis undique vaſis
Diffluere Humorem, & Laticem diſcedere cernis:
Et nebula ac Fumus quoniam diſcedit in auras:

Cre-

INTERPRETATIO.

& percuſſa a re quæ eſt magis tenuis quam Aqua, aut Fumus, aut Nebula, movetur; quippe quæ ſimulacris Fumi & Nebulæ movetur: Ut cum ſomno ſopiti videmus alta altaria vapore exhalare & fumum in altum ferre; nam proculdubio iſtarum rerum phantaſmata per ſimulachra in nobis excitantur. Nunc cum videas Aquam fracto vaſe diffluere, & cum Nebula & fumus per Aëra diſſipatur, & in auras abit, crede quoque Animam diſſipari, multo ocyus interire,

VARIÆ LECTIONES.

430. *icta.* iſta *Gaſſ.*
431. *movetur.* moventur c. O. P. X. Y. Z.
434. *genuntur.* geruntur A. B. C. D. E. I. N. P. X. Y. Z. feruntur *Cr.*
436. *Diffluere.* Diffugere *priſci codd.* P.
437. *diſcedit.* diſcedat Z.

NOTÆ.

cernere videmur. LAMB.

433. *Exhalare vapore*] Forte: *Exhalare vaporem altaria, &c.* Sic ſemper *exhalare.* ut & ſimplex *halare* apud Noſtrum non tantum ſed & apud alios credo. PREIG.

434. *Genuntur*] Id eſt gignuntur. ſic autem legendum non *geruntur*, reclamantibus libris omnibus. ſic enim loquitur infra lib. 4: 143.

Nunc ea quam facili & celeri ratione genantur, &c.

& iterum eod. lib. verſ. 133.

Sunt etiam quæ ſponte ſua gignuntur, & ipſa
Conſtituuntur in hoc cælo, qui dicitur aër. LAMB.

434. *Geruntur*] Lambinus: *genuntur*, male; contra omnes libros. GIFAN. *Genuntur*, an *Geruntur* legi debeat litigent *Giſanius* & *Lambinus*: melius forſan Ille qui *Feruntur* legit. CREECH.

435. *Nunc igitur quoniam*] Superius illud, *Principio quoniam*; non habet ἀνταπόδοσιν: & quia multa ſunt interpoſita, ſumit alterum orationis principium, *Nunc igitur quoniam*, cui reſpondet id quod ſequitur, *Crede animam, &c.* LAMB. Ἀνακόλουθον, quale ſupra forſan, lib. II. verſ. 1029. in cauſa fuit, ut turbaretur contextus varieque refingeretur. Sic enim ibi; auctoritate præſtantiſſimorum codd. poſtquam præceſſit:

Sed neque tam facilis res ulla eſt, quin ea primum
Difficilis magis ad credendum conſtet: itemque
Nil adeo magnum, neque tam mirabile quicquam,
Paullatim quod non minus fiat mirabile cunctis.

Mox ita pergit.

Principio cæli clarum purumque colorem,
Quemque in ſe cohibent palantia ſidera paſſim,
Lunæque & ſolis præclara luce nitorem:
(Omnia quæ ſi nunc primum mortalibus adſint,
Ex improviſo ceu ſint objecta repente,
Quid magis his rebus poterat mirabile dici?
Aut minus ante quid auderent fore credere gentes?
Nihil, ut opinor; (ita hæc ſpecies miranda fuiſſet.)
Quàm tibi jam nemo (feſſus ſatiate videndi)
Suſpicere in cæli dignatur lucida templa!

Ubi tamen ordo poteſt eſſe, & meo judicio eſt. *Cæli clarum colorem, &c. Quàm nemo tibi jam dignatur ſuſpicere.* h. e. Quam pauci, imo quam nulli omnino ſunt, &c. PREIG.

Crede Animam quoque diffundi, multoque perire
Ocius, & citius diſſolvi corpora prima,
Quom ſemel omnibus è membris ablata receſſit.
Quippe etenim corpus, quod vas quaſi conſtitit ejus,
Quom cohibere nequit conquaſſatum ex aliqua re,
Ac rarefactum detracto ſanguine venis,

Aëre

INTERPRETATIO.

ejuſque Principia citius disjungi, cum ex omnibus membris ablata ſemel receſſerit. Quippe cum Corpus, quod eſt veluti ejus Vas, aliquo impetu aut ictu labefactatum, aut Venis detracto ſanguine rarefactum cohibere, & retinere non poteſt, quomodo putandum eſt illam cohiberi & retineri poſſe ab ullo Aëre?

VARIÆ LECTIONES.

438. *Crede.* Crede ô Z.
439. *corpora.* in corpora Z.
440. *omnibus e membris.* omn. ex m. Q1. ex omnibus membris A. B. Y. ex hominis membris K. L. *Gaſſ.* V. Y. Z.
442. *Quom.* Quam N.

NOTÆ.

440. *Cum ſemel ex omnibus*] Ita Veteres omnes. In Quibuſdam: *hominis*; qua in re ſæpe variatum eſt. Supra, lib. 1. verſ. 120. Cur ergo Marullus: *omnibus è membris?* Vide Indicem: *Omnibus.* Gifan.

440. *Cum ſemel ex hominis membris*] In duobus libris manuſcriptis reperi ſcriptum,

Cum ſemel ex hominis membris:

quos nunc ſequor. Nam olim ſecutus eram vulgatam & receptam ſcripturam, quam alii veteres confirmant,

Cum ſemel omnibus è membris, &c.

quam tamen ne nunc quidem damno. Thraſo autem ridicule vult legi,

Cum ſemel ex omnibus membris.

Nam omnino vel ſic, ut nunc edidi, vel ſicut olim, legendum. Lamb. Alii Codd. *Ex hominis membris:* Gifanius, *Ex Omnibus membris: Omnibus* autem *Terentius* & *Plautus* ſæpe corripiunt. Creech.

440. *Cum ſemel omnibus è membris*] *Ex hominis* V. & MSS. & recte. Obſervaverat Scaliger primam in *omnibus* brevem eſſe. Beverl.

441. *Quippe etenim, &c.*] Cum anima (inquit, corpore cohiberi non poſſit, ubi id aliquo caſu) tanquam vas, conquaſſatum & rarefactum eſt, quanto minus ullo aëre contineri poterit? Lamb.

442. *Cum cohibere nequit*] Quidam libri habent, *Quam cohibere nequit, &c.* quam lectionem probo, ut ſit hic ordo verborum: Quippe etenim, quî credas animam ullo aëre cohiberi poſſe, quam corpus, quod quaſi vas ejus fuit, non potuit cohibere, &c. nonnulli, *Quom cohibere, &c.* quam non improbo. Lamb.

442. *Quom cohibere*] Ita ſcripſi, cum in quibuſdam libris eſſet, *Cum*; in Aliis: *Quam.* Gif.

443. *Venis*] Tollenda eſt diſtinctio; minor enim eſſe debet. Faber.

445. *Corpore qui noſtro rarus magis am cohibeſſit?*] Hunc locum ita feliciter reſtitui, ut omneis eruditos & politos homines mihi gratulaturos confidam. Nam libri vulgati, in quibus ſcriptum eſt, *rarus magis incohibeſcit*, plane mendoſi ſunt, neque verbum *incohibeſcit* Latinum eſt, neque probabilis ex ea lectione ſententia elici poteſt. Hæc autem ſcriptura, quam reſtitui, facilis & plana eſt. qui aër (inquit) noſtro corpore rarior, *am* (id eſt eam) *cohibeſſit*, id eſt cohibuerit. *am* dicebant antiqui pro *eam*, *im* & *em* pro *eum*, ut teſtantur grammatici veteres. Jam *cohibeſſit* pro *cohibuerit*, etiam antiquum: cujuſmodi ſunt illa apud Plaut. *ſervaſſim*, *ſupplicaſſis*, *negaſſim*, *prohibeſſis*, *&c.*

pro

Aëre qui credas poſſe hanc cohiberier ullo?
Corpore qui noſtro rarus magis am cohibeſſit;
Præterea, gigni pariter cum Corpore, & una
Creſcere ſentimus, pariterque ſeneſcere Mentem.
Nam velut infirmo Pueri, teneroque vagantur
Corpore: ſic Animi ſequitur ſententia tenuis.

INTERPRETATIO.

quomodo Aër Corpore noſtro rarior illam cohiberet? Præterea, ſentimus Animum pariter cum Corpore gigni, una cum iſto creſcere, una etiam ſeneſcere. Nam ut Pueri tenero & imbelli corpore vagantur, ſic etiam eorum Animi ſunt debiles & infirmi:

VARIÆ LECTIONES.

444. *credas.* credis K. Z.
445. *am cohibeſſit.* an A. hanc D. in cohibeſſit C. E. N. P. X. Y. Z.
449. *tenuis.* tempus c. O. P.

NOTÆ.

pro *ſervaverim*, *ſupplicaris*, *negaverim*, *prohibueris*, *&c.* Cum hæc ſcripſiſſem, & ita edidiſſem, niſi quod *em* pro *am* aliud agens edideram, Thraſo *cohibeſſit* quidem probavit, ſed pro *em cohibeſſit*, quod olim edideramus, *am cohibeſſit* ſcribere ſe velle dixit, quaſi hujus emendationis inventor. Specta lector hominis ingenuitatem & candorem. LAMB.

445. *Am cohibeſſit*] Cum in vulgatis libris eſſet, *incohibeſſit*; Lambinus fecit: *em cohibeſſit.* GIF.

445. *Am*] Nos, *an*; ut ex *inquirere*, *anquirere* alibi. GIFAN. *in Ed. pr.* Nos, *am.* Vide Indicem. GIFAN *in Ed. poſt.* Dicebant *Im*, pro *eum*, *Am*, pro *eam*, &c. FABER. Cur non, *Eam cohibeſſit* ut inf. 507. *Cur eandem.* PREIG.

446. *Præterea gigni*] Secundum argumentum: Mens una cum corpore gignitur, creſcit, ſeneſcit: ergo & cum corpore moritur. Lactantius, ſeu (ut alii appellari volunt) Lutatius Firmianus, ducto hinc initio, omnia fere Lucretii argumenta adverſus animorum immortalitatem diluit ac refellit 12. cap. lib. 7. de divino præmio. Verum quod ad hanc ſententiam attinet, etiam Ariſtoteles & M. Tullius præclare has eaſdem rationes diſſolvunt, ut mox oſtendemus. Antipater quoque clarus medicus, ut refert Euſtath. ad illum locum Hom. Ιλ. λ. vs. 115.

Ἀπαλόν τε σφ' ἦτορ ἀπηύρα,

ex eo ratiocinabatur & concludebat, animum una cum corpore affici, quod una cum eo creſcat & minuatur: cum tenerum corpus eſt, animum quoque eſſe tenerum: cum adultum, animum quoque eſſe adultum & perfectum: & ita una cum corpore intereunte, interire. Crebro autem uſurpat ἦτορ ἀπαλὸν, & ἁπαλαὶ φρένες, Homerus, id eſt *tener animus*, & *tenera mens*, de animalibus nondum adultis loquens. Sic Lucretius infra eodem lib. 756.

Scilicet in tenero teneraſcere corpore mentem.
Non fugient. quod ſi jam fit, fateare neceſſe eſt,
Mortalem eſſe animam. LAMB.

Secundo v. 14. Hoc modo diſputat, Quod cum Corpore gignitur, adoleſcit, ſeneſcit, & deficit, id mortale eſt: At hæc omnia de Animo dicenda; Pueri enim æque Mentem ac Corpus debiles incedunt, Adoleſcenti cum firmioribus viribus accreſcit firmius judicium, dum ſenis Mens & Corpus pariter vacillant. CREECH.

449. *Animi ſequitur ſententia tenuis.*] Terent. in Hecyra 3: 1: 30.

Pueri inter ſeſe quam pro levibus noxis iras gerunt,
Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus,
infirmum gerunt. HAV.

Inde ubi robuſtis adolevit viribus aetas:
Conſilium quoque majus, & auctior eſt Animi vis,
Poſt ubi jam validis quaſſatum eſt viribus aevi
Corpus; & obtuſis ceciderunt viribus artus:
Claudicat Ingenium, delirat Lingua, madet Mens,
Omnia deficiunt; atque uno tempore deſunt.
Ergo diſſolvi quoque convenit omnem Animaï
Naturam, ceu fumus in altas aëris auras:

Quan-

INTERPRETATIO.

poſtea vero cum ætas robuſtis viribus adoleverit, firmius eſt ingenium, & Animi vis major: Deinde cum Corpus longo & potenti Annorum impetu labefactum ſit, & fractis viribus membra debilitantur, Judicium fit infirmius, Lingua & Animus delirat, Omnes facultates illius deficiunt, & ſimul abeunt. Ergo pariter tota Animi ſubſtantia diſſolvi debet, ſicut Fumus in auras diſſipatur,

VARIÆ LECTIONES.

454. *Lingua, madet Mens.* Ita clare (probante ipſo Poëta inf. vs. 478.) V. Z. linguaque mens Y. lingua, animuſque A. marg. linguaque, mensque *Vulgati.*

456. *quoque.* ſic P. jam Q1. deëſt Q.

457. *ceu fumus.* ceu fumum a B. I. cum corpore *Cr. aëris.* acris Y. Z. it altas acris in auras Q1.

NOTÆ.

454. *Linguaque menſque*] In quibuſdam libris legitur, *lingua, animuſque.* ego tamen nihil mutandum cenſeo. *delirat lingua* autem, id eſt delira, aut deliris convenientia loquitur. Lamb. In quibuſdam libris, pro *menſque* eſt *animuſque.* Gif. Alii, *Lingua Animuſque*: neſcio quis legit *Lingua, madet Mens.* ut v. 478. Creech. Marg. quoque noſt. *madet mens*, ut pag. ſeq. verum ex iſta ſeq. pag. hoc eſt, ex verſ. 478. invito, ut opinor, auctore, tranſſumptum veræque lectioni hoc loco ſubſtitutum eſt, ut factum apud Lucretium ſæpius, in ſimilibus. Preig.

455. *Deſunt*] Forte: *deſiunt.* Gifan.

457. *Ceu fumus in altas*] Subintell. diſſolvitur: aut legendum, *ceu fumum.* Lamb.

457. *Ceu fumum in altas*] Sic legendum aſſero: etſi in libris: *fumus.* Τὸ *m*, non extritum, mendi origo. Vide, infra, hoc lib. verſ. 582. & ſupra lib. II. verſ. 456. Gifan. *in ed. poſt. tantum.* Vide Emendationes. Faber. Sed nihil ibi ad hunc locum reperitur. *Ceu fumum* Gifanius. Quanquam non video quid ibi agat *Fumus*: Qui argumentum perpendit, fatebitur *Lucretium* ſcripſiſſe *cum Corpore*: nam v. 456.

—— *Gigni pariter* cum Corpore, *& una*
Creſcere ſentimus —— Creech.

458. *Pariterque videmus*] Sic jam bis edidi, neque nunc factum muto. Sed non diſplicet mihi tamen altera ſcriptura,

Pariterque videtur
Creſcere, & (ut docui) ſimul ævo feſſa fatiſci.
Lamb.

Pro *pariterque videmus* Alii legunt

—— *Pariterque* videtur
Creſcere, & ut docui, ſimul ævo feſſa fatiſci.

non tanti eſt, priorem tamen lectionem libenter præferam. Creech.

459. *Feſſa fatiſcit*] Sic habent omnes fere libri vulgati, & tres calamo ſcripti; unus, *fatiſci.* quod ſi recipiemus, legendum erit in verſu ſuperiore, *pariterque videtur. fatiſcor* autem dixiſſe veteres, pro *fatiſco*, notat Nonius: eoque utitur Lucret. lib. 5: 309.

Non delubra Deûm, ſimulacraque feſſa fatiſci?

Jam quod dicit hîc Lucretius animam, ſeu animum cum corpore ſeneſcere, negat hoc Ariſtot.

Quandoquidem gigni pariter, pariterque videmus
Creſcere, & (ut docui) ſimul aevo feſſa fatiſci.
Huc accedit, uti videamus Corpus ut ipſum
Suſcipere immaneis morbos, durumque dolorem;
Sic Animum curas acreis, luctumque, metumque:
Quare participem lethi quoque convenit eſſe.
Quinetiam Morbis in Corporis avius errat

INTERPRETATIO.

quandoquidem pariter cum Corpore gigni, una cum iſto creſcere videmus, & ſenectute fracta, uti demonſtravi, deficit. His adde, quod ut videamus ipſum Corpus magnis morbis & acutis doloribus affici, ſic videmus Animum acribus Curis, Luctu, & Timore pariter affici, quamobrem debet quoque eſſe Morti pariter obnoxius. Imo, in Morbis Corporis Animus ſæpe inſanit,

VARIÆ LECTIONES.

459. *fatiſci.* Ita A. marg. P. Q1. X. faetis Y. Z. ſed (ut reliqui habent) fatiſcit *adſcrib. in marg.* Z.

460. *uti* & Q1.

461. *dolorem.* laborem N. P. *Cr.* Q. pavorem *Alii.*

NOTÆ.

ſtot. lib. 1. de Animo: docetque, quemadmodum ſi ſenex, juvenis oculum ſumeret, fore ut æque acute cernat, atque juvenis: ita ſi inſtrumentum, aut vas animæ detur ſeni integrum & recens, fore ut contempletur, cogitet, intelligat proinde ac ſi juvenis eſſet. non eſſe igitur animi vitium, ſi ſenes delirent, aut deſipiant, ſed corporis: neque ſenectutem eſſe in animo, ſed in inſtrumentis & ſedibus animi. animum enim eſſe morbi & ſenectutis expertem, & divinum quiddam. LAMB. Quidam Veteres: *fatiſci.* GIFAN. Legendum στερρὰ ἀνάγκη, legendum, inquam, *fatiſci.* Geminat autem voces ſuas Lucretius. FABER.

460. *Huc accedit, uti* &c.] Sic habent lib. manuſcr. non, ut vulgati, *id ipſum.* ſic autem Arnob. lib. 2. adverſ. gent. *Quicquid enim cauſa ingruente nonnulla, ita mutatur, ut integritatem ſuam retinere non poſſit, id neceſſe eſt judicari eſſe paſſivum. Quod autem eſt promtum atque expoſitum paſſioni, corruptibile eſſe, ipſa paſſibilitate interveniente denuntiatur.* Hoc argumentum refellit etiam M. Tull. libro 1. Tuſc. quæſt. his verbis: *Alteram affert rationem Panætius* (adverſus animorum immortalitem ſcilicet) *nihil eſſe, quod doleat, quin id ægrum eſſe quoque poſſit: quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum: dolere autem animos: ergo etiam interire. Hæc refelli poſſunt. ſunt enim ignorantis, cum de æternitate animorum dicatur, de mente dici, quæ omni turbido motu ſemper vacet: non de partibus iis, in quibus ægritudines, iræ, libidineſque verſentur: quas is, contra quem hæc dicantur, ſemotas à mente & diſcluſas putat.* LAMB. Tertio v. 15. Cum Corpus morbo tentetur; Mæror, Timor, &c. Animum occupant; At morbo iſto Corpus corrumpitur, par igitur eſt ut Animus mærore corrumpatur. Imo Morbis, quorum ſedes in ipſo Corpore eſſe omnes confitentur, Mens aliquando attingitur. Sic Inſani Animus delirat, Lethargici ſopitur; Cum vero vis Morbi & Dolor ad Animum uſque penetrent, mortem etiam inſequi maxime credendum. CREECH.

460. *Ut ipſum*] *Id ipſum.* Aliis: *in ipſum.* GIF.

461. *Durumque dolorem*] Sic habent lib. manuſcr. vulgati autem, *durumque laborem.* LAMB. *Durumque laborem* Alii: quam lectionem non rejicerem cum v. 367.

Oſtia ſuſcipiunt ullum recluſa laborem:

Dolorem vero defendi poteſt e v. 473.

Nam Dolor, *& morbus lethi fabricator uterque eſt.* quamvis aliqui legunt *Pavor.* CREECH. Ita (*dolorem*) in veteribus libris, ut & infra. *Nam dolor ac morbus.* Vulgati: *laborem.* GIFAN.

464. *Quinetiam*] Tertium argumentum: Animus interdum eſt particeps morborum corporis, id

Saepe animus, dementit enim; deliraque fatur:
Interdumque gravi Lethargo fertur in altum,
Aeternumque ſoporem, oculis, nutuque cadenti.
Unde neque exaudit voces, neque noſcere vultus
Illorum potis eſt, ad vitam qui revocantes

INTERPRETATIO.

deſipit enim, & delira profert; Interdum lethargo oppreſſus in gravem & æternum ſoporem decidit, clauſis oculis & Capite nutante: Inde fit, quod neque poteſt audire voces, neque agnoſcere vultus illorum, qui circumſtant

VARIÆ LECTIONES.

465. *dementit.* dementia A. marg. c. O. P. dementit P. *not.* dementat L. *in Not.* timentur Q1.

467. *nutuque.* vultuque A. B. c. D. I. P. Q1. nutumque Z. motuque cadens ſic *Barth. ad Stat.* IV. *Theb.* 831.

468. *neque* —— *neque.* neque —— nec Z.

NOTÆ.

id eſt; morborum corporis ſenſus & contagio ad animum penetrat, ac permanat: ergo æque, ut corpus interit. Huc pertinet illud Arnobii ex libr. 2. *Ipſe denique animus, qui immortalis à vobis & Deus eſſe narratur, cur in ægris æger ſit, in infantibus ſtolidus, in ſenectute defeſſus.* LAMB.

465. *Dementit enim, del.*] Quidam libri habent, *dementia enim, deliraque fatur.* Ego ſcripturam receptam retineo, *dementit enim:* quamquam *dementia enim*, reperitur etiam in nonnullis libris vulg. Pariſienſibus Germanicis Italicis. Omnino verbum *dementire* mihi ſuſpectum eſt, ut à nemine alio, quod ſciam, uſurpatum, niſi forte à Lactantio Firmiano, libro 4. ubi fortaſſe pro *dementire*, *dementare* legendum eſt. Uſitatius enim eſt *dementare:* eoque utuntur Apulejus, & Tertullianus. LAMB. Quidam libri: *dementia.* GIFAN.

466. *Lethargo*] Veterno. ex quo *veternoſus*, qui gravi premitur ſomno. LAMB.

467. *Nutuque cadenti*] Ita habent tres libri ſcripti, & aliquot impreſſi: Florentini autem & Lugdun.

vultuque cadenti.

quam poſteriorem ſcripturam non improbo. Sic enim fere Virgil. lib. 6. Æneid. 862.

Sed frons læta parum, & dejecto lumina vultu.

Verumtamen hanc, quam ſecutus ſum, magis probo. Nam hoc *nutu cadenti*, illis ſimile eſt, quæ ſupra collegi ad illum locum.

Sonitu diſtare ſonanti,

libro 1: 826. quibus adde & illud ex eodem Lucret. libro 4: 586.

Ludoque jocanti.

Nam per nutum nihil aliud ſignificari videtur, quam capitis dejectio, ſeu demiſſio: vel caput demiſſum, & quaſi cadens. Sic Plautus Aſin. 2: 3: 23.

Atque hercle ipſum adeo contuor, capite caſanti.

Ita enim lego apud Plautum, non, ut vulgo, *capite quaſſanti.* Atque hæc eſt una ex ſexcentis emendationibus noſtris, quibus Plautus à nobis in integrum reſtitutus propediem in manus hominum, Deo opt. max. approbante, perveniet. LAMB. Ut *Sonitu ſonanti*, & *Ludo jocanti.* Alii *Vultuque cadenti:* Utrumvis eligas, nullibi vero invenies Lethargum venuſtius depictum. CREECH.

467. *Vultuque cadenti*] Ita erat in libris noſtris; quod rectiſſimum eſt. Alii: *nutu.* GIF.

469. *Ad vitam quo revocantes*] Solebant veteres aqua calida mortuos abluere, & per intervalla conclamare, quod plerumque ſolet ſpiritus extremus efflatus eſſe putari, & homines fallere. Donatus ad illum Terentii locum in Eunucho 2: 3: 54. *jam conclamatum eſt*, hæc annotat: *id eſt, tranſactum ac finitum eſt, ut, conclamata corpora nihil reliqui jam habent ad vitæ officia.* Virgil. Æneid. 3: 68.

--- *ani-*

Circumſtant lacrymis rorantes ora, genaſque.
Quare Animum quoque diſſolvi fateare neceſſe eſt,
Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi:
Nam Dolor, ac Morbus lethi fabricator uterque eſt,
Multorum exitio perdocti quod ſumus ante.

INTERPRETATIO.

genas & ora lachrymis rorantes (lachrymantes) illumque ad vitam revocare conantur. Fatendum igitur eſt Animum quoque diſſolvi, quoniam Morbi contagia & vis in eum penetrant; Nam & Dolor & Morbus eſt Cauſa Mortis, uti multorum Hominum interitus nos ſatis ſuperque olim docuerit.

VARIÆ LECTIONES.

471. *fateare.* fatere Y. Z. Abeſt X.

473. *Dolor.* Marg. noſt. habet *pavor.* Confer. V. L. ad verſ. 461.

474. *Poſt hunc inſeras.* Præterea mentem ſanari, corpus ut ægrum, Et pariter flecti medicina poſſe videmus A. B. I. Et quoniam mentem ſanari corpus inani X. Et quoniam mentem ſanari corpus ut ægrum, Et pariter mente (mentem Y. Z.) ſanari corpus inani V. Y. Z. mentem Y. Z. *mente.* mentem Q1. (*ubi poſtea aliquid deeſt*) Y. Z.

NOTÆ.

——— *animamque ſepulcro*
Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.

Ne illud quidem ab hoc alienum eſt, quod illi iidem veteres, eorum qui in terris longinquis & alienis, aut in prœlio mortui eſſent, animas ter vocare ſolebant. Homer. Ὀδυσ. ι. 64.

Οὐδ' ἄρα μοι προτέρω νῆες κίον ἀμφιέλισσαι,
Πρίν τινα τῶν δειλῶν ἑτάρων τρὶς ἕκαστον ἀῦσαι,
Οἳ θάνον ἐν πεδίῳ Κικόνων ὕπο δῃωθέντες.

id eſt, *Neque vero mihi prius ſeu ulterius naves utrinque incurvæ cucurrerunt, quam unumquemque infelicium ſociorum, qui in campo Ciconum ferro interemti erant, ter vocaſſemus.* Et Virgil. lib. 2: 769.

mæſtuſque Creüſam,
Nequicquam ingeminans, iterumque, iterumque vocavi.

Idem libro ſexto: 505.

Tunc egomet tumulum Rhœteo in litore inanem
Conſtitui, & magna maneis ter voce vocavi. LAMB.

470. *Lacrymis rorantes*] Ex quo verbum *complorare.* LAMB.

472. *Quandoquidem penetr.*] Profert hunc verſum Nonius in voce *contagium.* LAMB.

473. *Leti fabr.*] Mortis cauſa efficiens, ſeu mortis affector. tralatio eſt. LAMB.

473. *Dolor*] Marg. noſter: *pavor.* Confer Var. Lect. ad verſ. 461.

474. *Multor. exitio perd.*] Poſt hunc verſum inculcant quidam duos verſus, *Præterea mentem ſanari,* &c. *Et pariter flecti,* &c. non recte. qui ſuo loco infra non longe ponentur. hic locus eis alienus eſt, neque huc recipi nec debent, nec poſſunt. LAMB.

774. *Præterea mentem ſanari, corpus ut ægrum,*
Et pariter flecti medicina poſſe videmus.] Ex Cod. Anglicano hos interjeci; qui, etſi infra paullo poſt repetantur, hic tamen non ſunt alieni. Et illud: *Et quoniam &c.* indicat hos verſus hic jam antea fuiſſe poſitos. Iiſque hic oſtendit, morbis obnoxiam eſſe mentem. GIFAN. Marg. noſter, huic non niſi unicum ſubnectit verculum. Iſque ita habet:

- *Præterea mente ſanari corpus inani.*

Addita expl. „*mente inani*, i. e. vacua ab omni cura & dolore. Male expunxit Lambinus.„ Sic ille. Mihi vero nondum liquet. Turbatum nonnihil hoc loco, facile mihi perſuadeo. videri enim poſſunt verſus 473. & 474. *Nam dolor, &c.* potius verſui 463. ſubjiciendi, hoc modo:

Quare participem lethi quoque convenit eſſe;
Nam dolor ac morbus &c.

Nimirum ut tanquam ad aliud argumentum tranſeat in ſeqq.

Quin etiam morbis, &c.

Denique cur, hominem quom Vini vis penetravit
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor,
Conſequitur gravitas Membrorum? praepediuntur
Crura vacillanti? tardeſcit Lingua? madet Mens?
Nant oculi? Clamor, Singultus, Jurgia gliſcunt?
Et jam caetera de genere hoc quaecunque ſequuntur,
Curvaſcunt? niſi quod vehemens violentia Vini
Con-

INTERPRETATIO.

Denique quare, cum acris vis Vini penetraverit, & calentes illius ſpiritus in venas diſpergantur, torpent Hominis membra? cur Crura officium ſuum non faciunt? Lingua non prompte verba promit? Mens madet? Oculi natant? Clamor, Singultus, rixæ oriuntur, cætera denique quæ ſolent Ebrietatem conſequi? Quare, inquam, illa ita ſunt (ebrietatem conſequuntur) niſi quoniam acris vis vini

VARIÆ LECTIONES.

475. *cur, hominem.* cor hominum K. P. X. *Vini.* viri N. P. vini P. *in not.*
476. *diditus.* deditus K. Q. X.
478. *madet.* manet K.
480. *ſequuntur.* ſequantur Q. X.
481. *Curvaſcunt.* Curbaſcunt Y. Z. *unde elegans hæc emendatio.* Cur ea ſunt, *Vulgati. Vini.* Viri P.

NOTÆ.

Quorum hæc denique ſit *clauſula*:

Quare animum quoque diſſolvi fateare neceſſe eſt;
Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi,
Et pariter mente ſanari corpus inani.

Monendum quoque, ita vulgatam potius lectionem verſ. 461. *laborem*, quam *dolorem* arripi debere, ut verſu ſequenti, *dolorem* quidem ad animum, *morbum* autem ad corpus referat, atque ita evincat, illum animo idem quod hunc corpori præſtare. Verum penes Lectorem eruditum judicium eſto. Preig.

475. *Denique cur hominem*] Quartum argumentum quod eſt item valde imbecillum. & tangit Ariſtoteles libro primo de animo. eſt enim non intelligentis, hæc omnia fieri & accidere vitio corporis, non animi. Lamb. Quarto, v. 11. Ebrium in ſcenam producit, delirantem, clamantem, Cælum denique cum Terra miſcentem; Cujus, ut neque manus neque Pes, ita nec Aures nec Oculi, neque Mens ipſa officium ſuum faciunt: Unde vero hæc omnia, niſi quod ſpiritus vini agiles & impetuoſi per Corpus omne diffuſi turbant, agitant, & diſtrahunt Animum? At quicquid imbelli vi turbari diſjicique poſſit, idem vehementiori impetu corrumperetur. Creech.

477. *Præpediuntur crura vacill.*] Sic Chremes ille Terentianus in Eunucho 4: 5: 1.

Atat, data hercle verba mihi ſunt: vicit vinum, quod bibi,
At dum accubabam, quam videbar mihi pulchre ſobrius!
Poſtquam ſurrexi, neque pes, neque mens ſatis ſuum officium facit.

ſic Pſeudolus ille Plautinus 5: 1: 3.

Quid hoc? ſiccine hoc fit? pedes ſtatin', an non?
An id voltis, ut me hic jacentem aliquis tollat?
Nam hercle ſi cecidero, veſtrum erit flagitium.
Pergitin' pergere? ah, ſæviendum mihi
Hodie eſt. magnum hoc vitium vino eſt:
Pedes captat primum; luctator doloſus eſt. Lamb.

Uti Terentius tribus verbis, ſic unico LXX. Interp. Jer. XXIII: 9. ἄνθρωπος συνεχόμενος ἀπὸ οἴνου, quem Propheta ſacer *virum, quem vinum tranſiit*, in ipſo fonte vocat. Preig.

481. *Cur ea ſunt?*] Marg. noſt. *Curbaſcunt.* Forte *Curvaſcunt*, niſi quis malit *Curveſcunt*, aut *Curviſcunt*, inde exſculpendum duxit. Certe apud.

Conturbare Animam conſuevit Corpore in ipſo?
At quaecunque queunt conturbari, inque pediri,
Significant, (paullo ſi durior inſinuarit
Cauſa) fore ut pereant, aevo privata futuro.
Quinetiam, ſubita vi morbi ſaepe coactus
Ante oculos aliquis noſtros, ut fulminis ictu,
Concidit, & ſpumas agit, ingemit, & tremit artus,

De-

INTERPRETATIO.

in ipſo Corpore conturbat Mentem? At vero quæcunque conturbari poſſunt & impediri, indicant (ſi vis paulo major & vehementior ſubierit) futurum eſſe ut pereant ævo futuro ſpoliata. Imo nonnunquam Aliquis ſubita vi Morbi ante oculos noſtros tanquam fulmine proſtratus cadit, ſpumas agit, gemit, totos artus contremiſcit,

VARIÆ LECTIONES.

486. *Quinetiam.* Quando etiam K. Q. *ſubita.* ſubito K. L. P. X. Y. Z.

NOTÆ.

pud Cic. 1. Tuſc. Quæſt. cap. 28. ex veteri Poeta legimus:

Rami baccarum ubertate incurviſcere.

Subit hoc loco cogitare, Veteres fortaſſe *Curvaſcere*, ad formam & *Teneraſcere*, quod inf. uſurpabit Noſter, verſ. 766. &c. uſurpaſſe; Lucretium autem hoc loco ad habitus Corporis, &c. inordinatos traduxiſſe, quemadmodum primitivum *Curvus*, alii etiam ad animum tranſtulere, ex. gr.

O curvæ in terras animæ, & cœleſtium inanes.

Ut ſit ſenſus: Et jam cætera, de genere hoc, quæ ſequi ſolent, hoc eſt, cæteræ actiones, facta, dictaque, & geſtus corporis, *quare curvaſcunt?* Amat hanc ſimilitudinem Poeta, ut in illis:

Denique ut in fabrica ſi prava'ſt regula prima,
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua ex parti claudicat hilum,
Omnia mendoſe fieri, atque obſtipa neceſſe eſt,
Prava, cubantia, prona, ſupina, atque abſona tecta.

Gaſſ. habet: *Cur ea ſint?* Preig. Optime Preig. meus, & confirmat uterque Cod. Lugd. Bat. Hav.

482. *Conturbare animam, &c.*] Atqui non animam conturbat vini violentia, ſed corpus: quo conturbato, minus expedite ſuo munere animus fungi poteſt. Lamb.

482. *Corpore in ipſo*] Tota argumenti vis in his duabus voculis ſita eſt; iis opponet τὸ *ævo futuro*, verſ. 485. & τὸ *aëre aperto*, verſ. 507. Fab.

484. *Inſinuarit*] Intrarit, ſubierit. Lamb.

486. *Quin etiam ſubit*] Quintum: cujus eadem ratio eſt, atque ſuperioris: & conjungit utrumque Ariſtoteles, his verbis καθάπερ ἐν μέθαις καὶ νόσοις, id eſt, *quemadmodum in ebrietatibus & morbis*, &c. Lamb. Quinto v. 23. Poſt Ebrium, Spectaculum non illepidum, Comitiali morbo proſtratum, horrendum quidem, & quod nemo libenter ſpectaret, oculis noſtris exhibet, attamen Venuſtas verſuum *Lucretii* facit ut aliqua jucunditate contemplemur; ita enim diſtendit miſerum, ita ſua membra jactantem depingit, ut quamvis ingenio male collocato iraſcamur, Artifici tamen ignoſcere debemus: Comitiali morbo affectus deſipit & delirat; Deſipientia vero iſta diſſolutionem ſubſtantiæ Animi, ſaltem conturbationem indicat, Quod vero in ipſo Corpore diſſipari poſſit, quis arbitretur in aperto Aëre (Anima Corpore exſoluta in Aëre degat neceſſe eſt) integrum manere? Idem enim diceret Aquam in Vaſe undique conquaſſato manere poſſe, quæ Vaſe perforato diffunderetur. Creech.

487. *Ut fulminis ictu concidit*] Fortaſſe ſignificat morbum comitialem. conjunge autem verba ſic: ſubito concidit ante ocul. noſtr. vi morbi coactus, ſi legas, *Quinetiam ſubito*, &c. nam alibi legitur, *ſubita vi morbi*. Lamb.

488. *Concidit, &c.*] Haud ſcio an ullibi verſus τεχνικώτερος reperiatur. Faber.

490.

Deſipit, extentat nervos, torquetur, anhelat,
Inconſtanter & in jactando membra fatigat:
Nimirum, quia vis Morbi diſtracta per artus
Turbat agens Animum, ſpumans ut in aequore ſalſo
Ventorum validis ferveſcit viribus Unda.

Ex-

INTERPRETATIO

delirat, extendit nervos, contorquetur, ægre reſpirat, membraque ſua jugiter & perpetuo jactando fatigat: ſcilicet, quia vis morbi per artus diſperſa conturbat agitatque mentem, ut in mari ſpumans unda valido procellæ impetu ferveſcit.

VARIÆ LECTIONES.

489. *Deſipit.* Diſſipit K.
490. *Inconſtanter.* Incunctanter D.
491. *quia.* qua K. Q1. Y. Z.
492. *Animum.* animam N. *ſpumans ut.* ſpumant ut D. ſpumantes ut in A. B. ſpumantes ut Q1. ſpumans in K. Q. ſpumanti ut in c. K. P. ſpumantes æquore C. E. I. L. *Gaſſ.* N. ſpumatis in X. ſpumans velut Y. Z.
493. *validis.* ac validis D. ut L. *Gaſſ.* N. *ferveſcit.* ferviſcunt A. B. L. ferveſcunt C. D. E. I. K. P. *Gaſſ.* Q1. V. X. Y. Z. *Unda.* undæ A. B. C. D. E. I. L. P. *Gaſſ.* N. V. X. Y. Z.

NOTÆ.

490. *Inconſtanter*] Illud, *Incunctanter*, quod habent Var. Lect. neſcio quomodo mihi magis arridet, unde unde emerſerit. Forte in lib. vett. repertum fuerit: *Incontanter*, unde vulgatum: *Inconſtanter.* Certe quam inſulſe quis membra ſua aut *jactare*, aut *fatigare inconſtanter* dicatur, quilibet facile videt. Conſtantiam quippe in hujuſcemodi motibus nemo, cunctationem, ſeu intermiſſionem ac moram cuncti optabunt, qui circumſtant. Sed fortaſſe ita diſtinguendum:

Torquetur, anhelat
Incunctanter, & in jactando membra fatigat.

Quod ſi cui placebit, *Inconſtanter*, quidem retinere poterit, ſed & *Incunctanter* apte quadrabit. Preig. Conſtrue: *& fatigat membra in jactando inconſtanter.* quod is facit, cui nulla in uno loco membrove diuturna eſt requies. Hav.

491. *Quia vis*] Lugd. Bat. uterque *qua vis*, non inepte, reſpectu ad membrorum inconſtantem jactationem; quum nunc manus, nunc pes &c. moveatur. Duos ſequentes verſus haud pejus ita iidem conſtituunt:

——— ——— *Spumans velut æquore ſalſo*
Ventorum validis ferveſcunt veribus undæ. Hav.

492. *Agens animam*] Id eſt, pellens animam. Lamb.

492. *Spumantes æquore*] Quia inter ſe non conſentiunt hoc loco libri calamo exarati, ſecutus ſum vulgatos. proponam tamen ſcripturæ veteris varietatem. alii habent,

——— ——— *Spumans in æquore ſalſo*
Ventorum val. ferveſcunt, virib. undæ:

alii,

——— ——— *Spumans velut æquore ſalſo*, &c:

ut ſupr. ex quibus ſcripturis vel ſic legendum

——— ——— *Spumans ut in æquore ſalſo*
Ventorum validis ferviſcit viribus unda:

vel ſic

——— ——— *Spumans velut æquore ſalſo*
Ventorum, &c.

ut ſup. *ſpumantem* undam etiam Virgil. dixit Georg. 4: 529.

Quaque dedit, ſpumantem undam ſub vertice torſit. Lamb.

492. *Spumantes ut in æquore*] Ita ex veteribus libris reſtitui; *s* litera in, *ſpumantes* extrita. Vide Indicem. Cujus rei ignoratio mendum creavit. Quidam Veteres: *ſpumans velut*; male. Gifan. Alii, *Spumans velut*: Alii *Spumantes æquore ſalſo Ventorum ut* &c. Gifanius *Spumantes ut in æquore ſalſo* & litteram *ſ* in *Spumantes* abradit: En litem Grammaticis dignam! Creech.

496. *Ejiciuntur*] Id eſt emittuntur. ſic doctiſſimi viri legi volunt: quibus aſſentior. nam libri omnes habent *Eliciuntur.* ſic ſupra eodem libro: 58.

Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Ejiciuntur, &c.

ubi tamen libri omnes habent *Eliciuntur.* Lamb.

496.

Exprimitur porro Gemitus, quia membra dolore
Adficiuntur; & omnino quod ſemina vocis
Eliciuntur, & ore foras glomerata feruntur,
Qua quaſi conſuerunt, & ſunt munita viaï.
Deſipientia fit, quia vis Animi, atque Animaï
Conturbatur, & (ut docui) diviſa ſeorſum

Diſ-

INTERPRETATIO.

Gemitus vero exprimitur, quia membra dolore afficiuntur, & quod ſemina iſta (Atomi) quæ vocem conſtituunt ex imo pectore ejiciuntur, & foras per os, qua parte emitti ſolent, cum impetu feruntur. Delirat vero Iſte Homo vi morbi proſtratus, quia Animus & Anima conturbantur, &, uti modo, docui,

VARIÆ LECTIONES.

496. *Eliciuntur.* Ita C. E. P. Q1. X. Y. Z. ejiciuntur *Alii.*
497. Deeſt I. Delendum cenſent L. *Cr.* *munita.* minuta *vitioſe in Ed. Cr. ſecunda.*
498. *quia.* cum A. marg. c. O. P. qua Q1.

NOTÆ.

496. *Eiciuntur*] Ita & hic malui. In libris *Eliciuntur.* Vide Indicem. GIFAN. Marg. noſter, una cum Voſſianis, &c. *Eliciuntur.* Sic & ſupra, hoc libro, verſ. 58.

Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Ejiciuntur, &c. Ubi ſimiliter Noſter, inter alios: *Eliciuntur.* verbum, hoc loco, adeoque & ſupra, appoſitiſſimum rei, præſertim poſtquam jam præceſſit verbum *exprimitur* de gemitu, & *afficiuntur*, de membris; quæ vim extrinſecus illatam manifeſto notant; ſic enim & *eliciuntur*, tanquam vi externa, vocis ſemina, non *ejiciuntur*, quod vim intrinſecam notaret. PREIG.

497. *Qua quaſi conſuerunt, &c.*] Lambinus hunc verſum, ut ſpurium, delet cum ſit elegantiſſimus. GIFAN. Hunc verſum me auctore deleto, ut ſpurium. quem qui dicunt eſſe elegantiſſimum, ipſi ſunt omnis elegantiæ expertes, & imperiti, & cæci judicant de coloribus. Eodem judicio paullo ante ſic legendum putaverunt,

——— ——— *Spumantes ut in æquore ſalſo*
Ventorum validis ferviſcunt, &c.

ut litteram *s* (inquiunt) in *ſpumantes* intelligamus eſſe extritam. O elegantiam & venuſtatem inauditam, & vel ipſa Venere venuſtiorem, ſi Diis placet. LAMB. Qui Elegantiam hujus verſus cum *Giſanio* admirantur, iſti ſibi habeant. Id novi, iſtum cum omni ſua venuſtate abeſſe poſſe. CREECH. Tangit hunc verſum Palm. in Spicil. Tom. IV. Fac. Crit. pag. 681. eumque Lucretio vindicat, contra Lambinum. „*Canes conſuctos*, inquit, abſolute ſine „præterea verbo, vocat, (lib. IV. verſ. 995.) exemplo eodem, ſenſu alio tamen, quam Plautus *conſuetum puerum.* Idem in Pſeudolo (IV: 7: 82.)

„*Etiamne facere ſolitus es puer? ſcin quid loquar?*
„Male, hoc modo; nam legendum eſt: *E-*
„*tiamne ſolitus es puer?* &c. Neque enim me-
„ritorii pueri faciunt, ſed patiuntur. Verum i-
„gnorata vis eſt illius: *ſolitus. Conſuetos domi*
„pellepide, quantum quidem ejus judicare poſ-
„ſum, appellat, contra quam qui venatici.
„*Conſueſcere* autem *domi*, quemadmodum: *Cura-*
„*re domi*, Plautus; *Servare domi*, Terentius; a-
„lii alia. At Interpres Lucretianus ſuum hoc
„loco verſum inculcat; ſi Diis placet. Et qua-
„ſi parum ſit, alibi hunc delet:

„*Qua quaſi conſuerunt, & ſunt munita viaï.*

„Ut autem pueri *conſueſcere* dicuntur, atque „hinc *conſueti*, qui, ut Petronius ait, *teruntur.* „Sic *viæ conſueſcere*; & ea ſunt *munita viarum.* „Græca figura ſcilicet, *viæ munitæ.* Hæc PALM. At *munita viai*, quid niſi Homeri illud ἕρκος ὀδόντων, per quod ἔπος φυγεῖν ipſi ſolet. Confer Iliad. δ. 350. & ξ. 83. Odyſſ. etiam ψ. 70. HAV.

Disjectatur, eodem illo diſtracta veneno.
Inde, ubi jam Morbi ſe flexit cauſa, reditque
In latebras ater corrupti Corporis humor,
Tum quaſi vaccillans primum conſurgit; & omneis
Paullatim redit in ſenſus, animamque receptat.

INTERPRETATIO.

Semina illorum vi illius malignæ materiæ, in qua ſitus eſt hic morbus, diſtrahuntur: Deinde cum materia iſta morbifica e venis receſſerit, & ater Corrupti Corporis humor in propria ſua vaſa redierit, tum primum vacillans & debilis a Terra ſurgit, & paulatim ſenſus omnes, Animamque recipit.

VARIÆ LECTIONES.

500. *diſtracta.* deſtricta K.
501. *ſe flexit.* reflexit C. E. P. K. N. Q. X. Y. Z. deflexit K. Q1.
502. *latebras ater.* latebras acer K. Q1. Y. latebra ſacer Z.
503. *vaccillans.* Ita, vel *vacillans* A. B. C. E. N. P. V. X. Y. Z. quis vacillans Q1. Tumque vacillans id quaſi vas quoddam eſſe videtur P. *in not. ſed Lamb. eumque ſecuti*, talipedans.

NOTÆ.

500. *Eodem illo diſtr. veneno*] Divulſa & diſparata illo eodem veneno, nempe atra bili. Lamb.

503. *Tum quaſi vacillans*] Ita omnes libri. vacillantem Poëta fecit verſum ratione rei. Quod tralatitium. Nam & *vacillo* prima eſt brevis. Lambini *talipedans*, etſi egregium, & Ennianum ſit, non auſim recipere, contra omnes libros. Fortaſſe etiam *vacillo* primam habuit ancipitem. Gifan.

503. *Tum quaſi talipedans*] Sic hunc verſum reſtitui, haud dubia conjectura ductus. cujus mei facti nomine ſpero politos omneis his litteris homines mihi gratiam habituros. Nam vulgata quidem ſcriptura, quæ & in manuſcriptis, & in vulgatis libris reperitur, ſine dubio mendoſa eſt: nec poteſt nomen *vacillans* in hoc loco, ſalvis metri legibus, manere: nec verbum *vacillo* primam habuit umquam ancipitem: nec Lucretius voluit verſum facere vacillantem: nec ſcribendum eſt *vaccillans* gemino *cc*. Denique legendum *talipedans*, ut ego edendum curavi: quantumvis licet reclament Thraſones, & ſycophantæ. meæ autem conjecturæ ratio hæc eſt. Scriptum erat in emendatis membranis, *Tum quaſi talipedans*, &c. ſtudioſus aliquis lector ad oram libri ſui, in quo ſic erat ſcriptum, adſcripſerat *vacillans*, ut vocem obſcuriorem hac notiore declararet. Scriptor librarius, qui poſtea ex eo exemplo librum deſcripſit, omiſſo vero nomine, ſuppoſuit alterum interpretationis cauſa adſcriptum, nempe pro *talipedans*, *vacillans*. In quo genere ſæpe peccabant ſcriptores illi, quemadmodum ſupra admonuimus in *audeas*, pro *auſis*, & in *re vera tamen haud ſit*, pro *re non ſit tamen apſe*: & hoc libr. in extr. *invitus adhæret, & angit*, pro *ingratis hæret; & angit.* Sic apud Catull. carmine in Egnatium, ſcripſerant; *atque ruſſam defricare gingivam*, pro *ruſſam pumicare gingivam*: quod ex Apulejo in Apolog. notavit Adrianus Turnebus. Sic nuper apud Demoſth. in oratione κτ̀ Μειδίου, non longe ab extr. repoſui ἐκλώζετε ex Harpocr. pro ἐκκεκράγατε: quod eodem librariorum errore in codices Demoſthenis irrepſerat. Sic in oratione pro Milone, in proœmio, vulgo legitur *priſtinum morem judiciorum minime vident*, cum libri manuſcripti habeant, & à Quintiliano referatur, *priſtinum morem judic. requirunt.* quo modo ſe Fr. Fabricius Marcoduranus, Germanus, homo doctiſſ. & vir optimus, in libris manuſcr. reperiſſe ad me ſcripſit. *Talipedare*

Haec igitur tantis ubi morbis Corpore in ipſo
Jactetur, miſeriſque modis diſtracta laboret:
Cur eandem credis ſine Corpore in Aëre aperto
Cum validis ventis aetatem degere poſſe?

Et

INTERPRETATIO.

Cum vero hæc Anima in ipſo Corpore tantis morbis jactetur, miſerumque in modum diſtracta ſit, cur putes illam a Corpore ſolutam in aperto Aëre inter vehementes procellas vivere poſſe, & integram manere?

VARIÆ LECTIONES.

506. *Jactetur* —— *laboret.* *Jactentur* —— *laborent* A. B. C. E. N. P. X. Y. Z.
507. *eandem.* eadem A. B. C. E. P. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

re autem (inquit Feſtus) *antiqui dicebant, pro vacillare pedibus laſſitudine, quaſi quis trahat pedes, & talis videatur inſiſtere, aut identidem pedes tollelere.* LAMB. Egregia Lambini emendatio. Antea legebatur *vacillans*, contra metri rationes. *Talipedare* autem, ex Feſti gloſſis, eſt vacillare pedibus præ laſſitudine. FABER. Syllabæ (inquit Turnebus Adv. Lib. XXI. Cap. II.) vim adfert, quam contra naturam brevem proceram facit: ſed eadem fere licentia tendit *liquidum*, in quo tamen tum audiri debet ita ſonans *u*, ut in *vivido*, quaſi *licuidum*, aut ſi ut tenue diſſyllabum efferretur *u* conſonante: aut *vaxillans* erit legendum ea deductionis ratione à *vacillo*, ut à *pauculo pauxillum*: aut *c* geminato *vaccillans* legendum, ut in antiquo libro reperio. Hæc Turnebus, cujus ſcripturam confirmat uterque Lugd. Bat. nimirum ut *relligio* & multa ſimilia geminata; neque poſſum Lambini præclaram vocem admittere, quam certe vel unus ex tot MSS. ſervaſſet, vel veſtigia ejus oſtendiſſet, quum complures antiquas & inuſitatas ejuſdem Poëtæ voces nobis exhibeant. Neque Feſtus quoque (quo nititur) Lucretium ibidem laudat. HAV. Marg. noſter: „*Vacillans*, MSS. & recte, vide quæ ad Nonium.„ Voſſius quoque pater, in Etymol. ad v. *vacillo.* „Scio, inquit, „Lambinum, ubi *vacillans* legitur, priore longa„ (id autem non, niſi hoc loco fit apud Noſtrum) „ſive, ut in optimo noſtro MSSto „legitur, *vaccillans*; ſcribere, *talipedans*, voce „Enniana. Sed facit id præter codd. omnium „fidem„ Lambino, cujus iſta ſpecioſa magis, quam neceſſaria eſt emendatio, facile contra Giſanium conceſſerim, Lucretium non feciſſe verſus vacillantes; At quod addit, nec verbum *vacillo* unquam ancipitem habuiſſe primam, id vero nondum ita liquet; ſatis eſt, ſi vel ſemel tantum, uti hoc loco, omnium librorum fide, producat. Præſertim, cum ipſa vox *baculus*, unde noſtrum *vacillo*, quam commodiſſime deducitur, primam ſuam brevem in compoſitione vocis *imbecillus*, non apud Horatium modo, quem laudat Voſſius, loco citato, ſed & apud Noſtrum ſæpius producat. Vide lib. V. verſ. 1022. ut & III: 603. PREIG.

505. *Hæc igitur*] Hæc, nempe animus, & anima, ubi jactentur, & laborent; &c. vel dic hoc modo: hæc, videlicet anima, ubi tantis morbis in corpore ipſo jactetur, miſeriſque modis diſtracta laboret, cur eandem credis, &c. & ita *eandem* erit diſſyllabum, quod non eſt novum. Si in ipſo corpore (inquit) incluſa anima, in quo ab omni injuria tutior & munitior eſſe debebat, quam in aëre, tam gravibus tamen morbis afficitur, & tot malis conflictatur: quanto credibilius eſt, eam conturbatum atque agitatum iri extra corpus in aëre aperto à ventis jactatam? LAMB.

507. *Cur eandem*] Sic malo legi, ut jam dixi, & ſupra, verſ. 445. *jactetur, laboret*, ut referantur ad animam. atque ita in voce *eandem*, *e* & *an* coöleſcent in unam ſyllabam, ut ſæpe alibi. Quod ſi quis malet legi *eadem*, tum legendum erit *jactentur, laborent.* LAMB.

507. *Aëre aperto*] In ſupremis Ætheris Au-

Et quoniam Mentem ſanari, Corpus ut aegrum,
Cernimus, & flecti medicina poſſe videmus;
Id quoque praeſagit mortalem vivere Mentem:
Addere enim parteis, aut ordine trajicere aequom eſt,
Aut aliud prorſum de ſumma detrahere illum,
Commutare Animum quicunque adoritur, & infit;
Aut Aliam quamvis naturam flectere quaerit:
At neque transferri ſibi parteis, nec tribui volt,

Im-

INTERPRETATIO.

Et quoniam videmus Animum, ut ægrotum Corpus, ſanari poſſe, & medicamentorum vi alterari, inde quoque colligere poſſumus Animum iſtum mortalem eſſe. Quicunque enim conatur alterare Animum, aut aliquam aliam rem, vel partes aliquas adjiciat, vel aliquas auferat, vel ordinem & ſitum illarum mutet neceſſe eſt. At vero quodcunque Immortale eſt nunquam patietur,

VARIÆ LECTIONES.

511. *mentem.* vitam *Quidam.*
512. *trajicere.* traïcere Q1.
513. *aliud.* aliquid A. B. C. E. L. N. Y. Z. *illum.* hilum c. K. P. Q1. X. Y. Z.
514. *& infit.* & ipſum C. E. is ipſum N. P.
516. *tribui.* metui K. minui P. *in not.*

NOTÆ.

ris, *Fayus*: ubi viz. nulli flant Venti, nullæ ſæviunt procellæ, *Acute*! Creech.

509. *Et quoniam mentem, &c.*] Sextum argumentum. Animum ægrum ſanari videmus, ut corpus. ſanari autem nihil poteſt quin ei vel addatur aliquid vel detrahatur, vel trajiciatur. quod autem immortale eſt, ei nihil neque addi, neque detrahi poteſt: ergo animus eſt mortalis. Lamb. Sexto v. 16: Animum hunc delirantem & deſipientem Medicinæ ope reſtitui poſſe, & in priſtinam ſanitatem reduci cernimus; Ideo fit aliqua in Animo mutatio; Ergo adduntur novæ partes, detrahuntur aliquæ, aut alio ordine particulæ Animi collocantur; Omnis enim alteratio fit vel adjectione, vel detractione, vel trajectione particularum. At quod novas partes recipit, quod aliquas amittit, id etiam cujus partium ſitus & ordo mutatur, mortale ſit neceſſe eſt. Sive igitur ægreſcit Animus, ut argumenta ſuperius allata probant, ſive convaleſcit, ſuam mortalitatem confitetur. Creech.

511. *Præſagit*] Præſignificat. Lamb.

514. *Adoritur, & infit*] Aggreditur, & incipit. ſic idem lib. 5: 1207.

Illa quoque expergefactum caput erigere infit.

ſic & Virg. lib. 10: 100.

Tum pater omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas,
Infit.

& l. 11. 301.

Et Venulus dicto parens ita farier infit.

Plaut. Aul. 2: 4: 39.

Infit tibi poſtulare plorans, ejulans,
Ut ſibi liceret milvium vadarier.

Feſt. *Infit*, *incipit.* ne quis autem de hac ſcriptura dubitet, ſic habent tres libri manuſcr. ubi vulgati, *adoritur & ipſum*, plane vitioſe. mendoſe autem apud Priſc. in verbo *adoriri* hic verſus adſcribitur Lucillio. Lamb. Pro *incipit* liquido quoque ſumit Plautus Aulul. 2: 4: 39.

Homo ad prætorem plorabundus devenit.
Infit ibi poſtulare, plorans, ejulans.

Idem firmant Gloſſæ Philoxeni, in quibus legere eſt, *Infit*; ἄρχεται λέγειν. congrue ſane iſti Liviano, *Ibi infit, annum ſe tertium & nonageſimum agere.* Voss. De *Analogia Lib.* III. *Cap.* XL. Pæne ejuſdem ſignificationis utrumque eſt. Faber.

516.

Immortale quod eſt quidquam, neque defluere hilum.
Nam quodcunque ſuis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors eſt illius quod fuit ante.
Ergo Animus ſive aegreſcit, mortalia ſigna
Mittit (uti docui) ſeu flectitur à medicina:
Uſque adeo falſae rationi vera videtur
Res occurrere, & effugium praecludere eunti:
Ancipitique refutatu convincere falſum.
Denique ſaepe hominem paullatim cernimus ire,
Et

INTERPRETATIO.

ut ſibi aliquæ partes addantur, aliquæ detrahantur, aut ut ſuarum partium ſitus & ordo commutetur: Quodcunque enim alteratur, priſtinamque conditionem amittit, deſinit eſſe id quod ante fuit, & prorſus interit. Ergo Animus ſive ægreſcit, ſive à medicamentis alteratur, ſe, uti probavi, docet mortalem eſſe: tam aperte vanæ aliorum doctrinæ repugnat Experientia, omne effugium elabi conanti præcludit; falſumque evertit refutatione in utramque partem valente. Deinde frequenter videmus Hominem paulatim interire,

VARIÆ LECTIONES.

517. *defluere.* diffluere E. P.
521. *uti docui.* ut edocui Q. X.
522. *rationi.* rationis Q1. V. X. Y. Z.
524. *refutatu.* refutatur P. Q1. X. Y. Z.
525. *cernimus ire.* cernis obire C. E. N.

NOTÆ.

516. *Transferri*] Sic veteres libri, recte. Marullus, & Vulgati: *transferri.* GIFAN. *in altera tantum ed.* vitium, ut credo typogr. hic latet.

517. *Neque defluere hilum*] Ita ſcriptum reperi trib. lib. manuſcr. & in antiq. Venet. nam vulgati habent *diffluere. defluere* autem, i. e. *decedere.* tralatio. LAMB. Ita (*defluere*) recte Lambinus. Vulgati: *diffluere.* Contra, nos in Noctibus Atticis fecimus. GIFAN.

518. *Nam quodc. ſuis, &c.*] Hic verſus, & proximus, poſiti jam ſunt ſup. libr. 1: 671. LAMB.

520. *Ergo animus*] Sive igitur (inquit) fateamur animum incidere in morbum, & ægrum eſſe, ſive adhibita medicina ſanari: utrovis pacto immortalitatis ſuæ ſigna dat. LAMB.

522. *Falſæ rationi*] Eorum ſcilicet qui dicunt, animum eſſe immortalem: ut vult Lucretius. LAMB.

523. *Et effugium præcl.*] Sic locutus eſt lib. 1: 974.

Quorum utrumque tibi effugium præcludit, & omne Cogit ut exemta concedas fine patere. LAMB.

524. *Ancipitique refutatu*] Id eſt refutatione duplici, & in utramque partem valente, ſive hoc, ſive illud dicas. tralatio ducta eſt ab enſe ancipiti. LAMB.

525. *Denique ſæpe hominem*] Septimum argumentum. Partes hominis ſingillatim moriuntur, id eſt homo membratim interit, & ita ſcinditur anima: quod ſi fit, mortalis habenda eſt. LAMB. Septimo v. 22. Homines ſæpe membratim moriuntur, & ſenſim exſpirant, ideo etiam Anima ſenſim perit, quis enim dicat Animam, vividam viz. rem & ſentientem, in mortuis & ſenſus expertibus Corporis membris reſidere: Quod ſi exiſtimes Animam introrſum ſe recipere e membris moribundis recedentem, cur in iſtis partibus ubi conglomeratur Anima non vividior apparet ſenſus? An Anima ita conſtipata & in anguſtias redacta vim ſentiendi amitteret? cave ne-

Et membratim vitalem deperdere ſenſum:
In pedibus primum Digitos liveſcere, & Ungueis,
Inde Pedes, & Crura mori: poſt inde per artus
Ire alios tractim gelidi veſtiga lethi:
Scinditur atqui Animae quoniam natura, nec uno
Tempore ſincera exſiſtit, mortalis habenda eſt.
Quod ſi forte putas ipſam ſe poſſe per artus
Introrſum trahere, & parteis conducere in unum,
Atque ideo cunctis ſenſum deducere membris:

INTERPRETATIO.

ſenſumque vitalem membratim perdere; *Primum videmus digitos ungueſque pedum nigreſcere, deinde Pedes, & Crura mori, deinde frigidæ mortis veſtigia per alias partes Corporis ſenſim ſerpere ſentimus. Quoniam vero Anima diſcerpitur, nec eodem tempore tota ſincera, integra & incorrupta invenitur, credendum eſt eam mortalem eſſe. Si vero forſan exiſtimes iſtam Animam poſſe ſe per membra introrſum trahere, & partes ſuas per Corpus diſtentas in unum locum conducere, atque ita cunctis membris ſenſum deducere,*

VARIÆ LECTIONES.

526. *deperdere.* diſpergere (vel) diſperdere A. marg. diſperdere Z.
530. *atqui.* atque A. B. c. D. E. K. P. X. Y. Z. *animæ.* animi A. marg. animi hæc E. N. animo c. K. Q1. Y. Z. animo hæc P.
533. *introrſum.* introſum Y.
534. *ideo.* adeo A. B. c. I. P. Q. *deducere.* diducere Q1. Y. Z.

NOTÆ.

ne id fatearis, illud enim quod ita contractum interiret, æque mortale eſt ac quod per Aëra diſperſum & diſtractum volitat. CREECH.

525. *Paullatim cernimus ire*] Sic habent quattuor libri manuſcripti: quibuſcum conſentiunt impreſſi Pariſienſ. & Veneti antiquiores. *ire* autem valet interdum idem quod οἴχεσθαι, nempe *interire.* nam & *abiiſſe* dixiſſe veteres pro *obiiſſe*, teſtatur Feſtus, ut ſupra diximus. LAMB. Ita in veteribus pleriſque. In Aliis: *cernis obire.* Prius malim; ut ante: *Cernimus, & flecti, &c.* GIF. Al. *Cernis obire*: Sic v. 532. *Quod ſi forte putas.* & v. 542. *Fateare neceſſe eſt.* Verſu ſeqûenti Quidam legunt *Diſpergere.* CREECH.

526. *Deperdere ſenſum*] Quidam libri veteres habent *diſperdere*, ex quo putant nonnulli legendum *diſpergere*, ut infra 538.

Dilaniata foras diſpergitur, &c. LAMB.
Veteres quidam: *diſperdere.* Forte: *diſpergere*; ut mox: *diſperſa.* GIFAN.

528. *Inde pedes & crura*] Sic apud Platonem in Phædone extremo, Socrati, hauſto jam pharmaco, cum aliquantiſper ambulaſſet, & mox ſupinus recubuiſſet, pedes & crura primum frigore correpta ſunt, deinde tibiæ, poſtremo ſenſim vis pharmaci peſtiferi ad cor pervenit, & ita ille animam efflavit. LAMB.

530. *Atque*] Hoc, in quibuſdam libris inventum, malui. Vide Indicem. GIFAN.

530. *Animæ*] In Aliis: *animi*; non male. GIFAN.

532. *Quod ſi forte putas*] Occupatio, ſeu ἀνθυποφορά. Quod ſi forte arbitraris (inquit) animam ſe poſſe in unum contrahere, & introrſum recipere, totamque vim ſuam è membris omnibus deducere: hoc poſito & conceſſo, ſequetur neceſſario eum locum, in quem ſeſe receperit, & contraxerit, egregie ſentire ac ſapere. atqui id non fit: ergo diſpergitur ac diſſipatur, & ita interit. LAMB.

At locus ille tamen, quo copia tanta Animaï
Cogitur, in ſenſu debet majore videri.
Qui quoniam nuſquam eſt; nimirum, (ut diximus ante)
Dilaniata foras diſpergitur; interit ergo.
Quin etiam, ſi jam libeat concedere falſum,
Et dare, poſſe Animam glomerari in Corpore eorum,
Lumina qui linquunt moribundi particulatim:
Mortalem tamen eſſe Animam fateare neceſſe eſt.
Nec refert, utrum pereat diſperſa per auras,
An contractis in ſe partibus obbruteſcat:

INTERPRETATIO.

locus ille quo tanta Animæ copia coacervatur, debet videri majori ſenſu præditus: Cùm vero nullus talis locus inveniri poteſt, diſperſa, ut modo docui, è Corpore ejicitur, ideoque interit. Imo ſi jam quod falſum tanquam verum admittamus, & concedamus Animos eorum, qui membratim moriuntur, in unum aliquem locum contrahi & coacervari poſſe, neceſſe tamen eſt ut fatearis Animos iſtos mortales eſſe. Nec refert utrum per Aëra diſperſi pereant, an contractis in ſe partibus torpeſcant, & ſenſum amittant:

VARIÆ LECTIONES.

538. *diſpergitur.* diſpargitur Y.
542. *neceſſe eſt.* neceſſe Z.
543. *diſperſa.* diſperſe Y.
544. *An contractis in ſe partibus.* An contracta ſuis è partibus A. B. C. E. I. N. P. Q1. X. Y. Z. *obbruteſcat.* Quædam exempll. in not. P. *obputreſcat.* ebruteſcat X.

NOTÆ.

533. *Conducere in unum*] Conducere, συνάγειν, contrahere. LAMB.

534. *Adeo*] Et hoc rectius eſt. In Aliis: *ideo.* GIFAN.

535. *Locus ille tamen*] Pro *tandem.* FABER.

540. *Glomerari*] In unum cogi & contrahi. LAMB.

544. *An contracta ſuis è partibus obbruteſcat*] Ita libri, & vulgati, & veteres. Nonius: *Brutum:*

An contractis in ſe partibus.

Forte: *contacta ſuis in p.* Ita & apud Virgilium accidit, III. Georg. extremo: *contractos artus, &c.* ex vett. libris: *contactos.* Sed *contracta* reſpondet *diſperſæ.* GIFAN. Quid *obbruteſcat* ſit, lippis non eſt notum, ne multis quidem, qui ſibi oculei toti, ut Argus, videntur. Ego *obbruteſcere* eſſe puto, ſenſum amittere & vitam, & interire. Nam *brutum* eſt non *ſentiens.* Lactantius lib. 7. cap. 12. *Corpus enim quia e terra eſt, comprehenſibile eſt, temporale, brutum atque tenebroſum eſt; anima vero, quia e cœlo eſt: tenuis, æterna, ſenſibilis, illuſtris eſt.* Hic aperte *brutum*, id eſt *non ſentiens*, ſenſibili, id eſt ſentienti, oppoſuit. TURNEB. *Adv. Lib.* X. *Cap.* VIII.

544. *An contractis in ſe partibus obbruteſcat*] Sic legitur hic verſus apud Nonium Marcell. in nomine *brutum. Brutum* (inquit) *dicitur hebes & obtuſum.* Lucret. &c. Feſt. *obbrutuit, obſtupuit, à bruto: quod antiqui pro gravi, interdum pro ſtupido dixerunt.* Afranius:

Non poſſum verbum facere, obbrutui.

Nil refert (inquit) utrum anima diſperſa & diſcerpta intereat, an contractis & conductis in ſe partibus obſtupeſcat, & ſenſus ſuos amittat: quod fieri videmus in homine moribundo. LAMB.

Ita-

Quando Hominem totum magis, ac magis undique ſenſus
Deficit, & vitae minus, & minus undique reſtat.
Et quoniam Mens eſt Hominis pars una, locoque
Fixa manet certo, velut Aures, atque Oculi ſunt,
Atque alii ſenſus, qui vitam cunque gubernant:
Et veluti Manus, atque Oculus, Nareſve ſeorſum

Se-

INTERPRETATIO.

Siquidem ſenſus Hominem magis ac magis (*paulatim*) *deſtituit*, *& minus & minus Vitæ in illo ſupereſt. Et quoniam Animus eſt una pars Hominis*, *& in certo loco ſitus eſt*, *ut Aures*, *Oculi*, *& alii omnes ſenſus qui regunt & tuentur Animal*; *Et ut manus*, *Oculus*, *& Nares ab Homine*

NOTÆ.

Ita hunc locum profert Nonius. *Obbruteſcat* autem accipio pro, ſenſum amittat. Faber.

547. *Et quoniam mens eſt*] Argumentum octavum. Mens, hominis pars eſt, ut manus, oculus, &c. at pars à toto homine ſeparata, nec ſentire, nec eſſe poteſt. Ergo animus ſine corpore conſtare non poteſt. docuit autem ſupra, animum eſſe hominis partem, ut caput, aurem, manum, &c. verſ. 94.

Primum animum dico, mentem quem ſæpe vocamus,
In quo conſilium, &c.
Eſſe hominis partem nihilo minus ac manus, ac pes, &c. Lamb.

Octavo v. 10. Animus eſt pars Hominis, ut ſuperius v. 94. probatum eſt, certoque loco continetur, perinde ac Nares, & Oculi: At Oculos effodias, & abſcindas nares, nec Illi Colores, neque iſtæ odores percipient. Idem igitur de Anima ſeparata dicendum eſt, dum illa non ſit minus, quam cæteræ partes, Corpori conjuncta. Creech.

550. *Et veluti manus, atque oculus*] Pars enim à toto ſeparata, pars eſſe deſinit, & habetur tanquam pictum quiddam: verbi gratia, manus picta, pictus oculus. qua de re ſupra. Cum his autem Lucretianis congruunt illa Arnobii lib. 3. *Neque enim partes hoc ipſum eſſe, quod totum eſt, aliqua in re poſſunt: aut ſibi ſapere, ſibi ſentire, quod ſine totius animantis aſſenſu nullis propriis afficiantur motibus.* Idem lib. 6. *Neque enim manus à capite ſeparata, aut pes diviſus à corpore, ſummam poſſunt præſtare totius, &c.* Lamb.

551. *Nequeant ſentire*] Sic habent duo lib. manuſcripti. alii *nequeunt*. Lamb.

552. *Sed tamen in parvo, &c.*] Hunc verſum non puto eſſe Lucretianum: itaque delendum cenſeo. quidam doctus eum ita legendum putat, *Sed tamen in parvo liquuntur tempore tali.* Lamb. Vide Emendationes. Faber. (Verum in *Emend.* ejus nihil reperitur.) Quidam legit. *Sed tamen in parvo liquuntur tempore tali*: Sed utraque Lectio *Lambino* diſplicet. *Fayus* vulgatam lectionem tuetur, & dicit Poëtam hoc velle, Pedes, Oculi, manus, &c. nihil ſentiunt, etiamſi vel minimo tempore ſeparata ſint à Corpore. Rejicit *Gaſſendus*, & profecto hunc verſum neſcio quis inſeruit, ut commoda interpretatione voces iſtas *neque eſſe* in præcedenti verſu illuſtraret; Nec dubito illum ſcripſiſſe

Sed tamen in parvo liquuntur *tempore* tabi. Creech.

Egregia, omniumque applauſu digna Iſ. Voſſii emendatio eſt:

Secta etenim parvo liquuntur tempore tabi.

Quam & Marg. noſt. agnoſcit. Addito: „*tabi* „pro *tabe*, ut *parti*, *contagi*, &c.„ *Liquuntur* quoque verbum Lucretianum. Sic II: 1131.

In partem pejorem liquitur ætas.

& IV: 1237.

Liquitur extemplo, &c.

Hinc Virg. I. Georg. verſ. 44.

Gelidus canis cum montibus humor
Liquitur. Preig.

554. *Illius quaſi quod vas*] Plato in Timæo σῶμα, hoc eſt *corpus*, ait eſſe ψυχῆς ὄχημα, id eſt *animæ vehiculum*: in Cratylo σῆμα, id eſt *ſepulcrum*: Xenocrates, ſeu, ut alii volunt, & teſtatur Harpocratio, Æſchines Socraticus, in Axiocho, σκῆνος, id eſt *tabernaculum*, *& domicilium*

Secreta à nobis nequeant ſentire, neque eſſe:
(Secta etenim parvo liquuntur tempore tabi)
Sic Animus per ſe non quit ſine corpore, & ipſo
Eſſe Homine, illius quaſi quod Vas eſſe videtur:
Sive aliud quid vis potius conjunctius eji
Fingere, quandoquidem connexu corpus adhaeret.

De-

INTERPRETATIO.

ſeparata neque ſentire poſſunt, neque eſſe, Sed tamen in parvo tali tempore linquuntur: Sic Animus non poteſt exiſtere ſeparatus a Corpore Hominis, quod eſt tanquam ejus Vas, vel quodcunque aliud excogitare potes illi magis conjunctum, ſiquidem unitus corpori adhæret.

VARIÆ LECTIONES.

551. *nequeant.* nequeunt A. B. C. E. P. Q1. X. Y. Z.

552. *Secta etenim* &c. Vulgati paſſim: *Sed tamen in parvo linquuntur tempore tali.* linguntur Q. X. Y. Z. liquuntur A marg. Cr. *tabe.* tabi Cr. V. Hunc ſpurium eſſe ajunt L. *Gaſſ. Creech.* Secta etenim parvo *vincuntur* tempore tabi V. liquuntur V. Ex quibus patet veriſſimam eſſe lectionem eam, quam repoſuimus.

554. *Homine.* Marg. noſt. *hominem.*

555. *quid vis potius.* Ita C. N. P. Y. Z. quidvis potis es *Lamb. Aliique. conjunctius.* connexius A. B. connectius a I. Q. connectimus X.

556. *connexu.* Sic C. E. N. P. Q. V. X. Y. Z. *Alii* connexus. *corpus.* Ita B. C. E. N. P. V. Y. Z. corpori *Reliqui.*

NOTÆ.

lium. M. Tull. lib. I. Tuſcul. *Noſce animum tuum; nam corpus quidem quaſi vas eſt, aut aliquod animi receptaculum.* Lamb.

555. *Sive aliud quidvis potis es*] Sic legendum, non *potius*: ut eſt in lib. vulgatis. *potis es* autem valet *potes.* quidam legunt *poſſis.* Lamb.

555. *Potis es*] MSStorum lectionem *potius* agnoſcit quoque Marg. noſt. quam ſi ideo tantum in *Potis es* commutatam voluere Critici, ut eſſet, quo referretur infinitivum *Fingere*, ut ſuſpicari licet; inanem haud dubie operam ſumpſere. Quippe præcedens, *quid vis*, quid ni idem poſſit, quod, *ſcilicet*, lib. II. verſ. 468.

Scilicet eſſe globoſa tamen, &c.

Aut, *videlicet*, lib. I. verſ. 211.

Eſſe videlicet in terris primordia rerum.

Verborum itaque hic ſit ordo: ſive aliud quid conjunctius ei potius vis fingere. Preig.

555. *Conjunctius eji*] Quidam libri veteres habent *connectius.* ex qua ſcriptura videtur legendum *connexius eji.* Lamb.

555. *Connexius*] Ita veteres libri omnes, niſi quod habent fere: *connectius.* Marullus: *conjunctius.* Gifan. *in ed. pr.*

555. *Connectius*] Marullus: *conjunctius.* Alii: *connectius*; non bene. Gif. *in ed. poſt.* At *connexius* heic improbare voluit. Vide Collectanea ejus, in: *Connectus.* Preig.

556. *Connexus corpori*] Cum reperiſſem in duobus lib. manuſcr. *Connexus corpor adhæret*, repoſui *corpori*, addita vocali *i.* quæ lectio perſpicue eſt recta. licet etiam legere, *connexus corpore adhæret*, id eſt nexus cum corpore adhæret. quamquam minus probo. alii legunt, *connexus corpus adhæret.* quam lectionem æque improbo. Lamb. Marg. quoque noſter *connexu corpus adhæret*, Iſ. Voſſii auctoritate adſcripta. Genus loquendi, *corpus adhæret*, ut *corpus* ſit quarti caſus, contra Lambinum ſatis probat in collectaneis ſuis Gifanius. *Connexu* autem elegantioribus magis arriſurum, quam *connexus*, non dubito. *Connexu*, ut ſimplex *nexu*, in vett. formulis: *mancupio & nexu*, *uſu* & *fructu.* De quibus ad hujus libri verſ. 984.

Denique Corporis, atque Animi vivata poteſtas
Inter ſe conjuncta valent, vitaque fruuntur.
Nec ſine Corpore enim vitaleis edere motus
Sola poteſt Animi per ſe natura, nec autem
Caſſum Anima Corpus durare, & ſenſibus uti;
Scilicet, avolſus radicitus ut nequit ullam
Diſpicere ipſe Oculus rem ſeorſum Corpore toto:

Sic

INTERPRETATIO.

Denique Corpus & Anima dum unita ſunt vigent, & vita fruuntur, Anima enim a Corpore ſeparata & per ſe exiſtens vitales motus edere non poteſt, neque Corpus Anima deſtitutum poteſt diu exiſtere, & ſentire: ut Oculus ſua ſede evulſus & a Corpore ſeparatus rem ullam videre nequit:

VARIÆ LECTIONES.

557. *vivata.* vaſta poteſtas K. animo innata, *Quoddam Exemplar Pii.* animai innata Q1.
558. *fruuntur.* feruntur Q. X.
562. *avolſus.* avolſis A. B. C. N. P. *radicitus.* radicibus A. B. C. D. E. I. N. P. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

Vitaque mancupio nulli datur omnibus uſu. Preig.

557. *Denique Corporis atque Animi* &c.] Novum argumentum v. 22. continetur: Dum Corpus & Anima conjungitur vivit Animal, & ſentit; Abeat Anima, inſenſile fit Corpus, pariter Anima à Corpore ſoluta fit inſenſilis: Animam dicas Oculum Corporis, at quis in effoſo Oculo viſum quærat? Præterea ſi Animæ Semina non cohiberentur venis & nervis, nunquam iſtis motibus, e quibus ſenſus oritur, affici poſſint; Omnes enim iſti motus certum ſpatium, & limites definitos poſtulant. Si vero dicas Animam a Corpore ſolutam rite ab Aëre cohiberi poſſe, perinde eſt ac ſi affirmares Aërem eſſe Animalem, quod Abſurdiſſimum ſimul & falſiſſimum videtur. καὶ μὴν καὶ λυομένου τοῦ ὅλου ἀθροίσματος, ἡ ψυχὴ διασπείρεται, καὶ οὐκέτι ἔχει τὰς αὐτὰς δυνάμεις, οὐδὲ κινεῖται, ὥς τε οὐδ' αἴσθησιν κέκτηται. Ὀυ γὰρ οἷόν τε νοεῖν αὐτὸ αἰσθανόμενον μὴ ἐν τούτῳ τῷ συστήματι ταῖς κινήσεσι ταύταις χρώμενον, ὅταν τὰ στεγάζοντα, καὶ περιέχοντα μὴ τοιαῦτα ᾖ, ἐν οἷς νῦν οὖσα ἔχει ταύτας τὰς κινήσεις. Epicurus ad Herodotum. Creech.

557. *Vivata poteſtas*] Ut ſupra, verſ. 410.

ſtat cernendi vivata poteſtas.

Ex Variantibus tamen Lect. patet, in quodam exemplari ſuo reperiſſe Pium: *animo innata poteſtas*, neglecta, ut fit, eliſione. Quod ipſum viris doctis anſam præbuit, & hoc loco aliquid excogitandi, quod otioſo huic, ac tantum non intempeſtivo epitheto ſubſtituerent. Nam, ut ſupra, loco jam citato pro *vivata*, *vitata*, ita hic, non minori mentis acumine ſibi ſeu perſuaſere, ſeu ſuſpicati ſunt, reponendum *vaſta poteſtas*. Quam apte autem ſupra reponatur:

Stat cernendi vitata poteſtas,

ſatis ipſe contextus declarabit. Hoc loco numeris modo proſpiciendum. Lege itaque, ut in promptu eſt:

Denique corporis atque animai vaſta poteſtas
Inter ſe conjuncta valent, vitaque fruuntur.

Senſus apertus eſt, & Lucretii hypotheſi aptus. *vaſta* enim eſt lata, late diſperſa. Sic fere lib. v. verſ. 1289.

——— ——— *& vulnera vaſta ferebant.*

Cæterum cum hoc, tum ſuperiori loco illud *vivata* non aliunde iuculcatum putem, quam ex verſu hujus libri 680.

Præterea ſi jam perfecto corpore nobis
Inferri ſolita eſt animi vivata poteſtas.

ubi propriam abſque controverſia ſedem occupat. Quoniam autem ibi *animi vivata poteſtas*, ſimi-

Sic Anima atque Animus per ſe nil poſſe videntur:
Nimirum, quia per venas & viſcera miſtim
Per nervos, atque oſſa tenentur corpore ab omni.
Nec magnis intervallis Primordia poſſunt
Libera diſſultare, ideo concluſa moventur
Senſiferos motus; quos extra corpus in auras
Aëris haud poſſunt poſt mortem ejecta moveri:

Pro-

INTERPRETATIO.

Sic Anima ſeparata videtur nihil poſſe; nimirum quia per venas, oſſa, viſcera, & nervos diſperſa a toto Corpore continetur. Neque illius Semina magnis intervallis diſſita, & a nullo ſolido Corpore cohibita concurrere, & mutuo ferire poſſunt, ideo concluſa moventur motus ſenſiferos, quos in tenuem Aëra poſt mortem e Corpore ejecta moveri non poſſunt;

VARIÆ LECTIONES.

564. *videntur.* videtur E. N. P. X. Y. Z.
565. *miſtim.* mixti K. Y. Z.
568. *moventur.* movebunt C. E. N. P.
570. *haud.* haut V. at Y. ut Z. *moveri.* movere E. N. P. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

ſimiliter, & eodem colore, imo & ſenſu dicitur, quo libro 1. verſ. 73. *vivida vis animi;* vix dubito, quin utrumque locum, ſi non unice, certe præcipue ob oculos habuerint, & inter ſe contulerint Grammatici veteres, cum ſcriberent, ut apud Verrium Flaccum: *Vivatus & Vividus à Poëtis dicuntur a vi magna.* Preig.

561. *Caſſum*] Inane, vacans. Virg. Æn. 11. 104.

Nullum cum victis certamen & æthere caſſis.

Horat. ſat. 5. lib. 2: 36.

Contemtum caſſa nuce pauperet. Lamb.

Caſſum Veteres *Inane* poſuerunt, & arbitrandum eſt ejus verbi proprietatem magis ab Aranearum *Caſſibus* dictam, quod ſint levis ac nullius ponderis; non ut quibuſdam videtur, quaſi *quaſſum*: Plaut. Aul. 2: 2: 14. *Virginem habeo grandem, dote* caſſam, *atque illocabilem.* Nonius. Creech.

562. *Scilicet avolſus radicitus*] Sic jam edendum curavi in ſecunda editione, longe melius, quam vulgo legitur,

Scilicet avolſis radicibus, &c. Lamb.

562. *Avolſus radicitus*] Probat hanc lectionem Marg. noſt. cum MSStorum tum Iſ. Voſſii auctoritate. Preig. Verior forſan Lugd. Bat. utrorumque lectio *avolſus radicibus*, i. e. oculus ſeparatus à radicibus ſuis quibus corpori adhærebat; uti verſ. 550. omnia illa *ſecreta a nobis* negantur ſentire poſſe. Hav.

563. *Ideo, &c.*] Forte: *adeo.* Pulcre hæc reſtituit Lambinus ex libris veteribus. Gifan.

568. *Concluſa moventur ſenſiferos motus*] Primordia animi (inquit) in corpore incluſa, non poſſunt magnis intervallis evagari, atque diſſultare: ſed moventur motus ſenſiferos & vitalcis: mortuo autem homine, non jam continentur vinculis, ſed ſoluta & libera diffugiunt, & diſſultant majoribus intervallis. *moventur* autem repoſui, cum antea legeretur *movebunt*, ſecutus quattuor lib. manuſcriptos. atque ita loquuntur non ſolum Latini, verum etiam Græci. Ariſtot. lib. 1. de anima: *ἣν κίνησιν τὸ σῶμα κινεῖται, ταύτην καὶ ἡ ψυχή.* id eſt, *quem motum corpus movetur, hunc motum movetur & animus.* Thucyd. lib. 1. *κειμένη θέσιν*, id eſt, *ſita ſitum.* Lamb. Ut ab Horatio, ſed ſine metaph. dictum eſt, 3. Od. 6: 21. *Motus moveri gaudet Ionicos matura virgo.* Faber.

570. *Ejecta moveri*] Sic legendum, non *movere*, ut eſt in vulgatis. conjunge autem hæc *ejecta*

Propterea quia non ſimili ratione tenentur.
Corpus enim atque animans erit Aër, ſi cohibere
Seſe Anima, atque in eos poterit concludere motus,
Quos ante in Nervis, & in ipſo Corpore agebat,
Quare etiam atque etiam reſoluto Corporis omni
Tegmine, & ejectis extra vitalibus auris,
Diſſolvi ſenſus Animi fateare neceſſe eſt,
Atque Animam, quoniam conjuncta eſt cauſa duobus.

De-

INTERPRETATIO.

quoniam tum non cohiberentur eo modo quo in Corpore cohibentur. Aër enim eſſet Corpus Animatum, ſi Anima ſeſe cohibere poſſit, atque in illo concludere iſtos motus, quos in nervis & in ipſo Corpore conjuncta Corpori peragebat. Quapropter omni tegmine Corporis reſoluto, & vitalibus auris extra ejectis, neceſſe eſt ut fateare & Animum & Animam, unam enim conſtituunt ſubſtantiam, diſſolvi.

VARIÆ LECTIONES.

572. *animans erit.* atque animum ferit aër K. Q. animum ferat aër c. P. X. animam ſerit X. Y. Z. animis erit C. animus B. æque animis erit N. *ſi.* ſic P. Q. X. ſe K.
573. *in eos.* in eo *Fab.* & *Creech.* *Seſe.* Eſſe Z.
574. *in nervis.* in venis A. B. c. I. P.
575. *Quare.* Quin Q1.
578. *animam.* animæ A. mar.

NOTÆ.

in auras. Lamb.

572. *Corpus enim, atque*] Si animi primordia, ſeu animi ipſi, ſimili ratione extra corpus ſeſe cohibere, & in eoſdem motus concludere poterunt, atque in corpore: aër, corpus, & animans erit. at hoc abſurdum: ergo, &c. Lectionem vulgatam non ſum ſecutus hoc loco: quæ talis eſt,

Corpus enim æque animis erit aër, &c.

Nam cum manuſcripti ſic habeant,

Corpus enim atque animam ſerit aër:

ex hac aliquantum corrupta ſcriptura, rectam & emendatam feci;

Corpus enim atque animans erit aër, &c.

quam ſcripturam taciti probant Thraſones. Lamb.

572. *Corpus animans erit aër, ſi cohibere*
Se ſe anima, atque in eos *poterit concludere motus,*
Quos ante in nervis, & in ipſo corpore agebat.] Et ratio & ſeries verſuum proxime ſuperiorum probant locum hunc in optimis quibuſque editionibus eſſe depravatum; legique debere, non *in eos*, ſed *in eo*: quæ vox referri debet ad *aërem* [..... *animans erit aër, ſi in* eo *motus ſuos edit.* Senſus eſt planiſſimus: *Si anima poterit non diſſipari ἔξω in aëre, ſique in* eo *motus illos concludet, quos prius in venis agebat, tum vero rem ridiculam inferre licebit, aërem, ſcilicet, eſſe animantem; quod falſum. Ergo*, &c. Faber *in Emend.*

572. *Atque animans*] Aliis placet *Æque Animis.* In ſequenti verſu *In eo* (viz. Aëre) recte legit *Faber*: id enim tum verſus proxime ſuperiores, tum verſus proxime inferior

Quos ante in nervis &c.

omnino probant. Creech.

573. *Atque in eos poterit*] Omnino legendum, uti quædam editiones habent, *atque in eo.* Vide Emendationes. Faber *in Not.* Durum eſt, quod emendationi ſuæ firmandæ, in explicationem ſenſus affert Faber; Quis enim dixerit, animam motus ſuos, (aut functiones ſuas) in corpore aut aëre concludere? Senſus ſit, *futurum, ut corpus atque animans ſit aër, ſi anima*, quæ

nem-

Denique quom Corpus nequeat perferre Animaï
Diſcidium, quin id tetro tabeſcat odore:
Quid dubitas, quin ex imo, penituſque coörta
Emanârit, uti Fumus, diffuſa Animae vis?
Atque ideo tanta mutatum putre ruina
Conciderit Corpus penitus, quia mota loco ſunt
Fundamenta foras animae; manantque per artus,
Perque viarum omnes flexus, in corpore qui ſunt,
Atque foramina? Multimodis ut noſcere poſſis

Di-

INTERPRETATIO.

Denique cum Corpus non poteſt pati ſeparationem Animæ, quin putreſcat, fæteat, & corrumpatur, Quid dubitas quin Anima ex intimis Animalis partibus excita veluti fumus diſperſa è Corpore effluxit? Atque Corpus putre hoc modo labefactatum tanta ruina corruit, quia Animæ fundamenta (ſemina Animæ intime ſita) ſuis ſedibus ejecta per artus, & per omnes poros; & meatus Corporis emanant. Et hinc multa demonſtrant Animæ

VARIÆ LECTIONES.

580. *Diſcidium.* Diſſidium Q1. *id tetro.* in tetro N.
581. *ex imo.* ea imo K. Q. Y. Z.
582. *Emanarit.* Et manarit Q. *animæ vis.* anima ejus Z.
583. *putre.* pute ruina A. marg. c. P.
584. *ſunt.* ſint Q1.
585. *manantque per artus.* manant animæque K. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

nempe in aëris auras ejecta, h. e. qua de ſermo eſt, ibi *ſeſe cohibere & concludere poterit, in eos motus, quos, &c.* id eſt, ad obeundas eas functiones, quas ante in corpore obiit. Nota hæc vis eſt præpoſitionis *In.* Adeoque nihil hic mutandum. Pro *ſeſe* Marg. noſt. *Eſſe*; mendoſe. Preig.

574. *Quos ante in nervis*] Libri veteres plerique habent *in venis*: quod magis probo. quamquam non admodum refert, utro modo legas. Lamb.

574. *In venis*] Ita in libris noſtris. Vulgati: *nervis*; quod eſt Marulli. Gifan.

578. *Atque animam*] Quidam legunt, *Atque animæ.* quod non improbo. Lamb.

579. *Denique cum Corpus* &c.] Decimum argumentum v. 12. incluſum eſt. Subducta Anima, quæ in partibus intimis ſita eſt veluti totius Animalis fundamentum, Corpus collabaſcens putreſcit, & in pulverem abit: Unde vero iſta tanta Corporis ruina, niſi quod Anima quæ membra omnia fulcire & continere videbatur, per poros & meatus Corporis emanarit? quæ vero ſic minutim diviſa fuit in ipſo ſui egreſſu, comparata ad diſperſionem videtur. Creech.

580. *Diſcidium*] Sic legendum, & ita ſcriptum eſt in membranis calamo exaratis. de qua voce jam ſæpe alias. Lamb.

580. *Quin id*] Id, nempe corpus. Lamb. Improbe *Quin vi.* Creech.

581. *Penituſque*] Et ex intimis atque abditis hominis partibus, & quod proxime dixit, ex imo. Lamb.

582. *Uti fumus, diffuſa*] Sic Epicurus: Καὶ μὴν καὶ λυομένου τοῦ ὅλου ἀθροίσματος, ἡ ψυχὴ διασπείρεται). id eſt; *Atqui ubi diſſolvitur tota ſumma* (id eſt totum animal) *diſpergitur animal.* Lamb.

583. *Atque ideo*] Al. *Atque adeo.* Lamb.

583. *Putre*] Quidam libri vulgati: *pute*; forſaſſe non male. Ut modo: *tetro odore.* Gifan.

 589.

Diſpertitam Animae naturam exiſſe per artus:
Et prius eſſe ſibi diſtractam Corpore in ipſo,
Quam prolapſa foras enaret in Aëris Auras?
Quinetiam, fineis dum vitae vertitur intra,
Saepe aliqua tamen è cauſa labefacta videtur
Ire Anima, & toto ſolvi de corpore membra:
Et quaſi ſupremo languefcere tempore voltus,

INTERPRETATIO.

particulas a ſeinvicem ſeparatas per artus exire, imo in ipſo Corpore diſtractas fuiſſe, antequam in tenuem Aëra emanavit. Imo dum adhuc vivit Animal, Anima ab aliqua cauſa labefactata videtur exire, & omnia Corporis membra diſſolvi; Vultus quaſi ſupremo tempore langueſcere,

VARIÆ LECTIONES.

589. *eſſe ſibi.* iſſe ſibi A.
593. Deeſt C. E. N. &c. ac Y. Z. *corpore membra.* corpore omnia membra Q. Y. Z.
594. Hunc ſpurium eſſe ajunt A. L. & *Creech.* delet Q.

NOTÆ.

589. *Eſſe*] Forte: *iſſe*; ut mox 593. *ire anima.* GIFAN. Non ſequor. CREECH.

591. *Quinetiam fineis*] Aliud argumentum. Quinetiam (inquit) anima interdum in ipſo etiam corpore incluſa, & intra fineis vitæ conſiſtens, labefactata videtur interire, & membra omnia diſſolvi: ergo multo magis, cum erit extra corpus, interibit. LAMB. Undecimum v. 14. In vulgo vocato Animi deliquio Animæ Animique vis ſic fracta eſt, ut paulo graviore cauſa incidente plane diſſolvenda arguatur: Cum vero ita labefactari poſſit Animus dum Corpus illum tegit & tuetur, quis credat tenuem iſtam ſubſtantiam ſuo tegmine exutam procellarum & aliarum rerum jugiter incurrentium impetus perferre poſſe? CREECH.

592. *Labefacta videtur ire anima, &c.*] *Ire*, id eſt abire, & interire, ut alibi diximus. ſecutus ſum autem codices manuſcript. nam vulgati ſic habent,

labefacta videtur,
Molliaque exſangui cadere omnia corpore membra,
Et quaſi ſupremo, &c.

atque hic proximus verſus, quamvis eum retinuerim, non videtur mihi Lucretianus. LAMB. Fortaſſe ſpurius eſt. A quibuſdam libris abeſt. Vide tamen ſupra, verſ. 467. de vultu cadenti. GIFAN.

593. *Ire anima, & toto &c.*] Sic veteres libri. Vulgati fere:

Molliaque exangui cadere omnia membra. GIFAN. Hunc verſum ὀβελίζει Interpres. FABER. Hunc & ſequentem verſum multi rejiciunt, nec Ego quidem illos injuriarum poſtulo. CREECH.

596. *Quod genus eſt, animo*] *Quod genus, aut animo.* Et: *liquiſſe ubi*, &c. non male. GIFAN.

596. *Animo malefactum*] Genus loquendi uſitatum veteribus, cum ſignificare volebant λειποψυχίαν, ſeu animi defectionem. Plaut. milite glor. 4: 8: 21.

Poſtquam abs te abiit, animo malefactum eſt huic repente miſeræ.

& alicui *malefactum* dicebant, cui aliquid incommodi eveniſſet. ut idem ibidem 2: 2: 11.

Neſcio quid malefactum noſtræ huic familiæ eſt.

contra *bene factum*, & *melius factum.* M. Tull. Tuſcul. libr. 1. *Præterea Pompejo noſtro familiari, cum graviter ægrotaret Neapoli, melius eſt factum.* Terent. Andr. 1: 1: 78.

—— factum bene. metui à Chryſide.

Legendum autem, ut edendum curavi,

Quod genus, eſſe animo malef. cum perh.

non, ut antea,

Quod genus eſt, animo, &c.

Quod genus enim ſolet per ſe poni, & valet *quale eſt, cujus generis eſt*, &c. quod alibi à nobis ob-

Molliaque exangui cadere omnia Corpore membra.
Quod genus eſt, Animo male factum quom perhibetur,
Aut Animam liquiſſe, ubi jam trepidatur, & omnes
Extremum cupiunt vitæ reprendere vinclum.
Conquaſſatur enim tum Mens, Animaeque poteſtas
Omnis? & haec ipſo cum Corpore conlabefiunt:
Ut gravior paullo poſſit diſſolvere cauſa.
Quid dubitas, tandem quin extra prodita corpus
Im-

INTERPRETATIO.

omniaque membra mollia cadere exangui Corpore; quod accidit, cum aliquis deliquium Animæ patiatur ubi jam vita in dubio eſt, & id agunt omnes Animalis vires ut ultimum vitæ nexum integrum retinerent. Tum enim Animus & Anima tota conquaſſantur, & cum ipſo Corpore ita labefactantur, ut Cauſa paulo gravior & vehementior diſſolvere valeret: Quid deinde dubitas quin e Corpore ejecta imbecillis,

VARIÆ LECTIONES.

595. Delent B. Q. Rejiciunt A. L.
596. *eſt*, *animo.* aut animo A. mar. c. O. P. *perhibetur.* perhibere K. perhiberet c. O. P. Q. *ſincerior lectio*, cum perhibetur P. *in not.* prohibetur X.
598. *vitæ.* Sic Q. Y. Z. vires *Reliqui.*
600. *hæc.* hoc Q. *conlabefiunt.* conlabaſcunt A. B. I. conlabeſcunt P. Q. X.
602. *prodita.* perdita P. Q. X.

NOTÆ.

obſervatum & notatum eſt. LAMB. Nam apud Plautum & Terentium, *animo male eſt*, ſignificat, animi deliquium patior. Λειποψυχεῖν in al. edit. legitur, *quod genus eſſe.* ſed τὸ *eſt* damnari non debet. FABER.

597. *Atque animam liquiſſe*] Λειποψυχίαν nominant Græci, id eſt *animi defectionem.* Ariſtot. περὶ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως· Ἀδυναμία τῆς αἰσθήσεως ἡ λειποψυχία: id eſt, *Animæ defectio eſt ſenſuum debilitas, ſive impotentia.* ſic apud Homerum Hector ab Ajace lapide percuſſus, animo & corpore concidit, Ιλ. ξ. LAMB.

597. *Ubi jam trepidatur*] Ab aſtantibus, *Omnes*, Aſtantes, tota familia, Amici *Fayus*: judicet Lector. CREECH.

598. *Extremum cupiunt vires &c.*] Marg. noſtr. *vitæ reprendere vinclum*; emendatio neceſſaria. Vulgata lectio nullius eſt ſenſus, certe nihil ad rem facit. Loquitur haud dubie hoc & loco de cognatis amicisve,

Ad vitam qui revocantes
Circumſtant, lacrymis rorantes ora genaſque.

ut ſupra, verſ. 469. PREIG.

600. *Conlabefiunt*] Sic legendum, non, ut quidam indoctiſſimi, iidemque arrogantiſſ. homines volunt, *conlabaſcunt*: quod verbum non poteſt hic locum habere, propterea quod ejus ſyllaba ſecunda brevis eſt. LAMB.

600. *Conlabaſcunt*] Sic Veteres noſtri. Marullus: *conlabefiunt.* GIFAN. Pro *Conlabefiunt* reponit *Conlabaſcunt* Gifanius, viz. exiſtimavit ille Poëtam (O rem ingenioſam) cum infirmum aliquod deſcripſerit, infirmos & vacillantes verſus de induſtria feciſſe. CREECH. *Conlabaſcunt*, Marg. quoque noſter refert. Ego vero circa hoc verbum ἐπέχω. Giſanio arriſit, opinor, ut verſus ipſe collabaſcere videretur. Quod ſi ita eſt, accipiat conditionem, cui lubitum fuerit. Mihi ſolidius quid circumſpiciendum videatur. Conf. quæ ſupra, ad verſ. 503. PREIG.

602. *Prodita*] Id eſt, foras edita, & prolata: ut ſup. lib. 2: 1152.

Aut aliquo tamquam parto, quod proditur extra.
Sic Arnobius loquitur lib. 4. *Per humani generis* ju-

Imbecilla foras, in aperto, tegmine dempto,
Non modo non omnem poſſit durare per aevom,
Sed minimum quodvis nequeat conſiſtere tempus?
Nec ſibi enim quiſquam moriens ſentire videtur
Ire foras Animam incolumem de Corpore toto,
Nec prius ad jugulum, & ſuperas ſuccedere fauceis:
Verum deficere in certa regione locatam:
Ut ſenſus alios in parti quemque ſua ſcit

Diſ-

INTERPRETATIO.

ſublato tegmine, in aperto aëre, non modo non in æternum integra manere, ſed ne per minimum quidem temporis ſpatium poſſet conſiſtere? Nemo quidem moriens experitur Animam ſuam e toto Corpore integram exire, prius ad jugulum, & deinde ad os aſcendere ut, tota ſimul & integra exiret, ſed in certa parte corporis ſitam ibi deficere & interire; ut unumquemque ſenſuum aliorum in propria

VARIÆ LECTIONES.

604. *omnem poſſit.* omne incolumis durare D. L. omne poſſit P. omne ut poſſit C. K. M. P. *in not.* Q1. ævum-omne *Gaſſ.*

608. *ſuccedere.* accedere A. mar. P. Q1. X.

609. *in certa.* incerta. Q1. *Marg. noſt. locatum.* locorum Q1.

610. *ſua ſcit.* ſuperſcrib. *ſuaſit* in Z.

NOTÆ.

jura, atque ipſius mortalitatis conſortia, cum auditis & legitis, ex illo atque ex illa Deus ille eſt proditus: nonne animi veſtri ſenſus tangit, humanum neſcio quid dici, & ex terreni generis humilitate proficiſcens? Profert hunc verſum Feſtus in voce *prodita.* LAMB.

603. *Tegmine demto*] Corpore detracto, quod animæ eſt tegmen. LAMB.

604. *Non modo non omnem poſſit*] Ita veteres libri. Cur ergo mutemus; vel, cum Marullo: *omne uti*; vel, cum Lambino: *omne incolumis*; ex lib. v. GIFAN. Hunc verſum ſic olim excudi juſſeram,

Non modo non omne incolumis, &c.

ex libro 5: 62.

Nec poſſe incolumis magnum durare per ævum.

Nam in libris omnibus ſic legitur,

Non modo non omnem poſſit durare per ævum.

quæ lectio ferri poteſt, ut intelligamus *ævum* uſurpatum eſſe à veteribus etiam in maſculino genere. LAMB. Sic *vitalem ævum* apud Plautum dici in Pæn. V. ſc. IV. verſ. 14. notatum Voſſio patri in Etym. Qui locus niſi in promptu eſſet hanc lectionem defendentibus, non levis apud me ſuſpicio oriretur, *omnem ævum*, non à Lucretio, profectum, ſed ab aliis ſubſtitutum ſimpliciori lectioni, *omne ævum.* Paſſim hujuſmodi locis, quod numeri non conſtare viderentur, variatum ſcimus. Sic *cornum* II: 388. maſculino genere dictum volunt, cum nihil obſtet qui neutrum ſervet, imo *verum* pro *veru* ejuſdem conditionis, ſeu formæ vocabulum apud Plautum maniſeſto neutrius generis eſt. ut ſupra l. c. monitum. Verum merito dubites utrum ſic, an vero:

Non modo non omne poſſit durare per ævum,

Lucretius ſcripſerit. Alterum enim rationi Grammaticæ, alterum metro renunciare viſum; utrumque ergo ſatis idoneum, quod male a naſutioribus acciperetur. Cætera, quæ proferuntur, maniſeſto mendicata ſunt. PREIG.

606. *Nec ſibi enim quiſquam*] Duodecimum v. 9. Et nequid intentatum relinquat, ad morientes provocat: Quis autem morientium experitur Animam ſuam ab extremis partibus ſurgentem per os ſuum integram exire, & non potius in ſingulis partibus, ut quemlibet ſenſum in ſuo or-

Diſſolvi: quod ſi immortalis noſtra foret Mens:
Non jam ſe moriens diſſolvi conquereretur:
Sed magis ire foras, veſtemque relinquere, ut Anguis,
Gauderet, praelonga ſenex aut cornua Cervus.
Denique cur Animi nunquam mens conſiliumque
Gignitur in Capite, aut Pedibus, Manibuſve, ſed unis
Sedibus, & certis regionibus omnis inhaeret:

Si

INTERPRETATIO.

ſua ſede debilitari ſentit, & extingui. Quod ſi mens noſtra foret immortalis, non jam cum mors venerit quereretur ſe diſſolvi, ſed potius gauderet ire foras, Corpuſque quo veſtitur relinquere, ut ſerpens exuvias ſuas aut annoſus Cervus ſua Cornua geſtit relinquere. Deinde cur Ratio Animi & conſilium (Animus ipſe) nunquam producitur in Capite, Pedibus, aut Manibus, (cur non Caput, Pedes, aut Manus ſint Animi ſedes) ſed tota Ratio certis quibuſdam ſedibus & partibus Corporis collocatur;

VARIÆ LECTIONES.

611. *immortalis.* mortalis Q.
612. *Non jam.* Non tam E. I. P. Q1. X. & *Lactantius.* Non tamen Z.
614. Deeſt Q1. Y. Z.
615. Deeſt Z.
616. *ſed unis.* ſed imis c. O. P. Q.
617. *omnis inhæret.* omnibus heret A. C. E. N. P. Q1. X. Y. Z. omnis hæret a. B. omne ibus hæret V.

NOTÆ.

organo, deficere? Nec dubitandum eſt Morientes Animarum diſſolutionis conſcios eſſe, alias quid quererentur? Læti profecto depouerent exuvias, ut Anguis pellem vel Cervus prælonga Cornua. CREECH.

608. *Et ſuperas ſuccedere fauceis*] Sic habent libri manuſcripti. *ſuccedere* autem, id eſt *ſurſum cedere, & aſcendere*, ut ſup. lib. 2: 203.

——— per auras
Aëris expreſſæ ſurſum ſuccedere.

& libr. 5: 1274.

Nunc jacet æs, aurum in ſummum ſucceſſit honorem. LAMB.

610. *In parti*] In parte, ut ſæpe alias. LAMB.

611. *Quod ſi immortalis*] Hanc hujus verſus partem, cum duobus deinceps ſequentibus, & principio quarti profert Lactantius Firmianus libro ſeptimo de divino præmio. LAMB.

613. *Ut anguis, gauderet*] Virgil. Georg. 3: 437.

Cum poſitis novus exuviis, nitiduſque juventa,
Volvitur. LAMB.

614. *Cervus*] De Cervis *Plinius* Nat. Hiſt. lib. 8. C. 32. *Cornua mares habent, ſolique Animalium omnibus Annis ſtato Veris tempore amittunt.* CREECH.

615. *Denique cur animi*] Etiam ex hoc loco intelligere licet, ex Epicuri & Lucretii ſententia, animi ſedem eſſe in pectore, ſeu in præcordiis, non in capite: & iccirco eos errare, qui ſupra libro 2: 45. legunt,

Tum vacuum tempus linquunt, curaque ſolutum;

pro *Tum vacuum pectus.* LAMB. Decimum tertium v. 9. Olim docuit Pectus eſſe Animi ſedem, & jam inde concludit, illam ita pectori eſſe alligatam ut extra iſtud degere non poſſit: Animum in Aëre exiſtentem quæras, & Flammam in Aqua, Gelu in Ignibus expectes. CREECH.

615. *Animi numquam mens,*] Lib. 4: 759. *Mens animi vigilat.* LAMB.

617. *Omnis inhæret*] Sic reſtitui: ubi vulgo legebatur, *omnibus hæret.* LAMB. Reſtitui *omnis*

hæ-

Si non certa loca ad naſcendum reddita quoique
Sunt: & ubi quidquid poſſit durare creatum?
Atque ita multimodis pro totis artubus eſſe,
Membrorum ut nunquam exſiſtat praepoſterus ordo.
Uſque adeo ſequitur res rem, neque Flamma creari in
Fluminibus ſolita eſt, neque in Igni gignier Algor.

Prae-

INTERPRETATIO.

ſi non certa quædam eſſent aſſignata loca, ubi res quælibet produci poſſit, & producta ætatem agere, iſtaque certa loca omnium variorum artuum ita vicem ſuſtinerent, ut nullus accidat in Corpore præpoſterus membrorum ordo: Tam certo Res rem ſequitur, neque Ignis in Aqua, neque Glacies in Igne produci ſolet.

VARIÆ LECTIONES.

619. *quidquid.* quicquam C. E. N. P. Q1. Q2. quiquam X.
620. Hunc & ſequentem delent L. *Gaſſ. multimodis.* multimode O. *pro totis artubus.* de totis c. P. per totis Q1. X. Y. par totis Q2. multimodis diſpertitum artubus eſſe V.
622. Deëſt *in* A. B. C. E. N. P. Q. X. Y. Z.
623. Deëſt *eſt.* X. Y. *gignier.* gignitur K.

NOTÆ.

hæret, ratione ductus. In libris: *omnibus*; nullo ſenſu. Gifan. *in poſt. ed. tantum.* Voſſianam ſeu emendationem, ſeu conjecturam refert quoque Marginalis noſter; nempe:

& certis regionibus omne ibus hæret.

Idem vocabulum reſtituit, feliciſſime, ut mihi quidem videtur, lib. II. verſ. 87. in hiſce:

neque quidquam à tergo ibus obſtat.

Num & hoc loco eundem applauſum mereatur, judicent alii. Mihi certe vulgata lectio: *omnis inhæret* nihil difficultatis habere videtur. Quid autem ſibi vult: *certis regionibus iis hæret*? Sic infra lib. VI. verſ. 1238. Idem vir doctus pro *Pœnibat*, margini aſpergit *Pæna ibus at*, licet nullo ſenſu. Preig.

619. *Et ubi quicquid*] Sic legendum, non, ut in vulgatis, *quicquam. quicquid* autem, id eſt, *quicque*, ut ſæpe alias, tum apud hunc ſcriptorem, tum apud alios. Lamb.

620. *Atque ita multimodis, &c.*] Hunc verſum & proximum delendos cenſeo, ut ſpurios, & à neſcio quo temere inculcatos: non pigebit me tamen admonere lectorem, hunc priorem verſum non uno modo legi; ſed in quibuſdam ſcriptis ſic,

Atque ita multi' modis in totis artubus eſſe;

in uno,

Atque ita multi' modis par totis, &c.

in aliis,

Atque ita multi' modis per totis, &c.

in vulgatis nonnullis,

Atque ita multi' modis pro totis:

in Pariſ.

Atque ita multimodis de totis, &c.

Omnino his verſibus deletis ſententia manebit integra, eritque planiſſima. Lamb. Ita in vett. libris. Gifan. Hunc verſum cum ſequenti expungit Lambinus; recte. Faber. Hunc cum ſequenti verſu *Lambinus*, *Gaſſendus*, Alii rejiciunt: *Giſanius* retinet, Illum ſequitur *Fayus*, & dicit *Lambinum* delere hos verſus ſine ratione, namque recte conferunt ad rem, ut patet ex ipſorum interpretatione noſtra: En bellam interpretationem! *Et ita fieri, ut nunquam ordo artuum ſit perverſus variis modis ſecundum varia omnia membra.* Aliam appoſui, quæ mihi ipſi non placet. Codd. exhibent *Par totis: Pro totis: In totis: De totis.* Creech.

620. *Pro*] *Pro, par, in, de.* Gifan.

620. *Artibus eſſe*] Hunc verſum, & ſequentem delet Lambinus; ego minime. Gif. Marg. noſt. *diſpertitom artubus.* Nimirum, ut ſupra, 587.

Praeterea, ſi immortalis natura Animaï eſt,
Et ſentire poteſt ſecreta à Corpore noſtro:
Quinque (ut opinor) eam faciundum eſt Senſibus auctam:
Nec ratione alia noſmet proponere nobis
Poſſumus infernas Animas Acherunte vagare.

Pi-

INTERPRETATIO.

Præterea ſi Anima ſit immortalis, & a Corpore noſtro ſeparata ſentire poteſt, debemus illam donare, uti exiſtimo, quinque ſenſibus, nec poſſumus Concipere Animas apud Inferos niſi his quinque ſenſibus inſtructas ætatem agere;

VARIÆ LECTIONES.

626. ***Quinque*, *ut opinor*.** Certe, ut opinor A. B. I. Quando ut c. O. P. ***auctam*.** auctum Y. Z. *ſed corrig.* auctam *in* Z.
628. ***vagare*.** vagari A. B. D. vocari C. E. K. N. Q1. vacare c. O. P. Y. vocare Q.

NOTÆ.

587. dixit:

Multimodis ut noſcere poſſis
Diſpertitam animæ naturam exiiſſe per artus.

Acute. Obſcurus tamen ſenſus. Preig.

622. *Creari in fluminibus*] Sic legendum, non, ut in vulgatis, *creari fluminibus*, ſine præpoſitione. Lamb.

623. *Algor*] Frigus. utitur & eodem nomine in quarta declinatione infra eod. lib. 732.

Sollicitæ volitant morbis, alguque, fameque.

624. *Præterea ſi immortalis, &c.*] Aliud argumentum. Si anima à corpore ſejuncta ſentire poteſt: ergo erit quinque ſenſibus prædita. at neque oculi, neque nares, neque manus, neque lingua, neque aures ſine anima eſſe poſſunt; neque ſenſus ſine oculis, naribus, lingua, auribus: ergo anima à corpore ſemota non ſentit: ergo non eſt immortalis. Hoc argumentum refelli poteſt ex iis quæ ſunt apud M. Tull. lib. 1. Tuſcul. *Animos per ſe viventeis non poterant mente complecti: formam aliquam, figuramque quærebant.* ſequitur paucis interpoſitis: *Has tamen imagines loqui volebant: quod fieri nec ſine lingua, nec ſine palato, nec ſine faucium, laterum, pulmonum vi & figura poteſt. nihil enim animo videre poterant: ad oculos omnia referebant. Magni autem ingenii eſt revocare mentem à ſenſibus, & cogitationem à conſuetudine abducere.* Lamb. Decimum quartum v. 10. Animam ſeparatam & immortalem concipe, ſubſtantiam ſentientem concipies, Ergo quinque ſenſibus ornatam; At unde ſenſus, cum Senſuum Organa Oculi, nares, manus, Lingua, Aures, in derelicto Corpore putreſcant? Creech.

626. *Certe; ut opinor*] Ita in veteribus libris noſtris. In Aliis: *Qui*, *Quando*, *Quinque*. Gif.

626. *Quinque, ut opinor*] Sic habent libri veteres, quibus uſi ſumus, & omnes vulgati, paucis exceptis, in quibus impreſſum eſt *Quando, ut opinor*, &c. plane mendoſe. Quod autem quidam, *Certe, ut opinor*, &c. legi volunt, nugas agunt. Lamb.

626. *Eam faciundum eſt,*] Id eſt, eam facere oportet: ποιητέον. ſupra notavimus hoc loquendi genus, admonuimuſque eſſe huic ſcriptori familiare. Lamb.

627. *Nec ratione alia, &c.*] Immo vero poſſemus, *ſi cogitationem à conſuetudine abducere poſſemus*, ut ſcribit M. Tullius: & ſi mente complecteremur animos aliam vitam ſolos, & per ſe, viventeis, quam cum in corporibus incluſi ſunt. Lamb.

628. *Acherunte vagare*] ut videre licet apud Homerum, & Virgil. *Acherunte* autem excudendum curavi, quemadmodum ſcriptum eſt in membranis calamo exaratis. dicebant enim veteres, *Acheruns*, *Acheruntis*. Plautus Amphitr. 4: 2: 9.

Verbero, etiam quis ego ſim; me rogitas, ulmorum Acheruns?

Tum *vagare* excudi volui, cum in duobus manuſcript. ita ſcriptum reperiſſem, in totidem, *vacare*. *vagare* autem idem valet quod *vagari*:

Pictores itaque, & Scriptorum ſaecla priora
Sic Animas introduxerunt ſenſibus auctas.
At neque ſeorſum Oculi, neque Nares, nec Manus ipſa

Eſ-

INTERPRETATIO.

Pictores igitur & Veteres Scriptores nobis exhibuerunt Animas his quinque ſenſibus præditas. At neque Oculi, neque Nares, neque Manus,

VARIÆ LECTIONES.

631. *ſeorſum.* ſorſum Q. *ipſa.* ipſi P.

NOTÆ.

eoque verbo utitur & Plaut. Mil. glor. 2: 5: 14.

——— *te alloquor, vitii, probrique plena,*
Quæ circum vicinos vages.

quidam repoſuerunt, *vocari*: quæ ſcriptura quamquam reperitur etiam in uno atque altero cod. ſcripto, non probatur mihi tamen. Lamb.

628. *Vagari*] Ita in veteribus libris. Vulgati: *vocari.* In Aliis: *vocare.* Ut etiam non malum ſit: *vagare.* Gifan.

628. *Vagare*] Pro *vagari.* Faber.

630. *Senſibus auctas*] Id eſt, præditas. ſic Catull. carm. de Manl. & Jul. nupt.

——— *quæ nullis ſenſibus auctæ*
Nec miſſas audire queunt, nec reddere voces.

Lamb.

631. *At neque ſeorſum*] In voce *ſeorſum*, *e* & *o* coëunt in unam ſyllabam. quod non eſt novum, præſertim huic poëtæ. Nam quod P. Victorius *ſorſum* legendum cenſet, teſtificans ita legi in quibuſdam libris veteribus, ego quinque lib. manuſcriptos data opera hoc loco iterum conſului, cum ante eos accurate cum vulgatis contuliſſem. Sed liquido jurare poſſum, in eis ſine ulla varietate ſcriptum eſſe *ſeorſum*. Lamb. In quibuſdam Veteribus: *ſorſum.* Gifan.

631. *Ipſa eſſe poteſt anima*] Sic legendum, non, ut quidam putant, *animæ*, cohæret enim cum voce *ſeorſum*, ut ſit: ſeorſum ipſa anima, id eſt ſeorſum ab ipſa anima. Lamb.

632. *Anima*] Ita omnino legendum eſt, niſi & Poëtam ineptiæ arguere velimus, &, verſus aliquot deëſſe, contra veteres omnes libros. *Seorſum*: id eſt, *abſque corpore.* Gifan.

632. *Seorſum*] In quibuſdam libris: *ſorſum.* Gifan.

633. *Auditum per ſe poſſunt ſentire*] Ita in Vulgatis, & Veteribus quibuſdam; id eſt, ſonum, ſeu rem auditam. Alioqui eſſent hic tria: *ſeorſum*, *abſque anima*, *per ſe*. In quibuſdam libris tamen: *Abſque anima*; male. Gifan.

633. *Abſque anima per ſe poſſunt*] Sic legendum, non, ut in quibuſdam manuſcr. & omnibus vulgatis, *Auditum per ſe.* &c. nam ſentire communiter pertinet ad oculos, nareis, manum, linguam, aureis, non ad aureis tantum. At ſi legeremus *auditum ſentire*, ad aureis tantum pertineret: ut taceam, quod Latine dici non poteſt *ſentire auditum*, pro *audire.* Docti complures exiſtimant inter hunc verſum, & eum qui proxime ſequitur, cujus initium eſt,

Et quoniam toto, &c.

aliquot verſus deëſſe. Et vero ita videtur, ſi quis attente conſideret Lucretii ſenſum & argumentum. Alia ratione (inquit) nobis proponere non poſſumus animas apud inferos vagari, quam ſi quinque ſenſibus præditas faciamus. At neque oculi, neque nares, neque manus, neque lingua, neque aures ſine anima per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe: nec pariter ſenſus ſuo munere fungi, aut eſſe poſſunt ſine oculis, auribus, manibus, lingua, naribus: ergo fieri non poteſt, ut animæ ſint ſenſibus præditæ, cum oculis, auribus, &c. careant. Videntur igitur tales quidam tres verſus deëſſe: quos aſcribam, non ut pro Lucretianis habeantur: non ita inſanio: ſed ut lector veluti oculis cernat, ita eſſe, ut docti viri ſuſpicantur, nempe taleis quoſdam verſus deſiderari:

Nec ſenſus ipſi ſeorſum conſiſtere poſſunt
Naribus, atque manu, atque oculis, atque auribus, atque
Lingua, nec per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe.

fieri autem potuit, ut, cum verſus Lucretianus hoc loco ita deſineret, ut ille, qui eſt ſupra,

ſen-

Eſſe poteſt Anima, neque ſeorſum Lingua, nec Aures
Abſque anima per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe.
Et quoniam toto ſentimus Corpore ineſſe

INTERPRETATIO.

neque Lingua, neque Aures (quinque ſenſuum Organa & inſtrumenta) ſeparatæ Animæ ineſſe poſſunt. Et quoniam ſentimus in toto Corpore ineſſe

VARIÆ LECTIONES.

632. *Anima.* animæ P. *in not. Cr. nec Aures.* neque Auris *Salmaſius.* Y. Z.

633. *Abſque anima per ſe.* Auditum per ſe A. B. C. E. I. N. *Salm.* P. Q. V. X. Y. Z. Hunc delet *Creech. nec* neque Y. Z. Hujus explicandi gratia tres ſequentes ſubjungunt L. F. *Nec ſenſus ipſi ſeorſum conſiſtere poſſunt Naribus, atque manu, atque oculis, atque auribus, atque Lingua: nec per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe.*

NOTÆ.

ſentire, nec eſſe, librarius ſcriptor, ſuperiore illo verſu ſcripto, deceptus extremorum ſimilitudine, treis verſus præterierit, & ita ad verſum

Et quoniam, &c.

tranſilierit. Cum hæc ſcripſiſſem, quidam ſimius, idemque ſycophanta, auſus eſt hoc loquendi genus reprehendere, *ſeorſum, abſque anima, per ſe ſentire*: quaſi vero non ita ſoleant loqui boni ſcriptores Græci, & Latini, ad majorem vim exprimendam, & κατὰ σχῆμα ἐκ παραλλήλου. LAMB. Exiſtimavit Lambinus aliquid è textu Lucretiano excidiſſe, cum videret argumentum non plane explicatum fuiſſe, quod ſentire non potuit Giſanius: itaque in contraria abiit. Ad ſeriem ratiocinationis notandam tres illos verſus Lambini in textum recipi. FABER. Codd. *Auditum per ſe poſſunt:* Auditum i. e: Sonum, ſeu rem auditam: *Giſanius. Salmaſius* in Epictetum & Simplicium p. 324. ex optimo & vetuſtiſſimo Codice illuſtriſſimi Voſſii hos verſus ita legit

At neque ſeorſum oculi, neque nares, nec manus ipſa
Eſſe poteſt Anima, neque ſeorſum Lingua, neque Auris
Auditum *per ſe poſſunt ſentire, neque eſſe.*

Auris Auditum dixit pro Auditu. Quid ſibi velit Magnus ille vir Alii conjiciant. Aliquid e textu Lucretiano excidiſſe exiſtimavit *Lambinus*, cum videret argumentum non plane explicatum fuiſſe; atque ideo ſubjungit,

Nec ſenſus ipſi ſeorſum conſiſtere poſſunt
Naribus, atque manu, atque oculis, atque auribus, atque
Lingua, nec poſſunt per ſe ſentire, neque eſſe.

At quid tres novi verſus fingendi ſunt, ut unum prorſus inutilem retineamus? Dele iſtum

Abſque Anima per ſe poſſunt ſentire nec eſſe:

in præcedenti verſu lege *Eſſe poteſt Animæ* &c. atque argumentum erit integrum, & ſatis explicatum. CREECH. Ego vero liquido affirmare auſim ita Lucretium ſcripſiſſe:

Eſſe poteſt; Animæ neque ſeorſum Lingua, nec auris
Auditu per ſe poſſunt ſentire, neque eſſe.

Ita nihil (quod putabat Lambinus) in argumento Lucretii deërit, & nos vix niſi in *auditu* pro *auditum* à MSS. receſſimus. *Seorſum auditu auris* eſt idem quod ſine auribus. Nemo Interpretum hic ſatis fuit oculatus. HAV.

634. *Et quoniam toto ſentimus, &c.*] Cum totum hominis corpus ſit animale, id eſt, cum tota anima per totum corpus pertineat & permanet, ſequitur, ut corpore humano diviſo, ipſa quoque dividatur. At quod dividitur, mortale eſt: ergo, &c. nemo eſt, qui non videat, hoc argumentum eſſe valde infirmum. Quod autem animam in toto corpore hominis ineſſe, & per totum hominis corpus eſſe fuſam dicit Lucretius, neque quiſquam negat, (loquor de ſenſu animali, ſeu de anima vitali) hoc non eſt verum in ceteris omnibus animalibus: Nam Plinius lib. 32. c. 2. *ait certum eſſe, animam murænæ in cauda eſſe, eaque icta celeriter exanimari, at capitis ictu difficulter:* LAMB. Decimum quintum v. 36. Quoniam Anima per totum Corpus fuſa ſit, ſcindi mediam neceſſe eſt, ſi Corpus medium raptim ſcindatur: ſi, exempli cauſa, falcifero curru præcidatur militis membrum, Animam una ſectam arguit partis reſectæ motio, quam fuſe & ornate deſcribit Poëta, quæ etiam cla-

Vitalem ſenſum, & totum eſſe animale videmus,
Si ſubito medium celeri praeciderit ictu
Vis aliqua, ut ſeorſum partem ſecernat utramque:
Diſpertita proculdubio quoque vis Animaï,
Et diſciſſa ſimul cum Corpore disjicietur:
At quod ſcinditur, & parteis diſcedit in ullas,
Scilicet aeternam ſibi naturam abnuit eſſe.
Falciferos memorant currus abſcindere membra

Sae-

INTERPRETATIO.

vitalem ſenſum, & totum Corpus eſſe Animatum, Si vis aliqua ſubito ictu irruens Corpus iſtud medium diviſerit, & ſeparaverit utramque partem, proculdubio Anima etiam diſciſſa & diviſa una cum Corpore diſpergetur: At quod ſcinditur & in ullas partes dividitur, illud profecto negat ſe immortalem naturam habere. Fertur, Currus armatos falcibus multo varioque ſanguine

VARIÆ LECTIONES.

635. *totum.* toto Y. Z.
639. *diſciſſa.* diſciſa Z. *disjicietur.* diſicietur Y. Z.
640. *parteis* —— *in ullas.* partem —— in ullam P.
642. *abſcindere.* abſcidere Y. Z.

NOTÆ.

clarius in partibus ſectæ Serpentis obſervatur: Fatendum eſt igitur plures Animas eſſe in Uno Animali, Homine viz. aut Serpente, & aciem ferri, temere licet impacti, membra iſtius Animalis tam accurate partiri, ut ſingulis Animabus ſuæ ſedes relinquerentur. Quæ tamen nemo ſanus dixerit; vel concedendum eſt, Unam Animam per totum corpus Animalis fuſam in multas partes diſciſſam, & proinde mortalem eſſe. Creech.

635. *Et totum eſſe animale videmus*] Totum corpus ſcilicet. Animadverte hîc *animale* eſſe adjectivum: ut l. 1: 228.

Unde animale genus generatim in lumina vitæ
Redducit Venus, &c.

ad quem locum lege quæ notavimus. Lamb.

641. *Abnuit*] negat. Lamb.

643. *Falciferos memorant currus*] ἅρματα δρεπανηφόρα: quæ ſic deſcribuntur à Xenophonte lib. 6. Cyri inſtitution. πολεμιστήρια κατεσκεύασεν ἅρματα τροχοῖς τε ἰσχυροῖς, ὡς μὴ ῥᾳδίως συντρίβηται, ἄξοσί τε μακροῖς· ἧττον γὰρ ἀνατρέπεται πάντα τὰ πλατέα. τὸν δὲ δίφρον τοῖς ἡνιόχοις ἐποίησεν, ὥσπερ πύργον ἰσχυρῶν ξύλων, ὕψος δὲ τούτων ἐστὶ μέχρι τῶν ἀγκώνων, ὡς δύνωνται ἡνιοχεῖσθαι οἱ ἵπποι ὑπὲρ τῶν δίφρων. τοὺς δ' ἡνιόχους ἐθωράκισε πάντας πλὴν τῶν ὀφθαλμῶν. προσέθηκε δὲ καὶ δρέπανα σιδήρεα, ὡς διπήχεα, πρὸς τοὺς ἄξονας ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῶν τροχῶν· καὶ ἄλλα κάτω ὑπὸ τῷ ἄξονι εἰς γῆν βλέποντα, ὡς ἐμβαλούντων εἰς τοὺς ἐναντίους τοῖς ἅρμασιν. i. e. *Currus bellicos fabricandos curavit ex rotis validis, ne facile comminuerentur, & axibus longis: minus enim evertuntur omnia quæ lata ſunt. ſellam autem aurigis fecit tanquam turrim ex lignis validis conſtructam. altitudo porro earum eſt uſque ad cubitos, ut poſſint equi ſupra ſellas aurigari. Aurigas vero armavit totos, præter oculos. addidit autem etiam axibus falceis ferreas circiter duorum cubitorum ex utraque parte rotarum: & item alias infra ſub axe in terram verſas, tanquam ipſe cum ſuis in hoſteis cum curribus impetum facturi.* Idem Lucr. l. 5: 1299.

Et bijugo prius eſt, quam bis conjungere binos,
Et quam falciferos inventum aſcendere currus,

& Veget. l. 3. de re mil. c. 24. *Quadrigas falcatas in bello rex Antiochus & Mithridates habuerunt. Quæ ut primum magnum in acie intulere terro-*

Saepe ita deſubito permiſta caede calenteis,
Ut tremere in terra videatur ab artubus id quod
Decidit abſciſſum: quom Mens tamen, atque hominis vis
Mobilitate mali non quit ſentire dolorem:
Et ſimul in pugnae ſtudio quod dedita Mens eſt,
Corpore cum reliquo pugnam, caedeiſque petiſſit:
Nec tenet, amiſſam laevam cum tegmine ſaepe

INTERPRETATIO.

fumantes frequenter artus Militum tam cito abſcindere, ut pars illa, quæ a reliquo Corpore abſciſſa in terram decidit, tremere videatur; Cum tamen Animus Hominis dolorem a vulnere inopinato & tanta celeritate inflicto ſentire non poſſit: Et pariter quia Animus ſit pugnæ potiſſimum intentus, cum reliquo Corpore in pugnam & cædem ruit, neque ſæpe novit falces rapaces rotaſque

VARIÆ LECTIONES.

643. *calenteis.* cadenteis c. O. P. Q. quidam codd. *cadentum*; quidam *calentes* P. *in not.*
645. *Decidit.* Occidit Q. *abſciſſum.* abſciſum K. Y. Z. *cum Mens tamen, atque.* quando mens atque P. cum mens atque Q.
646. *Mobilitate.* ſcribendum *Nobilitate* P. *in not.*
647. *ſimul in pugnæ.* ſimilis pugnæ P. Q. *quod.* cui. P.
648. *cum.* nam reliquo K. *petiſſit.* capeſſit K. peteſſit D. E. N. Q1. peteſcat P.

NOTÆ.

rorem, ita poſtmodum fuere deriſui. LAMB. Quibus olim orientalium exercitus inſtructi erant. Sed cum plus terroris quam periculi facerent, omiſſi ſunt, & in deſuetudinem abiere. FABER.

643. *Deſubito*] Sic lib. 2. v. 265.

Vim cupidam tam de-ſubitò, *quam mens avet ipſa.* de Curribus falciferis iterum *Lucretius* lib. 5. v. 1300. CREECH.

643. *Permiſta cæde calenteis,*] Sic legendum, & ita habent lib. vet. non *cadenteis*, aut *cadentum.* & ita l. 5: 1312.

Nequicquam: quoniam permiſta cede calentes
Turbabant ſævi nullo diſcrimine turmas. LAMB.

647. *In pugna ſtudio quod dedita*] *In ſtudio dedita* genus loquendi notandum, quo utebantur veteres. ſic lib. 4: 813.

Præterquam quibus eſt in reb. deditus ipſe?
& Catull. in Jul. & Manl. nuptias:

——— *in mala*
Deditus vir adultera. LAMB.

Ita Catullus & Plautus. FABER.

648. *Petiſſit*] Ita ex veteribus libris ſcripſi. GIF.

648. *Cædeiſque petiſſit*] Partim ſic habent lib. manuſc. partim *peteſſit.* utitur eod. verbo M. Tull. Tuſc. 2. *Qui hanc laudem petiſſunt, nullum fugiunt dolorem.* Idem 2. de conſul.

Menteque divina cælum, teraſque petiſſit.

Feſtus: *Peteſſere, ſeu petiſſere antiqui pro petere dicebant, ea quidem forma verbi, qua ſunt laceſſere, & inceſſere: ſed ut mihi videtur, tum eo ſignificabant ſæpius petere: ut peteſſant, ſæpius petant.* nonnulli *petiſſit* dici volunt, non *peteſſit.* quos nunc ſequor. LAMB.

649. *Nec tenet amiſſam; &c.*] Ordo verborum eſt: nec tenet, id eſt & neſcit, vel nec meminit, vel nec intelligit, ſæpe rotas & falceis rapaceis inter equos abſtraxiſſe manum lævam una cum tegmine: id eſt clypeo, aut ſcuto. *abſtraxe* poſitum pro *abſtraxiſſe*: qualia ſunt illa, *promiſſe*, apud Catull. *diviſſe*, apud Horat. *produxe*, apud Terent. & ſimilia. *Nec tenet* autem, pro *nec ſcit*, etiam ſupra uſurpavit lib. 2: 1170.

Nec tenet; omnia paullatim tabeſcere, & ire
Ad ſcopulum, &c. LAMB.

650.

Inter equos abſtraxe rotas, falceiſque rapaceis:
Nec cecidiſſe alius dextram, quom ſcandit, & inſtat.
Inde alius conatur adempto ſurgere crure,
Quom digitos agitat propter moribundus humi pes:
Et caput abſciſſum calido, viventeque trunco,
Servat humi voltum vitalem, oculoſque patenteis,
Donec relliquias Animaï reddidit omneis.
Quin etiam tibi ſi lingua vibrante minantis
Serpentis caudam procero corpore, utrimque
Sit libitum in multas parteis diſcindere ferro;
Omnia jam ſeorſum cernes amciſa recenti
Vol-

INTERPRETATIO.

inter equos abſtraxiſſe ſiniſtram una cum clypeo abſciſſam: Nec Alius ſentit dextram ſuam ereptam cum aſcendat muros, & Hoſtem urgeat: Inde etiam Alius abſciſſo crure ſurgere conatur, cum pes moribundus juxta humi jacens digitos movet: Et Caput amputatum, vivente adhuc & calente Trunco, vitalem vultum oculoſque patentes humi ſervat, donec omnes Animæ reliquias amiſerit. Imo ſi tibi libeat longam Serpentem vibranti lingua minantem in multas partes dividere, videbis ſingulas partes recenti ictu

VARIÆ LECTIONES.

650. *rotas.* rotæ Y. Z.
653. *propter.* prope jam P. Quidam codd. *properè* P. *in not.*
654. *abſciſſum.* abſciſum Y. Z.
657. *minantis.* minanti K. Q. X. Y. Z. minacem C. E. N.
658. *Serpentis caudam.* Serpentem & caudæ C. E. N. cauda K. X. ſerpentis caudæ Y. Z. *utrimque.* utrumque C. P. Q. Y.
659. *diſcindere.* diſcedere Q1. Z. diſcidere Y.
660. *cernes amciſa.* cernas ancifa A. B. *priſci codd.* ancifa P. *in not.* cernes inciſa A. mar. C. P. averſa Q.

NOTÆ.

650. *Abſtraxe*] Sic lib. 1. v. 986. *Confluxet.* Creech.

651. *Nec cecidiſſe alius dextram*] Sic apud Virgil. lib. 10: 395.

Te deciſa tuum Laride dextera quærit,
Semianimeſque micant digiti, ferrumque retractant.

quod Virgil. ex Ennio expreſſit, ut admonet Servius p. 138.

Obſcitat in campis caput à cervice repulſum,
Semianimeſque micant oculi, ferrumque retractant.
Lamb.

651. *Cum ſcandit*] Cum aſcendit vel in muros, vel in equum, vel in currum, vel in navem hoſtilem: ut Cynægirus: cui (ut refert Herod. in Eratone) puppim leva manu apprehendenti, ea ipſa manus bipenni abſciſſa eſt. quo facto, dextram puppi admovit. qua ſimiliter amputata concidit. Lamb.

657. *Quin etiam ipſi ſi*] Dilemma: ſiquis ſerpentis caudam in plureis partes dividat, ſingulas parteis videmus moveri & circumagi. alterum igitur è duobus verum eſt, vel in ſingulas ineſſe animas totas atque integras: vel animam eſſe diſſectam & diſciſſam. ſi illud dices, falſum dices: ſin alterum, ergo animam mortalem eſſe fatendum eſt. quicquid enim dividitur, mortale eſt. Hujus rei exſtat exemplum apud Virgil. lib. 5. Æneid. 274.

Quæ

Volnere tortari, & terram conſpergere tabo,
Ipſam ſeque retro partem petere ore priorem,
Volneris ardenti ut morſu premat icta dolore.
Omnibus eſſe igitur totas dicemus in illis
Particulis Animas? At ea ratione ſequetur,
Unam animantem Animas habuiſſe in Corpore multas.
Ergo diviſa eſt ea, quae fuit una ſimul cum
Corpore, quapropter Mortale utrumque putandum eſt,
In multas quoniam parteis diſcinditur aeque.
Praeterea, ſi immortalis natura Animai

Con-

INTERPRETATIO.

ſeparatas tortari, & terram ſanie aſpergere; & ipſam Serpentem vehementi dolore Vulneris afflictam, caput ſuum retro torquere, ut dentibus apprehendat partem olim reliquo Corpori conjunctam. Dicemus igitur totas eſſe, atque integras Animas in ſingulis iſtis particulis? at inde ſequeretur Unum ſingulare Animal in ſuo corpore multas Animas continere: Anima igitur iſta quæ una eſt uni Corpori conjuncta una cum Corpore dividitur: Utrumque igitur æque mortale exiſtimandum eſt, quoniam Utrumque æque dividitur in multas partes. Præterea, ſi Anima noſtra ſit immortalis,

VARIÆ LECTIONES.

661. *tortari.* Quidam codd. *tornari* P. *in not.* *conſpergere.* conſpargere Y. Z.
665. *At ea.* Et ea Q1.
669. *diſcinditur.* diſciditur Y. Z.

NOTÆ.

Qualis ſæpe viæ deprenſus in aggere ſerpens,
Ærea quem obliquum rota tranſiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit ſaxo, lacerumque viator. LAMB.

657. *Lingua vibrante*] Id eſt emicante, & coruſcante. Virg. Æneid. 2: 211.

Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

Interdum tamen *vibrare* eſt ἐνεργητικὸν, ut *ſicas vibrare* apud M. Tull. Catilin. 2. & *ſpicula vibrant* apud Virgil. 11. Æn. 606. & *vibrare cæſariem* apud Arnob. lib. 2. LAMB.

657. *Minantis ſerpentis caudam procero corpore*] Sic reperi ſcriptum in membranis calamo exaratis, quibuſcum conſpirant exempla Pariſienſia, typis impreſſa. *caudam* autem *procero corpore*, id eſt caudam proceram. LAMB.

658. *Caudam procero corpore*] Caudam longam & proceram: *Lambinus*: Alii tamen legunt,

——— ——— ——— *Minacem*
Serpentem, & Caudæ procero Corpore. CREECH.

658. *Utrimque*] Sic legendum videtur potius, quam *utrumque*. LAMB.

660. *Amciſa*] Sic habent duo codices manuſcript. Vaticanus, & Bertinianus: quos ſecutus ſum. *amciſa* autem valet *circumciſa*. *an* enim, ſeu *am* potius, in compoſitione valet *circum*, ut alias notavimus. alii habent *inciſa*. Præterea quidam libri habent *cernas*, pro *cernes*. LAMB. *Am* olim ex ἀμφὶ pro *circum* dicebant. Exempla innumera in vocibus compoſitis. FABER.

664. *Omnibus eſſe igitur, &c.*] Lege interrogando. LAMB.

665. *At ea ratione*] At ea ratione: id eſt ſi quis dicat, omnibus in partibus ſerpentis totas & integras eſſe animas, ſequetur, unum animal plureis animas habuiſſe: quod falſum eſt. una eſt enim unius animalis anima. LAMB.

667. *Ergo diviſa eſt*] Altera pars dilemmatis. Ergo (inquit) diſciſſa & diviſa eſt anima. At quod dividi poteſt, etiam interire poteſt. ergo anima eſt mortalis. LAMB.

670. *Præterea ſi immortalis* &c.] Decimum ſextum v. 9. Si Anima ſit immortalis, ſi ante perfectum Corpus integra exiſtens (ea erat Pythagoræ & Platonis ſententia) in Corpus tandem

 in-

Conſtat, & in Corpus naſcentibus inſinuatur:
Cur ſuper anteactam aetatem meminiſſe nequimus?
Nec veſtigia geſtarum rerum ulla tenemus?
Nam ſi tantopere eſt Animi mutata poteſtas,
Omnis ut actarum exciderit retinentia rerum:
Non (ut opinor) id ab letho jam longiter errat.

Qua-

INTERPRETATIO.

& in Corpus hominis naſcentis infundatur, quam ob cauſam vitæ anteactæ memores non ſimus, cur nulla geſtarum rerum veſtigia tenemus? Si enim Anima tantopere labefactata ſit, ut omnis memoria rerum anteactarum penitus evanuerit, illa, uti exiſtimo, a morte non longe abeſt:

VARIÆ LECTIONES.

672. Poſt hunc legitur verſus 678. E. N. Q. in quo Q. legitur ad Marg. *Vacat. Tamen ita erat in vetuſto.*

674. *tantopere.* tanto opere animi eſt (*& ſic ſemper.*) *mutata.* Y. Z. vitiata A. B. c. D. I. P.

675. *Omnis ut.* Omnium A. B. c. O. P. Q. X.

676. *id ab letho.* opinor, ab ea, leto B. ea ab A. I. L. *longiter.* longius X. Y. Z.

NOTÆ.

infundatur: Cur nemo (uno Pythagora excepto) anteactæ vitæ recordetur? Quod ſi anima iſto in Corpus ingreſſu omnem recordationem amiſerit, quidni res tantopere vitiata ſit ulteriori corruptioni, morti, obnoxia. Creech.

671. *Et in corpus*] Quod volebant Pythagorei: & quidem quamlibet animam in quodvis corpus introire. quod non probatur Ariſtoteli. ſic enim lib. 1. de anima: περὶ δὲ τοῦ δεξομένου σώματος οὐδὲν ἔτι προσδιορίζουσιν, ὥσπερ ἐνδεχόμενον κατὰ τοὺς Πυθαγορικοὺς μύθους, τὴν τυχοῦσαν ψυχὴν εἰς τὸ τυχὸν ἐνδύεσθαι σῶμα. δοκεῖ γὰρ ἕκαστον ἴδιον ἔχειν εἶδος καὶ μορφήν. id eſt, *de corpore autem animam recepturo nihil præterea definiunt: quaſi fieri poſſit juxta fabulas Pythagoricas, ut quælibet anima in quodvis corpus ingrediatur. Videtur enim unumquicque propriam ſpeciem & formam habere.* Lamb.

671. *Inſinuatur*] Sic loquitur Ennius p. 183.

Inde venit pullis divinitus inſinuans ſe
Ipſa anima. Lamb.

672. *Cur ſuper anteactam*] Inter hunc verſum, & eum qui deinceps ſequitur, inculcatus erat hic verſus alieno loco,

Interiiſſe, & quæ nunc eſt, &c.

quem ego delevi, & ſuo loco reſervavi, nempe poſt ſextum ab hinc verſum. Lamb.

674. *Mutata poteſtas*] Codex Bertinian. & nonnulli codices impreſſi habent, *vitiata poteſtas.* ego nihil muto. Lamb.

674. *Vitiata poteſtas*] Ita ex veteribus libris reſtitui. In aliis: *mutata.* Gifan.

675. *Omnis ut actarum*] Libri manuſcripti hoc loco inter ſe non conſentiunt. alii enim habent, *Omnis ut actarum*, quemadmodum excudendum curavimus: alii, *Omnium, &c.* quæ poſterior ſcriptura fortaſſe probabilior eſt. Omnino utraque ferri poteſt. Lamb.

675. *Omnium ut actarum*] Ita in Veteribus noſtris. In aliis quibuſdam Veteribus: *Omnis.* Gif.

675. *Retinentia*] Nomen Lucretianum, & aliis, quod ſciam, inuſitatum: quod ſignificat (opinor) ἀνάμνησιν, ſive μνήμην, id eſt recordationem, ſeu memoriam rerum præteritarum: vel (ut quidam malunt) continuationem quandam partium, ex quibus conſtamus, permanentem. Ego per *retinentiam*, illam, quam inf. vs. 863. *repetentiam* nominat, (qua voce Arnobius utitur lib. 2. in eadem propemodum diſputatione) ſignificari malo. Sic autem Arnob. *Sed ego cum audio neſcio quid præſtans, animam dici, Deo vicinum & proximum, ſcientem omnia, huc adventare ſuperioribus de ſæculis: nolo illam diſcere; ſed docere: nec ex docta, ut dicitur, elementariam fieri,*

ſed

Quapropter fateare neceſſe eſt, quae fuit ante,
Interiiſſe: & quae nunc eſt, nunc eſſe creatam.
Praeterea, ſi jam perfecto corpore nobis
Inferri ſolita eſt Animi vivata poteſtas,
Tum quom gignimur, & vitae quom limen inimus:
Haud ita conveniebat, uti cum Corpore, & una

Cum

INTERPRETATIO.

Quapropter neceſſe eſt ut fateare, illam Animam quæ ante fuit, periiſſe, illam vero quæ nunc eſt, nunc creatam eſſe. Præterea, ſi jam perfecto & abſoluto noſtro Corpore Anima tum ſolet infundi, cum naſcimur, & ingredimur in vitam, tum profecto non una cum Corpore in membris in ipſo ſanguine creviſſe,

VARIÆ LECTIONES.

679. *perfecto.* jam imperfecto I. profecto Q. X. *corpore.* tempore nobis *Gaſſ.*
680. *eſt Animi.* animi eſt X. Y. Z. *vivata.* innata Q1.
681. *inimus.* lumen adimus A. B. D. I. Q.
682. *Haud.* Aut P. *uti cum.* ut hic cum *quidam.*

NOTÆ.

ſed retinentem res ſuas corporibus ſemet circumligare terrenis. niſi enim ſeſe habuerit res ita: diſcerni quî poterit; utrumne illud, quod audit, reminiſcatur, an diſcat, cum multo ſit facilius credere, diſcere illam quod neſciat, quam oblitam, quod paullo ante ſciebat, & oppoſitu corporis amitti repetentiam priorum? LAMB. Vox μονήρης, neque enim alibi quam apud Lucretium reperitur; ſignificat autem recordationem. FABER.

676. *Non (ut opinor) ea*] ea, nempe animi poteſtas. LAMB.

676. *Longiter*] Sic Soſipater, & veteres libri. GIFAN. Sic repoſui ex Cariſio, qui hunc verſum proferens lib. 2. inſtit. gramm. pag. 183. ita legit: *Longiter. Lucret. libr.* 3.

Non (ut opinor) ea à leto jam longiter errat.

Quod autem idem verſus in voce *longiter* apud Nonium ſic legitur,

Non (ut opinor) id à lecto tam longiter rati,

& adſcribitur Lucillio: primum mendoſe legitur, & mendoſus eſt hoc loco Nonius; neque eſt emendatus ab iis qui ſe gloriantur eum emendaſſe: deinde hanc emendationem noſtram confirmat, quod ad adverbium *longiter* attinet. LAMB.

679. *Præterea, ſi jam perfecto*] Præterea (inquit) ſi anima ingreditur in corpus jam perfectum, cum vivere incipimus: non conveniebat eam ita vivere in corpore, quaſi una cum corpore nata eſſe & creviſſe videatur: ſed potius erat conſentaneum, eam ita, ut avem in cavea, vivere ſibi, & ſolam, hoc eſt à corpore ſeparatam: quemadmodum avis in cavea incluſa, à cavea ſeparata eſt. LAMB. Decimum ſeptimum v. 18. Si Anima inferretur in Corpus perfectum, id ſic deberet fieri ut in ipſo degeret, quaſi Avis in cavea, non ut videretur cum eo creſcere, atque ita contexi, ut inde exire non potis incolumis, proderet ſe ortui atque interitui obnoxiam. CREECH.

681. *Vitæ cum limen*] Sic legendum eſt, non *lumen.* Nam primum ſic habent codices veteres optimi, Vaticanus, Memmian. Præterea illuſtris tralatio eſt, *vitæ limen inire*, pro *vitam*, ſeu *in vitam ingredi.* Poſtremo quemadmodum hîc dixit *limen vitæ*, ſic ſup. lib. 2: 959.

leti jam limine ab ipſo
Ad vitam poſſint conlecta mente reverti:

& Catull. ad Manl.

——— *& a mortis limine reſtituam.* LAMB.

681. *Lumen adimus*] Sic ex veteribus libris ſcripſi. Ita infra, hoc libro, verſ. 1055. *decurſo lumine vitæ.* Et verſ. 861. *data lumina vitæ.* Vulgati: *limen inimus.* GIFAN.

682. *Haud ita conveniebat*] Sume infinitivum *vivere*, ſcilicet in corpore. LAMB.

Cum membris videatur in ipſo ſanguine crêſſe:
Sed velut in cavea, per ſe ſibi vivere ſolam
Convenit, ut ſenſu Corpus tamen adfluat Omne.
Quare etiam atque etiam nec originis eſſe putandum eſt
Experteis Animas, nec lethi lege ſolutas.
Nam neque tantopere adnecti potuiſſe putandum eſt
Corporibus noſtris extrinſecus inſinuatas:

INTERPRETATIO.

ſed potius per ſe velut in Cavea vivere videretur, ita tamen ut totum Corpus ſenſu aſpergat. Omnino igitur credendum eſt Animas (naſci & mori) non eſſe originis expertes, neque a Mortis lege ſolutas. Præterea non credendum eſt, Animas in Corpora noſtra extrinſecus infuſas omnibus Corporum partibus tam accurate conjungi potuiſſe.

VARIÆ LECTIONES.

685. Hunc nothum cenſent L. *Gaſſ.* nec adamat *Creech. adfluat.* affluit K.

NOTÆ.

685. *Convenit, ut ſenſu, &c.*] Hunc verſum quis non videt non eſſe Lucretii, ſed alicujus indocti, aliquid deeſſe exiſtimantis? Lamb. Hunc putat Lambinus eſſe nothum. Gifan. Hunc verſum delet *Lambinus*, *Gaſſendus*, Alii: Plures retinent. Sine illo quidem argumentum eſt ſatis explicatum, & forſan *affluat omne corpus ſenſu* Latium non agnoſcit. Creech.

688. *Nam neque tantopere, &c.*] Cum hoc verſu copulatur ille alter, qui eſt ab hoc octavus, cujus principium eſt,

Nec tam contextæ cum ſint, &c.

ut ſit hæc hujus loci ſententia: Nam neque putandum eſt, animas tantopere potuiſſe cum corporibus connecti, ſi extrinſecus in corpora intraſſent: quas tamen videmus magnopere eſſe connexas: nec cum ſint ita cum corporibus connexæ & contextæ, credibile eſt è corporibus exire incolumeis poſſe. Lamb.

691. *Namque ita connexa &c.*] Probare conatur dentes ſenſu participari; idque ex eo oſtendi ait, quod nonnunquam morbo tententur, doloremque ex nimio aquæ frigore ſentiant; Tum porro id quoque firmari experientia quotidiana ait, cum *lapidoſum* panem, ut vocat Horatius, mandimus:

Namque ita connexa eſt [anima] *per venas, viſcera, nervos,*
Oſſaque, uti dentes quoque ſenſu participentur:
Morbus ut indicat, & gelidai ſtringor aquai,
Et lapis oppreſſus ſubitis è frugibus aſper.

Poſtremum verſum quamvis ita legi in MSS. Codd. teſtentur Interpretes, *& recte* quidem, inquit Gifanius homo acutus, ſcilicet: tamen eum eſſe corruptum quovis pignore contenderim. *Diſſolvamus* enim, quæſo, *membra poëtæ*, ex ſaluberrimo illo Horatii præcepto, videamuſque quid ibi reperiatur. nil aliud certe quam quod ante oculos habes: *Dentes ſenſu participantur, ut indicat lapis aſper oppreſſus è frugibus ſubitis.* Iſtud ſcilicet, *ſubitis frugibus*, res bella eſt. quidni enim? Sed tamen quæ illæ *ſubitæ fruges?* Nemo explicabit, ſcio; Dices, panem intelligi, id quod ego quoque ſine monitore, ſine præmonſtratore videre haud difficulter poteram. Sed cur *ſubitus panis* dicetur? an quia *repente* in os, quaſi offa, objectus eſt? an fortaſſe quia *ſubito* veluti fungus in fimeto, ita repente panis in ore ortus ſit? Sed nugarum, & ineptiarum ſatis. Verſum illum

Et lapis oppreſſus ſubitis è frugibus *aſper*,

ita legere ſoleo,

Et lapis oppreſſus ſubitis offractibus *aſper.*

Qua voce, *offractus*, nulla unquam ſignificantior, nulla magis Latina; magis propria, magiſque ex ingenio rei & poëtæ reperietur, ſcio. Faber.

692. *Senſu participentur.*] Id eſt, ſenſus participes ſint. Lamb.

692. *Morbus*] Dentium ſcilicet. quidam tamen

Quod fieri totum contra manifeſta docet res.
Namque ita connexa eſt per Venas, Viſcera, Nervos,
Oſſaque, uti Dentes quoque ſenſu participentur:
Morbus ut indicat, & gelidaï ſtringor aquaï,
Et lapis oppreſſus ſubitus è frugibus aſper:
Nec tam contextae quom ſint, exire videntur
Incolumes poſſe, & ſalvas exſolvere ſeſe

Omni-

INTERPRETATIO.

ipſa tamen Experientia demonſtrat illas eſſe ita conjunctas : Namque ita unitæ ſunt Venis, Viſceribus, Nervis, & Oſſibus, ut Dentes ipſi fiant ſenſus participes; ut dolor Dentium, frigidæ aquæ ſtringor, & lapis aſper ſubito de pane expreſſus ſatis oſtendunt. Inſuper, dum Animæ ſint ita omnibus partibus Corporis intextæ, vix credibile eſt illas exire poſſe integras, & ſeſe ſalvas exſolvere

VARIÆ LECTIONES.

691. *connexa eſt.* connexæ P.

694. *oppreſſus ſubitus è frugibus.* Ita legimus ex X. ſive *Bodl.* expreſſus ſubito de frugibus *Cr.* ſubitis è frugibus A. B. C. E. I. N. P. Q. Y. Z. ſubitis offractibus F. ſubito de D. *Gaſſ.*

696. *& ſalvas.* & ſolas A. mar. c. O. P. *quidam codd.* ſalvas P. *in not.*

NOTÆ.

men ad morbum totiùs corporis, & febrem referunt: quia interdum dolorem ex morbo natum ſequitur dentium ſtridor & crepitus. LAMB.

693. *Stringor Aquaï*] Frigus Aquæ quo dentes perſtringuntur, cum aqua frigida bibatur. LAMB. & CREECH.

694. *Subitis è frugibus*] Omnes quidem codices, quos vidi, ſic habent,

Et lapis oppreſſus ſubitis è frugibus aſper:

ſed quibuſdam placet legi, *ſubito de frugibus*, &c. aliis, *ſub dente è frugibus aſper.* quam poſtremam ſcripturam valde probarem, ſi eam codices veteres adjuvarent. LAMB. Omnes Codd. *Oppreſſus ſubitis è frugibus :* Unde Quidam *ſubito de frugibus.* Faber *Subitis offractibus.* Legi tamen poteſt

Et lapis expreſſus *ſubito de frugibus aſper.* CREECH. *Subitis e frugibus.* Sic omnes libri; & recte. GIF.

694. *Oppreſſus ſub dente è frugibus*] Illud *ſub dente* non dubito quin ab aliena manu ſit, licet non diſpliceat Lambino, & in contextum a Fabro aliiſque receptum fuerit. Dentium diſerta jam præceſſit mentio, cujus iteratio hic abſona, ſaltem ſupervacua. Quod autem in libris omnibus repertum teſtantur Viri Docti: *ſubitis è frugibus*, ut ferri poſſit, ipſi ſatis viderint. Ingenioſe doctiſſimus Faber in voce *frugibus* mendum latere arbitratus eſt; &, *ſubitis offractibus* ſubſtituit. *Offringere* enim notum ex M. Varrone, R. R. capp. XXIX, & XXXII. & ſignificantiſſimum verbum eſt; verum ne ſic quidem, quis ſenſus ſit, explicat. Fabri veſtigiis inſiſtens Marginalis noſter, aut ipſe Iſ. Voſſ. *affrictibus* ſuppeditat; nimirum a *fricando.* Verum, licet hoc verbum ad dentes valde proprie refertur, ut ex vocabulo *dentifricium* apud Plin. lib. XXX. cap. 3. & XXXVI. cap. 21. ſatis conſtat; qui & lib. XXXI. cap. 6. dicit : *ſpuma aquæ affrictu verrucas tollit.* nondum tamen liquet, quid lapidi aſpero oppreſſo cum fricandis dentibus. Ego, pace tantorum virorum, a voce *frugibus* præter neceſſitatem diſcedi puto. Lucretiana eſt, & optime quodvis Panificium e frumento fieri ſolitum denotat. Vide lib. I. verſ. 880. & lib. VI. & ipſo princ. ſed legendum, cum Lambiniana prima ed. & aliis, donec melius quid apparuerit: *ſubito de frugibus.* PREIG. Nemo, ut puto, emendationem noſtram ex Cod. Bodl. refugiet; cui ſubeat, toties duos treſve adjectivos à Poëta conjungi. HAV.

695. *Nec tam contextæ cum ſint*] *Contextæ*, id eſt connexæ, ut ſupra. LAMB.

Omnibus è Nervis, atque Oſſibus, Articuliſque.
Quod ſi forte putas extrinſecus inſinuatam
Permanare Animam nobis per membra ſolere,
Tanto quoique magis cum corpore fuſa peribit;
Quod permanat enim, diſſolvitur: interit ergo.
Diſpertita ergo per caulas Corporis omneis,
(Ut cibus, in membra atque artus quom diditur omneis)
Diſ-

INTERPRETATIO.

e Nervis omnibus, Oſſibus, & Articulis. Si vero exiſtimes Animam extrinſecus infuſam per omnia Corporis noſtri membra diffundi, exinde ſequetur eam mortalem eſſe & perire, quod enim diffunditur per aliquod Corpus, diſſolvitur, atque ideo perit; nam diſpergitur per omnes meatus Corporis: Ut Cibus, cum per omnes artus diſtribuitur,

VARIÆ LECTIONES.

698. *extrinſecus.* intrinſecus B. I.
699. *Permanare.* Permanere Q. X.
700. *quoique.* quique K. X. Y. Z. cuique V. nempe F. quippe Q.
702. *Diſpertita ergo.* Sic Q1. Diſpertitur ergo Y. Z. Diſpertitur enim *Reliqui.*
703. *diditur.* ducitur Q. Q2. X.

NOTÆ.

698. *Quod ſi forte*] Ἀνθυποφορά. dicet aliquis, animam ita inſinuari in corpus, ut per omnia membra permanet. At ſi hoc dabimus (inquit) tanto magis anima, homine mortuo, diffuſa interibit. nam quicquid permanat, facile diſſolvitur. Lamb. Ἀνθυποφορά. Gifan. *Decimum octavum* v. 15. Formetur igitur extra Corpus, ut iſti volunt, Anima, & demum infundatur; dum per varios flexus & meatus Corporis diffuſa ſit neceſſe eſt ut mutetur, ſitus & ordo partium mutetur, tota denique ſubſtantia diſtrahatur. Quælibet enim res tot fiſtulas, tot meatus & foramina quot in corpore ſunt, permanet, eamque multis modis diſtractam ſenties; Alimentum conſidera, dum per venas, alioſque ductus ad ſingula Corporis membra defertur, depoſita priori forma aliam prorſus diverſam induit. Credendum ideo Animam quoque parem mutationem ſubituram eſſe, & proinde mortalem. Creech.

698. *Quod ſi forte putas extrinſecus inſinuatam*
Permanare animam nobis per membra ſolere;
Tanto quæque *magis cum corpore fuſa peribit.*

Quid? *quæque* anima? ridiculum. lege, uti formula refutandi eſt,

Tanto nempe *magis cum corpore fuſa peribit*

Rem fuſius explicare, otio abuti foret; & miror tot doctos viros non animadvertiſſe τὸ ἄτοπον hujus lectionis. Faber. Vere Lucretianam voculam huic alieniori, uti ſaltem videtur, ſubſtituit Faber, ut refutandi formulam efficiat. Nam & lib. iv. verſ. 1167.

Nempe aliæ quoque ſunt, &c.

Sed ita proprie non tam refutandi, quam objurgandi, atque indignandi formula foret, ut patet in primis ex adductis ibi exemplis; quæ hic locum non habent. Ego perſpicaciſſimo viro, cujus emendationem Marg. quoque noſter commemorat, acceſſerim; nimirum: *Tanto cuique magis &c. Cuique* ſubintellige homini, quod negligentiorem offendere potuit, & anſam variandi præbere. Preig. *Quoique* vel *cuique* ſcripſiſſe Poëtam, patet ex *quique* in MSS. quæ lectio ex ore dictantis male intellecto nata eſt. Hav.

702. *Diſpertitur enim*] Marg. noſter: *Diſpertita ergo.* Quod ſane non eſt contemnendum. Solet enim Poëta elegantiſſimus, in primis quoties maxime triumphat, id genus voculas ingeminare. Vide, lib. iv. verſ. 1167.

Nempe aliæ quoque ſunt, nempe hac ſine viximus ante;
Nem-

Diſperit; atque aliam naturam ſufficit ex ſe:
Sic Anima, atque Animus quamvis integra recens in
Corpus eunt, tamen in manando diſſolvuntur;
Dum quaſi per caulas omneis diduntur in artus
Particulae; quibus haec Animi natura creatur:
Quae nunc in noſtro dominatur Corpore nata
Ex illa, quae tunc peritat partita per artus.

Qua-

INTERPRETATIO.

propriam ſuam naturam amittit, & aliam ſubſtantiam a ſe prorſus diverſam conſtituit; Sic Anima quamvis integra in Corpus ingreſſa eſt, dum per omnes meatus Corporis diffunditur; quoniam per omnes iſtos meatus ad ſingula membra deferuntur Particulæ e quibus componitur hæc Anima, quæ nunc in Corpore noſtro dominatur, nata ex illa Anima quæ tunc periit, cum per ſingulos artus fuerit diſtributa:

VARIÆ LECTIONES.

705. *quamvis integra recens in.* quamvis eſt integra rete eſt K. quamvis eſt integra recens in *Marg. noſt.* Q. Z. es int. r. *deleto* in X.
706. *in manando.* emanando K. *diſſolvuntur.* diſſoluuntur Q.
707. *diduntur.* duiduntur K.
708. *hæc Animi natura creatur.* hæc animantur atque creantur K. *hæc.* hic Q.
710. *peritat.* periit C. D. E. N. Y. Z. *partita.* parita B.

NOTÆ.

Nempe eadem facit, &c.
Sic ibid. verſ. 1115.
Adde, quod abſumunt vireis pereuntque labores,
Adde, quod alterius ſub nutu degitur ætas.
Imo & hoc ipſo lib. verſ. 840.
Adde furorem amini proprium, atque oblivia rerum;
Adde quod in nigras lethargi mergitur undas.
Et verſ. 849.
Adde repertores doctrinarum, atque leporum
Adde Heliconiadum comites, &c.
Quid ni ergo & hoc loco:
Quod permanat enim diſſolvitur, interit ergo;
Diſpertita ergo per caulas corporis omnes,
(Ut cibus in membra atque artus cum diditur omneis)
Diſperit, &c.
Sed obſtat ἀπόδοσις, quæ mox ſequitur. At verſ. 756. ſimiliter,
Quod mutatur enim diſſolvitur: interit ergo.
Trajiciuntur enim partes, &c. Preig.

702. *Per caulas*] Per inania, per foramina, & meatus. Lamb.

703. *Diditur*] Diſtribuitur, dimanat, diffunditur: non, ut vulgus, *dividitur.* Lamb.

704. *Diſperit, atque aliam, &c.*] Cum cibum oporteat eſſe ſimilem ei quod alitur, ſi futurum eſt, ut alat: tum denique autem ſit ſimilis, cum concoctus fuerit: ante quam autem concoquatur, contrarius ſit ei, quod alendum eſt: neceſſario cibus in aliam naturam commutari debet prius quam alere poſſit; quoniam, niſi commutetur, concoqui non poteſt. Lamb.

704. *Sufficit*] Suppeditat, ſubminiſtrat, præbet, πορίζει. Lamb. Subſtituit, ſubjicit, ſuppeditat. Faber.

710. *Quæ tunc peritat partita*] Quæ tunc corrumpitur, cum eſt didita & diſtributa per artus: quemadmodum diximus cibum diſperire & commutari ante quam alere poſſit animantem. Cum libri omnes manuſcripti habeant, *quæ tunc peritat partito*, &c. ego hac tertia editione ſic edendum curavi, in prima editione cod. vulgatos ſecutus, cum ſatis habuiſſem lectorem de ſcriptura vetere admonere. Lamb.

710. *Peritat*] Cum veteres libri omnes ita habeant; Vulgatum *periit*, retineri non debuit. Gif.

713.

Quapropter neque natali privata videtur
Eſſe die natura Animae, neque funeris expers.
Semina praeterea linquuntur, necne, Animaï
Corpore in exanimo? quod ſi linquuntur, & inſunt,
Haud erit, ut merito immortalis poſſit haberi;
Partibus amiſſis quoniam libata receſſit.

Sin

INTERPRETATIO.

Quapropter Anima (naſcitur & moritur) neque Originis neque mortis expers eſt. Præterea, in Exanimi Corpore quædam particulæ Animæ remanent, necne? Si remanent, in Cadavere non dicendum eſt Animam eſſe immortalem, cum amiſſis quibuſdam & in Cadavere relictis partibus deminuta exierit:

NOTÆ.

713. *Semina præterea linquuntur*] Aliud argumentum, quod conſtat dilemmate, hoc modo: Cum anima excedit è corpore, aliquane ſui ſemina relinquit in corpore, an tota abit, nullis relictis ſui in corpore reliquiis? ſi eam aliqua ſui ſemina relinquere dices; ergo non abit incolumis, neque integra: ſin nulla prorſus: unde naſcuntur vermes in cadaveribus? LAMB. Decimum nonum v. 28. Si Anima diſcedens è Corpore quaſdam ſui particulas in eo relinquat, diſſolubilem arguunt delibatæ particulæ; Si non relinquat, reddi cauſa nequeat quamobrem tot Vermes gignantur in Cadavere; cum dicere quidem tot Animas eo confluere extrinſecus unde una exceſſerit, perabſurdum ſit, ac magis adhuc, dicere unamquamque aut deligere Semina, ex quibus fabricetur ſibi Corpus proprium, ut ea patiatur incommoda, quæ ſine Corpore eſſe nequeunt, aut ſubire in Corpus jam elaboratum, cum quo connecti intime, & conſentire non valeat. CREECH.

715. *Haud erit ut merito*] Οὐκ ἔςαι ὅπως, non poterit contingere, ut, &c. ſic lib. 1: 614.
Non erit, ut diſtent. LAMB.

716. *Quoniam libata*] Libata, id eſt deminuta. tralatio eſt à libaminibus, in quibus de vino quod libatur, id eſt funditur, aliquid detrahitur. quidam tamen legunt *limata*, ut ſit tralatio à lima. alii *librata* legi malunt. *librata* autem interpretantur *delibrata*, id eſt extenuata, & deminuta, ut infra 1101.
——— *nec delibrare valemus*
Tempore de mortis. LAMB.

716. *Libata*] Ita omnes libri. GIFAN.

717. *Sin ita* ſinceris *membris ablata profugit*;] Error eſt: non enim id agitur nunc, *Utrum, cum anima abit, integra remaneant membra*; (quis enim ea de re unquam dubitet?) ſed, *Utrum anima, cum abit, deminuta ſui parte, & libata recedat.* Vin' tu quæſtionem, uti ab ipſomet Lucretio formata & concepta eſt, audire? En tibi:
Semina præterea linquuntur, necne, animaï
Corpore in exanimo?
Cetera tute ipſe legere poteris me quieſcente, me tacente. Quamobrem invitis & reclamantibus omnibus legendum eſt:
Sin ita ſincera ex *membris ablata profugit.*
Sincera eſt integra, & illibata; (quod verſus ſequens oſtenderit,
Ut nullas partes in corpore liquerit ex ſe)
Addere poterunt ἐριςικοὶ & locum illum qui ante occurrit:
Scinditur atqui animæ quoniam natura, nec uno
Tempore ſincera *exiſtit, mortalis habenda eſt.* FAB.

719. *Unde cadavera rancenti, &c.*] Secutus ſum codicem Vaticanum, & Bertinianum, & Memmianum, & pleroſque impreſſos. nam in Faërn. & Tettiano, & nonnullis impreſſis legitur,
Unde cadavere, rancenti jam viſcere, vermes
Exſpirant?
hujus autem ſcripturæ, quam ſecutus ſum, videtur mihi probabilior ratio reddi poſſe, quam alterius. Si anima (inquit) è corpore ita ſincera & integra exceſſit, ut nullam ſui partem in eo reliquerit; unde cadavera è viſcere rancenti vermeis edunt; atque ita *vermeis* erit legendum in quarto caſu, & *exſpirant* ſignificabit actionem quandam: ut lib. 2: 354.

San-

Sin ita ſinceris membris ablata profugit,
Ut nullas parteis in Corpore liquerit ex ſe:
Unde cadavera rancenti jam viſcere vermeis
Exſpirant? atque unde animantum copia tanta
Exos, & exſanguis tumidos perfluctuat artus?

Quod

INTERPRETATIO.

Si vero cum omnibus ſuis partibus adeo integra receſſerit, ut nullas particulas in Cadavere reliquerit, unde Cadavera vermiculos e viſceribus jam putridis effundunt, unde tanta multitudo Animalium quæ nec oſſa, nec ſanguinem habent per membra tumeſcentia repunt, & volvuntur?

VARIÆ LECTIONES.

717. *ſinceris membris.* ſincera ex membris F.

718. *Ut.* Et Y. Z.

719. *cadavera.* cadavere A. B. P. *rancenti.* renuenti *Gaſſ.* recenti Q. X. *viſcere.* vicere K. vivere c. P. X. ſunt qui ſcribunt: *unde cadavere jamque recenti vivere vermes ſpirantes* P. *in not.*

720. *animantum.* animarum *Gaſſ. copia.* corpora tanta c.

NOTÆ.

Sanguinis exſpirans calidum de pectore flumen

& lib. 4: 123.

Præterea quæcunque ſuo de corpore odorem
Exſpirant acrem.

ibid. 704.

Tum flammam tætro ſpiranteis ore Chimæras
Paſcere naturam, &c.

& *exhalat* apud eundem, lib. 5: 254.

Pulveris exhalat nebulam.

Si quis tamen alteram ſcripturam probabit magis, non repugnabo. Quod autem ad vermium, qui in corpore exanimo naſcuntur, rationem pertinet: partim in viſceribus naſcuntur ex putrore & reliquo animalis recens mortui ſpiritu: ut docet Ariſtoteles libr. 5. de hiſtoria animal. cap. 19. partim à muſcis ingenerantur: quod & Homerus indicavit illis verſibus, qui ſunt Iλ. τ. 23. ubi Achilles, acceptis à Thetide matre armis Vulcaniis, ante quam eis accinctus atque inſtructus in certamen prodeat, orat Thetidem, det operam, ne corpus Patrocli mortui à vermibus deformetur, atque inquinetur, quos muſcæ vulnera ſubeuntes generarint. Sic Homerus:

——— ἀλλὰ μάλ' αἰνῶς
Δείδω, μή μοι τόφρα Μενοιτίου ἄλκιμον υἱὸν
Μυῖαι καδδῦσαι κατὰ χαλκοτύπους ὠτειλὰς
Εὐλὰς ἐγγείνωνται, ἀεικίσσωσι δὲ νεκρὸν, &c. LAMB.

719. *Cadavere*] In Aliis: *cadavera*; *vivere.* Mallem ego: *vivere*; ſed obſtat, *Exſpirat*; quod verbum mihi valde ſuſpectum eſt. Verum, ut dixi, *cadavera*, etiam bonum eſt. GIFAN.

720. *Eſpirant*] *Vermeis exſpirare* idem plane quod Græcis ἐκζέειν σκώληκας uti in ſacris Exod. XVI: 20. apud LXX. occurrit, & Phraſi Hebrææ, non minoris, ut ita dicam, ſignificantiæ reſpondet; ex Luciano, adducunt ζέσας σκωλήκων. PREIG.

721. *Exos & exſanguis, &c.*] Arnobius lib. 4. *Si omnino non eſſent apes ullæ in terris, aut ſi exos humanum genus, velut quidam vermiculi, naſceremur, dea Mellonia non eſſet, aut Oſſilago ſolidatrix oſſium, nomen proprium non haberet.* Nonius hunc verſum profert in nomine *exos.* LAMB.

721. *Exſanguis*] Si inſecta omnia, exſanguia ſunt, ut docet Ariſtoteles libr. 1. cap. 6. de hiſtoria anim. & item alibi: multo magis vermes; ex quibus magnam partem inſecta naſcuntur. LAMB.

621. *Tumidos perfl.*] Id eſt, per tumidos artus fluctuat. ejuſdem generis eſt illud Horatianum epiſt. 1. lib. 1: 7.

Eſt mihi purgatam crebro qui perſonet aurem, &c.
LAMB.

Quod ſi forte Animas extrinſecus inſinuari
Vermibus, & priva ſi in corpora poſſe venire
Credis, nec reputas cur millia multa Animarum
Conveniant, unde una receſſerit: Hoc tamen eſt ut
Quaerendum videatur, & in diſcrimen agendum:
Utrum tandem Animae venentur ſemina quaeque
Ver-

INTERPRETATIO.

Quod ſi forſan exiſtimes Animas extra formatas in Vermiculos infundi, & ſingulas ſingulis corporibus conjungi, nec conſideres quam ob cauſam multa Animarum millia illuc convenirent, unde una tantum receſſerit: Illud tamen inquirendum & diſcutiendum videtur, utrum Animæ ſingula ſemina Vermiculorum inquirant,

VARIÆ LECTIONES.

723. *priva ſi in corpora.* privas ſi corpore P. Q1. X. privas in corp. *Alii.* in X. 723. & 724. tranſponuntur.

NOTÆ.

722. *Quod ſi forte animas*] Ἀνθυποφορά. At dices (inquit) fortaſſe animas extrinſecus in vermeis inſinuari. primum abſurdum eſt dicere tot millia animarum eo convenire, unde unica anima deceſſerit: deinde quærendum & in controverſiam vocandum eſt, utrum animæ captent & exquirant primordia vermiculorum, & ex iis ipſæ ſibi corpora fabricentur, an in corpora vermiculorum jam perfecta ingrediantur. dilemma eſt. Hunc autem verſum, & eum qui proxime ſequitur, profert Nonius Marcell. in voce *priva:* & docet, antiquos *priva* dixiſſe pro *ſingulis.* Lamb. Ἀνθυποφορά. Gifan.

723. *Et privas in corpora poſſe venire*] Veram lectionem nequaquam dubito, quin ſuppeditet nobis Marg. noſt. qui habet: *& priva ſi.* cujus veſtigia Pii illa repræſentat, in Var. Lect. lego itaque:

Quod ſi forte animas extrinſecus inſinuari
Vermibus, & priva ſi in corpora poſſe venire
Credis.

Nimio ſæpius variatum conſtat, quoties talis aliqua, ut poſterior in *priva* hoc loco, ſyllaba producenda veniebat. *In priva corpora*, i. e. in propria, ita ut unaquæque ſuum, ſibi proprium deſtinatum, aptum ingrediatur. Repetitio particulæ *ſi* notat bipartitam proponi adverſariorum objectionem ſeu ſententiam. Preig.

726. *Et in diſcrimen agendum,*] id eſt & in controverſiam vocandum, ἀμφισβητητέον. Lamb.

728. *Ipſæque ſibi fabricentur, ubi ſint*] Et ipſæ ſibi domicilia fabricentur, in quibus habitent. Lamb.

729. *An jam corporibus perfectis*] Sic legendum, ut veſtigia ſcripturæ veteris indicant, non, ut vulgo,

An quaſi corporibus perfectis inſinuantur. Lamb.

730. *At neque, cur faciant*] Prior pars dilemmatis: At neque licet dicere, cur ipſæ ſibi domos fabricentur. *ſuppeditat*, i. ſuppeditatur, aut ſuppetit, licet. Lamb.

731. *Neque enim, ſine corpore*]. Ratio, quare animæ ipſæ ſibi domos non fabricentur: quia (inquit) ſine corporibus non ægrotant, non algent, non eſuriunt. his enim incommodis corpus quidem afficitur, animus autem liber eſt. Lamb.

732. *Algoque*] Ita omnes libri, & Nonius. Lambinus mavult: *algu.* Gifan.

732. *Alguque*] Priſcian. lib. 5. aut vetus neſcio quis apud eum grammaticus, in extr. docet uſurpari à Latinis *algor, is*, in tertia inflexione, & *algus, us*, in quarta: ut minime dubitandum ſit, quin ita legendum ſit, non *algoque.* nam quamvis ſic habeant libri manuſcripti, nihil hoc me movet, cum ſciam librarios illos ſæpe *o* pro *u*, & *u* pro *o* ſcribere ſolitos eſſe. adde quod Soſipater Cariſius libro primo notat, *algu* dictum eſſe à Latinis, profertque locum ex Plauto in Rudente, 2: 7: 24.

——— *tu vel ſuda, vel peri algu.*

Idem

Vermiculorum, ipſaeque ſibi fabricentur ubi ſint;
An jam corporibus perfectis inſinuentur.
At neque, cur faciant ipſae, quareve laborent,
Dicere ſuppeditat, neque enim, ſine corpore quom ſint,
Sollicitae volitant morbis, alguque, fameque.

Cor-

INTERPRETATIO.

& ipſæ ſibi ædificent domicilia ubi vivant; vel infundantur in Corpora jam perfecta & abſoluta. Nulla vero eſt ratio cur ipſæ ſibi ædificent domicilia, & laborent, non enim, cum ſint ſine Corpore, morbis, fame, aut frigore afficiuntur:

VARIÆ LECTIONES.

728. *ubi ſunt.* ubi ſint A. B. C. D. L. P. X.
729. *An jam.* An quaſi corporibus C. E. N. P. Q. V. Y. Z.
731. *ſuppeditat.* ſuppeditant P. *ſint.* ſunt Y. Z.
732. *volitant.* evolitant P. X. *alguque.* algoque *Non. & Alii.*

NOTÆ.

Idem ille grammaticus apud Priſcianum citat alium locum Plauti in Vidularia,

Inopiam, luctum, mærorem, paupertatem, algum, famem.

Obſtat his Nonius, qui hunc locum proferens legit, *algoque, fameque:* docetque, *algo* pro *algore* uſurpatum eſſe à veteribus. Ego hoc tantum reſpondere poſſum, vel Nonium uſum eſſe corruptis libris, vel ipſum Nonium eſſe mendoſum, atque apud eum legendum *algu* pro *algore*, & locos omneis, qui ab eo proferuntur, ſic eſſe reſtituendos. LAMB.

732. *Fameque*] *Fame* hoc loco quintæ inflexionis eſt, non tertiæ: at apud Virgil. lib. 6: 104.

Objicit,
Ille fame rabida tria guttura pandens. LAMB.

733. *His vitiis adfine laborat*] Cum ſemper antea hic locus, ut eſt in libris omnibus ſcriptus & impreſſus, in quibus ita legitur, *vitiis ac fine laborat*, me offendiſſet: (alieno enim loco & tempore de fine, id eſt morte, ſermo à Lucretio habebatur, quia de incommodis tantum, quæ animus perpeti cogitur, dum eſt in corpore, hîc agitur) in ſecunda editione libros veteres, quos etiam tunc penes me habebam, conſului: quos non habebam, eorum ſcripturas in uno meo libri impreſſo repræſentatas relegi, maxime ad hunc locum. in quibus cum varietatis aut diſſimilitudinis nihil reperiſſem. niſi quod in Bertiniano ſcriptum reperi,

his vitiis at fine laborat:

ego primo non animadverti, neque attendi, quid hæc ſcriptura ſignificaret, quidve boni contineret. aliquot poſt menſib. cum animi relaxandi cauſa Arnobium relegerem, & ad eum locum perveniſſem, ubi animarum incommoda enumerat, quæ, quamdiu corporibus incluſæ atque irretitæ tenentur, perferunt: libuit mihi hanc ipſam diſputationem Lucret. de animab. ſeu animis cum Arnobiana comparare. quo facto, continuo conjeci hîc *adfine* eſſe legendum, facili mutatione ex *t* in *d*, & ſententia plana, & genere loquendi Latinis uſitato, atque eleganti. Quod cum, editione ſecunda jam abſoluta, eveniſſet, neque res jam integra eſſet: non ita multo poſt cognovi, hoc idem cuidam homini peſſime de me merito, eidemque tamen nulla umquam injuria à me laceſſito, ut quem ne natum quidem eſſe ſciebam, in mentem veniſſe: aut certe, illum, cum alteri fortaſſis in mentem veniſſet ſibi arrogaſſe, atque adſcripſiſſe. hoc enim factitare conſuevit, ut ab iis accepi, qui eum bene norunt. propter cauſam ſupra à me commemoratam, hanc hujus loci emendationem, mea ſententia, certam & dubitationis expertem, pro mea venditare nolui, ſed ſuo auctori, qui princeps eam excogitavit, quiſquis ſit, reddendam exiſtimavi. Dictum autem eſt pereleganter *affinis vitiis*, pro *particeps vitiorum*, vel *alligatus & obnoxius vitius.* Sic Terent. in Heautont. 2: 1: 3.

Corpus enim magis his vitiis adfine laborat:
Et mala multa Animus contagi fungitur ejus.
Sed tamen his eſto quamvis facere utile Corpus,
Quod ſubeant: at qua poſſint, via nulla videtur.
Haud igitur faciunt Animae ſibi corpora, & artus.

Nec

INTERPRETATIO.

His enim malis Corpus ſolum proprie afficitur, Animuſque illius contagione multa incommoda patitur: Sed concedatur utile eſſe iſtis Animabus ædificare Corpus quod incolerent, via tamen nulla videtur, qua id poſſint facere. Animæ igitur ſibi Corpora non fabricantur;

VARIÆ LECTIONES.

733. *adfine.* & fine A. C. E. P. Q. X. Y.
734. *contagi.* Sic D. L. contagia E. M. N. P. contage *Alii.*
736. *Quod.* Quom ſubeant L. cum A. B. C. E. P. X. Y. Z. *Adſcribitur, ſed recentiore manu, in* Z. *ad marg. lege* cur. *at qua.* atque Q1. atque Y. Z.

NOTÆ.

——— *earum rerum affineis, quas fert adoleſcentia:* ſic M. Tull. *affinis facinori & turpitudini:* ſic Livius, *noxæ affinis.* Jungitur enim cum generandi, vel cum dandi caſu, ἀδιαφόρως. Sic autem dictum

vitiis adfine laborat,

ut illud libro primo, 344.

motu privata carerent. Lamb.

Ita (*adfine*) conjectura ductus reſtitui. Vulgati: *& fine.* Gifan. in Ed. alt. tantum.

734. *Et mala multa animus contage &c.*] Id eſt, & animus fungitur, ſeu fert, & patitur multa incommoda, contagione corporis. Sic autem reſtitui hunc verſum, cum mendoſus eſſet in vulgatis, in quibus ita legitur,

Et mala m. a. contagia fung. ejus:

cumque reperiſſem in quattuor manuſcriptis, *contage.* Nam *contagi* pro *contage* in ſexto aut ſeptimo caſu eadem ratione dictum eſt, qua *parti, colli, voci.* & ſimilia, pro *parte, colle, voce,* &c. Jam *contages* idem valet quod *contagium, ii* ſeu *contagio, nis.* utitur eod. nomine libr. 4: 336.

Quæ contage ſua palloribus omnia pingunt.

Utitur & Arnob. lib. 7. *Temporibus quondam civitatis & reip. duris, vel quæ lues infeſta faciebat continua populum contage conficiens: vel quæ, &c.* Conſtat tamen *contagium* & *contagio* eſſe uſitatiora. idem Lucret. ſup. eod. libr. 472.

Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi.

Virgil. Ecl. 1: 51.

Nec mala vicini pecoris contagia lædent.

& Georg. 3: 469.

Dira per incautum ſerpant contagia vulgus.

De contagione Feſtus ſcribit, *contagio* dicendum potius, quam *contagium.* itaque illo potius, quam hoc utuntur oratores. Lamb.

334. *Contage fungitur ejus*] Ita omnes Veteres. Marullus: *contagia.* Lambinus: *contagi.* Gifan. Leg. *contagi*, cum Lamb. quicquid contradicat Gif. Nam in lib. IV. verſ. 337. corripitur *contage.* Preig.

735. *Sed tamen his eſto, &c.*] Sed tamen demus, quantumvis eſſe his utile corpus ſibi fabricari eo ipſo tempore, quo in corpus introire debent. at nulla via patere videtur, vel nullus modus apparet, quo modo id poſſint. conceſſio eſt ejus rei quæ facultatem non habet, & quæ eſt ἀδύνατον. Lamb.

735. *Quamvis utile*] Quantumvis utile. Creech.

735. *Sed tamen his eſto quamvis facere utile corpus,*
Quom ſubeant . . . . . .]

In poſteriori verſu legendum, *Quod ſubeant;* uti ingenioſe & vere conjecit * * * amicus meus, qui ſe præ modeſtia appellari noluit. Faber. *Quod ſubeant;* Faber, recte: olim enim ita ſcriptum, inde *Quom,* & tandem *Cum.* Creech.

736. *At qua poſſ. &c.*] At via nulla videtur, qua via poſſint ſibi corpus fabricari. Lamb.

738. *Nec tamen eſt ut jam perf.*] Sic reſtitui, ab antiquis & manuſcriptis codicibus ad veram

(niſi

Nec tamen eſt ut jam perfectis inſinuentur
Corporibus: neque enim poterunt ſubtiliter eſſe
Connexae; neque conſenſu contagia fient.
Denique cur acris violentia triſte Leonum
Se-

INTERPRETATIO.

nec in Corpora jam perfecta & abſoluta infunduntur, tum enim non tam accurate eſſent ſingulis partibus unitæ, neque ita Corpus & Anima conſentirent, & motus vitales ſibi invicem mutuo impertirent. Denique cur ſæva feritas omni Leonis proli inſit,

VARIÆ LECTIONES.

738. *tamen eſt ut jam.* tamen ut qui jam A. tamen eſt quî jam a. B. I. tamen eſt ut cum X. tamen ut qui cum perfectis C. P. Q. V. Y. Z. tamen eſt, quaſi cur perfectis E. N. *priſca exempll. Pii.*

740. *neque conſenſu.* ne cum ſenſu contagia fiant E. N. Q. X.

NOTÆ.

(niſi fallor) ſcripturam quaſi manu ductus. Nam ſic habent codices Faërn. & Tettian.

Nec tamen eſt, ut qui eam:

Vaticanus autem ſic,

Nec tamen ut qui eam:

Bertinianus,

Nec tamen ut qui cum perf. inſ.

quas ſcripturas omneis nemo non videt eſſe depravatas, ita tamen, ut redoleant quædam germanæ ſcripturæ veſtigia. Nam cum ita à Lucretio ſcriptum eſſet,

Nec tamen eſt, ut jam perf. &c.

vel ſic,

Nec tamen eſt, qui jam perfectis, &c.

Primo ſic fortaſſe hæc ſcriptura depravata fuit,

Nec tamen eſt ut eam.

deinde ſic,

Nec tamen eſt, qui eam:

deinde,

Nec tamen eſt quaſi jam, &c.

cum ſingula capita eorum qui ſibi aliquid intelligere viderentur, ſingulas mutationes & varietates excogitarent. Ego, ne quis dicat, me, quod in aliis peccatum reprehendo, id ipſum peccare: primum antiquorum librorum ſcripturas oculis lectorum ſubjicio: deinde ex iis ſcripturis unam elicio, quæ & ad illas proxime accedat, & elocutionem Lucretianam oleat, &, quod caput eſt, ſententiam cum iis & quæ antecedunt, & quæ ſequuntur, conſentaneam exprimat. Quod igitur ad elocutionem attinet, ſæpenumero admonuimus ita Lucretium, & alios ſcriptores Latinos loqui ſolere, *eſt ut,* & *non eſt ut,* pro *fieri poteſt ut,* & *non poteſt fieri ut*: quod Græci dicunt, ἔϛιν ὅπως, & οὐκ ἔϛιν ὅπως. Eſt autem hæc altera pars dilemmatis. Lamb.

738. *Ut qui jam perfectis*] Sic veteres libri. In Quibuſdam: *eſt, ut.* Tò *eſt* irrepſit. In Quibuſdam: *ut qui cum perfectis.* Gifan. in edit. pr.

738. *Eſt quî perfectis*] Hæc veriſſima ſcriptura. In quodam Veteri: *ut*; quod è gloſſa & *quî.* Ut τὸ *eſt* inrepſit. In Quibuſdam: *ut qui cum perfectis.* Gifan. in ed. poſt.

739. *Neque enim poterunt*] Ratio, quare non ſit veriſimile, animas ingredi in corpora jam perfecta. quia (inquit) ſi ita eſſet, animæ non eſſent ſubtiliter & examuſſim cum corporibus connexæ, neque fierent contagia ex conſenſu corporis & animi. Lamb.

740. *Neque conſenſu cont.*] Neque per conſenſum fient contagia: οὐδὲ τοῖς σώμασι συμπείσον) αἱ ψυχαὶ, οὐδὲ ταῖς ψυχαῖς τὰ σώματα: id eſt, *neque cum corporibus afficientur animi, neque cum animis corpora.* quod fieri videmus. Lamb.

741. *Denique cur acris viol.*]. Hujus argumenti hæc vis eſt. Si animi eſſent immortales, & ex aliis corporibus in alia corpora migrarent; non eſſent animantium cujuſque generis propria quædam ingenia, propriique mores: ſed eſſent permiſtis & confuſis moribus. Atqui videmus, leones eſſe iracundos & violentos natura; vulpeis doloſas: cervos timidos & fugaceis, & ita de ceteris ſentiendum: ergo, &c. Lamb. Vigeſimum v. 29. Si Animæ iſtæ immortales toties hactenus commutâſſent Animalium Corpora (Pythagoram & Platonem urget) deberet ſenſim

eſſe-

Seminium ſequitur: dolus Volpibus, & fuga Cervis
A patribus datur, & patrius pavor incitat artus?
Et jam caetera de genere hoc, cur omnia membris
Ex ineunte aevo ingeneraſcunt, inque genuntur,

Si

INTERPRETATIO.

cur Aſtutia Vulpibus a parentibus datur, cur fuga Cervis, & cur pavor a Parentibus derivatus eos in fugam conjicit? Cur, inquam, hæ, ſimileſve affectiones omnibus Animalibus a tenera ætate competunt, & innatæ videntur,

VARIÆ LECTIONES.

742. *dolus Volpibus.* volpes dolus? C. E. N. P. Q1. X. Y. Z. *& fuga Cervis.* & fugia (pro *fuga*) cervos Z.

743. *patrius.* patruus, i. e. magnus & gravis, qualis nepotibus a patruis oritur K.

745. *ingeneraſcunt, inque genuntur.* generaſcunt ingenioque A. B. C. E. N. P. Y. Z ingenioque D. Q. Q1.

NOTÆ.

eſſe immutata Animalium indoles; Sicque jam Leo eſſet non ferox, Cervus non timidus, Vulpes non doloſa, jam Canis cervum fugeret, Accipiter Columbam; Bruta ſaperent, & Homines deſiperent; quippe Anima Columbæ Accipitri, Anima Bruti Homini, & vice verſa, ſæpe jungeretur. Siquis vero dicat Animarum indolem una cum Corporibus mutari, eaſque cujuſcunque generis ſint, induere eos mores, qui iſtis Corporibus conveniant, nihil amplius requirimus: Quicquid enim mutari poteſt illud mortale eſt, cum in omni mutatione ſit partium trajectio, atque ideo diſſolutio. Sin vero affirmet Animas, exempli cauſa, Humanas immigrare ſolum in Humana Corpora; cur illa Anima, quæ modo in Homine adulto ſapiens vixit, in Puerum infuſa deſipit? An in tenero corpore teneraſcit Animus? tum mutatur; Et nemo ſanus afferet rem tantopere mutatam immortalem eſſe. Creech.

742. *Seminium triſte*] Crudele, noxium; Virgilius Ecl. 3: 80.

Triſte *lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres.* Creech.

742. *Dolus vulpibus*] Hanc ſcripturam, in Veteribus noſtris reperi. In quibuſdam libris: *vulpes dolus*, in quibuſdam libris: *cervos*; male. Varietas nata eſt ex verſu, inf. 861. libri v. Hoc ſæpe deprehendi & aliis multis locis. Voluit interdum copiam oſtentare Poëta. Hoc alii non obſervaverunt. Gifan.

742. *Dolu' volpibus*] Sic reperi ſcriptum in duobus cod. manuſcript. atque ita melius currit oratio & ſententia. Nam alii libri habent, *vulpeis dolus?* Hanc ſcripturam, quam ſecutus ſum, ſimia illa ſe in ſuis libris reperiſſe jactat, quaſi ejus reſtitutor. Lamb.

742. *Et fuga cervis à patribus datur*] Secutus ſum vulgatam. nam manuſcripti ſic habent, *& fuga cervos.* unde doctus quidam ſuſpicabatur, hunc verſum,

A patribus datur, & patrius p. inc. artus,

eſſe interjectum, & alienum, non poëtæ. nam eo ſublato, & ſervata ea ſcriptura quæ reperitur in libr. manuſcriptis, præterquam quod legendum eſſet, *vulpeis dolus*, ut eſt in vulgatis & nonnullis calamo exaratis; ſententia conſtaret: ut totus hic locus ſic legatur,

cur acris violentia triſte leonum
Seminium ſequitur, vulpeis dolus, & fuga cervos?
Et jam cetera de gen. &c.

Verum tamen judicet lector eruditus. Nam quod ad me attinet, ſic puto legendum, ut excudendum curavi: neque tamen alteram lectionem damno. Eſt enim valde concinna & venuſta. Sed hæc quoque eſt perelegans, & Lucretio digna. Lamb.

744. *Et jam cetera de genere hoc*] Crebro ita loquitur, & ſæpenumero hoc verſus principium reperitur,

Cetera de genere hoc:

ut ſupra hoc eodem libr. 480.

Et

Si non certa ſuo quia ſemine ſeminioque
Vis Animi pariter creſcit cum corpore toto?
Quod ſi immortalis foret, & mutare ſoleret
Corpora, permiſtis animantes moribus eſſent:

INTERPRETATIO.

Si non quia certa Anima ex certo ſemine naſcitur, & una cum toto Corpore creſcit? Si vero Anima eſſet immortalis, & ab uno in aliud Corpus tranſire ſoleret, tum ejuſdem generis Animalia haberent diverſos mores;

VARIÆ LECTIONES.

747. *toto.* corpore quoque C. E. N. *Creech.* P. Q1. X. Y.

NOTÆ.

Et jam cetera de genere hoc, quæcumque ſequuntur. & libr. 5: 843.

Cetera de genere hoc monſtra, & portenta loquuntur. & libr. 6: 243.

Cetera de genere hoc qua vi facere omnia poſſint, &c. quod imitatus eſt Horatius ſat. lib. 1: 13.

Cetera de genere, adeo ſunt multa, loquacem
Delaſſare valent Fabium. LAMB.

744. *Cur omnia membris*] Cur omnia in membris. LAMB.

745. *Ex ineunte ævo ingeneraſcunt*] A *genero, as*, fit *generaſco*, ut à *labo, as, labaſco*, ab *integro, as, integraſco.* quidam tamen hoc loco legunt *grandeſcunt*, id eſt creſcunt, à quibus diſſentio. LAMB.

745. *Inque genuntur*] Et in membris ingenuntur, ſeu ingignuntur. ſic autem reſtitui, conjectura ductus. nam vulgata & recepta ſcriptura *ingenioque* ferri non poteſt. Hoc enim quærit Lucretius, Quamobrem ſui cujuſque corporis ſunt mores, & ſua ingenia, & ſui habitus, & ſuæ affectiones animorum? cur leones ſunt iracundi, vulpes doloſæ, cervi fugaces & timidi? cur ceteri ſimiles animorum affectus & habitus omnes ex ineunte ætate ingenerantur in membris & corporibus, niſi quia certa vis animi, certaque affectio naſcitur in certo corpore, & certis principiis, ex quibus corpus concretum & conflatum eſt? Nonne igitur nunc inepte loquatur Lucretius, ſi ita poſtea quærat? Cur certa ingenia, & certi mores in certis ingeniis gignuntur? quod volunt iſti hebetes. Non enim ex ingenio cujuſque ingeneratur dolus, aut pavor in animalibus: ſed contra mores & ingenium, & affectus: id eſt, vel dolus, vel pavor, vel iracundia, & ſimilia in membris animalium ab ineunte ævo ex ſeminibus & primis corpuſculis cujuſque propriis innaſcuntur & ingenerantur. LAMB.

745. *Generaſcunt, ingenioque*] Sic omnes libri. Lambinus tamen: *inque genuntur*; male. GIFAN.

745. *Ingeneraſcunt, inque genuntur.*] Illud prius habet aliquid latius, & quod ad ſpeciem pertinet magis; at *ingenuntur*, ad ſingularia, ſeu individua, ut vocant. FABER.

746. *Semine ſeminioque*] Iiſdem fere vocibus haud tamen idem dicit, *ſemen* enim materia eſt genitalis, & ipſum σπέρμα; *Seminium* vero ſobolem ſignificat & generis propaginem, ut *leonum ſeminium* ſuperius verſu 743. ut recte obſervatum Turnebo Adverſar. lib. 21. cap. 2. ſed quod idem velut ex Lucretii lib. 2. citet

Hæc aliquo ſine ſeminio graviore coörta eſt.
vereor ut doctiſſimum virum memoria fefellerit. HAV.

747. *Cum corpore toto*] Sic habent lib. manuſcript. vulgati autem,

cum corpore quoque.

quamquam infra non longe ab hoc loco, ubi & hic verſus & ſuperior iterantur, ſcriptura codicum veterum nihil à vulgata diſcrepat. LAMB. Ita (*toto*) veteres libri. In Quibuſdam tamen: *quoque.* Et ita Vulgati. Hoc natum eſt ex verſ. 765. Vide & ſupra, verſ. 634 & inf. verſ. 800. GIFAN. Rectius ille qui legit *Corpore quoque*, ut v. 765. & v. 770. CREECH. Si ita legas, erit pro *quocunque.* HAV.

749. *Permiſtis animantes moribus eſſent*] Hoc illud eſt (opinor) quod dicit Ariſtoteles eo quem ſupra protulimus loco, ſuam cujuſque rei eſſe formam: quo ſignificat, ſuam cujuſque corporis eſſe animam. qui autem aliter ſentiunt (inquit

Effugeret Canis Hyrcano de ſemine ſaepe
Cornigeri incurſum Cervi, tremeretque per auras
Aëris Accipiter fugiens veniente Columba:
Deſiperent Homines, ſaperent fera ſaecla Ferarum.
 Illud enim falſa fertur ratione, quod ajunt,
Immortalem Animam mutato Corpore flecti.
Quod mutatur enim, diſſolvitur: interit ergo.
Trajiciuntur enim partes, atque ordine migrant.
Quare diſſolvi quoque debent poſſe per artus,

De-

INTERPRETATIO.

Canis Hyrcanus ſæpe fugeret Cervi corniger impetum, & Accipiter Columbam per Aëra delapſam timeret, & evitare conaretur: Homines ſine ratione viverent, Bruta vero ſaperent. Illud enim falſum & abſurdum eſt quod dicunt, Animam immortalem mutato Corpore mutari, nam quod mutatur, diſſolvitur, & proinde perit: partes enim tranſponuntur, & ſitum mutant, quare debent quoque diſſolvi poſſe per artus,

VARIÆ LECTIONES.

758. & 759. Delet *Creech.* poſterior abeſt a Z.

NOTÆ.

quit ille) ſimile quiddam dicunt ac ſi dicerent, artem fabricandi in tibias intrare poſſe. oportet enim, ut artem ſuis ac propriis inſtrumentis; ita animam ſuo uti corpore. LAMB.

750. *Hyrcano de ſemine*] Canis (inquit) ex ſemine tigris Hyrcanæ conceptus atque editus, cervum fugeret, nedum perſequeretur. Virgil. lib. 4. Æneid. 367.

Hyrcanæque admorunt ubera tigres. LAMB.

753. *Deſiperent homines*] Homines mentis & rationis expertes eſſent. LAMB.

755. *Flecti*] Mutari. LAMB.

756. *Quod mutatur enim*] Sic ſup. 518.

Nam quodcumque ſuis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors eſt illius, quod fuit ante. LAMB.

758. *Quare diſſolvi quoque* &c.] Deletis duobus hiſce verſibus, integra foret ſententia, & argumentum ſatis explicatum. CREECH

759. *Denique ut intereant*] Id eſt, ita ut tandem intereant. LAMB.

761. *Tamen quæram*] Sic habent tres libri manuſcripti: vulgati, *quæres.* minus recte. LAMB.

761. *Cur è ſapienti, &c.*] Videmus enim, ætates alias aliis eſſe prudentiores, ut ſenectutem adoleſcentia: homines etiam alios aliis eſſe ſapientiores. *homo homini quid præſtat?* inquit ille. Cicero in Catone. *Temeritas eſt videlicet florentis ætatis, prudentia ſenectutis.* LAMB.

762. *Nec prudens ſit puer ullus*] Cum prudentia verſetur in rebus ſingularibus: res ſingulares autem uſu cognoſcantur: puer autem non poſſit eſſe uſu peritus, ſed numerus annorum, & longitudo temporis uſum afferat: puer prudens eſſe nullo modo poteſt. Ariſtot. lib. 6. de morib. ad Nicom. LAMB.

763. *Quam fortis equi vis*] Sic loquitur ſup. vſ. 8.

Conſimile in curſu poſſint, ac fortis equi vis.

fortis equi vis, id eſt fortis equus, περίφρασις. LAMB.

765. *Vis Animi pariter*] Delet hunc verſum MSS. Marg. noſt. ſed præter rationem. Vid. & ſupra 747. PREIG.

766. *Teneraſcere*] Teneram eſſe. ſic enim interpretatur Nonius Marcellus, atque hunc verſum profert & Diomedes libr. 3. Sic autem Homerus de pueri ingenio & mente, ἀταλαὶ φρένες, ut ſupra retulimus. LAMB. Ita 1: 262. *novellas mentes*, ut & Tertullianus. Horat. 3. Od. 24: 54. *Et teneræ nimis mentes aſperioribus formandæ ſtudiis*, Melius multo, ſi pro *formandæ* ſcripſiſſet *durandæ.*

Ab

Denique ut intereant una cum Corpore cunctae.
Sin Animas hominum dicent in Corpora ſemper
Ire humana, tamen quaeram cur è ſapienti
Stulta queat fieri, nec prudens ſit puer ullus:
Nec tam doctus equae pullus, quam fortis equi vis:
Si non certa ſuo quia ſemine, ſeminioque
Vis Animi pariter creſcit cum Corpore toto.
Scilicet in tenero teneraſcere Corpore Mentem

Con-

INTERPRETATIO.

denique ut intereant una cum Corpore cunctæ: *Sin autem dicant Animas Humanas ſemper migrare in Corpora Humana: tum inquiram, quare Anima modo ſapiens repente fit ſtulta, & quare nullus puer ſit prudens; & quare Pullus Equæ non ſit tam doctus quam fortis Equus: Si non quia certa Anima ex certo ſemine naſcatur, & pariter creſcat cum unoquoque Corpore. Forſan vero dicent mentem teneram fieri in tenero Corpore,*

VARIÆ LECTIONES.

760. *Sin.* Sic Y. Z. *Corpora.* corpore Y. Z. ſed *corpora* ſuperſcrib. in Z.
761. *quæram.* quæres C. A. mar. E. N. P. Q.
763. *quam fortis equi vis.* quam doctus equus ſit c. O. P. Ponitur 764. ante 763. in Q. X. Y. Z.
765. *toto.* quoque A. B. C. D. E. I. N. *Cr.* P. Abeſt hic verſus ab X. & Y.

NOTÆ.

Ab eadem ratione *teneros annos* dicebant. Hic vero emendabis etiam Publii Ovidii locum quemdam in Epiſt. Phædræ ad Hyppolytum ℣. XXVI.

Ars ſit ubi à teneris crimen condiſcitur annis.
Quæ venit exacto tempore, peius amat.

Legendum eſt,

Cui venit exacto tempore, peius amat.

Antea dixerat verſ. 20.

Venit amor gravius, quo ſerius: urimur intus,
Urimur, & cæcum pectora vulnus habent.
Scilicet ut teneros lædunt iuga prima juvencos,
Frænaque vix patitur de grege captus equus.
Sic male, vixque ſubit primos rude pectus amores.

Senſus eſt, Ubi amor à teneris annis addiſcitur, (nam *crimen* hoc loco, ut alibi, atrocis ſignificationis non eſt) facile in artem, ſeu habitum tranſit: at illa, ſeu ille, peius (id eſt gravius & miſerius) amat, cui ars venit (à quo ars addiſcitur) exacto tempore. Erit autem operæ pretium videre quantopere ſe illic torqueant Interpretes & à vero abeant. Sed quando ſemel à via degreſſus ſum, alium locum in eadem Epiſtola oſtendam vſ. 86., qui & ipſe corruptus eſt: neque ab ullo editore animadverſum vitium fuit: poſtremus certe, quem inſpexi, quamquam in eo mirifica quædam diligentia eſt, non vidit.

Tu modo duritiem ſilvis depone jugoſis,
Non ſum materiâ digna perire tuâ.

Senſus eſſe alius non poteſt quam hic: *O formoſe, duritiem iſtam tuam depone, neque enim digna ſum quam materia tua tam miſere perdat.* Quid iſtuc, inquies, *materia tua me perdit*? Nihil, inquam, & tamen ita uſque adhuc lectum eſt: Sed, opinor, non ita in poſterum fiet. Certa enim emendatio, & ſole ipſo clarior eſt, quæ jam à nobis proponetur.

Tu modo duritiem ſilvis depone jugoſis;
Non ſum duritiâ *digna perire tuâ.*

Verum porro pergamus. In Epiſtola V. 86. quæ ab Oenone ad Paridem ſcripta eſt, legitur,

Dignaque ſum & cupio *fieri matrona potentis;*
Sunt mihi, quas poſſint ſceptra decere, manus;

Qui ſapiunt, mirabor, ſi priorem verſum pro-

Ff ff ba-

Confugiant; quod ſi jam ſit, fateare neceſſe eſt,
Mortalem eſſe Animam, quoniam mutata per artus
Tantopere amittit vitam, ſenſumque priorem.

INTERPRETATIO.

Si vero id ſit, neceſſe eſt ut fateare Animam mortalem eſſe quoniam dum in Corpus infunditur mutata virtutem & ſenſum quo ante fruebatur, amittit:

VARIÆ LECTIONES.

767. *Confugiant.* Ita Z. Confingent A. B. c. I. P. Q1. Non fugient D. L. *Gaſſ. Creech.* confugient *Reliqui. ſit.* ſit P.

NOTÆ.

babunt: legendum arbitror,

Dignaque ſum fieri regis *matrona potentis*;

Quod ſcilicet verſu ſequenti confirmat; namque *Sunt mihi quas.* Epiſtola autem VI. verſ. 11.

Dos tibi Lemnos erit, terra ingenioſa colenti,

Me quoque jam tales inter habere potes.

Hoc à nemine intelligi ſcio, neque adeo poteſt. Lego, emendatione certiſſima, niſi bene fallor,

Me quoque jam matres *inter habere potes.*

Videlicet ex Jaſone geminam prolem ſuſceperat Hypſipyle; quod verſibus ſequentibus firmatur:

Nunc etiam peperi: gratare ambobus, Jaſon, &c.

Notus ille Terentii Adel. 4: 7: 10. locus: *Natus puer eſt* * * *Dii vortant bene*, &c. Sed tandem tandem hæc miſſa faciamus. Faber.

767. *Confingent*] Ita in Vetere noſtro. Vulgati: *Confugient*; quod malim. Vide Indicem. Lambini ſcripturam; *Non fugient*, fugio. Gif.

767. *Non fugient*] Cum libri omnes veteres & & recentiores haberent *Confugient*, præter admodum paucos: atque ex hac ſcriptura docti quidam feciſſent, *confingent*, quo modo habent & nonnulli libri vulgati: ego ad veram lectionem, quaſi manu ductus, repoſui, *Non fugient*: quemadmodum ſupra non minus probabili, atque adeo certa conjectura, ex *non fiet*, quod erat corruptum feci *confiet*, 3: 413.

Id quoque enim ſine pernicie confiet eorum.

non fugient autem interpretor, *non poterunt negare, neque refutare:* ut ſupra, 2: 925.

——— *tum præterea quod fugimus ante*, &c.

ſic autem neceſſario legendum eſt, non, ut vulgo, *confingent.* Hoc enim ſignificat Lucretius, Non poterunt negare, mentem eſſe teneram in tenero corpore, verbi cauſa, mentem pueri bimuli, aut trimuli, non poterunt negare eſſe teneram & imbecillam. *Quod ſi jam fit*, id eſt, ſi verum eſt mentem eſſe teneram in corpore tenero. ergo mortalis eſt. At ſi legatur *confingent*, aut *confugient*, vide, obſecro te, lector, quid dicatur. Confugient eo ſcilicet, ut dicant, mentem teneraſcere in corpore tenero. Quare huc confugerent adverſarii, cum hoc maxime negare debeant, cumque hoc unum Lucretius hoc loco probare & vincere velit, mentem una cum corpore creſcere & decreſcere, quo probato ſequatur animum eſſe mortalem? ſupra hoc eodem lib. 446.

Præterea gigni pariter cum corpore, & una
Creſcere ſentimus, &c.

Nihilo magis *confingent* ferri poteſt. uterentur enim eo ipſo argumento, quo Lucretius eos oppugnat. Mirum eſt quoſdam homines ita infeliciter eſſe natos, ut non ſolum cæci ſint in luce clara, verum etiam, cum tales ſint, ita ſe gerant, itaque ſe venditent atque oſtentent, quaſi ſint Lyncei. Lamb. Malim, ut à Lambino emendatum eſt, *non fugient*, id eſt, *negare non poterunt.* alii conjiciunt legendum, *confingent.* Faber. Al. *Confingent.* Lambinus *Non fugient*, id eſt, non poterunt negare. Hoc enim ſignificat *Lucretius*, non poterunt negare mentem eſſe teneram in tenero Corpore, verbi cauſa, mentem pueri bimuli, aut trimuli non poterunt negare eſſe teneram & imbecillam: Quod ſi verum ſit, mentem modo robuſtam in tenero corpore teneram fieri, Ergo mortalis eſt. Et hæc ſuadent, ut malim *Non fugient*, Ferri tamen poteſt *Confugient.* Cum enim Alii dicant v. 755. *Animum mutato Corpore flecti*, Cur non Alii ut vim argumentorum evitarent, *Animam in tenero Corpore teneraſcere*, docerent: Et iſta voce *Scilicet* ſæpe utitur Poëta cum Adverſario effugium velit præcludere. Creech. Egregie Marginalis noſter:

Quove modo poterit pariter cum Corpore quoque
Confirmata cupitum aetatis tangere florem
Vis Animi, niſi erit conſors in origine prima?

Quid-

INTERPRETATIO.

Aut quo denique modo cuperet Anima una cum Corpore adoleſcere, & ad ſummum ætatis florem pervenire, niſi una cum Corpore naſceretur?

VARIÆ LECTIONES.

772. Hunc *quidam Codd.* non agnoſcunt.

NOTÆ.

ſter: *Confugiant.* Nimirum, ut ſupra; verſ. 550.

Et veluti manus, atque oculus, nareſve ſeorſum
Secreta a nobis nequeant ſentire, nec eſſe.

Ita nondum dicit, adverſarios eo confugere, ſed ut eo confugiant, concedit, aut potius cogit. Cæterum genus loquendi: *Confugiunt*, pro, *confugiunt eo, ut dicant, &c.* notandum, ut ſingulare & elegans. Ne cui autem ſuſpectum ſit amplius, operæ pretium fuerit, ſimilem prorſus ſignificantiæ vim notaſſe, in verbo, quod cum maxime ſuccurrit, Græco, prout apud Heliodorum in Æthiop. uſurpatur; nempe, ἀπατᾶσθαι pro: *erroneë*, ſeu *per errorem credere, perſuaſumve habere. Eo uſque decipi ac falli, ut credas.* Locus eſt, lib. 1. pag. ed. Bourd. 56. Δυσανάκλητον δὲ, πρὸς ὅπερ ἂν ὁρμήσῃ, τὸ βάρβαρον ἔθνος· κἂν ἀπογνῷ τὴν αὑτοῦ σωτηρίαν, προαναιρεῖν ἅπαν τὸ φίλον εἴωθεν· ἤτοι συνέσεσθαι αὐτοῖς καὶ μετὰ θάνατον, ἀπατώμενον, ἢ χειρὸς πολεμίας καὶ ὕβρεως ἐξαιρούμενον. Interpres Latinus in alia ibi omnia abit. Senſus eſt: Barbaros pertinaces, ac triſte genus hominum eſt, &c. *Ubi autem*, inquit, *de ſalute deſperaverint, in more iis poſitum eſt, ut tollant, & tanquam præambulum ſibi neci dent quicquid carum habent, ſive id ſecum una futurum etiam poſt mortem, erronee ac falſo ſibi perſuadentes, ſive à vi hoſtili, & contumelia vindicantes, aut præripientes.* Oblitus fuerat Interpres, quod pag. 29. melius exceperat: Νῦν δὲ ὁρᾶν φαντάζομαι, παρόντος ἀκούειν ἀπατῶμαι. Pag. 346. tamen ubi in eodem loquendi genere ſibi conſtat Auctor neſcio quas ambages rurſus captat. PREIG. Imo non modo alterum ex MSS. Lugd. Bat. idque optimum, expreſſe *confugiant* legit, ſed & jam olim queſtus eſt Turnebus Adv. lib. 30. cap. 10. perverſam fuiſſe hanc lectionem ab iis qui inmutant ea quæ non intelligunt. „Atqui illud (verba Turnebi „ſunt) *confugiant*, belliſſimum ſentio & amæ„niſſimum: hoc ſenſu ſcilicet: Illis hic receptum „& hoc perfugium reliquum ſit, ut dicant in te„nero corpore mentem (*ſic*) remoleſcere. ἄρα γε „ἐκεῖσε καταφεύξονται, ταύτην δηλονότι ἕξουσι τὴν „καταφυγήν. Nam ita ſæpenumero auctores „Græcos loqui, qui eorum literis tinctus eſt, & „intelligit. Unum tamen & alterum locum pro„feram Demoſthenis contra Ariſtogitonem, εἰ „μὴ εἰς τὴν τοῦ βίου μετριότητα καὶ σωφροσύνην κατέ„φυγον. Iterum: εἰς τὸν ἑαυτοῦ βίον καταφεύξεται „ὡς σώφρονα καὶ μέτριον." Hæc Ille, quibus accedo lubens, nam & apud Plautum legitur in Moſtell. 5: 1: 49.

Quia id enim maxime volo, ut illi iſtoc confugiant.

Agitur quidem ibi de ara, ut præſidio miſeris; ſed & hoc argumentum ut aram & ſacram anchoram, quo perdita re confugiant, Poëta conſiderat. HAV.

767. *Quod ſi jam ſit*] Si mens in corpore tenero tenera eſt, in valido autem ſit valida: ergo anima mutatur: ſi mutatur, ergo mortalis eſt. LAMB.

770. *Quove modo poterit* &c.] Poſt pugnam ſummis viribus magnaque Animi intentione depugnatam, & fugatos, uti opinatur, adverſarios, argumenta quædam levis armaturæ tanquam ad prædam colligendam emittit. Primum autem v. 7. inquirit unde Anima adultum Corpus tam impotenter deperiret, & votis ſuis omnibus optaret? Unde etiam membra Senio confecta fugeret, & exire properaret? Immortalis enim ſit, & nunquam teneri Corporis imbecillitatem, aut ſeneſcentis ruinam metuet. CREECH.

771. *Florem*] Ἀκμήν. ſic ſup. lib. 1: 565.

——— *quibus poſſint ævi contingere florem.* LAMB.

772. *Vis Animi* &c.] Hunc verſum quidam

Quidve foras ſibi vult membris exire ſenectis?
An metuit concluſa manere in Corpore putri?
Et domus aetatis ſpatio ne feſſa vetuſto
Obruat? at non ſunt Immortali ulla pericla.
Denique connubia ad Veneris, partuſque ferarum
Eſſe Animas praeſto, deridiculum eſſe videtur:
Et ſpectare immortaleis mortalia membra
Innumero numero, certareque praeproperanter
Inter ſe quae prima, potiſſimaque inſinuetur:
Si non forte ita ſunt Animarum fœdera pacta,

Ut,

INTERPRETATIO.

At quam ob cauſam e membris ſenio confectis exire cupit & properat? An metuit, ne in putri Corpore incluſa jaceret, ne Domicilium quod incolit longa ætate dehiſcens obrueret? At quod Immortale eſt eſt omnis periculi immune. Deinde ridiculum prorſus videtur dicere, Animas præſto eſſe ad coitus, partus ferarum obſervare, & cum Immortales ſint catervatim exſpectare mortalia membra, & vehementer inter ſe contendere, quæ prima ingrederetur: Niſi forte iſtæ Animæ hæc inter ſe fœdera inierint,

VARIÆ LECTIONES.

773. *ſenectis.* ſenectæ A. marg. ſenectus c. O. P. Q. X. *Non deſunt qui* ſenectis *adjective ſcribunt* P. *in not.*
775. *Et domus.* An domus P.
776. *ſunt Immortali.* ſunt jam immortali a B. L. P. Q. ſunt jam mortali A. mar. K. X. Z.
779. *Et ſpectare.* Exſpectare K. Q. Z.
780. *præproperanter.* certareque eas properanter c. O. P. Q1.

NOTÆ.

Codd. non agnoſcunt. Creech.

773. *Quidve foras ſibi*] Id eſt, aut quid ſibi vult, quod anima exit è corpore ſenectute confecto? Lamb.

773. *Senectis?*] Senio confectis, aut certe affectis. Plautus Aulul. 2: 2: 75.

——— *quem ſenecta ætate ludos facias.*

Lucret. lib. 5: 884.

Poſt ubi equum validæ vires ætate ſenecta,
Membraque dificiunt, &c.

& item ſæpe. Salluſt. hiſtor. 4. *Omnes, quibus ætas ſenecto corpore animus militaris erat.* ex Priſciano libr. 9. ſub extr. & 10. non admodum longe à princip. Lamb. In veteribus quibuſdam libris *ſenectæ.* Gifan. Senectute confectis. *Senectus, a, um;* ut *ætas ſenecta.* Faber.

776. *Sunt Immortali*] In quibuſdam libris *jam mortali.* Forte legendum: *ſunt jam immortali.* Gifan. ed. prima. Quorum poſtremum in poſterioris contextum recepit.

776. *At non ſunt jam immortali*] At, ſi anima eſt immortalis (inquit) non debet metuere, ne aut ruina domus obruatur: aut quovis alio incommodo afficiatur. non celabo lectorem, ita ſcriptum eſſe in codice Bertin.

At non ſunt jam mortali:

unde ſuſpicatus ſum eſſe legendum,

At non ſunt jam immortali, &c.

id eſt, at jam, ſi anima immortalis eſt, nulla ei pericula imminent. quæ lectio longe concinnior eſt, quam vulgata. Hæc cum in prima editione ſcripſiſſem, Thraſones arripuerunt, ſuumque fecerunt. ego igitur quod meum eſt, meo jure repeto ac recupero. Itaque ſic nunc edendum curavi, cum in libris vulgatis legatur, *At non ſunt immortali, &c.* Lamb.

777.

Ut, quae prima volans advenerit, inſinuetur
Prima, neque inter ſe contendant viribus hilum.
Denique in aehere non Arbor, non aequore in alto
Nubes eſſe queunt, nec Piſces vivere in arvis,
Nec Cruor in lignis, nec ſaxis Succus ineſſe.
Certum ac diſpoſitum eſt, ubi quidquid creſcat, & inſit:
Sic Animi natura nequit ſine Corpore oriri
Sola, neque a nervis, & ſanguine longius eſſe.
Hoc ſi poſſet enim, multo prius ipſa Animi vis

In

INTERPRETATIO.

ut quæ prima advolaverit, prima etiam ingrederetur, ideoque inter ſe minime certarent. Denique in Aëre Arbor, in profundo mari Nubes non poſſunt eſſe, Piſces in Agris vivere nequeunt: Nec ſanguis in Ligno, nec Succus in ſaxis eſſe poteſt. Certum & definitum eſt ubi unaquæque res creſcat, & exiſtat. Sic Anima non poteſt ſine Corpore ſola oriri, neque a nervis & ſanguine ſeparata exiſtere. Hoc enim ſi poſſet, Anima potius

VARIÆ LECTIONES.

787. *nec.* neque Y. Z.
788. *quidquid.* quicquam C. P. Q. X.
791. *Hoc ſi.* Quod ſi K. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

777. *Denique connubia ad Veneris*] Quidam libri habent,

Si non concubia ad Veneris. LAMB.

Secundum v. 8. docet ridiculum eſſe credere Animarum quaſi examen circumſtare ad coitus, partuſque Animalium, & de inſinuatione in Corpus inter ſe mutuo contendere, niſi forte conventum ſit, ut primo advenientis ſit conditio potior. CREECH.

782. *Si non forte*] εἰρωνεία eſt. ridiculum eſt, inquit, animas, cum ſint immortales, ad concubitus partuſque animantium præſto adeſſe, & certare inter ſe, quæ prima earum in corpus recens & modo natum introeat: niſi forte hæc inter ſe fœdera inierunt, ut corpora quæque ſint primarum advenientium, atque ita deinde occupantium: quemadmodum vulgo dicere ſolemus, qui prior ſit tempore, eum priorem eſſe jure. LAMB.

785. *Denique in æthere*] Hic verſus cum duodecim deinceps ſequentibus, iteratur lib. 5. non longe à principio. LAMB. Tertium v. 16. obſervat, quod ut certa naſcendi, creſcendi, exiſtendique regio definita ſit rebus cæteris, ita quoque Animo ipſi, ac proinde non magis poſſit extra Corpus, in quo naſcitur creſcit & exiſtit, degere, quam Piſcis extra Aquam, quam Arbor in Aëre, aut in Mari Nubes. Quod vero cum toto Corpore naſcatur, creſcat, & exiſtat Anima minime dubitandum eſt, quippe alias Anima modo in Capite, modo in Humeris, imo Calcibus formari, & inde per totum Corpus ſenſum diffundi ſentiremus. CREECH.

785. *Non æquore in alto*] Alias, *non æquore ſalſo.* ut lib. 5: 129. LAMB.

788. *Ubi quidquid creſcat*] Sic legendum. *quidquid* autem valet *quidque*, ut ſæpe alibi. LAMB.

790. *Et ſanguine longius eſſe*] Quidam docti legunt etiam hoc loco, *longiter eſſe*, ut ſupra, 3:676.

Non (ut opinor) id ab leto jam longiter errat. LAMB.

791. *Hoc ſi poſſet enim, multo prius ipſa Animi vis*
In capite, aut humeris, aut imis partibus eſſe
Poſſet, & innaſci quavis in parte ſoleret:
Tandem in eodem *homine* atque *in* eodem *vaſe maneret.*]

 Po-

In Capite, aut Humeris, aut imis Calcibus eſſe
Poſſet, & innaſci quavis in parte ſoleret:
Tandem in eodem homine, atque in eodem vaſe maneret.
Quod quoniam in noſtro quoque conſtat Corpore certum
Diſpoſitumque videtur, ubi eſſe, & creſcere poſſit
Seorſum Anima, atque Animus: tanto magis inficiandum
Totum poſſe extra Corpus durare, genique.
Quare, corpus ubi interiit, periiſſe neceſſe eſt

INTERPRETATIO.

in Capite, Humeris, aut imis calcibus, imo in quavis parte Corporis oriri videretur, & tandem per totum Hominum diffundi: Quoniam vero certum & definitum ſit in noſtro Corpore ubi ſeorſum Anima & Animus oriri & creſcere poſſit, eo vehementius negandum eſt Totum (Animam & Animum) produci poſſe atque exiſtere extra Corpus: Qua propter confitendum eſt, ubi Corpus periit,

VARIÆ LECTIONES.

793. *Poſſet, & innaſci.* Poſſet enim, naſci K. Y. Z.
794. *in eodem homine, atque in eodem vaſe.* in toto Homine, Aqua ut in toto vaſe F. *maneret.* manere P. V. X. Y. Z.
795. *in noſtro.* noſtro N. Q. X. Y. Z.
798. *genique.* Ita hic diſerte N. Z. licet alibi paſſim *geri.*
799. *periiſſe.* periitve P. *in not.* periſſe Y.

NOTÆ.

Poſtremus illorum verſuum infra 5: 138. repetitur: ſed & hic & illic mendoſum eſſe arbitror, uti illos, qui tamen duobus in locis reperiebantur, oſtendi ſuperius mendoſos eſſe. Facile autem confido fore, ut qui diligenter attenderit, fateatur ille legendum eſſe,

Tandem in toto *homine* aqua *ut in* toto *vaſe maneret*

Eſt quidem in illo verſu anapæſtus: ſed ejus libertatis tot exempla ſunt apud Lucretium, Virg. ceteroſque poëtas, præſertim vetuſtiores, iis ut proferendis ſuperſedendum exiſtimem. Ratio autem ita legendum ſuadet, cogit: Nam ex falſa ſuppoſitione, *Anima primum in capite, aut humeris, aut imis calcibus eſſet; tandem in toto homine, uti aqua in toto vaſe maneret.* Quemadmodum aqua quæ infunditur, primo partem infimam vaſis, mox mediam, denique totum vas & univerſum κύτος implet. Faber. *in Emend.*

794. *Tandem in eodem &c.*] Vide Emendationes. Si tamen males hoc referri ad illud argumentum, quod lib. v. verſ. 138. legitur, idem cum multis ſenties. Tu videris. ego abeo. Fab. *in Not.* Hunc verſum negligunt Interpretes, *Faber* legit.

Tandem in toto Homine, Aqua ut in toto *Vaſe maneret.*

Eſt quidem in illo verſu Anapæſtus, inquit &c. Hæc *Faber*: Quæ ingenioſe quidem excogitata a veterum Codd. ſcriptura quam maxime abſunt: & rejiciendus potius eſt iſte verſus, qui nihil profecto hic loci agit, quam talis Emendatio admittenda. Aliquis tamen legit

Tandem in eodem Homine, atque in eodem vaſe manere.

viz. *Soleret manere in eodem Vaſe*, id eſt, in Capite, Humeris, aut calcibus: Omnia diſplicent. Creech.

795. *Quod quoniam in noſtro, &c.*] Poſt vocem *corpore* tolle diſtinctionem, & lege conjunctim *conſtat certum*, id eſt *certum eſt.* Lamb.

798. *Genique*] Priſcianus lib. 10. *Gigno, genui: pro quo vetuſtiſſimi geno protulerunt, Varro Anabata: Sed quod hæc loca aliquid genunt, &c.* cu-

Confiteare animam diſtractam in Corpore toto.
Quippe etenim Mortale Aeterno jungere, & una
Conſentire putare, & fungi mutua poſſe,
Deſipere eſt: quid enim diverſius eſſe putandum eſt,
Aut magis inter ſe disjunctum, diſcrepitanſque,
Quam, Mortale quod eſt, Immortali, atque perenni
Junctum, in concilio ſaevas tolerare procellas?
Praeterea, quaecunque manent Aeterna, neceſſe eſt,
Aut

INTERPRETATIO.

Animam etiam perire per totum Corpus diffuſam, & una cum illo diſſipatam. Præterea, affirmare Rem mortalem Immortali connecti, mutuo agere, mutuoque pati poſſe, eſt plane ineptire; Quid enim abſurdius quid ineptius dici aut excogitari poteſt quam rem mortalem immortali & æternæ rei unitam eſſe multis incommodis obnoxiam: Præterea, quodcunque æternum & immortale eſt, neceſſe eſt

VARIÆ LECTIONES.

801. *Mortale.* mortalem P. Q1. X. *una.* unam P.
803. *Deſipere eſt.* Diſpar eſt K. Deſipereſt P. diſſipere eſt X.
806. Rubrica notatur Y. Deeſt Z. *ſævas.* ſalvas tolerare c. O. P. Q. X. Y. *Priſca exempll.* ſævas P. *in not.*

NOTÆ.

cujus infinitivum paſſivum Lucretius in 3. *protulit, geni, &c.* Lamb. Ita hic omnes libri, & Priſcian. lib. x. Gifan.

801. *Quippe etenim Mortale &c.*] Quintum v. 6. aſſerit ſummam eſſe dementiam putare res adeo diverſas ac ſunt Immortale & Mortale conjungi poſſe, & Rem Mortalem (Corpus) quæ cum ſeparata ſit a Re iſta immortali (Anima) nullis incommodis aut malis objiciatur, unitam Immortali tot doloribus & moleſtiis, quot Homines quotidie experiuntur, affici. Creech.

802. *Conſentire*] Συμπάσχειν. Lamb.

802. *Et fungi mutua*] Et mutuo pati. Lamb.

803. *Quid enim diverſius, &c.*] Sic Ariſtot. lib. 1. de anima. ἐπίπονον δὲ καὶ τὸ μεμίχθαι τῷ σώματι μὴ δυνάμενον ἀπολυθῆναι, καὶ προσέτι φευκτὸν, εἴπερ βέλτιον τῷ νῷ μὴ μετὰ σώματος εἶναι, καθάπερ εἴωθέ τε λέγεσθαι, καὶ πολλοῖς συνδοκεῖ. id eſt, *Cum grave autem & laborioſum eſt cum corpore animam commiſtam eſſe, neque ab eo diſſolvi poſſe: fugiendum eſt, ſiquidem melius eſt animo non eſſe cum corpore copulatum, quemadmodum & dici ſolet, & multis videtur.* Sic Arnobius lib. 2. adverſus genteis, idque multis verbis; quæ iccirco prætereo: ſed locum mox indicabo. Lamb.

806. *In concilio*] In cœtu. Lamb.

806. *Sævas tolerare procellas*] Sexcentis caſibus adverſis jactari. tranſlatio ducta à mari. lege Arnobium adverſus genteis libro 2. de miſeriis atque ærumnis, quas perferunt animæ in corporibus humanis incluſæ, ibi: *Niſi forte rex mundi idcirco ex ſe genitas huc animas miſit, ut, quæ fuerant apud ſe Deæ, &c.* Lamb.

807. *Præterea quæcumque*] Utitur eodem fere argumento, & vero iiſdem verſibus libro quinto ad probandum mundi interitum. Eſt autem argumentum ab enumeratione partium, hoc modo: Quicquid æternum eſt, aut eo æternum eſt, quia cum ſolido corpore conſtet, non poſſit ab injuria externa frangi, aut diſſovi, ictuſque omneis contemnat ac repellit; cujuſmodi ſunt corpuſcula prima: aut quia ſit intactum, neque ictus ullos in ſe recipiat; cujuſmodi eſt inane: aut quia nullus ſit locus circum, quo res poſſit diſſipari ac diſſolvi; qualis eſt ſumma ſummarum, & rerum univerſitas. At animus neque ita ſolidus eſt, ut frangi non poſſit: quia rebus omnibus genitis admiſtum eſt inane: neque corpora de-

Aut quia ſunt Solidò cum corpore reſpuere ictus,
Nec penetrare pati ſibi quidquam, quod queat arctas
Diſſociare intus parteis; ut Materiaï
Corpora ſunt, quorum naturam oſtendimus ante;
Aut ideo durare aetatem poſſe per omnem,
Plagarum quia ſunt expertia, ſicut Inane eſt;
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:
Aut ideo, quia nulla loci ſit copia circum,
Quo quaſi res poſſint diſcedere, diſſoluïque:
Sicut Summarum Summa eſt aeterna, neque extra

Quis

INTERPRETATIO.

ut vel perfecte ſolidum ſit, ita ut nulla vis frangere, nulla inter partes ejus ſe inſinuare & earum unionem diſſolvere valeret; Qualia ſunt Prima Materiæ Corpora (Atomi) quorum naturam ſuperius docuimus: Aut ideo æternum eſt quia eſt Intactile, & ictui non obnoxium; Quale eſt Inane: Aut ideo æternum quia nullum eſt ex ulla parte ſpatium in quod partes illius ſolutæ diſpergi poſſunt, quam ob cauſam Univerſum (τὸ πᾶν) *Immortale eſt*;

VARIÆ LECTIONES.

808. *ictus.* jectus. Y. Z.
809. *arctas.* artus K. P. Q. X. Y. Z. *quaſi vellent*, arctius *vel* artius.
810. *parteis; ut Materiaï* partus P. partes, *in not.* P. partus; aut materiæ cum K. ut materia cum Q1. ſed materiæ cum *Vet. Cod.* aut materiai C. N. materiæ ceu, *priſc. exempll.* P. & materiai X. Y.
814. *fungitur.* frangitur C. E. N. figitur c. O. P. fingitur X.
815. *ideo.* etiam Y. Z.
817. *Sicut.* Sicuti Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

deſunt, quæ vim ſuam in animi naturam expromere, eamque conficere poſſint, cum ſit corporea, neque locus deëſt, quo diſpergatur. ergo animus non eſt immortalis. Lamb. Sextum v. 23. ita ſe habet. Nihil eſt æternum & Immortale, niſi aut ob ſoliditatem, ut Atomus; aut quia plagæ eſt expers, ut Inane; aut quia nullus eſt locus ex quo Corpora advenientia diffringant, aut in quem partes illius ſolutæ excedant, ut (τὸ πᾶν) Univerſum. Anima vero tale Nihil eſt: Nam res eſt compoſita è ſeminibus, atque ideo non perfecte ſolida: Non eſt Inane, quia afficit Corpus, & ab illo viciſſim afficitur: Animam vero Τὸ πᾶν Univerſum eſſe nemo dixit: Anima igitur eſt mortalis: Creech.

814. *Neque ab ictu fungitur hilum*] neque quicquam ab ictu patitur. ſic autem reſtitui, manuſcriptorum codicum auctoritatem ſecutus, cum in vulgatis legatur *frangitur*: in quibuſdam etiam *figitur*: quod utrumque mendoſum eſt, & ab indoctis depravatum, qui, quid ſibi vellet hoc *fungitur*, neſcirent. Hoc ſecuti ſunt Thraſones, & ut ſuum ediderunt: aut, ne mentiar, taciti probarunt. quod in aliis ſexcentis fecerunt. Lamb. Ita Lambinus; nec *frangitur* admittendum. Creech.

818. *Diffugiat*] Diffugiat, nempe ſumma ſummarum. al. *diffugiant*, & ita vulgo. *diffugiant* autem, res ſubintell. Lamb. Viz. ſumma ſummarum: Alii *Diffugiant*: viz. partes ſummæ ſummarum. Creech.

818. *Quæ poſſit incidere*] Quæ poſſint incidere in

Quis locus eſt, quo diffugiat: neque corpora ſunt, quae
Poſſint incidere, & valida diſſolvere plaga:
At neque (uti docui) Solido cum corpore Mentis
Natura eſt, quoniam admiſtum eſt in rebus Inane:
Nec tamen eſt ut Inane: neque autem corpora deſunt,
Ex infinito quae poſſint forte coörta
Proruere hanc Mentis violento turbine molem,
Aut aliam quamvis cladem importare pericli:
Nec porro natura Loci, ſpatiumque Profundi

De-

INTERPRETATIO.

extra quod nullum eſt ſpatium quo partes ſolutæ fugiant, neque ulla ſunt Corpora quæ in illud incidere, ſuoque violento impetu diffringere valerent. At vero, ut ſuperius docui, Animus non eſt res perfecte ſolida, quoniam in omnibus rebus oppoſitis Inane eſt admixtum. Neque Inane eſt; Neque deſunt Corpora quæ ex Infinito advenientia ſuo impetu periculum Animo inferre, ejuſque ſubſtantiam diſtringere, aut diſſipare poſſint: Neque deeſt ſpatium quo

VARIÆ LECTIONES.

818. *diffugiat.* diffugiant A. B. D. N. P. X. Y. Z.
820. —— uſque 830. deſunt in Q. X.
821. *quoniam admiſtum eſt in rebus.* quoniam eſt admiſtum rebus P.
822. *Nec tamen.* Re tamen P.
824. *Proruere.* Corruere A. B. C. E. I. N. P.

NOTÆ.

in ſummam rerum. utitur eodem verbo ſup. lib. 2: 227.

Incidere è ſupero levioribus. Lamb.

820. *At neque (uti docui)*] Removet nunc & refellit tria illa, quorum uno aliquo poſito poſſet eſſe anima immortalis: quo facto ſequitur eam eſſe mortalem. Lamb.

824. *Proruere hanc*] Fateor equidem in libris manuſcriptis legi *Corruere*, quemadmodum & in vulgatis. Verumtamen repoſui *Proruere*. Nam *corruere* verbum eſt abſolutum, niſi quod à Plauto videtur uſurpari ἐνεργητικῶς in Rudente 2: 6: 58.

—— *me corruere poſſe ajebas divitias.*

& item alibi. Verum non ſignificat in illis locis evertere, aut percellere, quam verbi ſignificationem hic locus poſtulat, ſed una eruere, & colligere, ſeu συναθρίζειν: ut & apud Varron. libro quarto de ling. Latin. *Corbes ab eo, quod ſpicas, aliudve quid conruebant.* Apud Catullum autem in carmine ad Manlium, ubi vulgo legitur *corruerit*, legendum *torruerit.* verſ. 54.

Nam mihi quam dederit duplex Amathuntia curam,
Scitis, & in quo me torruerit genere.

quod mihi indicavit non ita pridem Adr. Turnebus, cum ante ſuſpicatus eſſem legendum *exercuerit*. *Proruere* igitur hoc loco repoſui, Lucretii ſententiam ſecutus: quod ſignificat longe lateque percellere & pervertere, ut apud Horat. oda 35. libr. 1: 13.

Injurioſo ne pede proruas
Stantem columnam. Lamb.

Ita Omnes libri: *corruere.* Lambinus: *Proruere.* Gifan. Codd. *Corruere.* Lambinus *Proruere*, quoniam *Corruere* non uſurpatur ἐνεργητικῶς: Alii Lambino non credunt, dum vero eadem ſit ſententia, de ſyllaba litigent Grammatici. Creech.

824. *Violento turbine molem*] Hos verſus mente volutabat Virgilius, ſcribens Æn. 6: 726.

—— —— *Totamque infuſa per artus*
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Hav.

Deficit, exſpergi quo poſſit vis Animaï,
Aut alia quavis poſſit vi pulſa perire:
Haud igitur lethi praecluſa eſt janua Menti.
Quod ſi forte ideo magis Immortalis habenda eſt,
Quod lethalibus ab rebus munita tenetur;

Aut

INTERPRETATIO.

Animæ partes diſpergi poſſint; aut quo alia qualibet vi pulſa interire poteſt: Animæ igitur janua mortis minime præcluſa eſt (Anima eſt mortalis) Quod ſi ideo magis dicenda eſt immortalis, quod ab rebus pernicioſis defenditur,

VARIÆ LECTIONES.

827. *exſpergi.* exſpargi N.
828. *perire.* teneri A. mar. c. O. P.
829. Abeſt ab Y. & Z.
831. Poſt hunc collocant verſum 835. C. E. *lethalibus.* vitalibus C. E. K. N. P. Q1. V. Y. Z.

NOTÆ.

827. *Exſpergi*] Foras diſpergi & diſſipari. LAMB.

828. *Perire*] *Teneri.* GIFAN.

829. *Haud igitur leti, &c.*] Id eſt, non igitur mens immortalis eſt. Arnobius libro 2. adverſ. gent. *Omnis enim paſſio, leti atque interitus janua eſt, ad mortem ducens via, & inevitabilem rebus afferens functionem.* Idem eod. libr. *Rurſus vero ſi animæ læti adeunt januas (Epicuri ut ſententia definitur) nec ſic cauſa eſt competens, cur expeti philoſophia debeat.* LAMB. Id jam ſæpius; anima perit ὁλοσχερῶς. FABER.

830. *Quod ſi forte ideo m.*] Ἀνθυποφορά: quia occupat, quod dici poterat pro animæ immortalitate, nempe eam à rebus letalibus & mortiferis eſſe tutam, vel quia incommoda illa non ſint prorſus à ſalute aliena, vel quia quæ ei eveniunt incommoda & noxia, prius repellantur, quam, quid noceant, ſentire poſſit. Id igitur totum una eademque opera removet ac refellit. probatque eſſe falſum, cum à morbis corporis, quibus ipſa quoque laborat, tum ex ipſius animi propriis, dum & futurorum metu cruciatur, & præteritorum dolore, ac mærore, & ceteris affectibus contabeſcit. legendum autem eſt ita, ut excudendum curavi,

letalibus ab rebus munita:

id eſt tuta ab ea parte, qua res letales eam lædere & perimere poſſent: non, ut vulgo;

vitalibus ab rebus.

Sic enim loquuntur Latini, *à periculo tutus, à frigore, ab injuria cæli, & ſimilibus munitus.* LAMB. Septimum v. 12. continetur. Siquis vero dicat Animum vel eſſe adverſus contraria munitum, vel quæ contraria adveniunt ad ipſum uſque non pertingere, vel ſi pertingant priuſquam noceant repelli, id refutent Corporis morbi quibus ipſe etiam Animus laborat: Adde curas, Metus pœnarum poſt mortem, Conſcientiam quæ Impios fatigat, Inſaniam denique & Lethargum, & fateberis Animum à Rebus pernicioſis munitum non eſſe, at ab illis miſere oppreſſum. CREECH.

831. *Quod lethalibus*] Alii *Vitalibus* inepte: ut & *Plena ſalutis* in ſequenti verſu. CREECH.

832. *Aut quia non veniunt, &c.*] Hic verſus cum duobus deinceps ſequentibus, fuerant turpiter & fœde ſuo ordine & loco moti. eos autem in ſuum ordinem & locum reſtitui, à codicibus manuſcriptis adjutus: nempe poſt verſum,

Quod letalibus, &c.

& ante verſum,

Scilicet à vera longe, &c.

hoc enim ordine, & ſic legebantur in omnibus libris,

Quod vitalibus, &c.
Scilicet à vera longe, &c.
Aut quia non veniunt, &c.
Aut quia quæ veniunt, &c.

Pul-

Aut quia non veniunt omnino aliena ſalutis:
Aut quia quae veniunt, aliqua ratione recedunt
Pulſa prius, quam, quid noceant, ſentire queamus:
Scilicet à vera longe ratione remotum eſt.
Praeter enim quam quod morbis tum Corporis aegrit,
Ad-

INTERPRETATIO.

aut quia res illius ſaluti inimicæ ad illam uſque non pertingunt, vel quia quæ ad illam uſque pertingunt aliqua ratione recedere coguntur, priuſquam aliquid mali & cladis, quod ſentire poſſumus, inferant. Nimirum hæc omnia ſunt falſiſſima: Ut enim mittam Animum cum Corpore ægreſcere,

VARIÆ LECTIONES.

832. Hunc verſum ſequenti poſtponit K. *aliena ſalutis.* aliena ſalute K. Q1. plena ſalutis M. P. ablata *Gaſſ.*

834. *quid noceant.* quî noceat C. qui noceant P. quid noceat E. N.

835. Abeſt ab X. Y. & Z.

836. *Præter enim quam quod.* Præter enim quod tum D. N. præter ægrit enim Q. tum. cum propter egrit enim quam quod X. *morbis tum corporis ægrit.* morbi eſt, cum corpori ægre eſt A. B. D. morbis cum corporis ægri K. cum corpus egrotat P. morbi eſt, cum corpus ægrotat C. E. I. N. X. quam quod morbi eſt cum corpus ægrotat Q.

NOTÆ.

Pulſa prius &c.
Præter enim quam, &c.
Ego tamen velim verſum,
Aut quia non veniunt, &c.
legi poſt hos duos,
Aut quia quæ veniunt, &c.
Pulſa prius, &c.
Hæc omnia diſſimularunt βάσκανοι homines. Refellit autem (ut dixi) negatque duas illas rationes, quæ poſſent valere ad confirmandam animi immortalitatem: quarum hæc prima eſt, ea quæ animo letalia ſunt, non accidere animo prorſus aliena à ſalute: altera eſt, ea quæ letalia ei eveniunt, prius ab eo repulſa recedere, quam damnum ſentiatur. LAMB.

832. *Aliena ſalutis*] Vel ſic legendum: nam ita ſcriptum reperi in duobus libr. calamo exaratis: vel *aliena ſalute. alienum ſalutis* autem uſitatum loquendi genus eſt Latinis, & *alienum ſalute*, & *alienum a ſalute.* Legitur autem mendoſe in vulgatis, *plena ſalutis.* LAMB. Marullus, peſſime; contra omnes libros: *plena.* GIFAN. Sic *aliena rogorum* 6: 1281. *aliena conſilii* Salluſtius dixit Cat. cap. 40. *alienum dignitatis* Cicero 1. de Finib. & alibi. Eſt autem loquendi genus a Græcis tractum, de quo vide Voſſium Patrem de Conſtructione cap. undecimo. HAV.

836. *Præter enim quam quod morbi eſt, cum corpori ægre eſt*] Hæc eſt veriſſima ſcriptura, ex Veteribus noſtris reſtituta. In quibuſdam Vulgatis: *ægrotat.* Ut eſſet Creticus quinto loco; ut & alibi. Forte etiam: *morbis cum corporis ægret.* GIF.

836. *Præter enim quam quod morbis tum Corporis ægrit,*] Hunc verſum miſere laceratum in libris vulgatis, reſtitui ex veſtigiis antiquorum codicum: quorum in aliis legitur, *cum corporis ægrit*: in aliis, *cum corpore ægre eſt*, quod autem ad principium verſus attinet, cum in vulgatis quidem, & duobus manuſcript. ita legatur,
Præter enim quam quod morbi eſt,
(quæ ſcriptura ſine dubio mendoſa eſt) in aliis autem duobus partim ita,
Præter enim quam tam:
partim ita,
Præter enim quod quam morbi eſt:
neque hoc ſine litura: ego ſic repoſui,
Præter enim quam quod morbis tum corporis ægrit:
id eſt, præterquam enim quod tum morbis corporis ægra eſt ſeu ægrotat. Ex hoc *ægrit* ſcilicet, quod non intellexerunt arrogantiſſimi Thra-

 ſo-

Advenit id, quod eam de rebus ſaepe futuris
Macerat, inque metu male habet, curiſque fatigat:
Praeteritiſque admiſſa annis peccata remordent.

INTERPRETATIO.

ſæpe ſollicita eſt de rebus futuris, tum metu male afficitur, & curis fatigatur: Criminumque olim commiſſorum recordatio illum pungit & lacerat.

VARIÆ LECTIONES.

838. *Macerat.* Maceret X. Y. Z. *metu.* metum K.
839. *admiſſa annis.* male admiſſis peccata K. V. Y. Z. male admiſſa X. anis peccata B. malis E. N. P. Q1.

NOTÆ.

ſones, declaratum poſtea à docto quodam viro, factum eſt *ægrotat.* Sic autem edidi jam tum cum prodiit editio ſecunda. nam in prima ſic ſcripſeram,

Præter enim quod tum morbi eſt, cum corpori ægre eſt,

eamque ſcripturam paullum immutatam ſimius ille ſibi adſcripſit, & ſecutus eſt, ut ſuam. quam ſemel jam à me in ſecunda editione repudiatam, ac rejectam, iterum hîc improbo: & alteram illam,

Præter enim, quam quod morbis tum corporis ægrit,

amplector, præſertim ab Adrian. Turnebo eodem tempore approbatam: cum ei idem, quod mihi, paucis ante menſibus quam è vita decederet, veniſſet in mentem. Non diſſimulabo tamen, Zoilum iſtam hanc ſecundam ſcripturam in animadverſis probaſſe, à Turnebo, & à me in ſecunda editione admonitum. LAMB. Ita Lambinus, aliquando legebat

Præter enim quod tum Morbi eſt, cum Corpori ægre eſt.

Alii

Præter enim quam quod Morbi eſt, cum Corpus ægrotat: CREECH.

Malim: *ægret.* Vide quæ ſupra ad verſ. 107. notavimus. Idem Giſanio ibi placet, neque heic diſplicet, quemadmodum & verſ. hujus libri 520. & lib. v. verſ. 350. *ægreſcere* non *ægriſcere* edendum curaverat. Forte tamen & *ægrit* & *ægret* dixêre veteres, prout in *ægrere* penultimam aut corriperent, aut producerent, ſicuti in *fervere*, & ſimilibus; unde tam *ægriſcere* & *ferviſcere*, quam *ægreſcere*, & *ferveſcere*, &c. Quod autem Vulgatum illud, *corpus ægrotat*, neque hoc loco improbat idem Giſanius, & lib. vi. verſ. 1133. dum aperte ibi retinet:

An cœlum nobis ultro natura corruptum
Deferat,

tacite ſic ſatis defendit, nimirum, ut ſit Creticus in quinto loco, de quo in Collectaneis: opponere ei juvat, quæ in Adv. ſuis contra Pierium Turnebus diſputat, lib. xxii. cap. 19. „Si „ita impune, inquit, liceret, ſyllabarum leges „violare, quis non carmen pangeret? quid no„bis præceptis opus eſſet? ſcriptum fuiſſe puto „*cruentum*, &c. (Vide lib. vi. loco citato) Ni„hilo ſecius & illud eidem non aſſentiar, Lu„cretium lib. iv. (imo, hoc loco, lib. iii.) ſcri„pſiſſe:

„*Præter enim quam quod morbi eſt, cum corpus*
„*ægrotat.*

„Nam & hic leges antiquantur ſyllabarum, & „in antiquo exemplari reperio:

„*Præter enim quam quod morbis cum corporis æ-*
„*grit.*

„Quomodo plane legendum cenſeo. Hæc Tur„nebus, quem vide & lib. xxx. cap. 10. Aliam viam inſiſtit Chriſtoph. Rufus, tom. II. Fac. Crit. pag. 605. nimirum, ut *æ* diphthongum in *ægrotat* correptam a Lucretio velit, quemadmodum in *ſudibuſve præuſtis* a Virgilio; vel, expungendam litteram *s* in, *corpus*, ut, *corpu' ægrotat* per ſynalæpham ſpondæum pro dactylo conſtituat, &c. Cujus rei exempla producit iv: 215. vi: 229. Sed notandum, primo: In *præuſtis*, pura, uti vocant, diphthongus eſt, atque ita Græcorum, eoque tritiſſimo, more corripitur. Tale & illud, quod in Ind. Giſanius producit: *Inſulæ Ionio in magno.* Secus ſeſe res ha-

Adde furorem Animi proprium, atque oblivia rerum,
Adde quod in nigras Lethargi mergitur undas.
Nil igitur Mors eſt, ad nos neque pertinet hilum,
Quan-

INTERPRETATIO.

Adde quod aliquando delirat Animus, nonnunquam omnium rerum obliviſcitur, & aliquando Lethargo immerſus jacet & ſopitus. Nihil ergo Mors eſt, neque ad nos omnino pertinet,

NOTÆ.

habet in *ægrotat*. Deinde, quod ex lib. IV: 215.

Quam puncto temporis imago

& ex lib. VI: 229.

Et liquidum puncto facit æs in temporis, & aurum.

Id fortaſſe non ita contemnendum; nam & priori loco eandem agnoſcunt Var. Lectiones ſcripturam; & ſimiliter haud dubie etiam ſcripſit Lucretius, lib. II. verſ. 263.

Nonne vides etiam patefactis temporis puncto
Carceribus.

Nondum tamen ſynalœphis opus eſt. Salvi ibi numeri, modo *o* in *temporis* ita ſuppreſſeris aut extriveris, ut diſſyllabum fiat, ex. gr. *temp'ris imago*, *temp'ris*, *& aurum.* Poſteriori loco litteram *ſ* exteri, in confeſſo eſt. PREIG. Etiam Voſſius in Etymolog. p. 12. reponit *ægret*, ab *ægres* enim *ægreſco*, ut a *cales*, *caleſco*, ab *horres*, *horreſco*, dicimus enim *ægreſco*, non vero *ægriſco*, HAV.

839. *Admiſſa anis*] Ita hunc locum ſcripſi. In veteribus libris: *malis*, *manis*, *male admiſſa. Anis* antique, pro *annis*. Hinc variatum. GIF.

839. *Præteritiſque admiſſa annis p. r.*] Cum in duobus codicibus manuſcriptis,

Præteritiſque admiſſa manis,

ſcriptum reperiſſem: lectio autem vulgata,

Præteritiſque admiſſa malis peccata, &c.

non dico mihi, ſed viris doctiſſimis non ferenda videretur: ego conjectura ductus, & ſcripturæ veteris veſtigia ſecutus, ſic reſtitui:

Præteritiſque admiſſa annis peccata remordent.

quæ lectio ſine dubio recta & germana Lucretiana eſt. Nam quod alii libri manuſcripti habent,

Præteritiſque male admiſſis peccata, &c.

hæc quoque depravata eſt. Cum hæc ita edenda curaſſem in duabus jam editionibus, Zoilus meus, ſibi hoc totum vindicavit, hoc tantum immutans à mea emendatione, quod *anis* pro *annis* poſuit, quaſi vero ignorarem, veteres dixiſſe *anus* & *anellus*, pro iis quæ hodie uſurpamus, *annus* & *annellus*. Sic ſolent fures. LAMB.

Rejice vero

Præteritiſque admiſſa malis

Et

Præteritiſque male admiſſis. CREECH.

840. *Adde, Adde*] Vide quæ ad lib. IV. verſ. 1115. PREIG.

842. *Nil igitur mors eſt, ad nos neque &c.*] Concludit nunc ex eo, quod anima ſit mortalis, quod probare conatus eſt, mortem nihil eſſe, nihilque ad nos pertinere. qua de re ſic Epicurus apud Laërtium: Συνέθιζε δὲ ἑαυτὸν ἐν τῷ νομίζειν μηδὲν πρὸς ἡμᾶς εἶναι τὸν θάνατον· ἐπεὶ πᾶν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἐν αἰσθήσει. στέρησις δέ ἐστιν αἰσθήσεως ὁ θάνατος· ὅθεν γνῶσις ὀρθὴ μηδὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς τὸν θάνατον. ἀπολαυστὸν γὰρ ποιεῖ τὸ τῆς ζωῆς θνητὸν, οὐκ ἄπειρον προστιθεῖσα χρόνον, ἀλλὰ τὸν ἀθανασίας ἀφελομένη πόθον, &c. id eſt, *Aſſuefac teipſum ei cogitationi, ut putes mortem nihil ad nos pertinere. Nam omne bonum & malum in ſenſu eſt. Mors autem, ſenſus privatio eſt: ex quo recta opinio & notitia naſcitur, mortem nihil ad nos pertinere. Dat enim ejus mortalitatis, quæ vitæ eſt particeps, fruendæ facultatem, non infinitum tempus adjiciens, ſed immortalitatis deſiderium auferens.* Idem apud Plutarch. libro, ὅτι οὐδὲ ζῆν ἐστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον: Βέλτιόν τι τῶν ἐν τῷ βίῳ μετὰ τὸν βίον ἐπινοεῖς; ἐξηπάτησαι. τὸ γὰρ λυθὲν ἀναισθητεῖ· τὸ δ' ἀναισθητοῦν, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. id eſt, *Tu ne melius quippiam iis quæ ſunt in vita, poſt vitam tibi cogitatione depingis, magnopere falleris. Nam quod diſſolutum eſt, ſenſu caret: quod autem ſenſu caret, nihil ad nos.* Ad eandem ſententiam pertinet Græcum illud epigramma:

Τὸν θάνατον τί φοβεῖσθε, τὸν ἡσυχίας γενετῆρα,
Τὸν παύοντα νόσους, καὶ πενίης ὀδύνας;
Μοῦνος ἅπαξ θνητοῖς παραγίνεται, οὐδέ ποτ' αὐτὸν
Εἶδέν τις θνητῶν δεύτερον ἐρχόμενον.
Αἱ δὲ νόσοι, πολλαὶ καὶ ποικίλαι, ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον
Ἐρχόμεναι θνητῶν, καὶ μεταβαλλόμεναι.

id eſt, (ut quidem ego ludibundus verti):

Quid

Quandoquidem natura Animi mortalis habetur:
Et velut anteacto nil tempore ſenſimus aegri,
Ad confligendum venientibus undique Poenis;
Omnia quom belli trepido concuſſa tumultu

Hor-

INTERPRETATIO.

cum Anima ſit Mortalis: Et ſicut olim nihil ægri ſenſimus cum Africæ populi undique Romanos laceſſerent: cum totus orbis trepido belli

NOTÆ.

Quid mortem horretis, cauſam, matremque quietis?
Pellentem morbos, pauperiemque gravem?
Sola ad mortaleis ſemel advenit illa, neque umquam
Advenientem iterum cernere quis potuit.
At multi & varii hinc illinc invadere pergunt
Nunc hunc, nunc illum morbi alii, atque alii.
Lamb.

Quid vero ſi Anima mortalis, ſi aliquando nata, olim etiam peritura foret, quid inde lucri? Reſpondet Lucretius v. 13. Mortem ipſam, & pœnas poſt mortem, quas Vulgus Hominum tantopere timet, nos Toti mortales non amplius metuemus. Ut enim Nos nondum natos pugnæ, Tumultus, Punica denique bella non turbârunt. ſic etiam mortuos, quoniam Anima æque ac Corpus interit, Bella, Tumultus nulla ſolicitudine afficient. M. Tull. lib. I. Tuſcul. Quæſt. *Qui enim &c.* Creech.

844. *Et velut anteacto*] Ad hunc locum illuſtrandum pertinent illa M. Tull. lib. I. Tuſcul. *Qui enim ſatis viderit, id quod eſt luce clarius, animo & corpore conſumto, totoque animante deleto, & facto interitu univerſo, illud animal, quod fuerit, factum eſſe nihil: is plane perſpiciet, inter Hippocentaurum, qui numquam fuerit, & regem Agamemnonem, nihil intereſſe: nec pluris nunc facere M. Camillum hoc civile bellum, quam illo vivo ego fecerim Romam captam,* &c. idem ibid. paucis poſt verſibus, *Natura vero ſic ſe habet, ut, quo modo initium nobis rerum omnium ortus noſter afferat, ſic exitum mors: quæ, ut nihil pertinuit ad nos ante ortum, ſic nihil poſt mortem pertinebit. in quo quid poteſt eſſe mali, cum mors nec ad vivos pertineat, nec ad mortuos? alteri nulli ſunt, alteros non attingit.* Lamb. Eadem fere habet *Gatakerus* ad Antonini lib. XII. §. 34.

846. *Omnia quom belli trepido concuſſa tumultu horrida contremuêre*] Sic Arnobius libr. 7. *Hannibalem illum Pœnum, hoſtem potentem ac validum, ſub quo anceps & dubia res Rom. contremuit, & magnitudo trepidavit, &c.* Lamb.

847. *Oris*] Ita legendum. Vulgati: *auris.* Gif.

847. *Auris*] Alii *Oris*: ſequentem verſum recte edidit *Lambinus*, licet Codd.

In dubioque fuere *utrorum* ad *regna*

Unde Gifanius

In dubioque fueret *utrorum* ad *r. c.* Creech.

848. *In dubioque fueret, utrorum ad regna cadendum*] Ita ex veteribus libris reſtitui, qui & *fuere*, vel *fuerit*, habebant. *Fueret* eſt diſſyllabum. Quidam Veteres: *utroque.* Gifan.

848. *In dubioque fuit, ſub utrorum regna*] Nihil fere diſcrepabant hoc loco libri manuſcript. à vulg. qui ſine dubio corrupti ſunt, cum ſic habeant,

In dubioque fuere utrorum ad regna cadendum, &c.

itaque meum inſtitutum, ne quid mutarem, niſi ex auctoritate veterum codicum, tenere hîc non potui: ſed ſic excudendum curavi,

In dubioque fuit, ſub utrorum regna cadendum
Omnibus, &c.

id eſt, & dubium ſeu incertum fuit ſub utrorum imperium caſuri eſſent omnes homines, Karthaginienſium ne, an Romanorum, hæc enim ſcriptura multo facilior & planior eſt. nam primum ita alibi loquitur, *in dubio fuit*, pro *dubium fuit*, infra eod. lib. 1099.

Poſteraque, in dubio eſt, fortunam quam vehat ætas.

deinde Plaut. Trinum. 2: 4: 193.

In ambiguo eſt etiam nunc quid de hac re fiat.

Deinde *cadere ſub imperium, regnum, & leges*, & ſimilia, uſitatiora ſunt, quam *ad imperium*, &c. ut idem lib. 5: 1146.

——— *quo magis ipſum*

Spon-

Horrida contremuêre ſub altis aetheris auris:
In dubioque fuit, ſub utrorum regna cadendum
Omnibus humanis eſſet, terraque marique:
Sic ubi non erimus, quom Corporis, atque Animaï

Diſci-

INTERPRETATIO.

tumultu jactatus ſub cælo tremuit; & in dubio fuit utrius populi imperio Terra, Mare, omnes denique Humanæ res ſubjicerentur: Sic quando non erimus, cum Corporis & Animæ,

VARIÆ LECTIONES.

847. *altis auris.* altas oras K. oris A. B. altas ætheris auras Z.

848. *fuit, ſub utrorum regna.* fueret, utrorum ad regna A. B. fuêre utrorum ad regna C. E. N. P. V. Y. Z. dubioque fuere utroque ad regna Q1. X. cadenda K.

850. *non.* nos Q1.

NOTÆ.

Sponte ſua cecidit ſub leges, arctaque jura.

M. Tull. oratione pro Fonteio, *Multoque ejus ſudore ſub populi Rom. imperium ditionemque ceciderunt.* Arnobius libr. 7. *Auctos imperii fineis, innumeraſque provincias ſub leges veſtri cecidiſſe dominatus.* Iterum M. Tull. accuſ. lib. 5. *Numquam te ſub legum & judiciorum poteſtatem caſurum eſſe putaſti?* Recepta autem & vulgata ſcriptura durior, & quæ non videtur aliter explicari poſſe, quam ſi verbum *fuere* referatur ad illud quod antecedit *omnia*, hoc modo: & cum omnia fuere in dubio, *ad utrorum regna* cadendum eſſet omnibus hominibus terra & mari, id eſt in utrorum ſeu ſub utrorum regna omnes homines neceſſario caſuri eſſent. Nam *cadere ad regna* loquendi genus eſt inſolens & inuſitatum. Quod ſequuntur tamen & probant Thraſones. Sed hoc malo, quam eos rectam ſcripturam, quam reperi, ſibi aſſumere, ut conſueverunt. Neque hoc eis fuit ſatis: ſed verſum ineptiſſimum finxerunt, Lucretioque affinxerunt:

In dubioque fueret, utrorum ad regna cadendum.

Nonne hoc portentum eſt, non verſus? LAMB.

848. *In dubioque fuit*] Hoc ſimpliciſſimum puto. Gifanii *fueret*, idque diſyllabum ſuo facile auctori relinquo. Quod reliquum eſt, *In dubioque fuere*, licet magnis fultum auctoritatibus, neque ſic tamen placet. Quæ enim hæc ratio loquendi eſt? Dubitavere homines, ubinam tandem omnibus hominibus cadendum foret; niſi quis forte ad eadem illa *omnia* hoc referre velit de quibus proxime: quod inſulſum foret. Recte itaque

In dubioque fuit ſub utrorum regna cadendum
Omnibus humanis foret.

Vel, quomodo etiam legere nihil vetat,

In dubioque fuit, utrorum ad regna cadendum:

In dubio fuit, non apud homines, adeoque eoſdem illos, quibus cadendum erat, ſed apud Fortunam, ex mente Lucretii. Silius in procemio ſuo, huic manifeſte loco intentus, ſimiliter:

Quæſitumque diu, qua tandem poneret arce
Terrarum Fortuna caput.

Quæſitum vult & ille, non ut opinor, ab hominibus ſed a Diis, quos agnoſcit, aut ipſa, cujus exertam mentionem facit, *Fortuna*. Nota formam loquendi, *Omnibus humanis*, pro hominibus ac mortalibus; ut nulla a Gaſſendo in hujus libri verſu 80. mutatione opus ſit, ubi Noſter ſimiliter

vitæ
Percipit humanos odium, luciſque videndæ.

Gaſſ. *ingratos* ſubſtituit. Gallis hodieque *les humains*. PREIG. Quis dubitet, quin Titum imitatus ſit Lucanus, qui ad Cleopatram & pugnam Actiacam reſpiciens, ita canit 10: 66.

Leucadioque fuit dubius ſub gurgite caſus,
An Mundum ne noſtra quidem Matrona teneret.

HAV.

848. *Utrorum*] Pænorum, vel Romanorum. FABER.

850. *Sic, ubi non erimus*] Sic, ubi non erimus, id eſt cum animus à corpore ſejunctus erit, ex quibus conſtamus, & unum quiddam effecti ſumus:

Scilicet haud nobis quicquam; &c. LAMB.

851.

Diſcidium fuerit, quibus è ſumus uniter apti,
Scilicet haud Nobis quidquam, qui non erimus tum
Accidere omnino poterit, ſenſumque movere:
Non ſi terra mari miſcebitur, & mare coelo.
Et ſi jam noſtro ſentit de Corpore, poſtquam
Diſtracta eſt Animi natura Animaeque poteſtas:
Nil tamen hoc ad Nos, qui coetu, conjugioque
Cor-

INTERPRETATIO.

e quibus conjunctis compoſiti ſumus, fuerit ſeparatio, nihil, inquam, nobis, qui tum non erimus, poterit accidere, & ſenſum afficere; Nihil profecto, ſi Terra Mari miſcebitur, & Cœlo Mare. Imo ſi Anima noſtra, poſtquam a Corpore ſeparetur, ſentiat; Hoc tamen nihil, ad Nos, qui e Corpore

VARIÆ LECTIONES.

851. *Diſcidium.* Diſtigium K. Q1. *quibus e ſumus.* quibus hæſimus C. E. P. Q1. X. Y. Hunc verſum adulterinum appellat A. mar. Poſt hunc inſeritur: *Nam ſi materiam noſtram conlegerit ætas* C.
852. *qui non.* quum nos N.
853. *movere.* monere B.
856. *Diſtracta.* detracta K. Y. Z.
857. *hoc ad Nos.* eſt ad Nos K. P. Y. Z. *cœtu.* coitu A. B. C. E. comptu c. O. K. P. X. Z.

NOTÆ.

851. *Quibus è ſumus uniter apti*] Id eſt, ex quibus conflati & coagmentati ſumus. corrupti erant hoc loco vulgati codices, in quibus legitur, *quibus hæſimus*, pro *quibus è ſumus*: quæ ſcriptura ſine ulla litura reperitur in lib. manuſcr. Lamb. Ita veteres codd. Vulgati: *heſimus.* Verſum adulterinum:

Nam ſi materiam, &c.

quia à libris veteribus aberat, circumſcripſimus. Gifan. Feſtus, *Comprehendere vinculo antiqui* Apere *dicebant*, unde *Aptus* is qui *convenienter alicui junctus eſt.* Catullus Ep. 38.

Aptis ſarcinulis & expeditis. Creech.

852. *Scilicet haud nobis, &c.*] Hic verſus pertinet ad illa ſuperiora: ſic, ubi non erimus, & cum animus à corpore diſciſſus ac divulſus fuerit, ex quibus ſumus unum quiddam facti: ſcilicet haud nobis quicquam accidere omnino poterit neque commodi, neque incommodi. verſum autem illum,

Nam ſi materiam, &c.

qui alieno loco fuerat inculcatus, neque hîc reperitur in libris manuſcriptis, ſuſtuli. Lamb.

852. *Qui non erimus*] Sic habent libri manuſcript. non, ut vulgati, *cum non erimus.* nam particula *tum*, refertur ad particulam *ubi*, ſupra: *Sic ubi, &c.* Lamb.

852. *Qui non erimus tum*] Cum non erimus. Gifan.

854. *Non ſi jam terra*] Non poterit (inquam) nobis quidquam accidere, ne ſi terra quidem mari miſceatur, & mare cœlo. hunc verſum imitatus, atque adeo mutuatus eſt Juvenalis ſat. 2: 25.

Quis cælum terræ non miſceat, & mare cælo? Lamb.

855. *Et ſi noſtro*] Id eſt, & ſi jam demus, animam, poſteaquam diſtracta & divulſa eſt à corpore, ſentire de noſtro corpore, id eſt ex eo corpore, cum quo juncta fuit, ſenſum quendam contraxiſſe: tamen nihil hoc ad nos pertinet, qui conſtamus ex animo & corpore. Lamb. Locus periculoſus; ſed quia facile intelligitur, interprete opus non habet. Faber. Deinde v. 19. hæc addit. Quin etiam licet ſupponatur: Animam ſecretam aliquid ſentire, nihil hoc ad Nos ſpectat, Qui non ſola Anima, ſed quidpiam ex Cor-

Corporis, atque Animae conſiſtimus uniter apti.
Nec, ſi materiam noſtram conlegerit aetas
Poſt obitum, rurſumque redegerit, ut ſita nunc eſt;
Atque iterum Nobis fuerint data lumina vitae,
Pertineat quidquam tamen ad Nos id quod factum,
Interrupta ſemel quom ſit repetentia noſtra.

Et

INTERPRETATIO.

atque Anima conjunctis ſumus compoſiti. Nec ſi poſt mortem particulæ omnes aliquando collectæ, & in eundem ordinem, in quo nunc ſunt, redactæ fuerint, & vita nobis iterum concederetur, id quidem ad nos omnino pertinet; cum Recordatio noſtra ſemel fuerit interrupta.

VARIÆ LECTIONES.

861. *lumina.* lumine K.
862. *quod factum.* Ita V. Y. Z. quoque *Alii.*
863. *repetentia.* retinentia A. B. c. I. O. P. repentia C. E. K. X. *noſtra.* noſtri A. B. I. noſtris K. X. Y. Z. *dictum forte ut* humanis *ſup.* 849. nobis c. P.

NOTÆ.

Corpore & Anima compoſitum ſumus. Imo ſupponatur, Nos eoſdem, qui jam exiſtimus, redituros ob varios viz. motus concurſuſque Atomorum quas ad idem Corpus rurſus conſtituendum iterum cogi nihil repugnet; Nihil tamen ſeu Nos, qui jam ſumus, ſeu qui tum erimus, attinebit. Quemadmodum viventes jam nihil ſoliciti ſumus aut de iis, qui olim fuerimus, aut de iis qui olim ſumus futuri: Id nimirum, quia nobis diſſolutis, ea ſit extandi interruptio poſt quam nulla memoria viget ſtatus ejus in quo fuerimus; ut neque jam ulla præſentio illius, in quo futuri ſumus. CREECH.

857. *Qui cœtu, conjugioque*] Sic habent aliquot libr. manuſcripti: alii, *qui comtu*; alii, *qui coitu. cœtus* autem idem valet quod *coitus*, mutato *i* in *e*. LAMB.

857. *Coitu*] In quibuſdam libris: *comptu*. In Aliis: *cœtu*. GIFAN.

859. *Nec ſi materiam, &c.*] Hoc dicit: nec ſi poſt obitum noſtrum, ex eadem materia, ex qua conſtamus, alius homo naſcatur, ita ut videamur quodammodo revixiſſe: non (inquam) hoc factum quicquam ad nos pertineat, cum ſemel repetentia noſtra fuerit interrupta. LAMB.

859. *Materiam noſtram*] Quidam lib. habent *noſtri*. LAMB. Seu *Noſtri*, ut & in v. 866. legas, perinde eſt. CREECH.

862. *Pertineat*] Sume copulationem negantem *nec*: ut ſit hic Lucretii ſenſus, & ſi hoc fiat, non pertineat quicquam ad nos id factum. LAMB. Imo, quod ante factum actumve eſt. vide *Var. Lect.* HAV.

863. *Repetentia noſtra*] Sic curavi excudendum, fretus auctoritate lib. manuſcript. nam vulgati, alii habent *repetentia noſtra*, alii *retinentia noſtra. repetentiam* autem interpretor ἀνάμνησιν, & *recordationem*, & *retinentiam quandam*, ut ſupra lib. eodem: 675.

Omnis ut actarum exciderit retinentia rerum.

Nota autem eſt utriuſque nominis origo. Nam ut à *retinendo*, *retinentia*: ſic à *repetendo*, *repetentia* dicta eſt. Jam *repetere memoria*, & *retinere*, Latinis ſunt uſitata. voce *repetentia* utitur lib. 2. Arnob. *Cum multo facilius ſit credere, diſcere illam quod neſciat, quam oblitam quod paullo ante ſciebat, & oppoſitu corporis amitti repetentiam priorum.* quem locum ſupra retulimus. Idem aliquanto poſt: *Quod enim rebus ingreſſis priorum repetentiam detrahit, id intra ſe geſta irrecordabili debet oblitteratione deperdere.* Quod ſi quis malet legi *repentia*, ut habent etiam nonnulli ſcripti manu, interpretabor tacitam quandam & ſenſim progredientem vivendi aſſiduitatem, vel ſimpliciter, itionem, ſive ingreſſionem, ſive inceſſum, ſive curſum vitæ: ut ſit tranſlatio à reptilibus. licet etiam legere *retinentia noſtri*, eodem ſenſu. Omnino *repetentia* mihi magis placet, quam *repen-*

Et nunc nil ad Nos de nobis attinet, ante
Qui fuimus, nec jam de illis Nos adficit angor,
Quos de materia noſtra nova proferet aetas:
Nam quom reſpicias immenſi temporis omne
Praeteritum ſpatium, tum motus Materiaï
Multimodi quam ſint; facile hoc adcredere poſſis,

INTERPRETATIO.

Et nunc quidem non ſoliciti ſumus de iis qui olim fuimus ; neque Anxii de iis quos futura ætas e noſtra materia componet : Nam cum conſideres infinitum tempus præteritum, & quam varii ſunt ſeminum motus, facile etiam credes

VARIÆ LECTIONES.

864. *Et nunc.* Te nunc Y. Z. Enunc V. *attinet.* attineat Z.
865. *nec.* Abeſt Y. Z. *adficit.* adfigit K. Q. Y. Z. effugit Q1. affligit Q2.
866. Abeſt Q1. Y. Z. *in.* abeſt X.
869. *adcredere.* vitioſe in Cr. Ed. 2. *adcedere.*

NOTÆ.

tia. atque hanc ſcripturam confirmat verſus ab hoc nonus, infra: 871.

Nec memori tamen id quimus reprendere mente.

& auctor vocabularii Latinogræci, in quo ſcriptum eſt: *Repetentia*, ἐπανάληψις. Verum tamen judicet lector. Lamb.

863. *Retinentia noſtri*] Hæc eſt veriſſima ſcriptura, ex veteribus libris deprompta. Sententia perſpicua: cum ſemel deſiimus retineri, eſſe, manere. Vulgati: *repentia.* Quidam Veteres: *repetentia.* Gifan.

863. *Repetentia noſtra*] Optima Lambini emendatio. Intelligit, contra quam alii interpretantur, abruptam eſſe συνέχειαν actionis; atque adeo nihil ad nos, *&c.* Id ipſum eſt quod mox dicit, 872.

Inter enim jecta eſt vitai pauſa, vageque
Deerrarunt paſſim motus ab ſenſibus omnes.

Aliæ explicationes à ſcopo abeunt. Fab. Lambinus tamen ipſe interpretatur *Repetentiam* ἀνάμνησιν, recordationem e. v. 871.

Nec tamen id quimus memori reprehendere Mente.

Gifanius *Retinentia:* viz. Cum ſemel deſiimus retineri, manere, eſſe: Alii *Repentia* : id eſt, Vitæ curſus. Creech. Gloſſæ: ἐπανάληψις idem quod *repetitio.* Marg. Imo & *Repetentia* in iiſdem qua Græcis, qua Latinis legitur; niſi quod præter vocem ἐπανάληψις, etiam ἐπανάλημψις, vitioſe, ut opinor, legitur. Preig.

864. *Et nunc nil ad nos, &c.*] Id eſt, & neque nunc de iis ſoliciti ſumus, qui fuerunt iidem ipſi, qui nunc ſumus: neque rurſus de iis laboramus, aut eorum incommodis angimur, qui de materia noſtra creabuntur. Lamb. Marg. noſt. *Te nunc.* Unde conjectura ductus adjicit: Forte: *Enunc.* Preig.

864. *Ante qui fuimus*] Qui fuimus antea alii nos. verbi gratia, finge, me abhinc mille annos fuiſſe & vixiſſe. illius temporis nullus ad me ſenſus pervenit, qui nunc vivo, neque rurſum, ſi caſus ita ferat, ut poſt ſexcentos annos alius Lambinus ex mea materia naſcatur, id ad me quicquam nunc pertinet, aut me ulla voluptate vel moleſtia afficit, ſi Lambino illi futuro fortuna propitia & benigna, vel ſæva & maligna futura eſt. Lamb.

867. *Nam cum reſpicias*] Ἀνθυποφορὰ eſt. poterat enim quiſpiam ita dicere: qui fieri poteſt, ut alius ego vel multis ante ſæculis fuerit, vel multis poſt ſeculis naſcatur ex eadem materia? huic igitur reſpondet, non eſſe incredibile, ſi retro ſpectemus præteriti temporis ſpatium immenſum, & ſi conſideremus materiæ motus varios & multipliceis, primordia rerum, ex quibus conſtat hodie homo aliquis ſingularis, eodem ordine & olim poſita fuiſſe, quo nunc ſunt ordine collocata: & poſthac eodem collocatum iri. negabit tamen infra, etiam ſi hoc detur, eundem, qui nunc ſit,

aut

Semina ſaepe in eodem, ut nunc ſunt, ordine poſta:
Nec memori tamen id quimus deprendere mente.
Inter enim jecta eſt vitaï pauſa, vageque
Deerrârunt paſſim motus ab Senſibus omnes:
Debet enim, miſere quoi forte aegreque futurum eſt,
Ipſe quoque eſſe in eo tum tempore, quom male poſſit
Acci-

INTERPRETATIO.

ſemina in eodem ordine, in quo nunc ſunt, ſæpe fuiſſe poſita, iſtius vero recordari non poſſumus. Morte enim vita fuit interrupta, motuſque omnes quibus jactata erant ſemina erant a ſenſiferis motibus plane diverſi. Cui aliquid Mali venturum eſt, ille debet in illo tempore exiſtere, in quo Malum illud poſſit

VARIÆ LECTIONES.

871. *tamen.* attamen V. *deprendere.* reprehendere A. B. L. P. Q1. X. Y. Z.
872. *vageque.* vagæque C. P.
874. *miſere quoi forte ægreque futurum eſt.* cum forte C. D. E. N. miſer & qui eſt (*forte*) ægreque futurus P. *Quidam ſcribunt* ægerque *in not.* P. miſer eſt Q. X. miſere eſt Y. Z. ſi forte V.
875. *quom male.* cui male C. E. N. P. Q. V. X. Y. Z.

NOTÆ.

aut olim fuiſſe, aut poſthac futurum: quia ſcilicet vitæ interruptio facta ſit per mortem. Lamb.

867. *Nam cum*] Ανθυποφορά. Gifan.

871. *Reprendere mente*] Sic habent lib. manuſcript. vulgati autem *deprehendere mente*, vitioſe. Lamb.

871. *Inter enim jecta eſt vitaï*] Id eſt vitæ interruptio facta eſt. *pauſa*, i. e. quies, & ceſſatio quædam. utitur eodem verbo infra hoc libro, 943.

Frigida quem ſemel eſt vitaï pauſa ſecuta.

& ſup. l. 2: 118.

——— *nec dare pauſam*
Principiis, &c. Lamb.

873. *Deerrarunt*] Utitur eodem verbo Virg. Melibæo, ſeu Ecl. 7: 7.

Vir gregis ipſe caper deerraverat.

& auctor ad Herenn. *Si non deërrabimus ab eo quod cæpimus exponere.* & Plaut. Menæch. 5: 9: 54.

Inter homines me deerrare, atque inde avehi. Lamb.

874. *Debet enim miſere quoi forte*, &c.] Sic habet liber Vaticanus, neque admodum ab hac ſcriptura ceteri diſcrepant, niſi quod Bertin. & Memmianus habent,

Debet enim miſere cum forte, ægreque futurum eſt.

Eſt autem hæc ſententia: Is, *cui forte miſere ægreque futurum eſt:* i. e. is, qui forte miſer & æger eſt futurus, debet eo eſſe tempore, quo tempore ei male accidere poſſit. alioqui non poterit eſſe miſer. At homo mortuus, deſiit eſſe: ergo nullo modo miſer eſſe poteſt, nullaque in eum miſeria cadit. hæc eadem diſputantur & demonſtrantur à M. Tullio libro 1. quæſt. Tuſcul. Lamb. v. 9. Idem Argumentum fuſius explicat. Is qui forte Miſer futurus eſt, debet exiſtere in eo tempore quo mala & ægritudo premant: At Mortuus deſinit eſſe, nec unquam a ſepulchro revertetur.

Veſtigia nulla retrorſum.

Ideo Mortuus nullo modo Miſer eſſe poteſt. Creech. Plana ac dilucida Iſ. Voſſii hæc eſt emendatio:

Miſere ſi forte ægreque futurum eſt,
Ipſe quoque eſſe in eo tum tempore, cui male poſſit
Accidere.

verum & recepta lectio proba eſt. Preig.

874. *Miſere cui forte, ægreque futurum eſt*] In Veteribus quibuſdam: *miſer & quiſt ægreque futurus.* Ego tametſi putem legendum: *miſere & quoi*

Accidere: At quoniam mors eximit im, prohibetque,
Illum, quoi poſſint incommoda conciliari
Haec eadem, in quibus & nunc Nos ſumus, ante fuiſſe;

Sci-

INTERPRETATIO.

advenire: At quia Mors non permittit; ut ille cui hæc incommoda quibus nunc laboramus, antea fuerint, certi eſſe poſſumus,

VARIÆ LECTIONES.

876. *At quoniam.* id quoniam C. P. V. Y. Z. *im, prohibetque.* id prohibetque C. D. E. M N. X. eſſeque prohibet *Salm.* V. Y. Z. eſſe probatum K. Q1. eſſe proclive Q2. eſſe proinde Q3. eſſe perinde c. O. P. eſſe prohibe inde Q. eſſe prohibere X.

878. *eadem, in quibus & nunc Nos ſumus.* eadem quibus ægri nos ſumus M. eadem quibus ægri nunc ſumus C. D. E. N. eadem quibus e nunc nos ſumus A. B. c. I. P. Y. Z. quibus nunc nos Q.

NOTÆ.

quoi eſt, ægreque futurum eſt; nihil tamen mutavi dum adſtipulantes habuero plures libros. Gif.

876. *At quoniam mors eximit im*] Id eſt, at quoniam mors eripit & liberat eum, ne poſſit miſer eſſe, &c. *im* pro *eum* dictum eſſe à veteribus teſtanter Pomp. Feſtus, & Cariſius, & ceteri. Quod autem libri manuſcripti habent *eſſe*, illud *eſſe* factum eſt ex *em*, vel *im*: quod utrumque idem valet quod *eum.* nam cum à librario ſcriptum eſſet *iz* pro *im*, factum eſt poſtea *is*: deinde ab eo qui corrigere geſtiret, repoſitum eſt *eſſe:* atque ita hic locus depravatus eſt ignoratione linguæ Latinæ antiquæ. ſic autem uſurpat verbum *eximendi* Plaut. Epidico 5: 1: 5.

Ita non omnes poterunt ex cruciatu eximere
Epidicum. Lamb.

876. *Im, pohibetque*] Ita quidem Lambinus, cum in veteribus libris ſit: *eſſe.* In Quibuſdam: *eſſe inde.* Marullus, & Vulgati: *id prohibetque.* Mihi aqua hæret. Gifan. Hoc etiam ex librorum vetuſtate exſcriptum eſt:

Debet enim miſere ſi forte ægreque futurum eſt,
Ipſe quoque eſſe in eo tum tempore, cui male poſſit
Accidere: id quoniam mors eximit eſſeque prohibet,
Illum cui poſſint incommoda conciliari
Illa eadem, quibus in nunc nos ſumus, ante fuiſſe.

Prohibet autem per vocalium comprehenſionem & conjunctionem audiendum eſt, duabus in longam coaleſcentibus. Turneb. *Adverſ. Lib.* xxx. *Cap.* x.

876. *Im,*] *Eum.* quod & in neutro dicebant; unde *interim*, id eſt, *inter id*, *inter ea.* Faber. Id eſt: *Eum:* Plautus Epidico, 5: 1: 5. *Ita non omnes poterunt e cruciatu* eximere *Epidicum.* Alii tamen è Codd. *Eximit*, *Eſſeque prohibet*, quibus ſi *Salmaſio* credimus nihil eſt aptius. Creech. Dura omnino, *eximit im*, *prohibetque illum*, Lambiniana ſcilicet iſta emendatio, Viris doctis, Gronovio, Salmaſio, quem vide Ep lii. ac noſtro denique Iſ. Voſſio, improbata; qui ad vetera confugientes monumenta, verbum *eſſe* e fuga retraxere, & ſynalœpha, Noſtro haud inuſitata, legunt *prohibet* δισυλλάβως; deinde *id*, pro *at*; hoc modo:

--- --- *Id quoniam mors eximit, eſſeque prohibet*
Illum, &c.

Marg. n. *Id quoniam mox eximit eſſeque prohibetque*, verum perperam haud dubie modo propoſitam viri doctiſſimi conjecturam exceperit. Preig. Non repugnarem, ſi mihi ſatisfacere quis in hiſce poſſet. Credaſne id voluiſſe Carum: *Quoniam mors id eximit, & prohibet illum eſſe ante fuiſſe, quoi poſſint* &c. At plana Lambini lectio, cui potius adhæreo. Hav.

876. *Prohibetque illum, quoi poſſint, &c.*] Id eſt, & quia mors prohibet, ne ille cui hæc eadem incommoda, quibus nos conflictamur, vel in quibus verſamur, evenire poſſint, id eſt qui vivat, ante fuerit, Scire licet, &c. Videtur hic locus pugnare cum iis quæ ſupra dixit, ex materia alicujus hominis alium hominem multis poſt ſæculis naſci poſſe, qui ſit quodam modo idem alter. reſpondeo, hoc quidem ſupra dictum eſſe: ſed non ea mente, eave gratia, ut aſſeveraret, eum, qui ex materia mei, verbi gratia, multis poſt vel ſæculis, vel annis naſceretur, fore alterum me: ſed ut oſtenderet, etiam ſi id fieret, nihil

hoc

Scire licet Nobis nihil eſſe in morte timendum:
Nec miſerum fieri, qui non eſt, poſſe: neque hilum
Differre, an nullo fuerit jam tempore natus,
Mortalem vitam mors quoi immortalis ademit.

Pro-

INTERPRETATIO.

Nobis in morte nihil timendum eſſe: Illumque non poſſe eſſe miſerum, qui non eſt: Idemque plane eſſe ac ſi nunquam natus fuerit ille cui vitam mortalem ademit Mors immortalis.

VARIÆ LECTIONES.

881. *an nullo fuerit jam.* à nullo fuerit qui tempore K. ullo Y. Z.
882. *quoi.* cum immortalis C. E. N. P. V. X. Y. Z.

NOTÆ.

hoc tamen neque ad eum qui ante vixiſſet, ejus qui poſtea ex eadem materia exſtiturus eſſet, caſus: neque ad eum qui poſtea ex eadem materia conflatus, victurus eſſet, ejus qui ante vixiſſet, incommoda pertinere. LAMB.

878. *Quibus è nunc nos ſumus*] Ex veteribus libris, qui partim, ita; partim, *& nunc*, habent, &, *quibus nunc*, reſtitui. Ut, *hæc eadem*, referatur ad *fuiſſe*. Marullus tamen: *quibus ægri nos ſumus.* Sic ſupra, verſ. 851. *quibus è ſumus*, &c. Ubi etiam mendum irrepſerat. GIFAN.

878. *In quibus & nunc nos ſumus*] Secutus olim fueram hoc loco libros vulgatos, in eo quod habent vocem *ægri*: in eo quod habent *nunc*, ante verbum *ſumus*, manuſcriptos: in quibus partim ita ſcriptum eſt,

quibus & nunc nos ſumus,

partim ita,

quibus è nunc nos ſumus.

atque ita edideram,

quibu' nunc ægri ſumus, ante f.

ſententia aperta. nunc minus longe à ſcriptura antiqua diſcedens, à qua abeſt vox *ægri*, ſic edendum curavi,

Hæc eadem, in quibus & nunc nos ſumus, ante f.

ſententia non minus perſpicua: neque ſermone minus uſitato. Sic enim loquuntur Latini, *eſſe*, ſeu *verſari in incommodis*, *in malis*, & ſimil. Si cui autem magis placet primæ editionis ſcriptura, hæc ejus ratio eſt: Pronomen *nos* adjectum eſſe putabam ab iis qui verſum perficere voluerint mutilatum, voce *ægri* lacerata & corrupta. Licere tamen exiſtimabam etiam ſic legere, *quibus ægri nos ſumus*, vel ſic, *quibu' nos ægri ſumus.* Quod autem quidam retinent ſcripturam antiquam, *quibus è nunc nos ſumus*, eamque interpretantur hoc modo: è quibus nos nunc ſumus, id eſt conſtamus: valde falluntur. quomodo enim conſtare poſſumus ex incommodis? Nam relativum *quibus*, refert vocem *incommoda*, quæ antecedit. LAMB. Alii *Quibus ægri nunc ſumus.* Inepte vero Gifanius cum ſuis Codd. *Quibus e nunc nos ſumus.* CREECH.

880. *Nec miſerum fieri*, &c.] Ut quis ſit miſer, neceſſe eſt ut primum ſit; dein erit miſer, &c. FABER. Huc pertinet Epigramma illud ex lib. III. Anthologiæ Εἰς ἄνδρας οὐκ ἐπισήμους. ubi Epicureus quidam ad ſingula inſcriptionis verba reſpondens introducitur:

Οὔνομά μοι. τί δὲ τοῦτο; πατρὶς δέ μοι. ἐν τί δὲ τοῦτο;
Κλεινοῦ δ' εἰμὶ γένους. εἰ γὰρ ἀφαυροτάτου;
Ζήσας ἐνδόξως ἔλιπον βίον. εἰ γὰρ ἀδόξως;
Κεῖμαι δ' ἐνθάδε νῦν. τίς, τίνι ταῦτα λέγεις;

Id eſt:

Nomen quidem mihi. Quid hoc ad me? Patria vero mihi. Et quid hoc?
Inclyti ſum generis. Et quid ſi obſcuriſſimi?
Glorioſe poſtquam vixi vitam reliqui. Et quid ſi inglorie?
Jaceo autem nunc hic. Quis es, cui hæc dicis? HAV.

882. *Mortalem vitam mors quoi*] Mortem *immortalem* dixit, quia ex veterum illorum ſententia, qui mortuus eſt, reviviſcit numquam. Sic quidam apud Athenæum; θάνατος ἀθάνατος. & Catull. ad Lesb. Ep. 3. vſ. 3.

Soles occidere, & redire poſſunt:
Nobis, cum ſemel occidit brevis lux:
Nox eſt perpetua una dormienda.

& ita Horat. od. 7. lib. 4. 13.

Hh hh 3

Da-

Proinde ubi ſe videas hominem indignarier ipſum,
Poſt mortem fore, ut aut putreſcat corpore pôſto:
Aut flammis interfiat, maliſve ferarum:
Scire licet, non ſincerum ſonere, atque ſubeſſe

Cae-

INTERPRETATIO.

Proinde, cum videas Hominem ſortem ſuam miſeram exiſtimare, quod poſt mortem aut in terra putreſcet, abſumetur ab Igne, aut a Feris devorabitur; inde colligere potes illum non recte ſapere,

VARIÆ LECTIONES.

883. *indignarier.* Ita C. D. E. I. L. N. P. Q. X. Y. Z. *Gaſſ. omnes MSS.* miſerarier *tamen L. in Not. & Cr.*

884. *ut aut putreſcat.* Ut aut puteſcat Q. T. aut ut puti corpore V. 1. 2. putreſcans K. putiſcat *Margo noſtra*, *ut vſ.* 83. pute *pro* putre.

885. *Aut flammis interfiat*, *maliſve.* Aut interfiat morſu maliſve *Creech.* priſca exempll. P. Aut malis interfiat is maliſve ferarum P. *in not.*

886. *non ſincerum.* nos incertum ſonere K. nos incerum Q. X.

NOTÆ.

Damna tamen celeres reparant cæleſtia lunæ:
Nos, ubi decidimus, &c.

deinde ſequitur,

Cum ſemel occideris, & de te ſplendida Minos
Fecerit arbitria, &c.

Sed videtur legendum verſu ſuperiore, *Refferre*, non, ut habent omnes libri, *Differre.* Eſt enim hæc ſententia: neque quidquam referre, utrum is, qui mortuus eſt, neque umquam revicturus, numquam natus ſit, an ſecus. LAMB.

883. *Proinde ubi ſe videas hominem indignarier ipſum, &c.*] Hunc verſum cum eo qui deinceps ſequitur, ſic explico: proinde ubi videas hominem indignari, ſeu indigne ferre, quod futurum ſit poſt mortem, ut aut putreſcat, &c. Sed *miſerarier* legendum arbitror, non *indignarier*, idque ex veſtigiis obſcuris ſcripturæ veteris. duriuſculum enim videtur ita loqui, *hominem ſeipſum indignarier, fore ut*, &c. *miſerari vero ſeipſum*, probatum loquendi genus, pro *ſeipſum miſerum queri & dicere.* LAMB. Hîc vulgus noſtrorum hominum eſt; qui cohorreſcunt, ubi fieri poſſe cogitant, ut ſua cadavera avibus, canibus objecta, &c. Inde tanta ſepulcrorum cura, quæ nonnulli olim ridicule ſecum circumferri curaverint; neque Chriſtianos homines in hoc genere ceteris firmiores fuiſſe video; quanquam à panegyriſtis laudentur. FABER. V. 24. increpat quoſdam Homines de ſepultura nimis ſolicitos, eamque ſolicitudinem ex opinione de Animi Immortalitate natam aſſerit: Quid enim Ille, qui nihil ſenſurum ſe poſt Mortem credit, Cadaver curaret? Reſpexiſſe autem videtur ad tritum illud de *Diogene*, qui rogatus quemadmodum curari vellet, cum mortuus foret, projici ſe inhumatum juſſit, & cauſantibus quod a Feris & Volucribus laniaretur, apponi ad manum juſſit Baculum, quo poſſet illas abigere, & excipientibus quod non poſſet, viz. ut ſenſu ſic Motu privatus; *Quid igitur*, inquit, *ſi ſenſu caruero, mea intererit quomodocunque mecum agatur.* CREECH.

883. *Miſerarier ipſum*] Alii *Indignarier*: Iſtud ament quibus placet. CREECH. Imo *ſe* hic παρελκόντως uſurpatur, ut ſup. vſ. 68. Reſtitui itaque MSS. lectionem. HAV.

884. *Corpore poſto*] corpore humato, & in foſſa condito. LAMB. Corpore humato, & in Terra condito, *Lambinus*: *Alii*: Ego vero, *corpore poſto*, ut a Volucribus laceretur; Qui enim pondere Terræ eſt obtritus, v. 906. Ille proculdubio eſt in Terra conditus & humatus: Quid igitur timeret *putreſcere Corpore pôſto*, qui *Pondere terræ opprimi* non timeat? CREECH. Nugæ! *poſitum* nihil aliud eſſe niſi mortuum ſimpliciter, patet ex collatione Virgilii Æn. 2: 644. & Ovid. Heroid. 10: 124. ἐῤῥιμμένον ἐν ποσὶ κ̀ κεισόμενον dixit Socrates apud Ælian. 1: 16. HAV.

885. *Aut flammis interfiat*] *Interfiat* pro *interficiatur*, id eſt conficiatur, abſumatur, nempe in rogum impoſitus. Sic ſupra eodem libro vſ.

413.

Caecum aliquem cordi ſtimulum, quamvis neget ipſe
Credere ſe quemquam ſibi Senſum in morte futurum.
Non (ut opinor) enim dat, quod promittit; & inde
Nec radicitus è vita Se tollit, & eicit:
Sed facit eſſe Sui quiddam ſuper inſcius ipſe.

Vi-

INTERPRETATIO.

& inani aliquo timore agi, quamvis ipſe neget ſe credere aliquem ſibi mortuo futurum eſſe ſenſum. Non enim, ut opinor, id vere credit quod ſe credere profitetur, neque ſe totum periiſſe ſed quiddam ſui ſupereſſe ſtultus putat.

VARIÆ LECTIONES.

889. *& inde.* & unde K. Y. Z. abunde C. E. L. N. *quidam codd.* P. & inde c.
890. *radicitus.* radicitius Y. Z. *eicit.* icit C. E. P. Q. X.
891. *inſcius.* ipſius ipſe A. mar. C. P. juſtius ipſe Q. X.

NOTÆ.

413. *confiet* poſuit pro *conficietur*:

Id quoque enim ſine pernicie confiet eorum. LAMB.

885. *Maliſve ferarum*] Aut malis ferarum laceretur: videlicet projectus inhumatus, atque inſepultus. huc pertinet illud Diogenis, qui cum ſe projici juſſiſſet inhumatum; tum amici, *volucribuſne & feris? Minime vero* (inquit) *ſed bacillum prope me, quo abigam ponitote. Qui poteris?* inquiunt illi: *non enim ſenties. Quid igitur* (inquit ille) *mihi ferarum laniatus oberit, nihil ſentienti?* LAMB. Abeat vox iſta *Flammis*, niſi forſan aliquis doleret ſe *Flammis abſumi* poſſe, qui v. 903. ſe *Ignibus* imponi patienter ferat: ſi alia vox occurreret apponerem, interim lege e v. 893. & v. 901. *Aut interfiat* morſu *maliſve ferarum.* CREECH.

885. *Interfiat*] Lib. 2. v. 1068. & lib. 5. 889. *Confieri.* CREECH.

886. *Non ſincerum ſonere,*] *Sonere* antiquum pro *ſonare*: notat Nonius, producitque teſtem verſum illum, qui eſt ſupra, vſ. 157.

Caligare oculos, ſonere aureis, &c. LAMB.

Proverbialiter dictum, & a vaſis, ſonitu, atque tinnitu explorandis, ductum. Non abſimile illud Ciceronis, II. de Divin. cap. 57. *Demoſthenes quidem, qui abhinc annos prope CCC. fuit, jam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id eſt, quaſi cum Philippo facere. Hoc autem eo ſpectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret. Quo licet exiſtimare, in aliis quoque Oraculis Delphicis aliquid non ſinceri fuiſſe.* PREIG.

889. *Abunde*] Libri nonnulli manuſcripti pro *abunde*, quod eſt in vulgatis, habent *& unde*: alii, *& inde.* de quibus ſcripturis nondum dubitare deſii: Quidam docti *& unde* probant, & interpretantur (Turneb. videlicet Adverſarior. lib. XXX. cap. 10.) hoc modo: non dat quod promittit, id eſt, non dat ex animo. LAMB.

889. *Et inde Ne radicitus*] In quibuſdam ſcriptis eſt, *& inde Nec radicitus.* In quibuſdam, *& unde.* Itaque aut vera eſt mea ſcriptura, aut quis alius latet error. *Ne* pro, *non.* Vulgati: *abunde Nec radicitus*, &c. GIFAN.

890. *Et eicit*] *Eicit* pro *ejicit. eicit* autem diſyllabum eſt, ut *reice* apud Virgil. Menalca. ſeu Ecl. 3: 96.

Tityre paſcenteis à flumine reice capellas.

& iterum *eicit* apud Lucret. lib. 4: 1265.

Eicit enim ſulci recta regione, viaque
Vomerem.

Verumtamen alii volunt eſſe proceleuſmaticum pro dactylo, ut

Genua labant.

Quemadmodum autem in verbis *eicit* & *reice*, alterum *i* ſublatum eſt: item fit in voce *reiculæ*, qua voce utuntur Cato, & Varro de re pecuaria: Suntque *reiculæ oves*, quas paſtor rejicit ac removet de tota grege. LAMB.

891. *Sed facit eſſe, &c.*] Conjunge verbum *eſſe*, cum præpoſitione *ſuper*, ut fit *eſſe ſuper*, pro *ſupereſſe*. Quidam legunt,

Sed facit ipſe ſui quiddam ſuper inſcius eſſe:

quæ

Vivus enim Sibi quom proponit quiſque, futurum
Corpus uti volucres lacerent in morte feraeque;
Ipſe Sui miſeret: neque enim Se dividit hilum,
Nec removet ſatis à projecto corpore: & illud
Se fingit, ſenſuque ſuo contaminat adſtans.
Hinc indignatur ſe Mortalem eſſe creatum,

Nec

INTERPRETATIO.

Cum enim aliquis dum vivit ſecum cogitat futurum eſſe ut Volucres & Feræ Cadaver ſuum lacerarent, & ſuam ſortem miſeram exiſtimat, Se non ſatis perpendit, neque diſtinguit a cadavere, fingit illud Se *eſſe, ſuoque ſenſu adſtans contaminat. Hinc indignatur ſe mortalem fuiſſe natum,*

VARIÆ LECTIONES.

892. *Vivus enim.* Unus enim C. O. P. Q. minus enim X.

894. *miſeret.* miſer eſt Q1. *dividit.* Ita C. E. Creech. V. P. vindicit A. B. vindicat L. dividit illum X. vidit illum Z. dividit illim X.

895. *& illud.* & illum C. E. Q. X. Y. Z. & hilum c. P.

NOTÆ.

quæ ſcriptura eſſet facilior quidem illa; veruntamen nihil mutandum cenſeo. Lamb.

891. *Inſcius*] *Ipſius.* Gifan.

893. *Corpus uti volucres &c.*] Ut qui jacent inſepulti: quales illi apud Homer. Il. α. 4.

——— αὐτὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν,
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι. Lamb.

894. *Ipſe ſui miſeret*] Nihil mutare auſus ſum: quamvis legendum exiſtimem,

Ipſe ſui miſeretur, nec ſe dividit hilum,

vel ſic potius, *Ipſe ſui miſeretur, nec ſe vindicat hilum*, &c.

Teſtantur enim Feſtus & Priſcianus, antiquos uſurpaſſe *miſereo, res*, pro *miſereor, ris.* & quidem ita Plautus in Trinummo: 2: 2: 62.

——— *cave tui alius miſereat.*

ne hoc quidem lectorem celabo cum in Italia eſſem, incidiſſe in manus meas librum typis impreſſum, qui fuerat Ioviani Pontani: in quo erat emendatum, aut certe adſcriptum ipſius manu,

Ipſe ſibi miſer eſt. Lamb.

Democritum inſimulavit Epicurus, quaſi diceret poſt mortem in Corpore ſenſum fuiſſe. *Tull. Lib.* 1. *Tuſcul. quæſt.* & eundem Philoſophum Lucretius hic loci caſtigat. Creech.

894. *Neque enim Se vindicat hilum*] Sequi volueram initio libros vulgatos, qui habent,

ſe dividit hilum.

Sed cum animadvertiſſem, in manuſcriptis aliis ita legi,

neque enim ſe vidit hilum:

in aliis, *vidit illum*, plane mendoſe, ſed unde tamen vera ſcriptura elici & reſtitui poſſet, ſic exiſtimavi eſſe reponendum,

neque enim ſe vindicat hilum,

ſeu potius,

nec ſe vindicat hilum. &c.

ut prior pars verſ. ſic legatur,

Ipſe ſui miſeretur.

Quidam tamen *vindicit* legi malunt, antique pro *vindicat*: quod uſurpatum eſt à X viris in duodecim tabulis. Lamb.

894. *Vindicit*] Vulgati: *dividit.* In ſcriptis: *vidit.* Lambinus: *vindicat.* Nos propius ad veteres libros. Forte etiam: ſe *vidit hilum.* Gifan. Alii *dividit*, quæ vox veteris lectionis veſtigiis *neque enim ſe vidit* magis inſiſtit. Creech. Marg. n. adſcripta Voſſii auctoritate: *dividit illum.* Forte ex ipſo MSS. unde poſtmodum cum Salmaſio, quem vide Ep. lii. aliiſque amplexus fuerit: *neque enim ſe dividit hilum.* Ut ſit ſenſus, credo: neque enim ullo modo ſe dividit, aut ſi vel maxime ſe dividit, non ſatis ſe removet à projecto corpore. *Sevidere* ad formam ꝑ *ſecernere* miraculum verbi, vide ſi lubet, in Indice Gifanii.

Nec videt, in vera nullum fore morte alium Se:
Qui poſſit vivus ſibi Se lugere peremptum,
Stanſque jacentem, nec lacerari, urive dolere.
Nam ſi in morte malum eſt malis morſuque ferarum
Tractari: non invenio quî non ſit acerbum
Ignibus impoſitum calidis torreſcere flammis;
Aut

INTERPRETATIO.

neque conſiderat in vera morte nullum fore alium Se. *Qui vivus* Se *mortuum*, *Qui ſtans* Se *jacentem lugere*, *aut qui lacerari*, *aut ullo dolore affici poſſit. Si vero Mortuo malum ſit*, *dentibus Ferarum lacerari*, *non video cur non ſit malum rogo imponi*, *& Flammis abſumi*,

VARIÆ LECTIONES.

897. *Qui*. Cui K. X.
900 *jacentem*, *nec.* jacenter, ſe K. ſe lacerari c. O P. *nec.* abeſt Y. Z. *dolere.* Ita *Lamb.* dolere *Alii omnes.*

NOTÆ.

nii. PREIG. -

895. *Removet Satis*] Feras, & Aves, *Fayus*: Lepide: Cadaver viz. Feras & Volucres abigeret: Tam bellum Interpretem Diogenes, ſatis ſcio, caſtigaret. CREECH.

895. *Et illud ſe fingit*] Et fingit ſe eſſe illud corpus, quod jacet mortuum & inſepultum. LAMB.

896. *Senſuque ſuo*] Et corpus exſangue & inanimum, & ſenſus expers, ſenſu contaminat, ſe adſtantem faciens. contaminare autem videtur corpus ſuum ſenſu, quia dum ei tribuit ſenſum, ſui miſeretur, & horret ferarum atque avium morſus: quod non faceret, ſi corpus exanimum omni ſenſu carere ſibi perſuaſum haberet. LAMB. Id eſt, dum credit ſe poſt mortem cadaver illud futurum, ſenſum ſuum in id quodammodo tranfert, &c. FABER.

898. *Nec videt, in vera*] Nec videt, exempli gratia, Dionyſius Lambinus, qui indignatur ſe mortalem eſſe natum, ſuamque conditionem deplorat, non videt (inquam) in vera morte nullum alium fore Dionyſium Lambinum, qui vivus & ſtans poſſit ſe mortuum & jacentem lugere, &c. LAMB.

899. *Qui poſſet vivus, &c.*] Ordo & ſententia verborum eſt: qui vivus poſſit ſibi lugere ſe eſſe peremtum, nec qui poſſit dolere ſe à feris aut avibus lacerari, aut flammis cremari. *ſibi* dandi caſus eſt, ornatus cauſa poſitus: ut Ter. Adelph. 5: 8: 34. *ſuo ſibi hunc jugulo gladio.* Sic autem legendum, ut edidi, non, ut in aliis libris omnibus ſcriptum & impreſſum eſt, *nec lacerari*, *urive dolere.* LAMB. Recte: *urive dolere.* Inde enim mox reſp. ſibi format. Itaque & *flammis* verſ. 885. retinuimus contra Chreechium. HAV.

901. *Nam ſi in morte, &c.*] Hæc ad id pertinent, quod proxime addidit, *urive.* poterat enim aliquis dicere: lacerari à feris malum eſt: ſed comburi rogo impoſitum, non eſt æque acerbum, aut omnino non eſt acerbum. ad hoc ſic reſpondet, dixi *lacerari*, *urive*, quaſi ſint ſimilia. Nam ſi malum eſt in morte maxillis ferarum diripi & dilacerari: non video quomodo non ſit etiam moleſtum & aſperum, in rogum impoſitum flammis torrēri, aut aliis ſepulturæ generibus, quæ ſummo ſtudio ab hominibus procurantur & expetuntur, affici. LAMB.

903. *Ignibus impoſitum &c.*] Comburi. Quo more uſi ſunt Romani, & ante eos Græci, atque etiam Barbari. Homer. Ιλ. α. 51.

——— αἰεὶ δὲ πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί.

id eſt, *ſemper autem crebri mortuorum rogi*, *ſeu acervi comburebantur.* Ad quem locum notat Euſtathius, hac conſuetudine uſos eſſe veteres, ut oſtenderent, partem hominis divinam, igni, tamquam vehiculo, ſublatam, locum cæleſtem petere: terreſtrem vero in terra manere, partim, conſumtam, & in cineres verſam, partim in oſſibus reliquam. *Alii dicunt*, inquit ille, *idcirco mortuorum corpora conburere ſolitos eſſe*, *quod eis cadaver videretur non purum*: *ignem autem purgandi vim habere exiſtimarent.* Si quis porro de

 bar-

Aut in melle ſitum ſuffocari, atque rigere
Frigore, quom in ſummo gelidi cubat aequore ſaxi:

Ur-

INTERPRETATIO.

in Melle immergi, & frigore rigere cum plano marmori impoſitus jaceat,

VARIÆ LECTIONES.

904. *melle.* molle ſitum c. mole O. P.
905. *in.* abeſt Q. Y. Z.

NOTÆ.

barbaris dubitat, etiam Hectoris corpus apud Homer. Ιλ. ω. comburitur. LAMB. Tres modos ſepulturæ tangit, Qui cremabantur, Qui Terra obruebantur, Et qui in lapideis arcis cum melle condebantur, quos ait in gelidi æquore ſaxi cubare. Hæc breviter *Salmaſius* ad Solinum p. 850. Forſan vero *Lucretius* caſtigat *Heraclidem Ponticum*, & *Democritum* de quibus *Varro*. Quare *Heraclides Ponticus* plus ſapit, qui præcepit ut comburerent, quam *Democritus*, qui ut in Melle ſervarent, quem ſi Vulgus ſecutus eſſet, peream ſi centum denariis calicem Mulſi emere poſſimus. Indigna enim Philoſophis tam putida ſepulchri cura; Fortius & Sapientius ipſe *Petronius*: Atenim fluctibus obruto non contingit Sepultura, tanquam interſit periturum Corpus quæ ratio conſumat, Ignis, an Fluctus, an Mora; Quicquid feceris hæc omnia eodem ventura ſunt; Feræ tamen Corpus lacerabunt: Tanquam melius Ignis accipiat. CREECH.

904. *Aut in melle ſitum*] Hoc quoque fuit ſepulturæ genus à veteribus uſurpatum, aut certe ratio ſervandorum corporum: quam commemorat Xenophon libr. quinto Ἑλληνικῶν. ubi narrat, Ageſipolin Lacedæmonium gravi morbo affectum, eoque ipſo morbo die ſeptimo conſumtum, in melle poſitum, & Lacedæmonem revectum, regia ſepultura fuiſſe decoratum. verba Xenoph. ſunt hæc: Καὶ ἐκεῖνος μὲν ἐν μέλιτι τεθεὶς, καὶ κομισθεὶς οἴκαδε, ἔτυχε τῆς βασιλικῆς ταφῆς. Varro περὶ ταφῆς apud Nonium in nomine *vulgus*: Quare Heraclides Ponticus plus ſapit, qui præcepit, ut comburerent, quam Democritus, qui ut in melle ſervarent: quem ſi vulgus ſecutus eſſet; peream ſi centum denariis calicem mulſi emere poſſimus. LAMB. De hoc ſepulturæ genere Xenophon, in lib. v. Ἑλληνικῶν. Et de *lapide ſarcophago* Plin. lib. XXXVI. cap. 7. GIFAN. Xenophontis, apud Lambinum loco, qui huc faciat, geminus eſt ille Joſephi, de Ariſtobulo, Judæorum principe, cujus cadaver, ſimiliter melle conditum, ab Antonio Judæis miſſum ſcribit, ut in monumentis regiis ſepeliretur; lib. I. de Bello, pag. m. 723. Φαρμάκῳ μὲν ἀναιρεθεὶς ὑπὸ τῶν τὰ Πομπηΐου φρονούντων, μέχρι πολλοῦ μὲν οὐδὲ ταφῆς ἐν τῇ πατρῴᾳ μετεῖχεν· ἔκειτο δ' ἐν μέλιτι συντηρούμενος ὁ νεκρὸς αὐτοῦ ἕως ὑπ' Ἀντωνίου Ἰουδαίοις ἐπέμφθη, τοῖς βασιλικοῖς μνημείοις ἐντεθησόμενος. PREIG.

905. *Æquore ſaxi*] In æqualitate ſaxi: id eſt, in ſaxo æquabili, aut exæquato, & polito. LAMB.

906. *Pondere terræ*] Secutus ſum omneis libros vulgatos, quibuſcum conſentiunt nonnulli manuſcripti. Nam alii habent *pondere cratis*; quam ſcripturam nonnulli probant, fortaſſe non male, ut referamus ad morem Karthaginienſium, qui hoc genere ſupplicii utebantur: ut vel ex Plauto intelligere licet; Pœnulo, 5: 2: 65.

Sub cratim uti jubeas ſeſe ſupponi, atque eo
Lapides imponi multos, ut ſe ſe neces.

Sed cum hîc loquatur Lucretius de ſepulturæ generibus, non de ſuppliciis, malim vulgatam & receptam ſcripturam tueri. LAMB.

907. *At jam non domus, &c.*] Μίμησις ſtultarum lamentationum, quibus uti ſolent qui mortuum lugent. LAMB. Videtur Poëta hic exprimere præficarum voces. Ita enim & hodie in Hiſpania ferunt eas gannire. GIFAN. Sed, inquiunt fatui iſti morientium aut mortuorum Lamentatores; multa tibi ademit mors, *&c.* Ita eſt, reſpondet Lucretius, ſed ea non deſiderant mortui; illa autem non habere quæ haud deſideres, quid mali ſit? FABER. Quoniam vulgo habetur Malum privari iſtis rebus, quibus in vita fruimur, & actionibus, quibus fungimur, vanam hanc Opinionem deridet Lucretius v. 18. dum vulgaria refert lamenta, qui-

Urgerive ſuperne obtritum pondere terrae.
At jam non domus accipiet te laeta, neque uxor
Optima, nec dulces occurrent oſcula nati

Prae-

INTERPRETATIO.

vel cum Terra ingeſta ſepultus opprimatur: At nunc familia nunquam iterum Te læta recipiet, non optima Uxor, nec dulces Liberi oſcula

VARIÆ LECTIONES.

906. *obtritum pondere terræ.* obruptum pondere certe X. obrutum K. Y. Z. *fideliſſimi codd.* obtritum pondere cratis P. *in not.* Q1. *Vide Plaut in Pœnulo. Tacit.* 21. *lib. Livium.*
907. *At jam.* Am jam V. Y. Nam jam Z. At tua. *quidam codd.* P. Q1.

NOTÆ.

quibus mortuos Amici proſequi ſolent, quaſi Illi hæc, quæ moriendo demiſerunt, deſiderent. Mortuus jacet ſenſus & cupiditatis expers, nihil optat, petit, aut indiget, quid igitur deflendus? *Socrates* in Dialogo qui apud Platonem *Axiochus* inſcribitur, Ἤκουσα δέ ποτε καὶ τοῦ Προδίκου λέγοντος, ὅτι ὁ θάνατος οὔτε περὶ τοὺς ζῶντάς ἐστιν, οὔτε περὶ τοὺς μετηλλαχότας· ὅτι περὶ μὲν τοὺς ζῶντας οὐκ ἔστιν, οἱ δὲ ἀποθανόντες οὐκ εἰσὶν, ὥστε οὔτε περὶ σε νῦν ἐστιν, (οὐ γὰρ τέθνηκας) οὔτε, εἴτι πάθοις, ἔσται περί σε, σὺ γὰρ οὐκ ἔσῃ. Μάταιος οὖν ἡ λύπη περὶ τοῦ μὴ ὄντος, μήτε ἐσομένου περὶ Ἀξίοχον, Ἀξίοχον ὀδύρεσθαι, καὶ ὅμοιον, ὡς εἰ περὶ τῆς Σκύλλης, ἢ τοῦ Κενταύρου τὶς ὀδύροιτο, τῶν μήτε ὄντων, μήτε ὕστερον περὶ τὴν τελευτὴν ἐσομένων. Τὸ γὰρ φοβερὸν τοῖς οὖσιν ἐστί, τοῖς δὲ οὐκ οὖσι πῶς ἂν εἴη; CREECH. Significarat Salmaſio Gronovius, in libro veteri legi: *Vim non jam domus, &c.* Unde vir ille excellentiſſimus, Epiſt. L. fieri poſſe: *Quin non jam*, vel: *Im non jam*, pro: *Eum non jam domus accipiet te læta*, monſtrabat; Epiſt. vero LI. plane legendum autumat:

I, non jam domus, &c.

Et: Illud *At*, inquit, quod eſt in Vulgatis, nihil ad rem facit. Marg. noſter: „ *Am* MSC. „ pro *An*, particula affirmativa δὴ exponitur a „ Philoxeno, niſi malis: *Jamjam.* Mirari con- „ venit, unde hoc loco tam inſperatæ turbæ! Quid enim ſimplicius uſitaviusve, quam objectionum hoc genus ſolutiones à particula *At*, *Atqui*, &c. ordiri? q. d. *At non jam domus, inquiunt, accipiet te læta*, &c. Verbum, *ajunt*, verſ. 911. ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ad totam objectionem refer. Similia fere faceteque facit lamentantem patrem in filii obitu, Lucian. de Luctu, pag. m. 432. Φέρε γὰρ ὁ πατὴρ, γοερόν τι φθεγγόμενος, καὶ παρατείνων ἕκαστον τῶν ὀνομάτων. Τέκνον ἥδιστον, οἴχῃ μοι καὶ τέθνηκας, καὶ πρὸ ὥρας ἀνηρπάσθης, μόνον ἐμὲ ἔτι τὸν ἄθλιον καταλιπὼν, οὐ γαμήσας, οὐ παιδοποιησάμενος, οὐ στρατευσάμενος, οὐ γεωργήσας, οὐκ εἰς γῆρας ἐλθών. Οὐ κωμάσῃ πάλιν, οὐδ᾽ ἐρασθήσῃ, τέκνον, οὐδ᾽ ἐν συμποσίῳ μετὰ τῶν ἡλικιωτῶν μεθυσθήσῃ. Ταῦτα δὲ, καὶ τὰ τοιαῦτα φήσει, οἰόμενος τὸν υἱὸν δεῖσθαι μὲν ἔτι τούτων, καὶ ἐπιθυμεῖν καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν, οὐ δυνάσθαι δὲ μετέχειν αὐτῶν. PREIG.

908. *Nec dulces occurrent oſcula nati præripere,*] Videtur imitatus eſſe illud Homericum, Ιλ. ε. 406.

Νήπιος, οὐδὲ τὸ οἶδε κατὰ φρένα Τυδέος υἱὸς,
Ὅττι μάλ᾽ οὐ δηναιὸς, ὃς ἀθανάτοισι μάχοιτο,
Οὐδέ τι μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσιν
Ἐλθόντ᾽ ἐκ πολέμοιο, &c.

id eſt, *Stultus eſt Diomedes, neque hoc intelligit, aut animo comprehendit Tydei filius, eum non admodum eſſe diuturnum* (id eſt, non valde diu vivere) *qui cum immortalib. pugnet: neque eum filii ſui è prælio reverſum, ad genua ore balbo patrem ſalutant.* fortaſſe etiam præficarum conſuetudinem ſignificare atque exprimere voluit: quæ hujuſmodi vocibus lacrymas & ploratus excitabant. LAMB. Phraſeos pulcritudinem ex Amatorum, atque adeo Imitatorum nobilitate æſtimare licet. Virg. II. Georg. 523.

Interea pendent dulces circum oſcula nati,
Caſta pudicitiam ſervat domus.

Vide & Æn. II. verſ. 138. IV. 33. Claud. IV. Conſ. Hon. 369. Quid ni autem ex Cic. I. de Div. cap. 46. narratiunculam hiſce illam ſubnectamus: *L. Paullus, Conſul iterum, quom ei, bellum ut cum rege Perſe gereret, obtigiſſet: ut ea ipſa die domum ad veſperam rediit, filiolam ſuam Ter-*

tiam,

Praeripere, & tacita pectus dulcedine tangent:
Non poteris factis tibi fortibus eſſe, tuiſque
Praeſidio: Miſer! ô miſer! aiunt, omnia ademit
Una dies infeſta tibi tot praemia vitae.

INTERPRETATIO.

præripere feſtinabunt, magnaque Voluptate tuum Animum afficient: Non poteris fortitudine & Virtute tua Tibi tuiſque auxilio & præſidio eſſe: Miſer! O Miſer! inquiunt, unus malignus dies tot bona & Voluptates vitæ ademit:

VARIÆ LECTIONES.

909. *Præripere.* percipere Q.

910. *factis tibi fortibus eſſe tuiſque.* factis florentibus eſſe B. C. E. I. N. Q. X. Y. Z. factis c. O. P. factis tis fortibus eſſe cuiquam V. eſſe tuis A. B. tuiſque K.

911. *Præſidio.* Præſidium C. E. K. P. Q. Y. Z. *miſer! o miſer!* miſero miſere ajunt A. mar. Y. Z. miſer! o miſer! c. miſere, miſere ajunt X.

NOTÆ.

tiam, quæ tum erat admodum parva, oſculans animadvertit triſticulam. Quid eſt, inquit, mea Tertia? quid triſtis es? Mi pater, inquit, Perſa periit. Tum ille arctius Puellam complexus: Accipio, inquit mea filia omen. Erat autem mortuus catellus eo nomine. Preig.

910. *Non poteris factis florentibus eſſe tuis Præſidio*] Hic variatum eſt mirifice; credo, ob numeros rariores. Vide Indicem: *Verſus Diphilius.* Veteres libri Quidam: *facti florentibus eſſe tuiſque.* Quidam: *facti ti foretibus.* Alii: *factis florentibus eſſe cuiquam.* Alii aliter. Quidam*: *præſidium.* Vulgati: *factis florentibus eſſe tuiſque Præſidium.* Lambinus: *factis tibi fortibus eſſe tuiſque Præſidio.* Ego ex veſtigiis ita reſtitui. Quid enim hic ſibi vellet, *tibi*? Vide & ſupra, lib. II. verſ. 642. Gifan.

910. *Non poteris factis tibi fortibus eſſe*] Sic reſtitui, ad hanc ſcripturam ab uno libro manuſcripto quaſi manu ductus. in quo cum reperiſſem ita ſcriptum,

Non poteris facti ti foretibus,

ſemperque antea hic locus mihi ſuſpectus fuiſſet, non dubitavi, quin hæc eſſet vera & germana Lucretiana ſcriptura. Nam vulgata plane inepta eſt,

Non poteris factis florentibus eſſe, tuiſque, &c.

non diſſimulabo tamen, me in Vaticano ita ſcriptum reperiſſe,

Non poteris factis florentibus eſſe cuiquam
Præſidio, &c.

de qua ſcriptura judicet lector. Ego, ut dicam, quod ſentio, alteram malo. Jam *fortia facta*, & *fortibus factis*, & ſimil. loquendi genus eſt bonis ſcriptoribus Latinis uſitatum. Cæſar libro tertio de bello Gall. *Atque eo magis, quod in conſpectu Cæſaris atque omnis exercitus res gerebatur, ut nullum paullo fortius factum latere poſſet.* Marcus Tullius libro quarto epiſt. ad Atticum, epiſtola, cujus initium eſt, *Non dubito,* &c. *Non mihi ſatis idonei ſunt auctores ii qui à te probantur. quod enim eorum in rep. forte factum exſtitit?* Virgilius libr. 10. Æneid. 369.

Quo fugitis ſocii? per vos, & fortia facta, &c. Idem lib. 9. 281.

——— *me nulla dies tam fortibus auſis,* &c.

Poſtremo in vocabulario Latinogræco Cl. Puteani manuſcripto ita ſcriptum legi: *Fortia facta,* ἀριστεῖαι. qua interpretatione nihil excogitari poteſt aptius. Nam ut ἀριστεὺς dicitur Græce, *qui fortiter facit*, aut *fecit*: ita ἀριστεία nihil aliud eſt, quam *forte factum.* Quod autem Zoilus quærit, quid ſibi velit hoc *tibi*, cum ſit is mortuus quem alloquitur: Ridiculum, & ſtolidum hominem: qui non intelligat, hoc ipſum fingi eſſe miſerabile, eum, qui olim vivus ſolebat eſſe ſibi ſuiſque præſidio, nunc mortuum eſſe, neque poſthac fore neque ſibi, neque ſuis utilem, aut ſalutarem. Sed quid cum talibus belluis diſputo? valeant cum ſuis verſibus Diphiliis. Nam, ſi Diis placet, hunc verſum Diphilium

Illud in his rebus non addunt, Nec tibi earum
Jam deſiderium inſidet rerum inſuper una.
Quod bene ſi videant animo, dictiſque ſequantur:
Diſſolvant animi magno ſe angore, metuque.
Tu quidem ut es letho ſopitus, ſi eris aevi
Quod ſupereſt, cunctis privatus doloribus aegris:

At

INTERPRETATIO.

Non vero adjiciunt iſtarum rerum Deſiderium Tibi non jam ineſſe: Quod ſi iſtud bene conſiderarent, omnem metum deponerent, doloremque Animo ejicerent. Tu quidem, ut es morte ſopitus, ſic per omne futurum tempus jacebis omni ægritudine & dolore expers:

VARIÆ LECTIONES.

914. *inſidet rerum inſuper.* deſiderium, rerum ſuperinſidet una A. B. C. D. *Gaſſ.* I. E. N. P. Q1. X. incidit Q2. rerum ſuper inſit & una Q. rerum inſidet inſuper Y. Z.
915. *Quod.* Quo K.
917. *letho.* lecto ſopitus C. N. *ſcribe* lecto i. e. *inſomnis* P. *in not.* leto c. lætu K.

NOTÆ.

lium in locum germani Lucretiani ſubſtituit gravis auctor,

Non poteris factis florentibus eſſe tuis.

Quis non admiretur hominis acumen; Ne hoc quidem loquendi genus, *eſſe ſibi* aut *alicui alteri præſidio*, ei novum aut inauditum eſt, qui bonos ſcriptores manib. terit, oculiſque legit. uſurpavit iterum Lucretius ſupra lib 2: 642.

Præſidioque parent, decorique parentibus eſſe. Lamb.

Alii

Non poteris factis florentibus eſſe cuiquam:

Gifanius vero

Non poteris factis florentibus eſſe tuis.

Quos verſus amat! In ſequenti verſu quidam *Miſero miſere.* Creech. An non forte?

Non poteris natis florentibus eſſe, tuiſque &c.

Illud *florere*, quod hic in MSS. eſt, mire amat. Vide Indicem, & 1: 256. ubi de ſobole etiam dicitur. Hav.

911. *Miſer! ô miſer!*] Quatuor libri manuſcript. habent, *miſero miſere*, quam ſcripturam ſi recipimus, hæc verba erunt conjungenda cum ſequentibus hoc modo: *Una dies infeſta tibi miſero omnia ademit tot præmia vitæ.* Lamb.

911. *Miſero miſere ajunt, omnia ademit, &c.*] Ita fere Vulgati, & in Veteribus. In quibuſdam: *miſero miſer*, non male. Gifan.

913. *Nec tibi earum, &c.*] Qui non deſiderat autem, non videtur carere. Sed videtur ita loqui debuiſſe,

nec tibi earum
Jam rerum deſiderium ſuper inſidebit una,

ſi verſus pateretur. Itaque docti quidam ita legendum exiſtimant,

nec tibi earum
Jam rerum deſiderium ſuper incidet una:

alii ſic,

Jam rerum deſiderium inſidet ſuper una:

ut ſit à verbo *inſido.* Verum tamen nihil mutare auſim. Lamb. *Superinſidere* verbum mihi ſatis Lucretianum, hoc eſt, elegantiſſimum videtur. Licet etiam diviſim legere, *ſuper inſidet.* Nam & ita verſ. 931. Ut mirum ſit, cur malint Viri Docti nonnulli *inſidet*, media producta, aut omnino aliquod verbum futuri temporis. Preig.

915. *Dictiſque ſequantur*] Illa dicta incipiunt ab eo verſu: *Tu quidem ut es letho*, &c. uſque, *Illud ab hoc* &c. Faber.

917. *Tu quidem, ut es letho ſopitus*] Sic habent libri manuſcript. & ita legi debet, non, ut eſt in vulgatis, *lecto. letho ſopitus* autem, id eſt mortuus. Lamb.

918. *Cunctis privatus doloribus ægris*] Ita apud Appianum Lib. iv. Civil. Bell. p. 655. Brutus introducitur Caſſium modo interfectum, & ipſum Epicureum, ob feſtinationem quidem incuſans κὶ ἱμα-

At nos horrifico cinefactum te prope buſto
Inſatiabiliter deflebimus, aeternumque
Nulla dies nobis moerorem è pectore demet.
Illud ab hoc igitur quaerendum eſt, quid ſit amari
Tantopere, ad ſomnum ſi res redit, atque quietem,
Cur quiſquam aeterno poſſit tabeſcere luctu?

INTERPRETATIO.

At nos Te in Cineres redactum ſine modo deflebimus, nullaſque dies æternum noſtrum dolorem ſedabit. Igitur ab illo quærendum eſt, ſi mortem perpetuus ſopor & quies ſequatur, unde tantum mali in Morte eſſe poteſt, ut aliquis ſe æterno mœrore maceret?

VARIÆ LECTIONES.

918. Rubrica notatur Y. Deeſt Z. *privatus.* privatque K.
920. *deflebimus.* deflevimus K.
922. *ab hoc.* ob hoc A. mar. *Cr.* P.

NOTÆ.

ἐμακάριζεν ὁμῶ φροντίδων καὶ ἀνοίας ἀπηλλαγμένον, αἳ Βροτὸν ἐς ποῖον ἄγει τέλος ὀδηγοῦσι. i. e. *at e diverſo mactum felicitatis prædicans, qui ſe curis ac moleſtiis exemerit. Quæ me, inquit, ducunt ad neſcio quem exitum.* Hav.

919. *Cinefactum*] Id eſt in cinerem verſum & diſſolutum. ſic Nonius, qui hunc verſum profert. hoc autem dixit homo Romanus ex conſuetudine Romanorum, qui mortuos comburebant, M. Tull. epiſtol. l. 15. *Nos hic D. Syllam patrem mortuum habebamus, alii à latronibus, alii cruditate dicebant, populus non curabat. combuſtum eſſe conſtabat.* Atque hanc tamen conſuetudinem à Græcis aut Barbaris ſumſerant, ut ex iis quæ ſupra diximus non longe, intelligere licet. Lamb.

919. *Buſto*] *Buſtum* (inquit Feſtus) *proprie dicitur locus, in quo mortuus eſt combuſtus, & ſepultus, &c.* Idem ibid. *Sed modo buſta, ſepulcra vocamus.* Lamb.

920. *Deflebimus,*] Libri manuſcripti habent *deflevimus:* quod eo annotavi, ut ſæpe admoneam lectorem, *u* pro *b*, & contra *b* pro *u* in membranis calamo exaratis interdum ſcriptum reperiri. Lamb.

922. *Ab*] *Ob.* Gifan. Gifanius *Ob Hoc*: & forſan melius. Creech.

925. *Hoc etiam faciunt ubi* &c.] Stolidi quidem iſti qui Mortuos inſatiabiliter lugent, Stolidiores vero, qui commeſſationibus indulgentes etiam inter pocula mortis memoriam refricant, quaſi ſiti inexpleta conficiendi eſſent, aut alicujus alius rei deſiderio vexarentur, poſtquam e vita migraverint. Somno ſopiti nihil cupiunt, nec re aliqua indigent, quid igitur ſtulti timeant deſiderium in Morte quæ magis disjicit Animæ Principia quam ſomnus, & eorum motus a ſenſu reddit magis alienos? Creech.

926. *Et inumbrant ora coronis*] Et capitibus imponunt coronas è floribus: quod erat uſitatum veteribus illis Græcis, & Latinis, ut & ex utriſque ſcriptoribus intelligere licet, & nos in comment. Horatianis, aliquot exemplis collectis, oſtendimus. Lamb.

927. *Brevis eſt hic fructus homullis: Jam fuerit*] Mimeſis eorum quæ dicere ſolent homines in poculis. ſic Apollonides l. 2. Epigram. Græc.

> Ἔσσεθ' ὅτ' οὐ πιόμεσθα, πολὺς χρόνος· ἀλλά γ' ἐπείγου,
> Ἡ πολιὴ κροτάφων ἅπτεται ἡμετέρων.

i. e.

> *Tempus erit longum, quo non potabimus: eia*
> *Corripit en nobis tempora canities.*

Plaut. Bacch. 5: 2: 76.

> ——— *non tibi venit in mentem, amabo: ſi dum vivas,*
> *Tibi benefacias, jam pol id quidem eſſe haud perlonginquum?*
> *Neque ſi hoc hodie amiſeris, poſt in morte id eventurum eſſe unquam?*

homillis autem excudendum curavi, non *homullis*,

Hoc etiam faciunt, ubi diſcubuêre, tenentque
Pocula ſæpe homines, & inumbrant ora coronis,
Ex animo ut dicant, Brevis hic eſt fructus homullis:
Jam fuerit, neque poſt unquam revocare licebit.
Tanquam in morte mali cumprimis hoc ſit eorum
Quod ſitis exurat Miſeros, atque arida torreat,
Aut aliæ cujus deſiderium inſideat rei.

Nec

INTERPRETATIO.

Imo Homines cum Genio indulgent, cum diſcumbunt, manu tenent pocula, & Capita coronis velant, ſerio & ex Animo dicunt, Hæc eſt brevis vitæ Hominum voluptas, jam frui licet, poſthac nunquam fas erit revocare, tanquam hoc maximum timerent in Morte malum quod miſeros ſitis arida exureret & torreret, aut alius cujuſvis rei deſiderium ſibi adhæreret:

VARIÆ LECTIONES.

925. *Hoc.* Hæc P. Nec Q.
927. *fructus.* fluctus K. Q. X. *& Margo noſtra, ſed calami vitio judice Salmaſio Ep.* LII. *homullis.* Sic Varro apud Nonium *Marg. n.* homulli F.
928. *Jam fuerit.* Jam fuerint *Cr.*
930. *torreat.* torrat C. E. P. Q. X. terra L. *Gaſſ. codd. P. in not.* Q1.
931. *aliæ.* alia C. E. N. *rei.* res C. E. L. N. Q1.

NOTÆ.

lis, ut habent libri vulgati. nam diminutivum nomen ab *homine*, eſt *homulus*: deinde ab *homulo*, *homulus*, & *homillus*. LAMB. *Homullus*, an, ut potius reor, *homillus* dici debeat, non eſt fortaſſe tanti, ut ſtudioſe quæratur; id enim alii ante nos fecerunt: Sed nemo, quod quidem ſciam, antehac monuit, eſſe in hoc loco graviſſimum peccatum à librarii manu. Legendum enim eſt, ... *Brevis hic eſt fructus homilli.* Primum quia figura ingenioſior ſit & magis morata, [illegible], ſi numerum ſingularem uſurpes; (notum illud ...... *quam totus homuncio nil eſt!*) Dein quia, niſi vera noſtra emendatio eſt, tum ſolœciſmus in oculos involabit. [*Jam fuerit*] alioqui ſcribendum erat [*Jam fuerint*] homilli, ſcilicet. Totius enim loci hæc ſententia eſt: Bene nobis & volupe faciamus; Genium memorem brevis ævi nunc placandi tempus eſt, ſeu corollas ille, ſeu vina, ſermoneſve, ſuaves & molliculas eſcas, aut, ſi quid etiam eſt jucundius, malit. Si neſcis, hæc vera vitæ gaudia ſunt; ſed eheu! quam cito prætervolant! Manum itaque injice: *brevis hic eſt fructus homilli*; horæ momento *fuerit* [id eſt *perierit*, ut, *Fuit ilium*] *neque poſt unquam revocare licebit*:

Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum;
Nec Lethæa valet Theſeus abrumpere caro
Vincula Pirithoo. FABER.

928. *Jam fuerit*] Manifeſto ad fructum, non ad homillum referendum. Adeoque inanis iſte Fabri à ſolœciſmo metus eſt; neque in voce *homullis* mutandum quicquam. PREIG.

930. *Atque arida terra*] Sic habent duo cod. manuſcript. Fabern. & Tettianus. reliqui duo, *arida terrat*: nonnulli vulgati, *arida torrat*: mendoſe. Nam omnino legendum, *arida terra*, ut edidi: non *torrat*, neque *torreat*. LAMB.

930. *Atque arida torreat*] Vulgati: *torrat.* Veteres quidam: *terrat.* Quidam: *terra.* GIF.

930. *Torreat*] *Terra* Lambinus, fruſtra: In ſequenti verſu Alii legunt *Res*, ita enim Veteres. CREECH.

931. *Aut aliæ, quoius deſiderium inſideat res*] Duo cod. manuſcript. habent.

Aut aliæ c. d. inſ. res.

quo modo olim excudendum curavi: neque nunc muto. Memmianus autem, Vaticanus & Ber-

Nec ſibi enim quiſquam tum Se, Vitamque requirit;
Quom pariter Mens & Corpus ſopita quieſcunt:
(Nam licet aeternum per nos ſic eſſe ſoporem.)
Nec deſiderium noſtri nos adtigit ullum:
Et tamen haudquaquam noſtros tunc illa per artus
Longe ab ſenſiferis Primordia motibus errant:

Quin

INTERPRETATIO.

Nemo enim, cum Mens & Corpus ſomno pariter ſopita jacent de ſe ſuaque vita ſolicitus eſt, (licet enim æternus foret ſopor minime ſolliciti eſſemus dum ſomno ſopiti ſumus) neque ullum alicujus rei deſiderium nos afficit: tum tamen Semina Animæ in Corpore agitantur motibus non longe diverſis ab iis qui ſenſum faciunt:

VARIÆ LECTIONES.

932. *requirit.* requiret C. P. X. Y. Z.

934. Hunc verſum ſequenti ſubjungit *Salmaſius. per nos.* nobis *in not.* P. *eſſe ſoporem.* eſſe ſuprema *Salm.*

935. *adtigit.* attigit M. E. adigit A. B. Y. adficit D. adlicit *Turneb.* idigit Q. X.

936. *illa.* ulla P.

NOTÆ.

Bertinian. *rei*, non male. Licet etiam legere *re. Aliæ* autem patrius caſus eſt antiquus, ut notant Diomedes, Soſipater, Priſcianus, & ceteri grammatici. de quo ſupra plura, ad illum locum lib. I: 689.

——— *neque ullæ*
Præterea rei, quæ corpora mit. poſſ. &c.

Jam patrius caſus quintæ declinationis fuit veteribus *es, e, ei, & ii:* ut *dies*, genit. *dies*, vel *diei*, vel *dii.* Ennius 16. Ann.

Poſtremæ longinqua dies confecerit ætas.

Tull. pro P. Sextio: *Equites vero daturos illius dies pœnas.* Virgil. Georg. lib. I. 687.

Libra dii ſomnique pares ubi fecerit horas.

Licet igitur legere hoc loco vel *re*, vel *res*, vel *rei*, ut ſit diſyllabum. *quoius* autem poſitum pro *alicujus*, ut ſit hæc ſententia: aut tanquam aliæ cujuſpiam rei deſiderium inſideat, ac remaneat. Lamb.

931. *Rei*] Ita omnes Veteres fere. In Quibuſdam tamen: *res*; etiam bene. Vide Indicem. Gifan.

932. *Nec ſibi enim quiſquam, &c.*] Salmaſ. Epiſt. LII. verſu ab hoc tertio *ſuprema*, vel, *ſupremo* legit pro, *ſoporem.* Ac totum locum ita concinnat:

Nec ſibi enim quiſquam tum ſe, vitamque requirit,
Cum pariter mens & corpus ſopita quieſcunt
Nec deſiderium noſtri nos adtigit ullum;
Nam licet æternum per nos ſic eſſe ſuprema,

vel: *ſupremo.* Vide & Epiſt. L. Preig.

933. *Cum pariter Mens & Corpus*] Cum dormimus altum & placidum ſomnum. Lamb.

934. *Nam licet æternum per nos*] Nam *licet per nos*, &c. id eſt, non recuſamus, vel non obſtamus, quo minus ita ſit æternus ſopor. ſic locutus eſt, ut cum dicimus, *per me ſtertas licet, per me trahantur pedibus omnes rei:* id eſt non impedio, quo minus ſtertas: non recuſo, quin omnes rei pedibus trahantur. Lamb. Hunc verſum ſequenti ſubjicit *Salmaſius*, & cum in Cod. Gronovii invenerit *Præmo*, pro *Soporem*, legit

Nam licet æternum per nos ſic eſſe Suprema

Per nos, inquit, licet ſic eſſe ſuprema, mortem nempe ipſam, ut eſt ille Somnus: Vel etiam fortaſſe

Sic eſſe Supremo.

Supremo nempe ſopore vel ſomno, ſic licet eſſe per nos æternum, ut & iſto quotidiano quo requieſcimus. Ita laborant illi, quibus nihil placet præter difficiles nugas. Creech.

935. *Nec deſiderium noſtri nos adtigit ullum*] Sic repoſui, cum vulgatorum alii habent *attigit*, alii

Quin conreptus homo ex ſomno ſe conligit ipſe.
Multo igitur mortem minus ad Nos eſſe putandum,
Si minus eſſe poteſt, quam quod nihil eſſe videmus.
Major enim turbae disjectus Materiaï
Conſequitur letho, nec quiſquam expergitus exſtat,
Frigida quem ſemel eſt vitaï pauſa ſecuta.

De-

INTERPRETATIO.

Imo Homo e Somno excitatus ſubito vires ſuas ſenſuſque recolligit. Credendum igitur eſt Mortem multo minus *ad nos eſſe, ſi poteſt eſſe* minus *quam id quod* nihil *eſſe certi ſumus: In morte enim major eſt Diſſipatio Principiorum quam in Somno, nec quiſquam expergiſcitur, cujus Vita frigida morte ſemel interrupta eſt.*

VARIÆ LECTIONES.

938. *Quin.* Quum K. P. X. Y. Z. *conligit.* contigit ipſe D.
939 *putandum.* putandum eſt P. X. Y. Z.
941. *disjectus.* disſectus K.
942. *letho.* lecto *Quidam.*
943. *quem ſemel.* quam ſimul K. i. e. ſimul ac.

NOTÆ.

hi *indigit:* manuſcripti autem, *adigit*, quod depravatum eſt ex *adtigit. adtigit* autem præſentis temporis eſt pro *attingit*, à verbo *tago*, quo utebantur antiqui pro *tango.* Vide Feſtum in verbo *tagit*, & voce *tagax.* ſic Plautus in Epid. 5: 2; 58.

——— *ne attigas.*

& item alibi. mendoſe alii, aut qui *adiget* aut qui *adlicit* ſcribi volunt. LAMB.

935. *Adigit*] Ita veteres libri. In quibuſdam Veteribus: *idigit*; recte etiam. Marullus & Vulgati: *attigit.* Lambinus: *adficit*; nimis longe. Turnebus: *adlicit ullum.* GIFAN.

935. *Attigit*] Ut, *ne me attigas*, Ter. Plaut. FABER.

936. *Et tamen haudquaquam*] Cum dormimus (inquit) noſmetipſos non requirimus, neque vitam noſtram, neque ullo noſtri deſiderio afficimur: & tamen corpora prima, ex quibus animus noſter conſtat, non longe tum aberrant à motibus ſenſiferis, neque tota anima foras ejecta eſt: quin ex ſomno excitamur, & expergiſcimur. Quanto minus mortem ad nos pertinere exiſtimandum eſt, in qua nullus ſenſus remanet? LAMB.

936. *Haudquaquam noſtros tunc illa per artus longe ab*] Nam ſi nimis longe aberrarent, & ſi omnis anima eſſet foras ejecta: tum mortuus eſſet homo,

tumque jaceret
Æterno corpus perfuſum frigore leti,

ut ait lib. 4: 921. LAMB.

940. *Si minus eſſe poteſt, &c.*] Si poteſt eſſe aliquid minus eo quod nihil eſt: quod certe non poteſt. LAMB. Terent. *Cui minus nihilo eſt.* id quod ab Æſchylo eſſe ſcimus. FABER.

941. *Disjectus*] Disjectio, diſſipatio. LAMB.

642. *Conſequitur leto*] Quidam docti legunt, *letum.* libri autem omnes habent *leto.* quod interpretor *in leto*, ſeu *in morte*, vel *per letum.* LAMB.

942. *Expergitus*] *Expergitus* (inquit Feſtus) *ab alio excitatus: quem ſolemus dicere expergefactum.* Lucill.

E ſomno pueros cum mane exſpergitu' clamas.

Diomedes: *Expergiſcor, experrectus: expergor, expergitus.* Arnob. lib. 5. adverſus genteis, princip. *Expergitoſque illos ſtatim perdocuiſſe regem, quibus ad terras malis Jupiter poſſet ſacrificiis elici, &c.* LAMB. Aulus Gellius lib. 6. C. 10. *tum vel maxime juvenis Animos iſta re* expergebat. CREECH.

943. *Frigida quem, &c.*] *Frigida vitæ pauſa,* id

Denique ſi vocem rerum Natura repente
Mittat, & hoc aliquoi noſtrûm ſic increpet ipſa:
Quid tibi tantopere eſt, Mortalis, quod nimis aegris
Luctibus indulges? quid mortem congemis, ac fles?
Nam

INTERPRETATIO.

Denique ſi Rerum Natura *repente vocem emitteret, & Noſtrum aliquem ita objurgaret. Quid Tibi,* O *Mortalis, vis? quid inſano luctui indulges? quid gemis mortem?*

VARIÆ LECTIONES.

946. *tantopere eſt.* tantopere mortalis D.

NOTÆ.

id eſt mors, quæ eſt vitæ interruptio & ceſſatio. Itaque recte dixit *frigidam*, ut ſupra eod. lib. 531.

——— *gelidi veſtigia leti,*

& libro 4: 922.

Æterno corpus perfuſum frigore leti.

ſic Virgil. lib. 4. Æneid. 385.

Et cum frigida mors anima ſecluſerit artus, &c. Lamb.

Forte, *adſecuta eſt*, ita:

Frigida quem ſemel ad vitai pauſa ſecuta eſt. Hav. Virgilius inſeruit operi ſuo & Græca verba, ſed hac licentia largius uſi ſunt Veteres, quippe illi dixerunt, *Pauſam*, *Macharam*, *Aſotiam*, & *Malacen.* Macrobius. Creech.

944. *Denique ſi vocem, &c.*] Προσωποποιΐα Naturæ ad φιλοζώους τε καὶ μισοθανάτους. Gif. Ut magis valeret contra timorem mortis diſputatio, Naturam inducit loquentem, ſuaque argumenta Perſonæ auctoritate ſuſtentat V. 21. Si rebus adverſis uſus fuiſti, (Naturam audis) recede Miſer, & quietem tandem diſce pati: Si proſperis, tum Bonis illis, quæ tam benigne contuli, contentus abi: Nova ne expectes, ut Temporum ſic etiam rerum omnium converſio, Iiſdem ſemper eadem ſuccedunt: ſi vires tuas Senectus nondum confecerit, bona omnia quæ Tibi proponere poſſum percepiſti, Si ſenex ſis, quid eſt quod moraris emori? Creech. Huc reſpexit Seneca, Epiſt. xciii. licet pro fato Stoico verba faciens: *Utrum, obſecro te, æquius judicas, te naturæ, an tibi parere naturam? Quid autem intereſt, quam cito exeas, unde utique exeundum eſt? Non diu vivamus, curandum eſt: ſed ut ſatis. Nam, ut diu vivas, fato opus eſt: ut ſatis, animo. Longa eſt vita, ſi plena eſt. Impletur autem, cum animus ſibi bonum ſuum reddidit, & ad ſe poteſtatem ſuam tranſtulit. Quid illum octoginta anni juvant, per inertiam exacti? Non vixit iſte, ſed in vita moratus eſt; nec ſero mortuus eſt, ſed diu.* Quem locum eo libentius adſcripſi, quod & Nero inter rerum verborumque contumelias, quibus mortuum Claudium inſectatus eſt, *mōrari eum inter homines deſiiſſe*, NB. *producta prima ſyllaba*, *jocabatur*, teſte Suet. cap. xxxiii. En Viri Sapientiſſimi atque optimi tandem aliquando diſcipulum, Neronem. Preig.

945. *Sic increpet*] Uſque ad verſum 963.

Quid reſpondeamus, niſi juſtam, &c. Faber.

946. *Quid tibi tantopere*] Προσωποποιΐα naturæ: id eſt oratio, in qua Lucretius facit naturam cum homine nimium vitæ cupido, mortemque horrente, loquentem, graviſſimaque atque acerrima objurgatione utentem. Sic M. Tull. in Catil. 1. patriam facit loquentem: ſic Plato leges, in Apologia. Lamb.

948. *Nam ſi grata fuit tibi vita, &c.*] Marg. noſter: *Nam gratis fuit tibi vita*; nulla adjecta auctoritate: quæ ſcriptura ſi ex aliquo veteri cod. originem trahat unde trahere tamen veriſimile ſit ex lectionum Pii Bononienſium cognatione, fortaſſe non inutili opera expendetur accuratius. Nam, & *gratis* retineri, & *fuit*, priori producta, locum, ſuum tueri poteſt, modo *u* geminetur, & inde fiat *fuvit.* Sic Turnebus, aſſentiente Lambino, lib. 1. verſ. 387. legendum aſſeruit:

Inter corpora quod fuvat poſſidat inane:

pro *fuat*, quod vel ita, vel in *fiat* mutatum ibi habent libri MSS. Et fortaſſe etiam lib. vi. 532. MSStorum lectio, *fluant*, poſtulat, ut & ibi faciamus:

Omnia

Nam ſi grata fuit tibi vita anteacta, priorque,
Et non omnia pertuſum congeſta quaſi in vas
Commoda perfluxêre, atque ingrata interiêre:
Cur non, ut plenus vitae Conviva, recedis?

Ae-

INTERPRETATIO.

& Te Moriturum eſſe doles? Nam ſi Vita qua uſus fuiſti Tibi jucunda fuerit, ſi non omnia illius bona in Te, veluti in Vas pertuſum infuſa, perfluxerunt, & Te nulla Voluptate afficientia perierunt;

VARIÆ LECTIONES.

948. *Nam ſi grata fuit.* Nam grata fluxit tibi P. Nam gratis P. *not.* Y. Z. *Vide Preigeri Notam.*

NOTÆ.

Omnia quo pacto fluvant quareve creëntur.
Præſertim, quum lib. II. verſ. 463. reperiamus *fluvida*, ejuſdem formæ, & verſ. 465. *fluvidum;* ubi, quod pro vulgato *fluvidum*, Variantes Lectiones *fluvidus* ſubſtituunt, manifeſto ad maſc. *ſudor*, de quo ſermo eſt, referendum ea lege ut particula *quod* cauſalis, non relativa ſit, ibique valeat *quoniam* aut ſimile quid; quemadmodum lib. II. verſ. 1010. e contrario eadem, ex relativa facta cauſalis, neſcio quas turbas dedit. Quod autem ad ſenſum loci hujus attinet, is haud inconcinnus erit: *Nam gratis fuit tibi vita*, &c. id eſt, nullo tuo merito vixiſti; quod vixiſti, gratis tibi conceſſum. Quæ autem ſequuntur: *Et non omnia*, &c. aut ita retineri poterunt, & ſignificabunt: hominem utique, non brutum aliquod animal, aut ſtipitem fuiſſe apud quem commoda iſta omnia ſtatim perfluxerint atque interierint ingrata. Non enim, ut 6: 973.

Sicut amaracinum fugitat ſus, & timet omne
Unguentum,

Ita & homo natus: vel, levi immutatione voculæ *Si* copulam *Et* locum cedere jubebimus. Atque ita totus locus, niſi vehementer fallor, Lucretiano, h. e. arduo illo furore dignis plane verbis, ita ſeſe habebit:

Nam gratis fuvit tibi vita ante acta, priorque.
Si non omnia pertuſum congeſta quaſi in vas
Commoda perfluxere, atque ingrata interiere;
Cur non, &c.

Hæc dum meditor, ingratum neſcio quid deprehendere eadem opera mihi videor in iſtis: *ſi grata fuit tibi vita*, &c. & *non ingrata omnia commoda perfluxere*, &c. PREIG.

949. *Pertuſum congeſta quaſi in vas*] Quod nihil continet, quodque nunquam expletur. infra 1022.

——— *laticem pertuſum congerere in vas*, &c.
LAMB.

Sen. Epiſt. LXXXVII. De impuro quodam, qui multorum hæres fuerat, & multos habuerat hæredes: *Quid ergo? utrum illum pecunia purum effecit, an ipſe pecuniam impuravit? quæ ſic in quoſdam homines, quomodo denarius in cloacam cadit:* Plaut. Act. I. ſc. III. verſ. 135.

In pertuſum ingerimus dicta dolium: operam ludimus.

Seneca iterum, de Morte Claudii, circa fin. *Tum Æacus jubet illum alea ludere, pertuſo fritillo.* Vide in ſacris Haggæum Proph. cap. I. verſ. 6. PREIG.

950. *Atque ingrata inter.*] Et ſi non ingrata interiere. LAMB.

951. *Cur non, ut plenus*] Imitatus eſt hunc locumHorat. ſat. I. lib. I: 117.

Inde fit, ut raro, qui ſe vixiſſe beatum
Dicat, & exacto contentus tempore vitæ
Cedat, uti conviva ſatur, reperire queamus.

Marius (ut refert Plutarchus in Mario) cum annos duos & ſeptuaginta vixiſſet, ſepties conſul primus omnium renuntiatus ac declaratus fuiſſet: ſuam fortunam deplorabat, quaſi à morte occupatus ante quam ea quæ cupiebat, aſſecutus eſſet, quæque cogitabat, perfeciſſet, è vita excederet: tam inexplebilis vitæ cupiditas homines tenet. Melius Plato, qui moriens Genium ſuum, fortunamque ſuam laudabat, primum quod homo, non fera; deinde quod

 Græ-

Aequo animoque capis ſecuram, Stulte, quietem?
Sin ea, quae fructus cumque es, periêre profuſa,
Vitaque in offenſu eſt; cur amplius addere quaeris,
Rurſum quod pereat male, & ingratum occidat omne:
Nec potius vitae finem, facis, atque laboris?
Nam tibi praeterea quod machiner, inveniamque
Quod placeat, nihil eſt: eadem ſunt omnia ſemper.

Si

INTERPRETATIO.

Cur, o Fatue, non recedis, ut Conviva Vita ſaturatus, & lubenti Animo altam ſecuramque quietem capis? Sin ea quæcunque accepiſti, bona profuſa perierunt, & Vita jam Tibi ingrata ſit, cur quæris addere, quod iterum Tibi male pereat, & ſine aliqua jucunditate effluat? Quare non potius Vitæ ſimul & Laboris finem facias? Nulla enim alia bona excogitare aut invenire poſſum,

VARIÆ LECTIONES.

953. *fructus.* functus E. N. P.
954. *offenſu eſt.* offenſoſt C. E. N. P. Y. Z.
955. *male.* mali X. Y. *ingratum occidat.* & ingratum E. accidat P. Q. accidit X.
956. *Nec.* Non D. E. Y. Z. Nunc P. X. *facis.* jacis E. K. X. Y. Z.
957. *inveniamque.* inveniamque eſt O.
958. *placeat.* placet Y. Z.

NOTÆ.

Græcus, non barbarus: poſtremo quod ætate Socratis natus eſſet. Quod tamen reprehendit Lactantius libr. 3. de falſa ſapientia, cap. 19. Lamb. Stat. in Surrentino Pollii:

Quem non in turbine rerum
Deprendet ſuprema dies, ſed abire paratum,
Ac plenum vita. Preig.

Unde & toties in Sacris Libris, *dierum & vitæ plenus*, de felici Patrum obitu. Addique meretur Muſonii apud Stobæum locus, citante Lipſio Manuduct. ad Ph. Stoicam Differt. xxii. *Sicut e domo exigi videmur, cum locator penſione non accepta, fores revellit, tegulas aufert, puteum obſtruit: ita & hoc corpuſculo pelli videor, cum natura, quæ locavit, oculos adimit, aures, manus, pedes. Non moror igitur amplius, ſed veluti e convivio diſcedo, nihil ægreſcens.* Hav.

953. *Sin ea, quæ fructus cumque es*] Id eſt, ſin ea omnia commoda, quæ in vita percepiſti, tibi è memoria effluxerunt, vel te non expleverunt, & vivendo in aliquas offenſiones incurriſti: cur amplius addere quæris? cur vitam producere & prolatare cupis: *fructus* autem excudendum curavi, ſecutus auctoritatem librorum manuſcriptorum, cum in vulgatis legatur *functus*, mendoſe. *fructus ſum* enim præteritum eſt à verbo *fruor*. M. Tull. in Hortenſio: *Et humanitate ſumma perfructus eſt.* Lamb.

954. *Vitaque in offenſu*] Et ſi vita eſt in offenſu, id eſt in offenſione, vel, ut quidam legendum cenſent, *in offenſa*, id eſt ſi in vita offendiſti, & incurriſti in aliquas difficultates, & res adverſas. *in offenſu* autem repoſui, cum in omnibus fere libris *offenſo* reperiſſem, memor perverſæ librariorum illorum conſuetudinis: qui *o* pro *u*, & *u* pro *o* ſcribere ſolebant. Quod ſi legimus *in offenſa' eſt*, *offenſa* accipiendum erit pro *offendiculo*. alii *in offenſo* retinent, minus recte, meo quidem judicio. Lamb.

954. *In offenſo*] Sic omnes Veteres, recte. Gif. *in altera tantum ed.*

957. *Nam tibi præterea quod machiner*] Nam quod tibi præterea excogitem aut fabricer, aut comminiſcar, quod tibi placeat, nihil eſt. *machinari* dixit Latine, pro eo quod Græci μηχανᾶσθαι dicunt. Plato in Gorgia, ἐὰν δ᾽ ἔλθῃ, μηχανητέον ὅπως ἂν διαφύγῃ, καὶ μὴ δῷη δίκην ὁ ἐχθρός: id eſt, *ſi autem venerit in judicium, omnis ineunda*

Si tibi non annis Corpus jam marcet, & artus
Confecti languent: eadem tamen omnia reſtant,
Omnia ſi pergas vivendo vincere ſaecla:
Atque etiam potius, ſi nunquam ſis moriturus.
Quid reſpondeamus, niſi juſtam intendere litem
Naturam? & veram verbis exponere cauſam?
At qui obitum lamentetur miſer amplius aequo,

Non

INTERPRETATIO.

quæ Tibi grata forent, Omnia ſunt ſemper eadem: Si Corpus & Membra tua non languent Senio confecta, Omnia tamen erunt ſemper eadem, ſi multas ætates vivendo ſuperes, & magis ſi nunquam moriturus ſis. Quid huic objurgationi reſpondeamus, niſi Naturam juſtam litem nobis intendere, jureque increpare? illum vero, qui obitum amplius æquo lamentetur

VARIÆ LECTIONES.

961. *pergas.* perges E. N. P. X.
962. Rubrica notatur V. Y. Deeſt Z. ſed injuſte inquit *Creech.*
963. *reſpondeamus.* reſpondemus A. B. C. D. E. N. P. X. Y. Z. *niſi.* ſi K. P. Y. Z.
964. *Naturam.* Natura P. Naturæ P. *not.*

NOTÆ.

da ratio, omniſque machina adhibenda eſt, ut effugiat, & ut ne det pœnas. Idem Apolog. Socr. in extr. Οὔτε γὰρ ἐν δίκῃ, οὔτ' ἐν πολέμῳ, οὔτ' ἐμὲ, οὔτ' ἄλλον οὐδένα δεῖ τοῦτο μηχανᾶσθαι, ὅπως ἀποφεύξεται, πᾶν ποιῶν, θάνατον. id eſt, *Neque enim in judicio, neque in bello; neque me, neque ullum alium hoc oportet machinari, ut omnem rationem expertus mortem effugiat.* Xenoph. Κύρου παιδ. ε. ἐὰν δέ τις ἄρα καὶ βελτίων αὐτοῦ φανῇ, θάῤῥει, ἔφη, ὦ Κῦρε, οὐδέν σε δεήσει τῷ ἀγαθῷ ἀνδρὶ μάχεσθαι, ἀλλ' ἐκεῖνος ἀρκέσει τοῦτο μηχανώμενος, ὡς ἀπολέσῃ τὸν αὑτοῦ βελτίονα. id eſt. *Si quis autem eo melior exſiſtat, bono animo es, Cyre: non erit tibi neceſſe cum viro bono & forti pugnare: ſed ille unus huic rei ſatis erit, omnem ad hanc rem machinam adhibens, ut virum ſe meliorem de medio tollat.* Sic Plaut. Captivis 3: 3: 14.

—— neque jam ſervare ſalus,
Si volt, me poteſt: nec copia eſt, niſi ſi aliquam corde machinor
Aſtutiam. quam, malum? quid machiner? quid comminiſcar miſer.

Polyb. lib. I. οὔτε ἄλλην οὐδεμίαν εὑρέσθαι πρὸς τοῦτο μηχανὴν δυνατόν. id eſt, *neque ullam aliam ad hoc machinam reperire pote.* Lucret. libr. 4: 1112.

Nec reperire, malum id poſſunt quæ machina vincat. LAMB.

958. *Eadem ſunt omnia ſemper*] Facetiſſimus exſtat apud Lucian. Menippi & Chironis dialogus, in quo Chiron interrogatus à Menippo, quamobrem, cum ei immortali eſſe liceret, mori maluerit, reſpondet, perpetuum rerum tenorem, & ſimilia omnia ſuo tempore viciſſim recurrentia, vitæ ſatietatem ſibi peperiſſe. LAMB.

862. *Atque etiam potius*] Hunc verſum quidam improbe rejiciunt. CREECH.

963. *Quid reſpondeamus*] Omnes quidem libri tum manuſcripti, tum typis excuſi habent, *reſpondemus*: ſed videtur legendum vel,

Quid reſpondeamus,

ut *e* & *a* cooleſcant in unam ſyllabam; vel,

Quid reſponderimus,

in præterito conjunctivi. Sic ſupra lib. 2: 900.

Conciliantur ita, ut debeant animalia gigni. LAMB.

963. *Reſpondemus*] Forte: *reſpondeamus*: ut ſupra, verſ. 930. GIFAN. Lucian. de Luctu; pag. m. 436. πρὸς Διὸς δὲ ἂν λέγῃ ταῦτα ὁ νεκρὸς ἐπιστραφεὶς ἀνακλίνας αὑτὸν ἐπ' ἀγκῶνος, οὐκ ἂν οἰόμεθα δικαιότατα ἂν αὐτὸν εἰπεῖν; PREIG.

965. *At qui obitum lamentetur miſer*] Id eſt, At, qui, cum ſit valde miſer, mortem tamen lamentetur, nonne magis eum increpet atque ob-

Non merito inclamet magis, & voce increpet acri?
Aufer ab hinc lacrymas, Barathre, & compeſce querelas.
Grandior hic vero ſi jam, Seniorque queratur:
Omnia perfructus vitai praemia, marces?
Sed quia ſemper aves, quod abeſt, praeſentia temnis,

Im-

INTERPRETATIO.

nonne merito acrius objurget, & voce vehementi increpet? Stulte, aufer abhinc Lacrymas, & quæſtus tuos reprime. At ſi ætate provectus & ſenex quæratur, Quid Tu qui uſus es omnibus vitæ Bonis tandem doles? Sed quia ſemper deſideras abſentes voluptates, præſentes contemnis;

VARIÆ LECTIONES.

966. *Non.* Num P.

967. *Barathre.* Sic ex V. X. Y. Z. barde, & A. B. D. P. bande c. barathro *Alii.*

969. *perfructus.* perfunctus N. P. Y. Z. *marces.* merces K. mœres *Alter.* martes *Vet. Cod.* & Q.

NOTÆ.

objurget, qui mortem, miſeriæ ſuæ portum, fugiat? Lamb. Modo Natura mitius egit cum Vitæ cupidis, jam omnes immodeſte appetentes, & præſertim Senes v. 26. acrius caſtigat: Singulis hominibus, ut in Scena, ſuæ ſunt partes, Nec immodeſtius Perſona, qui nihil agat, quam Senex in hac vita moratur. Abi Fatue, Aliis concede locum, nihil habes quod amplius agas, ideoque agas Animam. Quid horres? Quies alta & ſopor æternus Te manet; Quid Sedes infernas, & pœnas poſt Mortem? Fabulas times, Poëtarum figmenta iſta nihil quidem veri in ſe continent, & jam vivi patiuntur Homines mala, quæ futura inepte metuunt. Creech.

967. *Aufer ab hinc lacrumas barde,*] Ita in Veteribus noſtris. In quibuſdam Veteribus: *Baratte, Baratre, baratro:* ex mala pronuntiatione. Ut ex *delibo. delibero*: Ex *nigro, nigero,* &c. *Barde,* ſtulte. Ut modo: *ſtulte, quietem.* Forte etiam: *barathro.* Vide Indicem. Gifan.

967. *Aufer abhinc lacrymas, Barathro*] *Barathro,* id eſt homo inſatiabiliſſime, atque avidiſſime. ſenem enim (ut quidam volunt) alloquitur. itaque verſus, cujus initium eſt *Grandior,* debet collocari ante verſum,

Aufer ab hinc lacrymas, &c.

ut illi cenſent. à quibus diſſentio; & *barathro,* ſeu, *barathre,* interpretor *homo barathro digne.* Reperio enim in Thomæ magiſtri lexico, *βάραθρος ἀρσενικῶς, ὁ βαράθρου ἄξιος ἄνθρωπος*: id eſt, *barathrus in genere maſculino, homo barathro dignus.* Secutus ſum autem hic libros manuſcriptos, qui partim habent *barathre*, partim *barathro:* quibuſcum conſentiunt nonnulli typis excuſi, vulgati autem habent *barde.* Jam *bardus* idem valet quod *ſtultus & ingenio tardus*, ut docent Feſtus, & Nonius. & auctor vocabularii Latinogræci, mihi à Cl. Puteano commodati, *Bardus*, inquit, id eſt, *ἀναίσθητος, βραδὺς, ἄφρων.* quæ nomina Latine reddita valent *ſenſus expers, tardus, amens.* Sed ego hoc loco *barathro*, aut *barathre*, legendum puto. Et fortaſſis apud Horat. 1. Sat. 2: 2. legendum,

Mendici, mimæ, barathrones, hoc genus omne.

Sed nihil mutandum eſt apud Horatium. Nam *balathrones* dicti ſunt à *barathrone*, aut *barathro* propter affinitatem liquidarum *l* & *r*: ut contra *parma* à *palma* dicta eſt. Atque hæc eſt Turnebi noſtri ſententia: cui aſſentior. In hoc loco autem, ut ad Lucretium redeam, *barde* nullo modo probo, natumque puto ex voce *barathre*, aut *barathro*, non intellecta. Lamb.

967. *Barathro*] Qui barathro dignus es. Videndus Ariſtophanis Scholiaſtes duobus locis. In al. edit. legitur *barde*, id eſt *ſtulte*; *bardus*, *βραδύς*. Faber. Apud Ammonium Moſchopulum, & alios Grammaticos invenies, *Βάραθρος. ὄρυγμά τι εἰς ὃ τοὺς κακούργους ἐνέβαλον: ἀπὸ τούτου λέγεται καὶ ἄνθρωπος Βάραθρος, ὁ ὀλέθρου ἄξιος.* Alii tamen *Barde*, id eſt, Stulte, Fatue, Alii *Baro:* qua voce

Imperfecta tibi elapſa eſt, ingrataque vita,
Et nec-opinanti Mors ad caput adſtitit ante
Quam ſatur, ac plenus poſſis diſcedere rerum.
Nunc aliena tua tamen aetate omnia mitte,
Aequo animoque, agedum, jam aliis concede: neceſſe eſt.
Jure (ut opinor) agat, jure increpet, inciletque,

Ce-

INTERPRETATIO.

Vita nondum omnes jucunditates quas cupiebas Tibi afferens Te fugit, & inopinanti Tibi Mors ad Tuum caput adſtitit antequam expletus & ſaturatus Voluptatibus æquo Animo e vita excedas: Jam vero mitte omnia quæ ætati tuæ non conveniunt, Agedum, jam lubenti Animo Aliis cede; neceſſe eſt. Jure, ut opinor, Rerum Natura *cum illo agat, jure increpet, & objurget:*

VARIÆ LECTIONES.

971. *Imperfecta.* Imperfecte X. Y. Z.
974. *mitte.* amitte K.
975. *agedum.* agendum Y. Z. *jam aliis.* magnis Y. Z. *eſt.* delet Z.
976. *inciletque. incilietque* Quidam inter impreſſ. vitioſe.

NOTÆ.

ce utitur *Tullius de Divinat:* lib. 2. & *Perſius* Sat. 5. *Heinſius* autem ad tertiam Elegiam tertii lib. Amorum Ovidii

Aufer, abi, hinc lachrymas, Balathro, *& compeſce* &c.

Balatronem autem videntur Veteres ſumſiſſe pro Homine nihili & nugaci, quo ſignificatu etiam apud Varronem occurrit lib. 2. de *re ruſtica*: vid. etiam Feſtum in *Balatrones.* CREECH. MSS. noſtri (quos ſecuti ſumus, Voſſio conſentiente ad Catullum p. 320. & 321.) *Barathre*, quod etiam magis Turnebo Adv. lib. 30. cap. 26. placet, qui addit, ut ὄλεθρος Græcis pro adjectione uſurpatur, cum ſit vocabulum appellationis, ſic *Barathrum* dici qui barathro dignus ſit. HAV.

968. *Grandior hic vero, &c.*] Si quis vero natu grandior queratur, quod ſibi ſit moriendum, ſic eum increpabit natura:

Omnia perfructus vitaï præmia, marces,

id eſt omnibus vitæ præmiis perceptis, atque in vita degenda abunde guſtatis, jam ætate confectus es. quare moriendum tibi æquo animo eſt. *perfructus* autem legendum, non *perfunctus*, à verbo *perfruor*, ut ſup. diximus. Cum his congruunt illa Eurip. in Alceſt.

Μάτην ἄρ' οἱ γέροντες εὔχονται θανεῖν,
Γῆρας ψέγοντες, καὶ μακρὸν χρόνον βίου.
Ἢν δ' ἐγγὺς ἔλθῃ θάνατος, οὐδεὶς βούλεται
Θνήσκειν, τὸ γῆρας δ' οὐκ ἔτ' ἔστ' αὐτοῖς βαρύ.

id eſt, *Fruſtra igitur ſenes optant mori, Senectutem vituperantes, & longum tempus vitæ. Quod ſi prope accedat mors, nemo vult mori: Senectus autem non amplius eſt eis gravis.* LAMB.

968. *Quæratur*] Subaudi, Ei homini dicet natura, *Omnia perfunctus vitai*, &c. LAMB.

969. *Marces*] Forte legendum: *mæres?* Quidam libri: *martes.* GIFAN.

970. *Quod abeſt*] Videlicet futurum. LAMB.

971. *Ingrataque vita*] Et non grata, neque tibi ſatisfaciens. LAMB.

972. *Ante, quam ſatur*] Horat. ſatyra, quam ſupra memoravimus, 1: 1: 119.

Cedat uti conviva ſatur. LAMB.

974. *Nunc aliena tamen*] Sic Horat. epiſt. 2. lib. 2: 213. in extrem.

Vivere ſi recte neſcis, decede peritis.
Luſiſti ſatis, ediſti ſatis, atque bibiſti:
Tempus abire tibi eſt, &c.

Attende autem, eum junxiſſe hîc vocem *aliena* cum auferendi caſu: qua de re ſupra, ibi, *aliena ſalutis.* LAMB. Terent. in Adelph. 1. 11: 30.

Allieniore ætate poſt faceret tamen. PREIG.

An *magnis*, quod in MSS. eſt, dictum ut *peritis* modo apud Horat. HAV.

976. *Jure (ut opinor) agat*] Jure tecum ſic loquatur: vel jure tibi hanc litem intendat. LAMB.

976. *Inciletque*] *Incilare eſt increpare, vel improbare, atque incuſare*, inquit Feſtus. Attius Me-

lea-

Cedit enim rerum novitate extruſa vetuſtas;
Semper, & ex aliis aliud reparare neceſſe eſt:
Nec quidquam in barathrum, nec tartara decidit atra.
Materies opus eſt, ut creſcant poſtera ſaecla:

Quæ

INTERPRETATIO.

Veteres enim res novis ſupervenientibus cedant neceſſe eſt, & aliæ res ex aliis reparari debent: Nec quidquam Tui ad inferos deſcendit, Opus enim materia eſt e qua res futuræ fiant & augeantur;

VARIÆ LECTIONES.

979. *quidquam.* quiſquam C. E. N. Y. Z. *decidit.* deditur A. B. C. D. E. N. P. Q. Y. Z.

NOTÆ.

leagro: *Quique non me ſpernens, incilans probris, ſermone indecorans, turpi fama differret.* Pacuvius Duloreſte:

Si quis hac me oratione incilet, quid reſpondeam?

Lucillius:

Nunc Cai quoniam incilans nos lædi viciſſim. LAMB. Intra parentheſin concludendus hic verſus: *Incilare* autem ſignificat reprehendo, arguo, increpo. FABER.

977. *Cedit enim rerum novitate*] Sic Horat. epiſt. ad Piſon. vſ. 60.

Ut ſilvæ foliis pronos mutantur in annos, &c.

ad quem locum lege, ſi vacas, quæ annotavimus. LAMB. Nam, uti apud Ovidium Pythagoras Met. 15: 252.

———— *Rerumque novatrix*
Ex aliis alias repetit Natura figuras.
Nec perit in tanto quidquam (mihi credite) mundo;
Sed variat, faciemque novat: naſcique vocatur,
Incipere eſſe aliud, quam quod fuit ante; morique,
Deſinere illud idem. Cum ſint huc forſitan illa,
Hæc tranſlata illuc; ſumma tamen omnia conſtant. HAV.

979. *Nec quicquam*] Id eſt, nec quicquam in nihilum interit, ut docuit lib. 1: 216. ſed omnia reſolvuntur, & revertuntur in corpora prima.

Huc accedit uti quæque in ſua corpora rurſum
Diſſolvat natura, neque ad nihilum interimat res.
LAMB.

979. *Decidit atra*] Ad oram libri Bertin. adſcriptum erat à neſcio quo emendatore, *decidit:* in ipſo contextu ſcriptum *dedit:* in uno alio manuſcripto integrum ineſt *decidit:* in vulgatis *deditur.* quod ut non damno, ita *decidit* magis probo. LAMB. Quidam agnoſcunt *Deditur*, & v. 982.

Quam Tu pro *Quam nunc*, legunt. Gifanius,

Nec minus ergo ante hæc quam cecidere cadentque.
CREECH.

979. *Deditur*] Veteres quidam: *decidit.* GIF.

980. *Materies opus eſt*] Sic ſupra libro 2: 814. locutus eſt:

Scire licet nil principiis opus eſſe colores.

M. Tull. epiſt. ad Curion. lib. 2. *Dux nobis & auctor opus eſt, & eorum ventorum, quos propoſui moderator quidam, & quaſi gubernator.* Sic lib. 4: 1263.

Nec motus opus ſunt noſtris uxoribus hilum.

& item alibi. LAMB.

981. *Quæ tamen omnia, &c.*] Quæ tamen omnia ubi vita defuncta fuerint, te ſequentur, & morientur, ut tu. LAMB.

982. *Nec minus ergo ante, hæc quam cecidere*] Sic Veteres noſtri; optime. Marullus: *quam te.* In Veteribus quibuſdam: *quam tunc.* In aliis quibuſdam Veteribus: *quam nunc.* In Aliis: *quam tu;* omnia male. O non exteritur in, *ergo.* GIFAN.

982. *Nec minus ergo ante hac, quam nunc*] Hic verſus varie reperitur & ſcriptus & impreſſus in codicibus. alii enim habent,

quam nunc cecidere,

ut excudendum curavi; alii, *quam tu;* alii, *quam tunc;* alii, *quam cecidere:* ut facile appareat, mendum ſubeſſe in particula *tunc*, aut *nunc*. ego *tunc* non probo. *tu*, aut *nunc* legendum cenſeo, ita tamen ut, ſi legamus *quam nunc*, videatur legendum *antehac:* ſi, *quam tu*, *ante hæc*: quorum utrum ſit melius, judicet lector. ſententia quidem utriuſque lectionis plana eſt: & codices tres ma-

nu-

Quae tamen omnia Te vita perfuncta ſequentur.
Nec minus ergo ante haec, quam nunc, cecidêre, cadentque.
Sic alid ex alio nunquam deſiſtet oriri,

Vi-

INTERPRETATIO.

Quæ tamen omnes res vita peracta brevi Te ſequentur, olim ante Te perierunt, & poſt Te peribunt: Atque ita res alia nunquam ceſſat oriri ex alia,

VARIÆ LECTIONES.

982. *ante hæc.* ante hac L. *quam nunc.* quam tunc C. quam tum P. tu D. E. K. Q1. Y. Z. te M.

983. *deſiſtet.* deſiſtat K. deceſſit D.

NOTÆ.

nuſcripti habent, *quam tu:* reliqui duo, & aliquot vulgati omnium emendatiſſimi, *quam nunc:* quos nunc ſequor. cujus mei facti hanc rationem afferre, ſimulque hujus lectionis ſententiam ſic explicare poſſum: Nec minus hæc, è quibus tu nunc conſtas. antea cecidere, nempe cum id quod erat ex his concretum, interiit: nec minus cadent poſthac, cum ſcilicet id quod ex iiſdem conflatum erit, interibit: quam nunc cadunt, cum moreris. Horat. hunc locum mutuatus eſt epiſt. ad Piſones vſ. 70.

Multa renaſcentur, quæ nunc cecidere, cadentque,
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus.

Cum in prima editione lectionem alteram ſecutus eſſem,

quam tu cecidere:

ſuperioraque illa omnia fere ita ſcripſiſſem, hoc excepto, Thraſo legendum cenſuit magno ſupercilio,

Nec minus ergo ante hæc, quam cecidere.

Et vero hæc notans, in *ergo* (inquit) *o* non eliditur. O, quem te appellem, neſcio. non enim ullum nomen tuo ſtupore, tuaque confidentia dignum reperio. Non te talium portentorum pudet, homo omnium mortalium impudentiſſime? Lamb.

983. *Sic alid*] *alid* pro *aliud* ab antiquo nominativo *alis.* de quo ſup. ad illum verſum lib. 1: 264.

Quando alid ex alio reficit natura, nec ullam, &c. Lamb.

983. *Deſiſtet*] Sic habent libri manuſcr. & aliquot typis impreſſi. Lamb.

984. *Vitaque mancupio nulli datur*] Id eſt, nulli datur vitæ proprietas, ſed uſus, aut uſus fructus tantum. *mancipium* ſeu *mancupium* idem ſignificabat apud veteres, quod à poſterioribus juriſconſultis dominium appellatum eſt: dictumque eſt à manu capiendo. Itaque mancipio ea accepiſſe dicimur, quorum dominium nobis quæſitum eſt, ſeu quorum domini ſumus per abalienationem aliquam, videlicet per emtionem, lege mancipi ſervata, aut per donationem, aut per in jure ceſſionem: & *res mancipi* dicuntur, quarum dominium ab alio in alium transferri poteſt, quæque alienari poſſunt: & *mancipio dare*, eſt rem mancipi, puta, fundum, domum, equum, ſervum, alienare per traditionem ita ut præſtare debeas emtori: aut per in jure ceſſionem. M. Tull. Topic. *Finge mancipio aliquem dediſſe id quod mancipio dari non poteſt: num iccirco id ejus factum eſt, qui accepit? aut num is, qui mancipio dedit, ob eam rem ſe ulla re obligavit?* M. Curius ad Cic. lib. 7. epiſt. *Sum enim* χρήσει μὲν (id eſt *uſu quidem*) *tuus:* κτήσει δὲ (id eſt *poſſeſſione & mancipio*) *Attici noſtri. Ergo fructus eſt tuus: mancipium vero illius*, M. Tull. ad Cur. eod. lib. *Attici quin proprium te eſſe dicis mancipio & nexu, meum autem uſu & fructu, contentus iſto ſum. Id enim cujuſque proprium eſt, quo quiſque fruitur, atque utitur.* Plautus Curculione 4: 2: 8,

Quis tibi hanc dedit mancupio? aut unde emiſti? fac ſciam.

Arnob. lib. 2. *Quam ſi ſentiunt animæ, & tactui ejus atque incurſionibus cedunt, uſu & fructu illis eſt vita, non mancipio tradita.* Cum his congruunt illa M. Tull. libr. 1. Tuſc. quæſt. *At ea quidem* (natura) *dedit uſuram vitæ, tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die.* Lamb. Lucil. apud Nonium,

Cetera contemnit, & in uſura omnia ponit
Non magnâ; proprium vero nil neminem habere.

Ll ll Do-

Vitaque mancupio nulli datur, omnibus uſu.
Reſpice item quam nil ad Nos anteacta vetuſtas
Temporis aeterni fuerit, quam naſcimur ante.
Hoc igitur ſpeculum nobis Natura futuri
Temporis exponit poſt mortem denique noſtram:
Num quid ibi horribile apparet? num triſte videtur
Quidquam? nonne omni ſomno ſecurius exſtat?
Atque ea nimirum, quaecunque Acherunte profundo
Pro-

INTERPRETATIO.

Vitaque nulli datur mancipio, uſu omnibus. Conſidera quam nihil ad Nos fuit Tempus illud æternum, quod ante Nos natos effluxit, & in hoc intueri potes quam nihil ad Nos tempus poſt mortem noſtram futurum. An quid poſt Mortem horribile apparet? Num triſte aliquid videtur? nonne omni ſomno Major altiorque quies? Ea etiam omnia quæ dicuntur apud Inferos cruciare.

VARIÆ LECTIONES.

990. *nonne.* non Q1. Y. Z.
991. *Atque.* Atqui E. M. *ea nimirum, quæcunque.* animarum etiam quæcunque Acheronte E. N. P. Q. Atque ea nimirum P. *in not.*

NOTÆ.

Dominium & proprietas, mancupium eſt. Vide Sigonium & juris interpretes. Faber.

985. *Reſpice*] Retro aſpice tempus præteritum. Lamb.

986. *Quam naſcimur ante.*] Ante quam naſcimur. Lamb.

987. *Hoc igitur ſpeculum*] Ut, quemadmodum præteritum tempus, quo non fuimus, nihil ad nos pertinet, ita neque futurum, quo non erimus, quicquam nos attingat. Lamb.

988. *Exponit*] Proponit, foris ponit, & expromit. Lamb.

988. *Poſt mortem denique*] Hæc conjunctè lego cum ſuperioribus. Lamb.

989. *Num quid ibi, &c.*] Ibi, nempe in tempore præterito, quo non fuimus. Lamb. In tempore præterito, *Lambinus:* Alii, in tempore poſt mortem futuro. Creech.

991. *Atque ea nimirum*] Hic verſus erat depravatus in omnibus libris impreſſis, in quibus ita legitur,

Atqui animarum etiam, quæcumque Acherunte profundo.

integer & incorruptus in tribus codicibus manuſcriptis; quos ſecuti ſumus. accedit Priſcianus, qui libro primo hunc verſum ita legit:

Atque ea nimirum quæcunque Acherunte profundo,

ubi docet *Acherunte*, legendum per *u*, non *Acheronte* per *o*: idque more veterum. Nunc Lucretii ſententiam explicemus. Atque ea (inquit Lucret.) omnia quæ poëtæ prodiderunt eſſe apud inferos, Tantali, Tityi, Siſyphi, Danaidum pœnæ, Cerberus, Furiæ, Tartarus, &c. ſunt nobis in vita, noſque vivos exercent, lacerant, excruciant, exterrent, fodicant. Ad hunc locum pertinent, quæ ſcribit Servius ad illum verſum,

Cernere erat, per tota novem, &c.

lib. 6. Æneid. 596. his verbis: *Sane de his omnibus rebus mire reddidit rationem Lucretius, & confirmat, in noſtra eſſe vita omnia, quæ finguntur de inferis. dicit enim, Tityon amorem eſſe, hoc eſt libidinem: quæ ſecundum phyſicos & medicos in jecore eſt, ut riſus in ſplene, iracundia in felle, &c.* Lamb. Ut Mortis metum Hominum Animis penitus evelleret v. 46. Poëtarum fabulas, de Tantalo v. 6. de Tityo v. 11. de Siſypho v. 8. de filiabus Danai v. 8. de Cerbero, Furiis, & lacu Sulphuris v. 13. commode explicat & illuſtrat: Quippe iſtæ fa-

Prodita ſunt eſſe, in vita ſunt omnia nobis.
Nec miſer impendens magnum timet aëre ſaxum
Tantalus, ut fama eſt, caſſa formidine torpens:
Sed magis in vita Divôm metus urget inanis
Mortaleis, caſumque timent, quemcunque ferat Fors.
  Nec Tityon Volucres ineunt Acherunte jacentem,
Nec, quod ſub magno ſcrutentur pectore, quidquam
Perpetuam aetatem poterunt reperire profecto,

INTERPRETATIO.

Nobis hanc vitam degentibus contingunt. Nec, ut Poëtæ narrant, infælix Tantalus metuit ingens ſaxum in Aëre pendens, vano metu torpens: Sed potius in hac vita inanis & ineptus Deorum timor Homines premit, & caſum, quemcunque Fortuna ferat, metuunt: Nec Vultures fodiunt Tityum Acherunte jacentem, nec profecto invenire poſſunt aliquid quod per omne ævum in ingenti illius pectore lacerarent,

VARIÆ LECTIONES.

996. *quemcumque.* quem cuique E. V. P. X. Y. Z.
998. *Nec, quod.* Nec quoi A. B. Nec qui C. P. Nec quid Q. X. Y. Z.
999. *poterunt.* poſſent A. B. D. I. poſſunt K. M. Y. Z.

NOTÆ.

fabulæ narrantur de vivis. Superſtitioſus eſt Tantalus; Tityus vero ille qui fœda Libidine captus, & victus ducitur: Siſyphus repræſentat illum qui imperia & Magiſtratus impotenter ambit, nec unquam eſt voti compos. Filiæ Danai ſunt Cupidi, & inſatiabiliter avari. Cerberum autem, Furias, & id genus reliqua inter Carnifices requiras; ſeu potius in ipſa, maximo iſto Tortore, Impiorum Conſcientia. Creech.

991. *Atque*] Ita omnes Veteres. Marullus: *Atqui.* Et ita Vulgati, male. Gifan.

993. *Nec miſer impendens*] Eurip. Oreſte:

Κορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον
Ἀέρι ποτᾶται, καὶ τίνει ταύτην δίκην.

Sed apud Homer. alia pœna Tantalus afficitur: quam Horatius attigit ſat. 1. lib. 1: 68.

Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
Flumina.

M. Tull. Tuſcul. quæſt. lib. 1. ex vetere aliquo Poëta:

Mento ſummam aquam attingens, ſiti enectus Tantalus. Lamb.

994. *Caſſa formidine*] Inani metu. Lamb.

996. *Caſumque*] Luſus quidem & Scomma in iſta voce, & *Caſus* Saxum impendens & Caſurum reſpicit: iſte luſus forſan puerilis, ſed maximi viri ingenio nonnunquam abutuntur. Creech.

996. *Quemcumque ferat fors*] Ita legi debet: & ita ſcriptum eſt in libris antiquis, nam vulgati mendoſe habent,

Quem cuique ferat fors. Lamb.

997. *Nec Tityon volucres*] Horat. od. 4. lib. 3: 77.

Incontinentis nec Tityi jecur
Relinquit ales nequitiæ additus
Cuſtos. Lamb.

997. *Jacentem*] Porrectum, projectum. Lamb.

998. *Nec, quoi ſub magno*] In quibuſdam libris: *quod.* In Aliis: *qui.* Ex iis feci, *quoi.* Ut ſupra, 1: 593. & 617. Quidam libri: *Ne quid.* Gifan.

998. *Nec quod ſub magno*] Nec certe poſſent, aut poſſint perpetuo reperire quicquam, quod ſub Tityi pectore ſcrutentur, & paſcantur. *quoi* autem, quod vult Zoilus, ferri non poteſt. Lamb.

999. *Poſſent*] Ita veteres libri. Marullus: *poſſunt.* Lambinus: *poterunt.* Gifan.

Quamlibet immani projectu Corporis exſtet,
Qui non ſola novem diſpenſis jugera membris
Obtineat, ſed qui Terraï totius orbem:
Non tamen aeternum poterit perferre dolorem,
Nec praebere cibum proprio de corpore ſemper:
Sed Tityos nobis Hic eſt, in amore jacentem

Quem

INTERPRETATIO.

Licet maxima foret illius Corporis moles, imo tanta, ut non ſolum novem jugera extenſis ſuis membris occuparet, ſed totius Terræ orbem. Nec tamen æternum dolorem ferre poterit, nec ſuo de Corpore alimentum iſtis volucribus in perpetuum præbere; Sed ille eſt Tityus, quem proſtratum Amore

VARIÆ LECTIONES.

1001. *diſpenſis.* diſperſis A. B. C. D. I. N. P. X. Y. Z. diſtentis *Alii.*

NOTÆ.

1000. *Quamlibet immani, &c.*] Id eſt, quantumvis magnum terræ ſpatium ſuo corpore occupet, de quo ſic Virgil. 6: 596.

——— *per tota novem cui jugera corpus*
Porrigitur: roſtroque immanis vultur adunco
Immortale jecur tondens, fœcundaque pœnis
Viſcera, &c. Lamb.

1000. *Projectu*] Ad hæc verba Virgilii Æn. 3: 699.

——— ——— Projectaque *ſaxa Pachini*
Radimus:

Projecta ſi ſecundum conſuetudinem dicatur, intelligitur *Abjecta*: Si ſecundum Veteres *Projecta* porro jacta, ut alibi ait Æn. 10: 587.

——— Projecto *dum pede lævo*
Aptat ſe pugnæ ——— Macrobius, Satur. lib. 6. Cap. 4. Fruſtra vero hæc, nec ad Veteres fugiendum; Livius lib. 22. Cap. 20. *Nec Continentis modo* projectas *oras præter vecta.* Creech.

1001. *Qui non ſola novem* &c.] Nota Tityi moles

Viſcera præbebat Tityus lanianda, novemque
Jugeribus diſtractus erat: Ovidius Met. 4: 457.
Per tota novem cui jugera Corpus
Porrigitur: Virgilius 6: 596. Creech.

1101. *Diſpenſis*] Hoc eſt, diſpanſis, & diſtentis, à verbo *diſpando*: ſic autem legendum cenſet Turnebus (Adv. l. 22. cap. 19. ubi tamen *diſpeſſis* legitur) cum libri vulgati habent *diſperſis.* Lamb. *Diſpenſis* legas an *diſpanſis*, non magnopere certandum putem. Sed *diſperſis*, quod alii prætulerunt, plane damnandum putem. Faber. Alii *Diſperſis*, imperite. Creech. Ita Turneb. xxii. Adv. cap. 19. malebat, quam *diſperſis.* Sed non niſi tanquam conjectarium & arbitrarium accipi volebat. Secutus eum Lambinus eſt. Apud Turneb. etiam l. c. legimus:

Quod non ſola novem, &c. Preig.

1002. *Obtineat*] Quidam Veteres: *Optineat*, antiquo more. Gifan.

1005. *Sed Tityus nobis*] Amator (inquit) Tityus eſt. lege Macrob. lib. 1. cap. 10. in ſomn. Scip. de inferorum pœnis. Lamb. Adde etiam Servii notam ad Virgil. 6: 596. *Sane de his omnibus* (inquit) *rebus mire reddit rationem Lucretius: & confirmat in noſtra vita eſſe omnia quæ finguntur de Inferis. Dicit enim Tityon amorem eſſe, hoc eſt libidinem: quæ ſecundum Phyſicos & Medicos in jecore eſt: ſicut riſus in ſplene, iracundia in felle. Unde etiam exeſum à vulture dicitur renaſci: etenem libidini non ſatisfit, re ſemel peracta, ſed recrudeſcit ſemper: unde ait Horatius* (Od. 4: 3: 77.) *Incontinentis aut Tityi jecur. Ipſe etiam Lucretius dicit per eos, ſuper quos jamjam caſurus imminet lapis, ſuperſtitioſos ſignificari: qui inaniter ſemper verentur: & de Diis, & cælo, & locis ſuperioribus male opinantur. Nam religioſi ſunt, qui per reverentiam timent. Per eos autem, qui ſaxum volvunt, ambitum vult & repulſam ſignificari: quia ſemel repulſi petitores ambire non deſinunt. Per rotam autem oſtendit negotiatores, qui ſemper tempeſtatibus turbinibuſque volvuntur.* Hav.

1006. *Anxius angor*] *Anxius angor* ſic dictum,

Quem volucres lacerant, atque exeſt anxius angor;
Aut alia quavis ſcindunt cuppedine curae.
Siſyphus in vita quoque nobis ante oculos eſt,
Qui petere à populo faſceis, ſaevaſque ſecureis
Imbibit; & ſemper victus, triſtiſque recedit:

Nam

INTERPRETATIO.

volucres lacerant, & acris penetranſque anxietas exedit, aut alia quacunque cupiditate curæ ſcindunt. Ille etiam Siſyphus ante oculos noſtros in hac vita verſatur, qui ſibi penitus induxit in animum Faſces ſævaſque ſecures (poteſtatem & imperium) a Populo petere, rejectus tamen ſemper recedit, & triſtis:

VARIÆ LECTIONES.

1007. *cuppedine.* torpedine A. B. C. P. turpedine E. N. Q. V. X. Y.
1010. *triſtiſque.* triſtique K.

NOTÆ.

ctum, ut illud, *ſonitu ſonanti*, lib. 1: 826. LAMB.

1007. *Torpedine*] Ita Veteres noſtri, & aliorum fere. In quibuſdam Veteribus: *cuppedine*; quod irrepſiſſe puto ex aliis locis, infra lib. v. & vi. Vide Indicem: *Cuppedo.* Similia vide ſupra, verſ. 742. Contra, Marullus ex hoc loco mutarat infra, lib. v. & vi. *torpedine*, pro *cuppedine* ſuppoſito. GIFAN.

1007. *Cuppedine curæ*] Codex Vatic. Memm. & Bertinian. habent, *cuppedine curæ*, quos ſecutus ſum, alii & plerique Vulgati, *torpedine curæ.* Quod autem Thraſones quidam audent dicere, Marullum ex hoc loco *torpedine*, pro *cuppedine*, ſuppoſuiſſe, lib. 5: 46. & lib. 6: 24. hoc ego eum puto, ut multa alia, in virum doctiſſimum & clariſſimum ementiri. LAMB: Illud *torpedine*, ne quid diſſimulem, non exprimit ſententiam quam deſidero, & quam velle videbatur Poëta eloqui. Scio equidem dici poſſe anxiam ejus animo perpetuo inhærere curam, quæ vulture, ejus fibris aſſidue immorante ſignificetur, & *torpedo curæ* vocetur: ſed Lucretius curam amoris, quæ cupiditatis eſt videtur explicare voluiſſe. Itaque legendum eſſe puto

Aut alia quavis ſcindunt cuppedine curæ

In quam emendationem eo ſum propenſior, quod maxima harum vocum affinitas eſt in literatura, & quod 6: 24. ubi *cuppedo* perſpicue ſcribendum eſt, in libris quibuſdam *torpedo* reperitur:

Et finem ſtatuit cuppedinis atque timoris.

torpedinis enim atque *timoris* in exemplaribus quibuſdam editur. TURNEB: *Adv. Lib.* x. *Cap.* VIII.

1007. *Cuppidine*] Giſanius *Torpedine* e Codd. Quibus etiam Ego crederem, ſi bonus ille Vir acutam aliquam *torpedinem*, qua *Curæ ſcindantur* demonſtraret. CREECH.

1008. *Siſyphus*] Ambitioſus (inquit) in hac vita Siſyphus eſt. LAMB.

1009. *Qui petere à populo faſceis*] Qui petere à populo honores, &c. LAMB.

1010. *Imbibit*] *Imbibit petere*, id eſt, induxit in animum petere: hoc ſibi perſuaſit, honores eſſe petendos: certum ac deliberatum ei eſt honores petere. ſic loquitur lib. 6: 71.

—— *ut ex ira pœnas petere imbibat acreis.*

& ita M. Tull. orat. pro Quinctio: *Quod ſi facere nolit, atque imbiberit ejuſmodi rationibus illum ad ſuas conditiones perducere: ſeſe nihil precari, &c.* ſic enim hic locus legendus, & ita impreſſum eſt in libris Manutianis. Atque hoc de verbo lege cap. 5. libr. 1. Variar. lectionum M. Antonii Mureti. Verumtamen Jo. Auratus *imbitat* legendum exiſtimat. *imbitat* autem vult eſſe verbum ab *in* & *ito*, *as*, *at*, Ego *imbibit* in hanc ſignificationem non auſim ex omnibus libris, & pæne dicam, ex tota lingua Latina exterminare. Quin tutatur hanc ſcripturam, & hanc hujus verbi ſignificationem illud ex Arnobii lib. 5. adverſus genteis: *Qui ſub ſpecie cultionis plus in eos ingeratis maledictionum & criminum, quam ſi aperte hoc facere confeſſis maledictionibus combibiſſetis.* nam apud Arnobium *combibiſſetis*, interpre-

Nam petere imperium, quod inane eſt, nec datur unquam,
Atque in eo ſemper durum ſufferre laborem,
Hoc eſt adverſo nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen à ſummo jam vertice rurſum
Volvitur, & plani raptim petit aequora campi.
  Deinde animi ingratam naturam paſcere ſemper,
Atque explere bonis rebus, ſatiareque nunquam,
Quod faciunt nobis annorum tempora, circum

Quom

INTERPRETATIO.

nam petere imperium quod fruſtra petitur, nec unquam datur, & in eo petendo improbum laborem ſemper ſuſtinere, id profecto eſt conari Saxum volvere adverſo monte, quod tamen Saxum a ſummo montis cacumine rurſus volvitur, & planum Campum, aut ſubjectam vallem pernici celeritate petit. Deinde ſemper paſcere ingratum Animum, illum vero bonis rebus nunquam explere & ſatiare, quod tamen quotannis fit, cum redeuntes Anni

VARIÆ LECTIONES.

1011. *quod.* quid K.
1012. *in eo.* Atque adeo A. mar. *ſufferre.* perferre *Alii.*
1013. *trudere.* tendere Q1. *monte.* montem Y.
1014. *à ſummo.* è ſummo A. mar. P. in ſummo Q1. ſummo Y. Z.
1016. *Deinde.* Denique P.

NOTÆ.

tor *conſtitutum & fixum in animis haberetis.* Lamb. Sibi in animum induxit. Faber. Vide quæ notamus, ad lib. VI. verſ. 71. Preig.

1010. *Et ſemper vict. triſtiſque recedit*] Sic Horat. epiſt. ad Quinct. libr. 1: 16: 35.

--- *pone meum eſt: pono, triſtiſque recedo.* Lamb.

1012. *Atque in eo ſemper*] Cod. Vaticanus habet, *Atque ideo ſemper, &c.* Iccirco autem Epicurus negabat, ſapientem ad remp. acceſſurum. Horatius in ea quam modo commemoravi epiſtola, pulchre oſtendit, populareis honores eſſe admodum incertos, fluxos, & caducos. Pauſanias in Atticis hoc amplius graviter aſſeverat, nondum cuiquam, qui ſeſe effuſe ad remp. gerendam contulerit, ſeſeque auræ populari crediderit, optabilem exitum contigiſſe. verba ejus ſunt hæc: Εὖ δέ μοι λελέχθαι, δοκεῖ, ἄνδρα ἀφειδῶς ἐμπεσόντα ἐς πολιτείαν, καὶ πιστὰ ἡγησάμενον τὰ τοῦ δήμου, μήπω καλῶς τελευτῆσαι. Lamb.

1012. *In eo*] Quidam codex: *ideo.* Lamb.

1013. *Hoc eſt adverſo, &c.*] Hoc facere (inquit) eſt nixantem adverſo monte ſaxum trudere. ſic de Siſypho vetus quidam poëta, apud M. Tull.

——— *Quod Siſypphu' verſat*
Saxum ſudans nitendo, neque proficit hilum. Lamb.

1015. *Æquora campi*] Planitiem campi. Lamb. Ita de Babyloniis Cic. lib. I. de Divin. cap. 93. *in camporum patentium æquoribus habitantes.* Adde Virg. Georg. 1: 50. 2: 541. 3: 195. Æn. 7: 738. 9: 68. 10: 541. 12: 742. Nonium atque Ind. Lucret. contra, *campos ſalis* & *liquentes* de mari Virgil. Æn. 10: 214. & 6: 724. Imo de planitie cœli dixit *æquora* Attius apud Nonium in *ſonere*, hiſce: *Concuſſa repente æquora cœli &c.* Hav.

1016. *Deinde animi ingratam*] Deinde (inquit) animum paſcere ſemper bonis rebus, & numquam iis ex rebus explere, neque ſatiare. quod fit cum, redeuntib. annis, tanta rerum, quas terra parit, copia fruentes, numquam explemur tamen: hoc eſt aquam in dolium pertuſum congerere: quod de Danai puellis fabulantur poëtæ. Nonius Marcell. hos verſus profert in verbis *explere* & *ſatiare*: atque ita interpretatur, *explere quidem animum bonis rebus, ſed numquam ſatiare.* quaſi *explere* ſit minus quam *ſatiare.* ſed errat, mea qui-

Quom redeunt: foetuſque ferunt, varioſque lepores,
Nec tamen explemur Vitaï fructibus unquam;
Hoc (ut opinor) id eſt, aevo florente puellas
Quod memorant, laticem pertuſum congerere in vas:
Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur.
Cerberus & Furiae jam vero, & lucis egenus
Tartarus, horriferos eructans faucibus aeſtus,

Haec

INTERPRETATIO.

Varias delicias fructuſque referunt, Vitæ autem Deliciis nunquam explemur: Hoc, uti exiſtimo, id eſt, quod Poetæ canunt, quaſdam viz. florenti ætate virgines Aquam fundere in vas perforatum, quod tamen nullo modo repleri poteſt. Jam vero Cerberus, & Furiæ, & Tartarus tenebricoſus faucibus ſuis horrendas flammas eructans

VARIÆ LECTIONES.

1022. *congerere.* cogere Y.
1023. *nulla.* ulla Z.
1024. *egenus.* lucis egeſtas V. X. Y. Z.
1026. *Hæc neque.* Qui neque A. mar. P. Q. Y. Z. *neque.* nec Z.

NOTÆ.

quidem ſententia. Virgil. Æneid. 1: 717.

Expleri mentem nequit, ardeſcitque tuendo
Phœniſſa, &c.

Idem lib. 3: 630.

Nam ſimul expletus dapibus vinoque ſepultus, &c.

Quis non videt, hîc *expleri* & *expletus* idem valere quod *ſatiari* & *ſatiatus*? ſic iterum Lucret. infra 1020.

Nec tamen explemur vitaï fructibus unquam. LAMB.

1017. *Atque explere bonis rebus ſ.*] Ordo atque explere numquam, numquamque ſatiare bonis rebus. hunc verſum profert Nonius (ut dixi) duobus locis. Taleis autem deſcribit lenas Argyrippus ille apud Plaut. Aſin. 1: 3: 15. qualeis hîc Lucretius homines nimium vitæ cupidos, & infinita vivendi cupiditate ardenteis:

Qui modu'ſt dandi? nam numquam tu quidem expleri potes.
Modo cum accepiſti, haud multo poſt aliquid, quod poſcas, paras. LAMB.

1018. *Circum cum redeunt*] Cum revolvuntur, ὅτε περιέρχονται. ex quo appellantur ἐνιαυτοὶ, quaſi in ſe redeuntes, & anni περιπλόμενοι ab Homer. dicti, quaſi περιπολούμενοι. LAMB.

1021. *Puellas*] Danaidas, cum dolio. FABER.

1022. *Laticem pertuſum congerere in vas*] Horat. od. 11. l. 3. verſ. 25.

Audiat Lyde ſcelus, atque notas
Virginum pœnas & inane lymphæ
Dolium, fundo pereuntis imo,
Seraque fata.

ad quem locum plura. LAMB.

1023. *Poteſtur*] Ita loquebantur veteres, cum jungebatur huic verbo infinitivus paſſivus. Quadrigarius annal. 3. *Adeo memorari non poteſtur.* Cælius lib. 1. annal. *Cum jure ſine periculo bellum geri poteratur.* Virg. Æneid. 8: 402.

Quod fieri ferro, liquidove poteſtur electro.

ſic enim legunt Nonius & Priſcianus, reclamante Politiano, qui legendum contendit, *poteſt electro.* Vide quæ notavimus ſupra ad illum locum l. 1: 1043.

Dum veniant aliæ, ac ſuppleri ſumma queatur. LAMB.

Plautus in Merc. 3: 2: 10.

Demum igitur, cum Senex ſis, tunc in otium
Te colloces, dum poteſtur.

Pacuvius apud Nonium

Siqua poteſtur *inveſtigari via.*

& Ennius apud Diomedem

Nec retrahi poteſtur *imperiis.* CREECH.

Adductis a Lambino aliiſque exemplis adde Plaut. Rud. IV. IV: 20. *Ut nequitur comprimi.* PREIG.

1026.

Haec neque ſunt uſquam, neque poſſunt eſſe profecto.
Sed metus in vita poenarum pro malefactis
Eſt inſignibus inſignis, ſceleriſque luela
Carcer, & horribilis de ſaxo Jactus deorſum,

INTERPRETATIO.

nuſquam ſunt, neque profecto eſſe poſſunt; Sed in hac vitâ Metus pœnarum pro ſceleribus inſignibus eſt inſignis, Criminis præmium Carcer, Horribilis de Saxo jactus,

VARIÆ LECTIONES.

1028. *luela.* fiela Q. numella c. numela O. P. *vide Varron. l. 2. de re ruſticâ. Columellæ l. 7. Plaut. in Aſinaria.*

1029. *Jactus deorſum.* jactus eorum C. E. N. P. Q. X. Z. deoſum K.

NOTÆ.

1026. *Hæc*] *Qui.* GIFAN.

1028. *Inſignibus inſignis*] Captavit formulam Poëta, qualem uſurpabant, quoties juſtam pœnarum retributionem ſignificare vellent. Ut in notiſſima illa: κακὸν κακῶς ἀπολέσαι, quæ non apud Comicos modo, ut Ariſtoph. Plut. 1. 11: 8.

Εἰ μὴ φράσεις γὰρ, ἀπό σ' ὀλῶ κακὸν κακῶς.

Sed & in ſacris literis occurrit, Matth. xxi: 41. Κακοὺς κακῶς ἀπολέσει αὐτούς. Adde Lucian. in Icaromenippo, pag. m. 303. Κακοὶ κακῶς ἀπολοῦνται σμερδαλέῳ κεραυνῷ. Eodem alluſum ſaltem ab Ariſtophane, rurſus in Equitibus; Act. 1. ſc. 11.

Ἀλλ' ὦ 'γαθ', οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι
Πλὴν γραμμάτων, καὶ ταῦτα μέντοι κακὰ κακῶς.

Et forte a Noſtro, ſupra, verſ. 911.

Miſero miſere, ajunt, omnia ademit
Una dies infeſta tibi tot præmia vitæ. PREIG.

1028. *Sceleriſque luela*] Et carcer, κτ̀ σωώθεσιν, ſceleris expiatio, & pœna. Sic ego hunc locum explico. Sed nonnulli codices typis excuſi, in quibus ſunt Aldini antiq. & quidam manuſcripti, habent, *ſceleriſque numella.* Eſt autem *numella* (ut docet Nonius) *machinæ genus ligneum ad diſcruciandos noxios comparatum, quo & collum, & pedes immittunt*, Feſtus autem ſcribit, *genus eſſe vinculi, quo quadrupedes deligantur.* Plaut. Aſin. 3: 2: 5.

Nervos, catenas, carcerem, numellas, pedicas, boias.

Ego quid ſibi velint hæc *ſceleriſque numella*, non video. quare vulgatam & receptam ſcripturam probo. LAMB. Ita (*luela*) legendum. Vide Indicem. In quibuſdam Vett. *numela*, vel ut in Aliis: *numella.* GIFAN. A fugio & caveo, *fugela, cautela*, ita *luela* à *luo.* Ceterum de robore, ſaxo, numella (nam & hic quidam ita legunt pro *luela*) pice, lamna, tædis, & aliis id genus, adeundi Plauti, Juvenalis & Tertulliani Interpretes. Saxum autem illud, Tarpeum eſt. FABER. Alii legunt *Numella: Numella* autem eſt machinæ genus ligneum, ad cruciandos noxios comparatum, quo & Collum & Pedes immittunt: *Nonius.* Eſt genus vinculi quo quadrupedes ligantur: *Feſtus.* Plautus in Aſin: *Nervos, Catenas, Carcerem*, Numellas, *Pedicas, Boias.* CREECH.

1029. *De ſaxo jactus deorſum*] Ita Lambinus, ex libro quodam, in quo erat *deorum.* In Aliis omnibus: *eorum.* GIFAN. *ed. pr.*

1029. *Et horribilis de ſaxo jactu' deorſ.*] Sic reſtitui facili conjectura ductus. Nam cum repériſſem in quodam cod. pervetuſto, *jactus deorum:* ſæpeque in hoc loco hæſiſſem, neque viderem quo pertineret vox *eorum*, quæ eſt in vulgatis, & pleriſque manuſcriptis, facile adductus ſum, ut reponerem *deorſum.* neque eſt quod quemquam moveat, quod hoc loco ſit triſyllabum: cum in lib. 362. ſit diſyllabum, ibi,

Nam per aquas quæcumque cadunt, atque aëra deorſum.

& item alibi. ſit enim hoc idem in aliis vocibus, ut in *ſuevit, ſuadet, ſeorſum*: nempe, ut modo ſint diſyllabæ, modo triſyllabæ: ut hoc lib. ſup. 499.

Conturbatur, & (ut docui) diviſa ſeorſum,
Disjectatur eodem illo, &c.

lib. 4: 369.

Aër, id quod nos umbram perhibere ſuemus.

&

Verbera, Carnifices, Robur, Pix, Lamina, Taedae:
Quae tamen & ſi abſunt, at Mens ſibi conſcia facti
Praemetuens, adhibet ſtimulos torretque flagellis;
Nec videt interea, qui terminus eſſe malorum
Poſſit, nec quae ſit poenarum denique finis:

INTERPRETATIO.

Verbera, Carnifices, Robur, Pix, Lamina, Tedæ; Quæ tamen ſi abſint, at Mens ſceleris ſibi conſcia hæc omnia metuit. quoniam meruit, & inde cruciatus ſibi adhibet, & flagellis ſe urit: Nec interea videt qui finis pœnarum eſſe poſſit, quis terminus Malorum,

VARIÆ LECTIONES.

1031. *abſunt, at.* abſumat V. Z. *facti.* factis K. Q. Q1. X. Y. Z.
1034. *quæ ſit.* qui ſit P. X.

NOTÆ.

& lib. 2: 202.

Quin vacuum per inane deorſum cuncta ferantur.

dejiciebantur autem olim de ſaxo Tarpeio, qui falſum teſtimonium dixiſſe convicti erant, ut refert A. Gellius lib. 20. cap. 1. in extr. & perduellionis rei, idque juſſu tribuni plebis, Horat. ſat. 6. lib. 1: 39.

——— *audes*
Dejicere e ſaxo civeis, & tradere Cadmo?

Quidam putant legi poſſe *deceſſum*, antique, pro *deorſum.* LAMB. Saxum Tarpejum; Horat. Sat. 6. lib. 1: 39.

——— *Audes*
Dejicere e ſaxo *Cives*; *aut tradere Cadmo.* CREECH.

1029. *Jactus deorſum*] Ita Nos. Lambinus, ex lib. quodam, in quo erat, *deorum*, fecit, *deorſum.* Sæpe *r* pro *ſ.* ut lib. v. verſ. 1092. GIF. *in ed. poſt.* Vide eum & lib. VI. verſ. 334.

1030. *Robur*] *Robus* (ut docet Feſtus) *dicitur is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robuſteis includebatur.* Ex quibus Feſti verbis putabam hîc legendum *robus.* Sed fortaſſe tutius eſt per *robur* intelligere equuleum ex robore, in quo ſontes inſidentes cruciabantur: vel lignum & fuſtem ex robore, quo tundebantur. Auctor vocabularii Latinogræci manuſcript. *Robor* (inquit) εἶδος ξύλου μέλαν δρυΐνου. LAMB. Ita veteres libri, & vulgati. GIFAN. Varia Tormentorum genera; *De Robore præcipitati ſunt*: Val. Maximus lib. 6. Cap. 3. *Atra Pix te agitet apud Carnificem, & Capiti tuo illuceat.* Plautus in Capt. 3: 4: 66. *Laminas* autem ardentes, & *Tedas* quis neſcit? CREECH. De ſingulis hiſce fuſe videri poteſt Brodæus in Miſc. lib. 11. cap. 10. Tom. 11. Fac. Crit. pag. 475. Adductis autem ab eo locis adde Tac. IV. Ann. cap. 29. *In patrem ex ſervis quæſitum. Et quæſtio adverſa accuſatori fuit. Qui ſcelere vecors, ſimul vulgi rumore territus, robur, aut ſaxum, aut parricidarum pœnas minitantium, ceſſit urbe.* Ubi vide Lipſium. PREIG.

1030. *Pix*] Pice fervente infuſa olim quorundam maleficorum hominum corpora urebantur. Plautus Capt. 3: 4: 66.

Atra pix te agitet apud carnificem, ac tuo capiti illuceat. LAMB.

1030. *Lamina*] Lamina candens. Horat. epiſt. ad Vaalam 1: 15: 36.

Scilicet, ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos.

M. Tull. Verr. de ſuppliciis: *Quid cum ignes, candenteſque laminæ, ceterique cruciatus admovebantur.* LAMB.

1030. *Tædæ*] Faces ardentes, quæ oculis, aliiſque ſontium partibus admotæ, eos miſerum in modum cruciabant. quod ſupplicii genus commemorat & Plato Gorgia: Κἂν ἀδικῶν ἄνθρωπος ληφθῇ τυραννίδι ἐπιβουλεύων, καὶ ληφθεὶς στρεβλῶται καὶ ἐκτέμνηται, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκκάηται, &c. id eſt, *Et ſi quis qui injuſte faciat, & tyrannidi inſidietur, captus ſit, & captus torqueatur, & exſecretur, & ſi ei oculi deurantur, &c.* LAMB.

1032. *Præmetuens*] Ante quam ſit damnatus, aut accuſatus, metuens. LAMB.

Atque eadem metuit magis haec ne in morte graveſcant:
Hinc Acheruſia fit Stultorum denique vita.
  Hoc etiam tibi Tute interdum dicere poſſis:
Lumina ſis oculis etiam bonus Ancus reliquit,
Qui melior multis, quam Tu, fuit, Improbe, rebus.

INTERPRETATIO.

imo metuit ne poſt mortem hæc mala augeantur, & pœnæ fierent graviores, & inde denique fit ut Stolidorum Vita non minus moleſta ſit, quam eorum conditio quos apud Inferos cruciari Poëtæ fingunt. Tu ipſe etiam (quicunque es) hoc Tibi ipſi potes dicere; Bonus Ancus morti ſuccubuit, qui tamen Te, o querule, multo melior fuit;

VARIÆ LECTIONES.

1036. *Hinc.* Hic P. Z.
1038. *ſis.* ſuis oculis D. ſic E. M. P. ſis, *pro ſuis* P. *in not.* ſic etiam ſolus bonus Ancus E. N.

NOTÆ.

1036. *Hinc Acheruſia*] Ex hoc (inquit) ſtultorum vita fit anxia, ſollicita, ærumnoſa, omnibus deinde pœnis & cruciatibus referta, ita ut videantur vivi eas pœnas perferre, quibus Tantalus, & Siſyphus, & Tityus, & Danaides, &c. affici apud inferos putantur. LAMB.

1037. *Hoc etiam tibi tute*] Præſcribit hîc quædam, quæ magnopere valent ad mortem æquo animo ferendam, cum recordemur, viros præſtantiſſimos, potentiſſimos, & clariſſimos eadem conditione uſos eſſe. LAMB. Demum v. 29. Vulgus Hominum. Numerum iſtum, ut loquitur *Horatius*, & fruges conſumere natum increpat. Quid enim iſti Sibi Aliiſque prorſus inutiles indignarentur ſe iiſdem legibus Neceſſitatis ſubjici, quibus maximi Imperatores, Conditores Legum atque Urbium, Scientiarum Authores & Ingenio Artibuſque illuſtres viri jam tenentur, & olim tenebantur: deterior debet eſſe eorum Conditio, & tamen de æqua queruntur Immodeſti! *Ancus Martius*, quartus Romanorum Rex, v. 5. *Xerxes* ille Perſarum imperator v. 5. *Scipio Africanus* v. 2. olim obierunt. Poëtæ omnes, & eorum Pater *Homerus* v. 3. *Democritus* denique v. 3. Atque Epicurus reliquis omnibus præſtantior Philoſophus interiit, V. 3. Abi igitur Tu, quicunque es, nec deplora iſtam ſortem, quam tales tantique Viri, præcipue *Democritus* & *Epicurus* læti ſubierunt. CREECH.

1038. *Lumina ſis oculis etiam*] Sic reſtitui ex auctoritate quattuor librorum manuſcriptorum. *ſis* autem antiquum pro *ſuis*: quemadmodum *ſum* pro *eum* poſuit Ennius lib. 1. p. 45.

At te non, ut ſum, ſummam ſervare decet rem:

& lib. 2. p. 51.

At ſeſe ſum quæ dederat in luminis oras.

& *ſos* pro *eos* antiqui dicebant. Idem Ennius:

Conſtitit inde loci propter ſos diva dearum.

& interdum pro *ſuos* ponebant, ut cum per dativum caſum idem Ennius p. 54. effert *ſis* pro *ſuis*:

Poſtquam lumina ſis oculis bonus Ancu' reliquit.

Hæc fere ad verbum Feſtus. unde perſpicuum eſt, Lucretium hunc verſum ab Ennio mutuatum eſſe. LAMB.

1038. *Sis oculis*] Ita omnes Veteres, etiam noſtri. Marullus hoc deformarat in, *ſic*. Quod & alibi accidit. GIFAN. Sententia horum verſuum ex Homero eſt: Il. φ. vſ. 107.

Κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων.

Sis autem *ſos*, *ſas*, pro *ſuis*, *ſuos*, *ſuas*. Ita & *nis* dicebant pro *nobis*. Feſtus. FABER. Viz. *Suis oculis*; nam *Sis*, *Sos*, *Sas*, pro *Suis*, *Suos*, *Suas*, Veteres. Ennius:

Virgines nam ſibi quiſque domi Romanus habet
  Sas: Nævius.
Sis *Pæni contremiſcunt artubus.*

Fruſtra igitur quidam legunt *Lumina ſic etiam ſolis*. CREECH.

1038.

Inde alii multi reges, rerumque potentes
Occiderunt, magnis qui gentibus imperitârunt.
Ille quoque Ipſe, viam qui quondam per mare magnum
Stravit, iterque dedit legionibus ire per altum,
Ac pedibus ſalſas docuit ſuper ire lacunas:

INTERPRETATIO.

multi etiam Reges atque Imperatores, qui potentibus populis imperaverunt, idem fatum ſubierunt; Ille etiam ipſe Xerxes, qui olim per mare magnum viam ſibi ſtravit, deditque Legionibus ſuis ire iter ſuper altum mare, pedibuſque incedere ſuper ſalſas Oceani abyſſos,

VARIÆ LECTIONES.

1044. *ſuper ire.* ſuperire A. B. V. ſuperare C. E. N. P. Q.

NOTÆ.

1038. *Bonus Ancus*] De quo Livius: *Avitæ gloriæ memor; medium erat in eo ingenium, & Numæ & Romuli memor, cuilibet ſuperiorum Regum belli paciſque & artibus & gloria par.* Creech. Adde ipſius Lambini Notas ad illud Horatii. Od. 28: 7.

Occidit & Pelopis genitor, conviva Deorum.

Egregie enim Veteres in locum hunc quaſi communem ſunt exſpatiati, & Homericos illos ſæpius laudatos verſus, qui & Ennio & Tito facem prætulerunt narrat Lib. IX. Laërtius perlibenter & ſæpius protuliſſe Pyrrhonem, Elienſem Philoſophum. Hav.

1041. *Magnis qui gentibus imperitârunt*] Imitatus eſt hunc verſum Horat. ſat. 6. lib. 1: 4.

——— *qui magnis legionibus imperitarint.* Lamb.

1042. *Ille quoque ipſe*] Xerxes, qui Helleſponto juncto, Athone perfoſſo, maria ambulavit, terramque navigavit, ut narrat Herod. Polyhymn. refert M. Tullius l. 2. de finib. his verbis: *Ut ſi cum Xerxes tantis claſſibus, tantiſque equeſtribus & pedeſtribus copiis, Helleſponto juncto, Athone perfoſſo, maria ambulaſſet, terramque navigaſſet, &c.* & Dion. Chryſoſt. oratione de regno tertia: Ἠ οὐκ ἀκήκοας, ὅτι Ξέρξης ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς τὴν μὲν γῆν ἐποίησε θάλασσαν, διελὼν τὸ μέγιστον τῶν ὀρῶν, καὶ διαστήσας ἀπὸ τῆς ἠπείρου τὸν Ἄθω· διὰ δὲ τῆς θαλάττης τὸν πεζὸν στρατὸν ἄγων ἤλαυνεν ἐφ' ἅρματος; &c. id eſt, *An non audiſti, Xerxem, Perſarum regem, terram quidem reddidiſſe mare, diviſo maximo monte, & Athone à terra continente ſeparato: per mare autem pedeſtreis copias trajecit in curru? &c.* Et Æſchines, κατὰ Κτησιφ. Οὐχ ὁ μὲν τῶν Περσῶν βασιλεὺς ὁ τὸν Ἄθω διορύξας, ὁ τὸν Ἑλλήσποντον ζεύξας, &c. id eſt, *Nonne rex Perſarum, qui montem Athonem perfodit, qui Helleſpontum junxit, &c.* Quibus adde, quæ refert Plutarchus lib. περὶ ἀοργησίας, eadem de re, ſed maxime de monte Athone. Ne Arnobius quidem lib. I. adverſus genteis, hoc loco prætereundus eſt, cujus hæc ſunt verba: *Ut ille immanis Xerxes mare terris immitteret, & greſſibus maria tranſiret, noſtri nominis effectum eſt injuria?* Lamb. De Xerxe loquitur. Ex hoc loco emendandus Manilius lib. I. edit. Scal.

Perſidis & victor, ſtravit qui claſſibus æquor.

Legendum puto, *Perſidis & rector;* nam quod ibi Vir Illuſtris, id haud probat. Faber.

1042. *Per Mare Magnum*] Sic dicit Lucretius, etiam cum loquitur de Helleſponti anguſtiis, quas Xerxes ponte conjunxit; credo ad Maris totius Mediterranei magnitudinem & vaſtitatem reſpiciens, non ad eam tantum partem referens, quæ contabulata ponte fuit. Itaque ſic de mari loqui prope mirabundi ſolebant. Turneb. *Adv. Lib.* XX. *Cap.* XXVI.

1044. *Docuit*] Tralatio. ſic loquitur Horat. I: 14: 29. epiſt. ad Villicum:

Addit opus pigro rivus, ſi decidit imber,
Multa mole docendus aprico parcere campo.

idem epiſt. ad Piſon. verſ. 67.

Seu curſum mutavit iniquum frigibus amnis
Doctus iter melius. Lamb.

1044. *Superire*] Sic habent quattuor l. manuſ. & ita legendum, non, ut vulgo, *ſuperare.* Lamb. Ita veteres libri; in Aliis: *ſuperare.* Gifan. Ut

ſu-

Et contempſit, aquis inſultans, murmura ponti,
Lumine adempto, animam moribundo corpore fudit.

Sci-

INTERPRETATIO.

& fluctibus illudens murmura & iras Ponti ſprevit, ademto Lumine Animam e moribundo Corpore effudit;

VARIÆ LECTIONES.

1045. *contempſit.* contulit Q. *aquis inſultans.* equis inſultans A. B. E. N. P. Y. Z. æquis X.

NOTÆ.

ſuperinſidere, ſupra, verſ. 914. Preig.

1045. *Et contemſit, aquis inſultans, murmura*] Et *inſultans aquis*, i. e. ponto, ſeu mari, ſubintell. equorum & hominum pedibus contemſit murmura ponti. videtur enim legendum *aquis*, non *equis*, ſive intelligas, dici Xerxem equitaviſſe in mari, ſive illam hiſtoriam ſpectes, quæ eſt apud Herodotum Polyhymn. ubi narrat ille, Xerxem indignatum, quod audiſſet pontem in Helleſponto factum coörta ſæva tempeſtate eſſe diſturbatum & contritum, juſſiſſe trecentas plagas fluctibus infligi, & mare verberari, & compedibus conſtringi, cum quidem ii quibus hoc negotii datum eſſet, talia quædam loquerentur objurgantes, Ὦ πικρὸν ὕδωρ, καὶ ἁλμυρὸν, δεσπότης τοι δίκην ἐπιτιθεῖ τήνδε, ὅτι μιν ἠδίκησας, οὐδὲν πρὸς ἐκείνου ἄδικον παθών· καὶ βασιλεὺς μὲν Ξέρξης διαβήσεταί σε, ἤν τε σύ γε βούλῃ, ἤν τε μή. σοὶ δὲ κατὰ δίκην ἄρα ὡς οὐδεὶς ἀνθρώπων θύει, ὡς ἐόντι δολερῷ τε καὶ ἁλμυρῷ ποταμῷ. i. e. *O aqua amara & ſalſa, dominus has de te pœnas ſumit, quia eum injuſte læſiſti, nulla ab eo accepta injuria: & rex quidem Xerxes te trajiciet velis nolis, merito autem tibi nemo homo ſacrificat, utpote qui ſis fluvius doloſus & ſalſus.* Eodem pertinent illa Plutarchi libello περὶ ἀοργησίας, eo loco quem ſupra commemoravi. Jam *inſultare* eſt contumelioſe quippiam in alterum aut dicere, aut facere. Virgil. Æneid. 8: 570.

—— neque finitimus Mezentius umquam
Huic capiti inſultans tot ferro ſæva dediſſet
Funera.

Quod ſi dicas, hoc tantum à Lucretio ſignificari, Xerxem equorum pedibus mare pulſaſſe, aut verberaſſe, reſpondeo, primum ſatis intelligi Xerxem equorum pedibus Helleſponto inſultaſſe: cum dicitur inſultaſſe. deinde non ſolum equorum pedibus Xerxes mari inſultavit, verum etiammultorum hominum peditum pedibus. deinde *inſultare aquis* venuſte dicunt Latini, ut Virgilius *inſultare ſolo*, & Varius *inſultare campis*, & Horatius *inſultare buſto*, quorum poëtarum teſtimonia mox proferemus. Præterea ſi legamus *equis*, ſubintelligendum erit neceſſario *mari*, aut *aquis*, aut aliquid ſimile. at mollius & tolerabilius eſt ſubintelligi *equis*, ſeu *equorum pedibus*, quam *aquis* aut *mari*. Præterea ſi alio verbo uſus eſſet, quam *inſultandi*, verbi cauſa, verbo *pulſandi* aut *verberandi*, merito addidiſſet *equis*: ut Horat. oda 16. epod. 12.

—— & urbem
Eques ſonante verberabit ungula.

& Virgil. Culice:

Non Helleſpontus pedibus pulſatus equorum.

Nunc autem, ut ſupra diximus, verbum *inſultare* ſatis per ſe inſultationem eam, quæ fit equorum, ſive hominum, ſive utrorumque pedibus, ſignificat. Nunc proferamus locupletium auctorum teſtimonia. ſic igitur Varius de morte, apud Macrob. lib. 6. cap. 2.

Quem non ille ſinit lentæ moderator habenæ,
Qua velit, ire, ſed anguſto prius ore coërcens,
Inſultare docet campis, fingitque morando.

& Virgil. Georg. 3: 115.

Frena Pelethronii Lapithæ gyroſque dedere
Impoſiti dorſo, atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

ubi notat A. Gell. lib. 18. cap. 5. *equitem* pro *equo* accipiendum eſſe. Horat. oda 3. libr. 3: 40.

—— dum Priami, Paridiſque buſto
Inſultet armentum, &c.

Idem valet & *inequitare*: quo verbo utitur Arnobius. Lamb.

1045. *Et contempſit, equis inſultans, murmura ponti*] Sic libri omnes. Non igitur admitto, *aquis* Lambini. Virg. Culice:

Non

Scipiades, belli fulmen, Carthaginis horror,
Oſſa dedit terrae, proinde ac famul infimus eſſet.
Adde repertores doctrinarum, atque leporum,

INTERPRETATIO.

Scipio ipſe Belli fulmen, & quem horruit Carthago, Oſſa ſua humo reddidit, perinde ac viliſſimus fuiſſet Servus: Adjunge ſcientiarum & verſuum inventores,

VARIÆ LECTIONES.

1048. *proinde.* perinde Q1. *infimus.* improbus O. P.

NOTÆ.

Non Helleſpontus pedibus pulſatus equorum. Quidam libri: *contuſit equis.* GIFAN. *Aquis inſultans* recte *Lambinus*: *Inſultare ſolo*, Virgilius. *Inſultare buſto* Horatius. *Giſanius* vero *Equis inſultans*, cui favet *Salmaſius* (cujus hæc ſunt verba ad Joh. Fr. Gronovium, Ep. L. „Velim etiam „ſcire eodem libro non longe ab loco ſuperius „indicato, quomodo legat tuus liber iſto verſu:

„*Et contempſit aquis inſultans murmura ponti.*

„Quicquid enim ibi dicat Lambinus, magis „probem, ſcribi:

„*Et contempſit equis inſultans murmura ponti.*

„*Inſultare equis murmura ponti.* Sic *inſultare fo-* „*res*, apud Comicum„) Quaſi id ageret *Lucretius*, ut ſciremus Xerxem Helleſponto juncto tam Equites quam Pedites trajeciſſe. CREECH.

1046. *Animam moribundo corpore fudit.*] Xerxes ab Artabano interfectus eſt, cum annos amplius 20. Perſarum regnum obtinuiſſet, ut ſcribit Diod. Siculus lib. 11. LAMB.

1047. *Scipiades*] Scipio. ſic Horat. ſat. 1. lib. 2: 27.

Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Læli.

Lucr. ſup. lib. 1: 27.

Memmiadæ noſtro. LAMB.

1047. *Belli fulmina*] Virgil. Æneid. 6: 844.

—— *duo fulmina belli,*
Scipiadas. LAMB.

Æmulatus noſtrum Virgilius, VI. Æneid. 844.

Aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas.

monente præter Lambinum etiam Beroaldo, Annot. in Serv. Tom. 1. Fac. Crit. pag. 274. Vide & Macrob. lib: VI. cap. 1. Quo autem manifeſtius pateat quantopere hunc locum admirati fuerint præſtantiſſimi quique Poëtarum, vide & IX. Æn. verſ. 812. ubi dicit:

Fulmineus Mneſtheus

Item IV. Georg. 561.

Cæſar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten.

Stat. II. Theb. pag. m. 103.

Neque enim temnenda jacebant
Funera, fulmineus Dorylas, quem regibus ardens
Æquabat virtus, Martiſque è ſemine Theron
Terrigenas confeſſus avos.

Et lib. IV. pag. m. 163.

Ecce inter medios patriæ ciet agmina gentis
Fulmineus Tydeus.

Denique & Silius Ital. lib. VII. verſ. 106.

En ubi nunc Gracchi? aut ubi ſunt nunc fulmina gentis,
Scipiadæ? PREIG.

1048. *Proinde ac*] Tanquam, proinde ac ſi. LAMB.

1048. *Famul infimus*] *Famul, famulus* (inquit Nonius.) Ennius: p. 15.

—— *mortalem fortuna repente*
Reddidit è ſummo regno, ut famul infimus eſſet.

ſic autem emendavi Ennii verſum, qui corruptus eſt apud Nonium. *Famuli origo* (inquit Feſtus) *ab Oſcis dependet, apud quos ſervus famul nominabatur: unde & familia vocata.* LAMB. *Famul* pro famulus, ita apud Ennium, ut & *debil homo.* Ita ex *volupe*, *volup*, &c. FABER. Idem Ennius *Debil* Homo pro *Debilis*: Varro *Facul* & *Difficul*, *Quod utrum ſit magnum, an parvum, Facul, an Difficul.* CREECH.

1049. *Adde, &c.*] Vide quæ notamus ad lib. IV. verſ. 1115. PREIG.

Adde Heliconiadum comites; quorum unus Homerus
Sceptra potitus, eadem aliis ſopitus quiete eſt:
Denique Democritum poſtquam matura vetuſtas
Admonuit memorem motus langueſcere Mentis,

Spon-

INTERPRETATIO.

adde Poëtas Muſarum comites, quorum primus & princeps Homerus eodem ſomno Mortis, quo alii, ſopitus jacet. Denique poſtquam Democritus ſenſerat vires mentis ſuæ præ longa Senectute debilitari & languidas fieri,

VARIÆ LECTIONES.

1050. *unus.* avus Homerus D.
1053. *memorem.* memores A. B. C. E. N. P. Y. Z.

NOTÆ.

1050. *Adde Heliconiadum*] Adde (inquit Lucret.) Muſarum comites, nempe poëtas. profert hunc verſum Nonius, cum eo qui deinceps ſequitur, in verbo *potior*, docens hoc verbum interdum jungi cum quarto caſu, ut hîc: & ita Terent. Adelph. 5: 4: 17.

Ille autem ſine labore patriæ potitur commoda. Lamb.

1050. *Quorum unus Homerus ſceptra potitus,*] I. e. quorum unus Homerus primus & principatum obtinens. Lamb.

1050. *Unus Homerus*] Alii *Avus*, imperite. Creech.

1051. *Eadem aliis ſopitus*] Græcorum more locutus eſt, τῇ αὐτῇ τοῖς ἄλλοις, i. e. *eadem atque alii.* ſic lib. 2: 917.

Atque animalibus ſunt mortalibus una eademque. & lib. 4: 1167.

Nempe eadem facit, & ſcimus facere omnia turpi. & Horat. de Arte Poet. verſ. 467.

Invitum qui ſervat, idem facit occidenti. Lamb.

1052. *Denique Democritum &c.*] Democritum, cum centum & novem annos vixiſſet, primo mortem propinquam dies aliquot nidore panum retardaſſe, deinde ſponte ſua mortem oppetiſſe, traditum eſt. Lamb. *Hermippus* apud Laërtium hunc locum explicat, Democritus cum jam Senio confectus, & propinquus morti videretur, mærentem Sororem, quod illo ἐν τῇ τῶν θεσμοφορείων ἑορτῇ morituro, ipſa Deæ vota exſolvere nequiret, bono Animo eſſe juſſit, paneſque calidos, ſibi quotidie afferre; Eos igitur cum naribus admoviſſet, vivum ſe donec ea celebritas tranſiret, ſervavit: ubi vero dies illi tranſierunt (tres autem erant) ἀλυπότατα τὸν βίον προήκατο. Diogenes Laërtius lib. 9. in vit. Democriti. Creech.

1053. *Admonuit, memores motus*] Ita omnes libri; optime. *Memores motus mentis*, id eſt, mentem. Sic & infra, IV: 769. Peſſime Lambinus: *memorem.* Mentis motus vocat *memores* Poëta; corporis, *Senſiferos.* Gifan.

1053. *Admonuit memorem*] Sic emendavi, reclamantibus codicibus omnibus, in quibus ſcriptum aut impreſſum eſt *memores.* quin autem ita ſit legendum, nemo doctus dubitabit. notum proverbium, *Memorem mones*, ſeu *admones.* Plaut. Sticho. 4: 1: 72.

——— *capti conſilii memorem mones.*

Quod autem Zoilus ſcripturam vulgatam defendens ait, Lucretium per *memores motus mentis* mentem ſignificare: dico, per *motus mentis*, ſine epitheto *memores*, ſatis hoc idem ſignificari. *memores mentis motus* autem memoriam potius, quam mentem ſignificarent. At Lucretius non vult Democritum ſenſiſſe, ſolam memoriam in ſe langueſcere, ſed totam mentem. neque verum eſt quod idem dicit, mentis quidem motus à Lucretio *memores* appellari: corporis vero, *ſenſiferos.* Quin neque motus corporis, ſenſiferi eſſe poſſunt ſine anima, aut mente: neque anima aut mens ſine motibus ſenſiferis conſtare poteſt, ex ſententia Lucretii. Quare nugatur, atque adeo inſanit Zoilus. Et ſolet, cum ei aliquid à me excogitatum & emenda-

Sponte ſua letho caput obvius obtulit; Ipſe,
Ipſe Epicurus obît decurſo lumine vitae,
Qui genus humanum ingenio ſuperavit, & omneis
Re-

INTERPRETATIO.

ſe morti ſponte ſua & libenter obtulit. Ipſe Epicurus abſoluto vitæ ſuæ curſu quieſcit, Ille Epicurus, qui genus Humanum ingenio ſuperavit, & omnes

VARIÆ LECTIONES.

1054. *obtulit; Ipſe, Ipſe* &c. Ita *Wall.* bene. *adſcripſit* V. obtulit ipſe. Ipſe &c. *Reliqui.*

NOTÆ.

datum non probatur, adſcribere, *mendoſe*, *male*, *peſſime.* Ain tu, omnium mortalium petulantiſſime, atque impudentiſſime? Immo vero quæ ex tua officina prodierunt, quæque aliis non ſuffuratus es, ſunt peſſima. LAMB. *Admonuit memorem* omnino legendum, non *memores*; quod optime vidit Lambinus. FABER.

1055. *Ipſe Epicurus*] *Ipſe* κατ' ἐξοχὴν dictum, & ἐμφατικῶς. illud autem alterum *ipſe*, quod antecedit, idem valet quod *ultro.* Non enim Democritus diem mortis exſpectavit, ſed antevertit, & caput ei ultro obtulit: niſi quis dicat, legendum *obtulit ipſi*, ut *ipſi* cohæreat cum voce *leto*, manente eadem ſententia. LAMB. Quidam huc retrahunt præcedens *Ipſe*, ita ut ſit *Ipſe Ipſe Epicurus*, & pro *Lumine* legunt *Limite*. CREECH. Dexterrime *Ipſe*, *Ipſe* &c. emendarunt viri docti. Sic ſolet Noſter, & res hoc loco tale quid ex ipſius hypotheſi poſtulabat. Ita 5: 19.

Deus ille fuit, Deus, inclyte Memmi.

Similiter: 2: 434.

Tactus enim, tactus, proh Divum corpora ſancta?

Unde & lib. 11: 1147. omnino ita ſcripſiſſe mihi perſuadeo, ut inter alia Var. Lectiones repræſentant.

Omnia debet enim cibus integrare novando,
Et fulcire: cibus, cibus omnia ſuſtentare. PREIG.

1055. *Decurſo lumine vitæ*] Duæ tralationes diſſimiles concurrentes & confuſæ. nam *decurrere ſpatium vitæ*, ſeu *decurrere ætatem*, tralatio eſt à curſoribus. Terent. Adelph. 5: 4: 5.

——— *nam ego vitam duram, qua vixi uſque adhuc,*
Prope jam decurſo ſpatio, mitto.

Plaut. Stich 1: 2: 14.

Quid mihi opus eſt decurſo ſpatio cum eis gerere bellum?

M. Tull. pro Quinctio: *Prope acta jam ætate, decurſaque.* Jam *lumen vitæ* altera tralatio eſt. Ita *decurrere lumen vitæ* duas continet tralationes permiſtas. ſimile quiddam notat M. Anton. Muretus apud Catull. ad illum locum,

Loquente ſæpe ſibilum edidit coma,

ad Faſelum. Non diſſimulabo tamen, legi in aliquibus libris,

Decurſo limite vitæ. LAMB.

1055. *Decurſo lumine*] Vide ſupra, verſ. 681. GIFAN.

1056. *Et omnis Præſtrinxit*] Ita in veteribus libris. In quibuſdam veteribus: *Reſtrinxit*, ut & apud Luctatium. Sed hac in re ſæpe variatum eſt. Supra, lib. 1. verſ. 487. Male etiam hic vulgo interpunctum eſt. GIF. Hîc codices manuſcripti, neque cum impreſſis, neque ipſi inter ſe conſentiunt: ſed alii habent *Reſtinxit*, alii *Reſtrinxit*, alii *Exſtinxit.* Ego autem partim his ſcripturis conſideratis atque inter ſe comparatis, partim ſententia Lucretii exquiſita, non dubitavi reponere *Præſtinxit*, ut ſit præteritum à verbo *præſtinguo*? quod verbum librariorum culpa pæne è tota lingua Latina deletum eſſet, niſi ego à Nonio Marcello commonitus reſtituiſſem. Nam ubicumque apud M. Tull. Plautum, & ceteros legitur *præſtringere*, & *præſtrixit oculorum aciem*, legendum eſt *præſtinguere*, & *præſtinxit*: eſt enim verbum compoſitum à *præ* & *ſtinguo*: quo verbo utitur Lucretius libr. 2. & 4. *Præſtinguere* autem (ut docet Nonius) valet *obtenebrare.* quamquam apud Nonium legitur *præſtringere*, mendoſe: fortaſſe ipſo etiam Nonio errante, ut in multis aliis ſolet: quod alias oſtendam. Sine dubio enim apud Plautum is locus, quem profert ille ex Milite glor. 2: 1: 4. ſic legendus eſt;

Præ-

Reſtinxit, ſtellas exortus uti aetherius Sol.
Tu vero dubitabis, & indignabere obire,
Mortua quoi vita eſt prope jam vivo, atque videnti?

INTERPRETATIO.

alios luce ſua obſcuravit, ut ſplendidus Sol exortus ſtellas ſuis radiis obſcurat. Tu vero dubitabis; Tu mori indignabere, Cui vita jam vivo & videnti tantum non mors eſt, (qui dum vivis tantum non mortuus es)

VARIÆ LECTIONES.

1057. *Reſtinxit.* Ita K. X. Y. Z. Præſtinxit *Lamb.* Præſtrinxit I. *Gaſſ.* Reſtrinxit C. E. N. P. Q.
ætherius. aërius ſol c. O. P. Q. X. X. Y. Z.

NOTÆ.

Præſtinguat oculorum aciem in acie hoſtibus: non, ut vulgo impreſſum eſt, *præſtingere.* Neque vero me movent aut ſimioli, aut Zoili, vel malevolentia, livoreque ſuffuſi, vel ignorantia occæcati. Quantumvis enim reclament, atque adeo dirumpantur licet: plus poteſt apud me ratio & veritas, quam rumuſculi talium barbarorum. Sed, ut ad Plautum redeam, eundem locum profert Aſconius ad illud Ciceronis Divinat in Cæcil. *præſtinguat aciem*, ubi hæc notat: *Vel à præſtigiatoribus tranſtulit verbum, vel à tironibus, qui ignari & rudes pugnæ, etiam vano armorum ſonitu terrentur præſtinctis luminibus.* Apud Aſconium igitur quis non videt legendum *præſtinctis*, non *præſtrictis*? quonam modo enim à *præſtringendo* dici poſſit *præſtigiarum* aut *præſtigiatorum* nomen? Cum igitur hoc loco Lucret. innuat & ſignificet, Epicurum aliorum omnium philoſophorum nominis ſplendorem & gloriam obſcuraſſe, atque (ut ita dicam) obtenebraſſe, quemadmodum ſol exoriens ſtellarum fulgorem obſcurat: dubitari non poteſt, quin legendum ſit *præſtinxit*, non *reſtinxit*, aut *exſtinxit.* non enim ſol exoriens ſtellarum ſplendorem exſtinguit, ſed duntaxat præſtinguit. *reſtinguit* autem multo minus. nam *reſtinguere* aut de ardore aut calore dicitur, non de lumine aut fulgore. *Præſtinxit* igitur hîc legendum. Ac ſententiam meam adjuvat M. Tull. l. 2. de nat. Deor. *Sol dictus vel quia ſolus ex omnibus ſideribus eſt tantus, vel quia cum eſt exortus, obſcuratis omnibus, ſolus apparet.* non dixit *exſtinctis*, ſed *obſcuratis*, i. e. obtenebratis, ac præſtinctis. à quo verbo dictæ ſunt *præſtigiæ*, & à *præſtigiis præſtigiatores*, ut videtur ſubindicare Aſconius. Eadem opera etiam Minucium emendabo, in Octavio, circiter medium: *Quis ergo dubitat horum imagines conſecratas vulgus orare, & publice colere? dum opinio & mens imperitorum artis concinnitate decipitur, auri fulgore perſtringitur, argenti nitore & candoris eboris hebetatur?* legendum *præſtinguitur.* quod qui non videat, cæcum ſe in litteris & lingua Latina fateatur. *præſtinxit* igitur hîc apud Lucretium interpretor *obſcuravit*: ut apud Minucium perſpicue idem valet *præſtinguitur* quod *obſcuratur*, & *amittit facultatem recte fungendi muneris ſui*, id eſt recte opinandi, recteque intelligendi. Quoniam autem ſatis multa jam de hoc verbo & hîc, & in notis Ciceronianis. & in commentar. Horatianis verba feci, nihil amplius addam, præter hoc unum, quod à viro docto fide digno accepi, cum de litteris una loqueremur: hoc vocabulum, unum fuiſſe ex ducentis vocabulis Latinis, quod Gul. Peliſſerius epiſcopus Monpeſſ. homo linguæ Latinæ omnium qui hodie vivunt, ſcientiſſimus, ſe ſolum tenere prædicare vere ſolebat. Hos verſus proferens Lactantius, ſive Lutat. lib. lib. 3. de falſa ſapient. *Quos equidem verſus* (inquit) *numquam ſine riſu legere poſſum, Non enim de Socrate, aut Platone hoc ſaltem dicebat, qui velut reges habentur philoſophorum: ſed de homine, quo ſano & vigente nullus æger ineptius deliravit.* Lamb. Hanc vocem multis contra Barbaros, ut loquitur, defendit *Lambinus*, e contra *Salmaſius*, *Lego e ſcriptis* Reſtinxit, *ubi perperam Lambinus* Præſtinxit, contra fidem Librorum, & Latine *Loquentium uſum*; Epicurus omnes ingenio ſuo ſupe-

Qui ſomno partem majorem conteris aevi?
Et vigilans ſtertis, nec ſomnia cernere ceſſas,

Sol-

INTERPRETATIO.

qui maximam Vitæ tuæ partem in ſomno ignave conſumis, qui dum vigilas dormis, vanis inſomniis ſemper illuſus,

NOTÆ.

peravit, & *extinxit, ſive Reſtinxit, ut Sol adventu ſuo ſtellas reſtinguit, cum lumen ſuum illis adimit: Sic lib.* 5: 121.

Præclarumque velit Solis reſtinguere *lumen.*

Tertullianus, Reaccenduntur Stellarum radii, quos matutina Succenſio extinxerat. Attamen poſt tanta certamina, tam *Reſtinxit*, quam *Præſtinxit* ſine ullo incommodo legamus. CREECH. Salm. Ep. L. „Lego, inquit, è ſcriptis:

„*Qui genus humanum ingenio ſuperavit, & omnes*
„*Reſtinxit, ſtellas exortus uti ætherius Sol,*

„Ubi perperam Lambinus: *Præſtinxit*, contra „fidem librorum, & Latine loquentium uſum.„ Cæterum conferri merentur Lucan. carm. ad Piſon. verſ. 88.

Sed ſuper iſta movet plenus gravitate ſerena
Vultus, & inſigni præſtinguit imagine viſus.

Et Claudian. III. Conſ. Hon. 134.

Floret criſtatis exercitus undique turmis,
Quiſque ſua te voce canens. Præſtringit aëna
Lux oculos, nudique ſeges Mavortia ferri
Ingeminat ſplendore diem.

Reſtinxit Marg. quoque noſter agnoſcit, ut & *aërius* pro *ætherius*. addito *Voſſii* nomine. PREIG. Repoſui veterem ex MSS. lectionem. *Reſtinxit* enim eſſe legendum, non *Præſtinxit* clariſſime apparebit conferenti verſum 5: 121. *reſtinguere ſolem*, aliosque, qui ex Indicibus peti poſſunt. Imo quantumvis *præſtinguere* defendere nitatur auctoritatibus Scriptorum Lambinus; nulla tamen ex iis eſt, quin diverſum ab hoc loco ſenſum adferat, *præſtinguuntur* enim lumina illius, qui alios hoc caſu videre non poteſt, exſtinguuntur, ſeu *reſtinguuntur* ejus, qui ab aliis videri nequit, quod hic & aliis in locis apud Lucretium intenditur. HAV.

1056. *Omneis*] Omneis philoſophos & ſapientes, vel omneis homines. & ita adſcribe notam diſtinctionis verbo *præſtinxit*. LAMB.

1058. *Stellas exortus uti ætherius Sol*] De Homero illo, quem Carus modo ut Regem Poëtarum deſcripſit, ſimilitudinem eandem uſurpavit Leonidas Tarentinus Lib. I. Anthologiæ Tit. XLIX. in Poëtas.

Ἄστρα μὲν ἠμαύρωσε καὶ ἱερὰ κύκλα σελάνης,
Ἄξονα δινήτας ἔμπυρος ἠέλιος·
Ὑμνοπόλους ἀγεληδὸν ἀπημάλδυνεν Ὅμηρος,
Λαμπρότατον Μουσῶν φέγγος ἀνασχόμενος.

Cujus Epigrammatis hæc Venatorii eſt verſio:

Omnia vi lucis ſuperat Sol igneus aſtra,
Obfuſcatque orbes, pallida, luna, tuos.
Sic paſſim proprio ſuperat ſplendore Poëtas
Omnes, Muſarum lumen Homerus habens.

In initio autem verſus Lucretiani *Reſtinxit* juxta MSS. ut dixi, ſcribendum eſt, æque ut lib 5: 120. *reſtinguere ſolem.* & *reſtingui flammam* 4: 1081. & denique *reſtinguere ignem* 4: 871. in quibus omnibus locis & ſimilibus illud *re* vim duplicationis amittit, & nihil niſi intenſionem admittit. HAV.

1059. *Prope jam vivo atque videnti*] Ζῶντι καὶ ὁρῶντι, proverbium olet. ſic idem Lucret. libr. 5: 991.

Viva videns vivo ſepeliri viſcera buſto.

Terent. Eunuch. 1: 1: 28.

——— *vivus, videnſque pereo.*

M. Tull. pro Quinctio: *Huic acerbiſſimum vivo videntique funus ducitur.* Idem pro P. Sextio: *Vivus* (ut ajunt) *eſt & videns cum victu ac veſtitu ſuo publicatus.* Plautus Moſtell. 2: 1: 80.

Ludos ego hodie vivo præſenti hîc ſeni
Faciam, quod credo mortuo numquam fore.

Antiphon, oratione ſecunda ex accuſatione ejus, qui juvenis ſenem interfecit: ἡμᾶς τε τοὺς τιμωροῦντας αὐτῷ. ζῶν τε καὶ βλέπων φονέας αὐτοῦ φησὶν εἶναι. id eſt, & *nos, qui ei opitulamur, vivus & videns ſui interfectores eſſe dicit.* Æſchines κατὰ Κτησιφ. τὰ δέκα τάλαντα ὁρώντων, φρονούντων, βλεπόντων ὑμῶν ἔλαβον ὑφελόμενοι: id eſt, *decem talenta, videntibus, ſentientibus, aſpicientibus vobis furtim ſubtraxerunt.* LAMB. Ita vidua luxurians ζῶσα τέθνηκε, Paulo 1. Tim. 5: 7. HAV.

1061. *Et vigilans ſtertis*] Sic Amphitryo ille in comœd. ſui nominis apud Plautum, 2: 1: 176.

——— *vix apud me ſum:*
Vigilans prope dormio, vigilans ſomnio, vivus & ſanus intereo.

ex quo *dormitator* ab eodem pro deliro & ſtolido ponitur. LAMB.

Sollicitamque geris caſſa formidine mentem?
Nec reperire potes, quid ſit tibi ſaepe mali, quom
Ebrius urgeris multis Miſer undique curis,
Atque animi incerto fluitans errore vagaris?
Si poſſent Homines, proinde ac ſentire videntur,
Pondus ineſſe Animo, quod ſe gravitate fatiget,
Et quibus id fiat cauſis cognoſcere, & unde
Tanta mali tanquam moles in pectore conſtet;

INTERPRETATIO.

mentemque circumfers inani metu agitatam, & concuſſam; Nec dignoſcere queas quo malo Læſus es, cum miſer atque Ebrius multa undique ſollicitudine urgeris, incertoque Mentis errore agitatus huc & illuc fluctuas. Quod ſi revera ſentirent Homines, ut videntur ſentire, ipſi Animo ineſſe pondus quod ſe fatiget gravitate, & noviſſent e quibus cauſis id fiat, & unde tanta moles (audaci tranſlatione utor) mali in ſuo pectore conſtaret,

VARIÆ LECTIONES.

1063. *quid.* quod N.
1065. *animi.* animo C. P. Q1. X. Y. Z.
1066. *videntur.* videre c. O. P.
1068. *Et quibus.* E quibus D. E. N. Y. Z. *cognoſcere.* quoque noſcere E. N. Q1. X. Y. Z.
1069. *tanquam.* tanti Q1.

NOTÆ.

1062. *Caſſa formidine*] Inani timore. Lamb.

1064. *Ebrius*] Μεθύων. tralatio. ſic Demoſthenes Philippum dicit eſſe *ebrium rebus ſecundis*; & Horatius Cleopatram *fortuna dulci ebriam*: & Theocritus quendam *ictibus ebrium*. Lamb.

1064. *Ebrius curis*] Quem curæ penetrant, ſubeunt. Tale quid apud Plautum. Et hinc intelligi locus ille Terentii debet, *Temulenta es.* Tum illa, *Sic ſint*, inquit, *qui mihi male volunt.* in Eunucho; 4: 3: 12. *ebria malis, ægritudine.* Nam in eo argumento & τὸ *ebrius* uſurpabant. Faber.

1065. *Atque incerto &c.*] In Vulgatis: & Veteribus quibuſdam: *animo*: male. Gifan. Ordo: fluitans incerto animi errore vagaris. *error animi* & *error mentis* quid ſignificent apud ſcriptores, non obſcurum eſt. M. Tull. lib. 3. epiſt. ad Attic. *Nam quod ſcribis, te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici, mihi vero mens integra eſt.* Idem lib. 5. epiſt. ad familiar. *Hoc in ſermone cum a me exponeretur, quæ mea exſpectatio fuiſſet orationis tuæ: quantoque in errore verſatus eſſem, &c.* Horat. epiſt. 2. libr. 2: 138.

—— *pol me occidiſtis amici,*
Non ſervaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas,
Et demtus per vim mentis gratiſſimus error.

ad quem locum plura exempla collegi. ita neque de veritate hujus ſcripturæ dubitandum eſt, & vulgata illa,

Atque animo incerto, &c.

rejicienda eſt. Veruntamen doctus quidam, idemque mihi amiciſſimus, putabat legendum,

Atque animi incerti fluitans errore vagaris:

a quo diſſentio. Zoilus hanc ſcripturam tacitus probat, ut alias innumerabileis. Lamb.

1066. *Si poſſent homines, &c.*] Hi XXIII. verſus ſatis laudari non poſſunt. Si quid certe in homine Philoſopho boni eſt, hinc peti debet. Faber. Mortis timorem fontem & originem omnis ægritudinis ſupra docuit *Lucretius*: idem jam agit v. 23. Nec aliunde Tumultus & inſtabilitas in vita Hominum: Modo in Villam tendunt, modo in Urbem revertuntur; Hæc jam appetunt, deinde eadem fugiunt, in omni conditione Cura atque ægritudo, quippe hunc metum, omneſque cupiditates ex illa natas ſecum ferunt; Veram autem Philoſophiam, *Epicu-*

cu-

Haud ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus
Quid ſibi quiſque velit, neſcire, & quaerere ſemper,
Commutare locum, quaſi onus deponere poſſit.
 Exit ſaepe foras magnis ex aedibus Ille,
Eſſe domi quem pertaeſum eſt, ſubitoque revertit:
Quippe foris nihilo melius qui ſentiat eſſe.
 Currit agens mannos ad villam Hic praecipitanter,

Auxi-

INTERPRETATIO.

non talem agerent vitam qualem eos plerumque agere nos ſentimus: Quilibet non neſciret quid ſibi vellet, non ſemper veluti dubius & incertus vagaretur, aut ſedes commutaret, quaſi onus quo premitur, dejicere potuerit. Ille quem tædet eſſe domi ſplendidas domos relinquit, & peregre proficiſcitur, ſubito autem redit, quia experitur vitam non minus moleſtam eſſe foris quam domi. Alter incitatis equis ad Villam ſuam ex urbe tendit,

VARIÆ LECTIONES.

1071. *Quid.* Quod Q1.
1074. *Eſſe domi.* Iſſe domum Q1. *eſt.* ſit Z. *revertit.* revertat Q1. *Quidam codd.* reventant P. *in Not.*
1076. Deeſt D. I. deeſt, *hic* P.

NOTÆ.

cari viz. Sapientiam, ſequantur, Animum mortalem eſſe diſcant Homines, & deponet quiſque ſarcinam, quam gravem ſentit. CREECH.

1068. *Et quibus id fiat*] Si ita poſſent homines etiam ægritudinum & moleſtiarum ſuarum cauſas cognoſcere, ut ſentiunt moleſtiarum aculeos & gravitatem: non ita viverent, ut magna ex parte eos vivere videmus. Videtur legendum,

Et quibus id fiat cauſis cognoſc. &c.

& ita habent cod. Pariſienſes, codex Bertinianus manuſcript. quos nunc ſequor. nam alii habent,

E quibus id fiat cauſis quoque noſcere, &c. LAMB.

1068. *Cognoſcere.*] Ita ex Veteribus quibuſdam legendum. Vulgati *quoque noſcere.* GIFAN.

1069. *Mali tamquam moles*] Εἰκών. quod ſi dixiſſet *mali moles*, non addito *tamquam*, fuiſſet tranſlatio. ſic lib. 1. de orat. ad Q. Frat. princip. *In eo maximæ moleſtiarum moles, & turbulentiſſimæ tempeſtates exſtiterunt.* Idem libro 3. Tuſcul. *Aut ſemper aliquam molem meditabar mali.* LAMB.

1071. *Quid ſibi quiſque*] Sic legendum, & ita habent libri manuſcripti & nonnulli impreſſi. LAMB.

1073. *Exit ſæpe foras magnis ex ædibus*] Talis deſcribitur Charinus ille Plautinus in Mercat. 3: 4: 1.

Sumne ego homo miſer, qui nuſquam bene queo
quieſcere?
Si domi ſum, foris eſt animus: ſin foris ſum, animus domi eſt:
Ita mihi in pectore atque in corde facit amor incendium.

Talis ille qui otio neſcit uti: de quo Ennius his verſibus,

Otio qui neſcit uti, plus negotii habet,
Quam cum eſt negotium in negotio.
Nam cui quod agat, inſtitutum eſt, nullo negotio
Id agit: ſtudet ibi: mentem atque animum delectat ſuum.
Otioſo initio animus neſcit quid velit.
Hoc idem eſt. neque domi nunc nos, nec militiæ ſumus.
Imus huc, hinc illuc: cum illuc ventum eſt, ire illinc lubet.
Incerte errat animus. præter-propter vita vivitur.

Exſtant autem hi verſus apud Aul. Gell. libr. 19. capite 10. His adde hunc Horatianum ex libro primo epiſt. 8: 12. ad Celſum:

Romæ Tibur amem ventoſus, Tibure Romam. LAMB.

1076. *Mannos*] Equos breveis & parvos. Hor-

rat.

Auxilium tectis quaſi ferre ardentibus inſtans;
Oſcitat extemplo tetigit quom limina villae:
Aut abit in ſomnum gravis, atque oblivia quaerit,
Aut etiam properans urbem petit, atque reviſit.

Hoc

INTERPRETATIO.

nec minus properat quam ſi tectis ardentibus auxilium ferre feſtinaret: vix vero ingreſſus Villam ſtatim præ tædio oſcitat, aut ſe dat ſomno, & Villæ æque ac Urbis obliviſci cupit; Aut, non minori celeritate quam ab illa recedebat, repetit & reviſit Urbem.

VARIÆ LECTIONES.

1079. & 1080. Ita conflantur in Z. *Aut abit in ſomnum, gravis atque reviſit &c.*

NOTÆ.

rat. epiſt. Ad Mæcen. libro primo: 7: 77.

Impoſitus mannis, arvum, cælumque Sabinum
Non ceſſat laudare. Lamb.

1077. *Auxilium tectis quaſi ferre*] Significat ſummam feſtinationem. Lamb.

1078. *Oſcitat extemplo*] Oſcitatio, hominis eſt aliud agentis, & præſentibus non contenti, &, quæ adſunt, faſtidientis, & quæ abſunt deſiderantis. Gell. lib. 4. cap. 20. *Deliberatumque eſt de nota ejus, qui ad* CENS. *ab amico advocatus eſt, & in jure ſtans, clare nimis ac ſonore oſcitavit, atque inibi prope ut plecteretur, fuit: tamquam illud indicium vagi animi foret, & halucinantis, & fluxæ, atque apertæ ſecuritatis, &c.* Lamb.

1079. *Atque oblivia quærit*] Quærit quomodo ea obliviſcatur quæ ſibi moleſta ſunt. ſic Horat. 6. libr. 2. 60.

O rus, quando ego te adſpiciam? quandoque licebit,
Nunc veterum libris, nunc ſomno & inertibus horis
Ducere ſollicitæ jucunda oblivia vitæ? Lamb.

1081. *Hoc ſe quiſque modo*] Horat. ſat. 7. libri ſecundi, 112.

—— adde quod idem
Non horam tecum eſſe potes: non otia recte
Ponere: teque ipſum vitas fugitivus, & erro
Jam vino quærens, jam ſomno fallere curam,
Fruſtra: nam comes atra premit, ſequiturque fugacem:

nemo igitur ſe fugere poteſt, ne ii quidem, qui relicta patria alias terras petunt. Quid igitur (inquit idem Horat. od. 16. 18. libri ſecundi:

terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exſul
Se quoque fugit? Lamb.

1081. *At, quem ſcilicet, ut fit,*] Ita ex Veteribus noſtris reſtitui. In quibuſdam Veteribus, *ad quem*. *Ad* pro *at*, qua in re ſæpe variatum eſt. Marullus, & Vulgati: *quod*. Gifan.

1181. *At, quem ſcilicet, ut fit, &c.*] Secutus fueram initio codices vulgatos, qui habent,

At quod ſcilicet, ut fit, &c.

ſed tamen adſcripſeram me ſuſpicari hoc in loco ineſſe aliquid ulceris: quod manuſcript. haberent,

At quem ſcilicet, &c.

ut fortaſſe, inquam, legendum ſit,

At quem ſcilicet, ut fit, &c.

cujus lectionis hæc eſſet ſententia: at is, quem non poteſt effugere: nempe ipſemet, (nemo enim ſe effugere poteſt) ingratiis hæret: vel ſume ἀπὸ κοινοῦ vocem *morbus*, hoc modo: at morbus, quem effugere non poteſt, ingratiis hæret, & angit, quia ipſius morbi cauſam ignorat. Zoilus, cum hæc eſſent à me annotata, ea arripuit, ſibique vendicavit ſuo more. verum infinitum ſit ſingula ejus furta enumerare. Lamb.

1082. *Ingratis*] Ingratiis, aut *ingratis* pro ingratiis, vel adverbium eſt, quod ſignificat invite, & præter voluntatem, & non ſponte: quod Græci dicunt ἀκουσίως; vel potius nomen compoſitum ex *in* & *gratiis*; quo modo *injuſſu* ex *in* & *juſſu*, *incultus* apud Salluſt. ex *in* & *cultus*: *intactus* ex *in* & *tactus*: de quibus ſupra lib. 1. 454. *tactus corporibus cunctis, intactus inani*. In quibus omnibus *in* præpoſitum nominib. ſubſtantivis, nega-

ga-

Hoc ſe quiſque modo fugit: At, quem ſcilicet, ut fit,
Effugere haud potis eſt, ingratis haeret, & angit,
Propterea, morbi quia cauſam non tenet aeger:
Quam bene ſi videat: jam, rebus quiſque relictis

INTERPRETATIO.

Hoc modo unuſquiſque ſtudet ſeipſum fugere : at quod, aliter enim fieri non poteſt, evitare non valet ingratis adhæret, & vexat. Quoniam iſte qui æger eſt non novit Morbi cauſam, quam tamen bene ſi perſpiceret, jam unuſquiſque relictis

VARIÆ LECTIONES.

1081. *At, quem.* quod ſcilicet C. D. E. M. N. P. ad quod? *quidam legunt* P. *in not.*
1082. *ingratis.* ingratius C. E. Q1. X. Y. Z. *angit.* hæret & odit K. O. Q1. X. Y. Z. invitus adhæret & odit P.
1084. *bene.* bone P.

NOTÆ.

gationem ſignificat. quod fit uſitatius in adjectivis, ut *improbus*, *indoctus*, *impius*; &c. *gratiis* autem nomen eſſe, caſus ablat. à recto *gratia*, numeri multitudinis, quid eſt quamobrem quiſquam neget? Plaut. Amphitr. 1: 1: 215. Soſ.

Non ædepol volo profecto.

M.

At pol profecto ingratiis.

Idem Curcul. 1: 1: 6.

Tamen eſt eundum, quo imperavit, ingratiis.

Idem Ciſtell. 2: 3: 81.

Nunc mihi bonæ neceſſu'ſt eſſe ingratiis.

Terent. Eunuch. 2: 1: 14.

Opus faciam, ut defatiger uſque, ingratiis ut dormiam.

Idem Heautont. 3: 1: 137.

——— *ea coacta, ingratiis*
Poſt illa cœpit victum vulgo quærere.

Velim autem non ignorare lectorem, quoſdam libros vulgatos, in quibus ſunt Pariſienſes, habere hoc loco *invitus adhæret*, pro vera ſcriptura *ingratiis hæret*, quod icc irco notavi, ut meminerit quod ſupra pluribus verbis egi, ad illum locum,

Tum quaſi talipedans, &c.

hanc vocem *invitus*, ſeu *invito*, fuiſſe annotationem: deinde ab imperito & ſtulto librario in texturam verborum Lucretii tranſcriptam eſſe. Lamb. Præter voluntatem: *Ingratiis:* Voſſius: Sic Plautus in Caſina 2: 5: 7.

Vobis invitis, atque amborum ingratiis:

& in Mercatore Prologo, 4: 60.

Tuis ingratiis:

infra lib. 6. v. 215.

——— *Cadant* ingratîs *illa neceſſe eſt*
Semina, quæ faciunt fulgorem: Creech.

1084. *Jam rebus quiſque relictis*] *Rebus relictis* uſitatum genus loquendi veteribus, quod idem valet atque *rebus aliis omnibus relictis.* Plaut. Epid. 4: 2: 35.

Ego relictis rebus Epidicum operam quærendo dabo.

Idem Truc. 2: 1: 20.

Probus eſt amator, qui, relictis rebus, rem perdit ſuam

Terentius Andr. 2: 5: 1.

Herus me, relictis rebus, juſſit Pamphilum
Hodie obſervare.

Idem Heautont. 4: 7: 12.

Mihi nunc, relictis rebus, inveniendus eſt
Aliquis, labore inventa meo cui dem bona.

ubi tamen vulgati libri habent *relictis omnibus*, cum ſit legendum *relictis rebus*, itaque ſcriptum ſit in libris manuſcriptis. Lamb. Formula ſolemnis. Terent. Plaut. Faber.

Naturam primum ſtudeat cognoſcere rerum,
Temporis aeterni quoniam, non unius horae,
Ambigitur ſtatus, in quo ſit mortalibus omnis
Aetas poſt mortem, quae reſtat cumque, manenda.
Denique tantopere in dubiis trepidare periclis
Quae mala nos ſubigit vitai tanta cupido?
Certa quidem finis vitae mortalibus adſtat,
Nec devitari lethum pote, quin obeamus.
Praeterea, verſamur ibidem, atque inſumus uſque:
Nec

INTERPRETATIO.

aliis ſtudiis & occupationibus Naturam rerum penetrare; eamque cognoſcere conaretur; inquiritur enim non de brevis temporis, viz. de unius Horæ, ſed de æterni ſtatu, in quo viz. tranſigenda eſt ætas omnis Hominum, quæcunque eſt poſt mortem. Denique quæ tanta mala Vitæ cupiditas cogit nos tantopere trepidare in dubiis periculis? Certus vitæ terminus omnibus Hominibus ſtatuitur; nec mors evitari poteſt, quin moriendum neceſſe eſt. Præterea in iiſdem Voluptatibus hæremus ſemper & verſamur,

VARIÆ LECTIONES.

1086. *non unius.* velut unius c. P.
1088. *manenda.* manendo C. E. N. P. X. Y. Z.
1091. *Certa quidem.* Certè equidem B. C. N. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

1086. *Temporis æterni quoniam, &c.*] Quoniam non eſt controverſia, vel non certatur de ſtatu unius horæ, ſed de ſtatu temporis æterni atque infiniti, quod eſt poſt mortem, *ambigitur:* id eſt in controverſiam vocatur, ἀμφισβητεῖ). Lamb.

1088. *Manenda*] Sic legendum, non, ut in lib. vulgatis, *manendo.* ordo autem & ſententia eſt: in quo ſtatu temporis æterni, omnis ætas, quæcumque poſt mortem reſtat, mortalibus eſt *manenda*, id eſt perduranda: in quo ſtatu temporis æterni, homines omnem ætatem, quæcumque poſt mortem reſtat, neceſſario permanebunt & perdurabunt: neque umquam de integro hanc lucem intuebuntur, etiamſi eandem materiam, ex qua conſtabant vivi, temporis longinquitas denuo colligat, & in eundem ordinem, atque in eandem poſituram redigat. Lamb. *Manendo.* Gifan.

1089. *Denique Tantopere in dubiis*] Demum v. 4. Stulte id fugimus, quod evitare non poſſumus; Imo ſi multas ætates viveremus, eadem tamen nos teneret Cupiditas Vitæ v. 7. quæ nullam novam voluptatem afferret, quæ incerta ſemper, & malis obnoxia: & v. 8. Mors erit æque Immortalis & æterna ſi hodie, ac ſi cras occupet. Creech.

1089. *In dubiis trepidare periclis*] *Pericula dubia* dicuntur, quia incertum eſt utrum quis ex iis ſalvus evadere poſſit, necne. ſic dicimus *in dubiis rebus.* Plaut. Moſtell. 5: 1: 1.

Qui homo timidus erit in dubiis rebus, is nauci non erit.

ſic *dubia tempora*, & *dubii caſus* apud Horatium. Quid eſt (inquit) quod tantopere trepidemus in rebus adverſis & periculoſis? nam quantumvis diligenter & accurate vitæ & ſaluti noſtræ conſulamus, moriendum tamen eſt aliquando. Lamb.

1091. *Certa quidem*] Rectius quam *Certe equidem.* Creech.

1091. *Certe equidem.*] Sic in Veteribus, & quibuſdam vulgatis. Alii: *Certa equidem.* In Quibuſdam: *Certe quidem.* Gifan.

1092. *Nec devitare letum pote*] Pote, id eſt δυνα-

Nec nova vivendo procuditur ulla voluptas.
Sed dum abeſt, quod avemus, id exſuperare videtur
Caetera: poſt aliud, quom contigit illud, avemus;
Et ſitis aequa tenet vitaï ſemper hianteis:
Poſteraque in dubio eſt fortunam quam vehat aetas,
Quidve ferat nobis caſus, quive exitus inſtet.
Nec prorſum, vitam ducendo, demimus hilum
Tempore de mortis, nec delibrare valemus,

Quo

INTERPRETATIO.

nec longa ætate ullæ novæ procuduntur deliciæ: verum dum illud quod cupimus abeſt, id aliis omnibus quæ adſunt præſtare videtur, deinde ubi illud conſecuti ſumus, aliud deſideramus: Et idem impotens deſiderium urget Homines vitæ appetentes; Neſcimus omnes quam fortunam quid infortunii futura ætas feret, & quis finis nos maneat. Nec longam ætatem vivendo brevius reddimus tempus Mortis, nec ab illo ſpatium ita detrahere poſſumus,

VARIÆ LECTIONES.

1098. *vehat.* ferat ætas *Quidam. Poſteraque.* Poſteaque P. Q. *legend.* Poſtera P. *not.* 1101. *delibrare.* delibare A. B. C. E. F. N. delibrare c. deliberare X. Y. Z. *ſunt qui* delibrare *pro* deliberare *poſitum contendunt.* P. *not.*

NOTÆ.

δυνατὸν, quod *poſſibile* diceremus, ſi liceret. Lamb.

1092. *Nec devitari letum pote quin obeamus*] Ita interpungendum. *Letum obire*, dixit & infra, lib. v. 1419. Gifan.

1095. *Sed dum abeſt*] Hîc *m* non eliditur. qua de re ſupra diximus ad illum locum,

Corporum augebit numerum,

lib. 1: 437. nunquam (inquit) fruimur bonis præſentibus, ſed futuris ſemper inhiamus: quæ ubi adepti ſumus, alia item quæ abſunt, deſideramus. recte igitur præcipiunt, qui ſuadent, ut in diem vivamus, ut Horat. od. 29. lib. 3: 41.

——— ille potens ſui,
Lætuſque deget, cui licet, in diem,
Dixiſſe, vixi. cras vel atra
Nube polum, pater, occupato. Lamb.

1089. *Vehat*] Sic Horat. od. 29. lib. 1: 48.

Quod fugiens ſemel hora vexit.

& Virgilius Georg. 1: 462.

Denique quid veſper ſerus vehat. Lamb.

1100. *Vitam ducendo*] Vitam producendo, & diutius vivendo. Lamb.

1100. *Demimus*] Detrahimus, deminuimus. Lamb.

1101. *Nec delibare valemus*] In quibuſdam libris: *delibrare*; quod & probat Lambinus. In quibuſdam: *deliberare*. Omnia mendoſe. Vide Indicem. Gifan.

1101. *Nec delibrare valemus*] Nec poſſumus quicquam deripere, ſeu demere, ſeu detrahere de tempore mortis. *delibrare* valet *librum ſeu corticem de ligno detrahere*: quo verbo utitur & Cæſar lib. 7. de bello Gall. *Firmis ramis abſciſſis, atque horum delibratis ac præacutis cacuminibus.* unde per tranſlationem *deminuere* ſignificat, ut ſupra diximus. *delibrare* autem habent duo cod. manuſcripti, quibuſcum congruunt Pariſienſes: alii *deliberare*, quibuſcum conſentiunt Aldini antiquiores: quod quidem factum eſt ex *delibrare*, cum indocti, ſive librarii, ſive lectores, quod ſibi vellet *delibrare*, non intelligerent. ſententia autem hujus loci hæc eſt: non poſſumus quicquam detrahere, ſeu demere de tempore mortis, quo minus diu mortui ſimus: id eſt, etiam ſi aliquot annis, atque adeo ſæculis tardius moriamur, non ideo tamen minus diu mortui erimus. Zoilus, cum hæc legiſſet,

Quo minus eſſe diu poſſimus morte peremti.
Proinde licet quot vis vivendo condere ſaecla,
Mors aeterna tamen nihilo minus illa manebit:
Nec minus Ille diu jam non erit, ex hodierno

Lu-

INTERPRETATIO.

ut non tandem ſimus diu mortui. Licet igitur per plurima ſecula vitam tuam producas, illa tamen Mors erit nihilominus æterna, Nec ille qui Hodie moritur jam

VARIÆ LECTIONES.

1102. *Quo.* Quid. c. O. Q. *poſſimus.* poſſumus Z. *morte.* ſorte peremptí C. E. P. Z.
1103. *quot vis.* quodvis D. Q. X. *condere.* ducere K. Z.

NOTÆ.

ſet, *omnia mendoſe*, inquit. Cenſorem aliquem loqui putes, cum hoc nomine nihil ſit ſtolidius, nihil pinguius nihil contemtius. Inane tandem, bellua? omnia mendoſe? Tu vero omnia mendoſe: quæ modo aliis non ſuffuratus es. Lamb. Rectius, *delibare.* Faber. Mallem hic retinere verbum Lambino placitum. *delibare* enim refertur ad exiguum illud quod quis ex aliqua re carpit. *delibrare* autem ad ipſam rem potius pertinet, quæ hoc modo minimum patitur. Tertullianus, ut plura, etiam hoc verbum à Lucretio ſumpſit lib. de Anima cap. 17. *Non licet nobis in dubium ſenſus iſtos revocare, ne & in Chriſto de fide eorum delibretur.* Unde forſitan etiam *delibrandum* rectius in Apologetico ejus legas Cap. 21. pag. 196. *inflati ad delibrandum, derivantes a diſciplina in profanum modum.* ſed metaphora non à cortice arboris, ſed aquæ derivatione & ſulco (juxta Feſtum in *delibrare*) deducta. Hav.

1102. *Morte peremti*] Mortui. Virgil. Æneid. 6: 163.

——— *indigna morte peremti.*

idem 9: 453.

——— *& primis una tot cæde peremptis.*

non celabo lectorem, me ſcriptum reperiſſe in lib. manuſcriptis, *morte perenti*, *n* ante *t.* quod eo notandum duxi, ut intelligant tandem omnes literarum ſtudioſi, veteres ſcripſiſſe *peremtum*, *ademtum*, *emtum*, *comtum*, & ſimilia, per *m*, ſine *p*, ante *t:* poſtquam autem Italiam barbaries oppreſſit, alios ſcripſiſſe *perentum*, & ſimilia per *n* ante *t*: alios per *m*, interpoſito *p* inter *m* & *t*, exiſtimanteis *m* ante *t*, ſine *p*, nec ſcribi debere, nec pronuntiari poſſe: quorum errorem coarguimus & convicimus in epiſtola ad lectorem, quam præpoſuimus commentariis Horatianis. Quod autem doctus quidam Italus, nulla alia ratione adductus, quam quod libri manuſcripti ſic habent, etiam hodie ſcribit *dampnare* & *temptare*; ſatis ejus inſcitiam ac ſtuporem mirari non poſſum. quaſi vero libri veteres ſint uſquequaque ſequendi, & non cum judicio tractandi ac legendi: verbi gratia, in eis fere ſemper ſcriptum reperias, *dampnare*, *antempna*, *ſompnum*, *ſolempne*, & ſimilia quamplurima: quam ſcripturam tamen nemo eſt mediocriter eruditus, qui non reſpuat: aut quaſi *tentandi* verbum non oriatur à verbi *teneo* ſupino *tentum*, ſeu *tentu:* quæ vel cum *m* & *p* ſcribenda ſunt, *temptum*, *temptu:* quod ſi quis dicat, delirus judicetur: vel ne in *tentu* quidem his litteris *m* & *p* locus eſſe poteſt, ut ſcribatur *tempto.* Lamb.

1103. *Condere ſæcla*] *Condere ſæcla* dictum eſt vel ut dicimus *condere frumenta & fructus*, vel ut *condere mortuum*, vel ut *condere luſtrum.* quoquo modo dictum ſit, tralatio eſſe videtur. Sic fortaſſe Horat. od. 5. lib. 4: 29.

Condit quiſque diem collibus in ſuis.

condere enim *diem* videtur, qui ad veſperum pervenit, & cui dies totus conſumtus eſt. *condere* igitur *tempora*, *ſecula*, *annos* dici poſſe videtur, cui tempora, ſæcula, anni conſumti & præteriti ſunt. Lamb.

1104. *Mors æterna*] Θάνατος ἀθάνατος. ut ſupra: 882.

Mor-

Lumine qui finem vitaï fecit, & ille,
Menſibus, atque annis qui multis occidit ante.

INTERPRETATIO.

non exiſtet minus diu, quam ille qui ante multis annis & menſibus occubuit.

NOTÆ.

Mortalem vitam mors cui immortalis ademit. Lamb.

1105. *Nec minus ille diu, &c.*] Id eſt, & æque diu mortuus erit ille qui ex hodierno die vivendi finem fecit, atque ille qui multis ante annis interiit. nam cum tempus futurum, ſit infinitum, uterque poſt mortem tempus æque infinitum mortuus manebit. Lamb.

1105. *Ex hodierno lumine*] Ex hodierno die. Lamb.

Cum de Materia, ejuſque motibus, (ſi modo opiniones quæ Providentiam impugnent excipias) diſputet Lucretius, quis Philoſophorum prudentius, aut rei ipſi accommodatius? De rebus vero à Senſu remotis, de Anima, ejuſque facultatibus diſſerente nemo vanior aut ineptior: Qualem vero ſibi animam effingit? En ipſa adeſt; Subſtantia Corporea tenuis, compoſita e minutis & volubilibus particulis Auræ, Aëris, & Caloris, quæ ita per totum Corpus ſitæ ſunt, ut parvis intervallis ſint à ſe invicem disjunctæ: His tribus addas quartum Neſcio quid innominatum perſubtile, & maxime mobile, quod in pectore ſitum ſit ſenſus principium, & Imagines ab omnibus rebus venientes percipiat, & tum perfecta & conſummata erit *Epicuri* Anima. Breviter, Concipe Araneum in pyxide, per totam iſtius pyxidis cavitatem telam texat, mediamque ipſe incolat: advolent deinde Muſcæ, & fila moveant, quo motu excitatus Araneus filamenta tractet, Muſcas irretiat, & captas devoret: Hæc concipe, & habebis Imaginem Epicureæ Animæ captantis εἴδωλα, qua nulla unquam fuerit ſimilior. Hæc vero digna ſunt Philoſopho commenta!

Animam non eſſe Corporis Harmoniam a v. 94. ad v. 136. ſatis probatum. Inde uſque ad 162. fruſtra Animum, Dominum viz. vili ſervo Animæ conjungit: vehementi metu concuſſo Animo, laborat Anima, fateor, ſic tremente Citharædo debitos ſonos Cithara non reddit. Pari ſucceſſu uſque ad v. 177. Animum corporeum eſſe evincere conatur, quod enim argumentis confirmare debuit, id tanquam certum ſibi ſumit; Pertinaciter enim affirmamus Contactum poſſe eſſe ſine Corpore.

Dum vero Animam Corpoream eſſe nondum probaverit, quid de illius ſubtilitate uſque ad v. 231. inquiramus? Fatendum tamen Poëtam evidenter demonſtraſſe Animæ particulas, ſi modo Corporea foret) debere eſſe ſubtiles & volubiles: Nec de Compoſitione Animæ uſque ad v. 323. litigemus, nam ex Aëris, Auræ, & Caloris Seminibus non minus apte componat Animum quam ex alicujus aliûs materiæ particulis: Quod vero v. 280. tribus hiſce rebus quartum aliquod innominatum addat, ideo confitetur nullum genus Corporis concipi aut excogitari poſſe, quod ſenſus ſit principium.

Prudenter autem tenuis Animi ſalutem denſo validoque Corpori commendat uſque ad v. 350. & uſque ad v. 370. Corpori etiam facultatem ſentiendi largitur: Quid autem ſtultius? quid a communi ſenſu remotius? Quid denique ipſius Placitis minus accommodatum? Unde enim Corpus ſit ſenſus particeps cui nihil quartæ iſtius innominatæ rei immiſcetur? Deinde ad v. 396. Contra Democritum feliciter diſputet, nec repugno, non enim inquiro utra Sententia potior ſit, dum utraque eſt abſurda: Et ut modo Animum Corpori conſervandum credidit, ſic ad v. 417. Corporis cuſtodiam viciſſim Animo com-

commendet: Iſtam tutelam non invideo: Argumenta vero quibus ipſum Animum expugnat, conſideremus.

Primum a v. 425. ad v. 445. Tenuem & ſubtilem Corpoream Subſtantiam, qualem Animum ſupponit eſſe, diſtrahit & diſpergit: Atque id fiat per me licet, Corporeus ſit Animus, & quamvis craſſus, & e particulis implexis conjunctus ſit, eum tamen diſſolubilem fatebor.

Secundum a v. 445. ad v. 459. Tertium a v. 460. ad v. 464. & Quartum a v. 464. ad v. 473. Nihil efficiunt: Animum enim una cum Corpore naſci, adoleſcere, & feneſcere minime ſentimus; Corpus naſci, adoleſcere, atque ſeneſcere ſentimus, in Animo neque decrementum neque incrementum experimur; At vero in Infante non viget Animus, in Sene deficit: Quo argumento? nempe ineptus eſt Puer, & Senex deſipit. Similiter Artificem peritiſſimum in Machina colloces, Aliæ vero partes iſtius Machinæ nimis rigeſcant, Aliæ ſint æquo flaccidiores, deterantur aliæ, aliæ autem nimis turgeſcant: & deinde ſtulte expectabis ordinatos motus, licet maxime elaboret peritiſſimus ille Artifex. Deinde Curas, luctumque ſuſcipit Animus. Ergo eſt diſſolubilis: Quia viz. (alia non jam occurrit ratio) Luctus *Penetrans* & Curæ *edaces* alibi appellantur. Digna mortali & Corporeo Animo iſta ratiocinatio! Quarto autem argumento eadem reſponſio, quæ ſecundo, ſatisfacit.

Tribus ſequentibus argumentis a v. 475. ad v. 524. Medici reſpondeant, quanquam nil opus eſt reſponſo: Crura vacillent, tardeſcat Lingua, & natent Oculi, quid hæc ad Animum? Jurgia denique gliſcant; Neque id quidem mirum, quemadmodum quantumlibet alioquin peritus fuerit Cithariſtes, non poterit tamen non diſſonantes cantilenas exprimere, ſi perturbate intenderis, ac diſtenderis chordas Citharæ, quæ harmonice ante pulſabatur. Similiter in morbo Epileptico ater ille Humor organa deturbat, atque inde iſti motus incompoſiti. Cum vero Organa tantum afficiat, & debilitet Morbus, quid aliud reſtituat Medicina? Septimum a v. 525. ad v. 546. aſſerit Animam Hominis membratim morientis ſenſim deficere atque interire: Quaſi frigeſcere non poſſunt Artus niſi Anima etiam frigeſcat: Hoc vero argumentum ſupponit Animam Corpoream eſſe & per totum Corpus diffuſam, quod nondum probavit, & certo ſcio nemo unquam demonſtrabit.

Octavum a v. 547. ad v. 556. nihil agit, Neque enim ab alio intelligendi aut ratiocinandi vim habet Anima, quemadmodum Auris audiendi, aut Oculus videndi mutuatur; verum a ſeipſa id habet, ac idcirco mirum non eſt, ſi ſejuncta à Corpore Auris non audiat, neque ſejunctus Oculus videat, ſecreta autem à Corpore Mens intelligat ac ratiocinetur.

Nono a v. 557. ad v. 578. hoc modo reſpondendum: Ut dum videmus Militem gladio, aliiſque armis pugnantem, non dicimus tamen illum Armis deſtitutum non poſſe plagam ullam inferre, cum manus adhuc ſuppetant quibus infligere ictus poſſit; ſic cum Anima membris undique, ut panoplia quadam induatur, organiſque adeo corporis varias functiones obeat, dicendum tamen non eſt, ubi iſtum omnem quaſi militarem apparatum exuerit, nullam ipſi neque intelligendi neque ſentiendi ſupereſſe functionem.

Decimi argumenti a v. 589. ad v. 590. vires nemo agnoſcet, niſi qui ſenſerit Animum eſſe quaſi fundamentum totius Animalis, & Corpus Animo tanquam Sale aliquo condiri ne fæteat & putreſcat.

Undecimum a v. 591. ad v 605. nihil aliud eſt quam in verbo luſus; ideo enim vim aliquam videtur habere, quia iſta ſpirituum defectio appellatur *Animi* deliquium.

Duo ſequentia a v. 606. ad v. 623. negant Animam exire poſſe integram niſi per fauces expiretur, nec abſurde quidem, ſi Corporeus foret Animus: Addunt inſuper Animam futuram diſſolutionem metuentem ægre atque invito exire; Reſpondet apud Ciceronem Cato, *Quid quod ſapientiſſimus quiſque æquiſſimo Animo moritur, Stultiſſimus iniquiſſimo? Nonne vobis videtur Animus is, qui plus cernat & longius, videre ſe ad meliora proficiſci? Ille autem cujus obtuſior acies, non videre? Equidem efferor ſtudio patres veſtros, quos colui & dilexi, videndi; neque vero eos ſolum convenire aveo, ſed illos etiam, de quibus audivi, & legi, & ipſe conſcripſi. Quo quidem me proficiſcentem, haud ſcio quis facile retraxerit: Quod ſi quis Deus mihi largiatur ut ex hac ætate repueraſcam, & in cunis vagiam, valde recuſem; nec vero velim, quaſi decurſo ſpatio a calce ad Carceres revocari.* Demum affirmant, Animum, quoniam in Pectore Hominis ſemper ſitus eſt (ſi *Epicurum* viz. audiamus) extra pectus non poſſe integrum manere, quaſi Aves in nido natæ extra illum verſari nequeant.

Decimum quintum a v. 624. ad v. 633. ejuſdem eſt cum reliquis farinæ, & Vulgus ſapit: Nec Decimum Sextum a v. 634. ad v. 669. tam fuſe explicaſſet Poëta, ſi motum Animalem, eaque inſtrumenta quæ iſti perficiendo inſerviunt per-

perſpexiſſet. Sequenti a v. 670. ad v. 678. Plato & Pythagoras reſpondeant, iſtos enim ſolos premit, & alia jam ago: Decimum Septimum & Octavum a v. 679. ad v. 712. ſupponunt Animum Corporeum per totum Corpus diffundi, & cunctis illius partibus alligari, quo nihil falſius, aut abſurdius: in Capite, tanquam Princeps in Solio reſidet, ibique dominatur.

Quam futulis ſit iſta a v. 713. ad v. 740. de Vermibus obſervatio Omnes ſentiunt, qui Vermes in Terra, Planta, Caſeo, rebus profecto nunquam Animatis genitos viderunt.

Qui Animarum tranſmigrationem defendunt, iſti effugiant nodos quos nectit Poëta a v. 741. ad v. 769. Et deinde a v. 770. ad 776. Abſurdus foret Animus, niſi cuperet Corpus vividum & vigens, fugeretque ſenio confectum. De ſequentibus a v. 777. ad v. 784. Iſti videant, ſi qui ſint, qui Pythagoricas nugas aliquid eſſe putent: Quoniam vero Vigeſimum quartum a v. 785. ad v. 800. idem eſt cum Decimo quarto, ideo non alia hic quam illic adhibenda eſt reſponſio.

A v. 801. ad v. 866. Rem immortalem rei mortali conjungere Præſtantiſſimis Philoſophis nondum viſum fuit incongruum, aut abſurdum: Deinde contra v. 807. ad v. 829. quartum genus rerum conſtituo, incorporeas viz. ſubſtantias immortales: idque impudenter negabit Epicurus, cum Deos ſuos æternos & indiſſolubiles conſtituerit. Demum a v. 830. ad v. 841. Luctu penetranti affici, & curis edacibus vexari Animum, & Corpore morbis quibuſdam correpto illum debitas functiones exercere non poſſe confitemur, at vero Animum inde fieri mortalem pertinaciter negamus.

Jam vero copioſius oſtenderem fruſtra hæc omnia argumenta congerere & explicare *Lucretium*, Mortis enim metum non tollunt; Quippe iis qui bonis proſperiſque rebus utuntur, quid calamitoſius iſta morte, quæ ſit στέρησις αἰσθήσεως? & Miſeris talem mortem proponere qua extinguantur penitus, ſicque miſeriarum ſit finis, perinde eſt ac ſi jactato tempeſtatum ſævitia proponatur naufragium, quo ſubmerſus ſuffocatuſque procellam deinceps ſenſurus non ſit: Hoc eſt egregium, quod præſtant *Epicuri* dogmata, ſolatium; Quod tamen, quale quale eſt, Bonis omnibus & Piis inviſum ac ingratum, & impios ſolos, quos nulla Philoſophia curare debuit, juvabit. CREECH.

FINIS LIBRI TERTII.

EDITIONIS HUJUS NOVÆ
T. LUCRETII CARI,

QUÆ PER NOMINUM SUBSCRIPTIONEM PRODIIT,

CUjuſque non plura exemplaria ſunt typis mandata quam DCCCXX. hac lege, ut nunquam iterum hoc ornatu, ſive cum hiſce Notis &c. ab hiſce Typographis, aliiſve, quibus jus ſuum aliquo nomine conceſſerint, ſub prelum revocetur, (quo poſſeſſoribus ſuum libro permaneat pretium,) exemplar hoc quidem eſt numero

Quadringentesim. nonages. quartum

Quod juxta propoſitas conditiones ita ſe ſincere & ex fide habere, appoſito chirographo noſtro teſtamur.

Sigbert Havercamp

Jan Isonii van der Aa